BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
37 L
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52
A

52-A-3
52-7-3

CHRISTIANAE PARAENESIS,

ſiue


DE RECTA IN DEVM FIDE LIBRI SEPTEM,

Ad Philippum Catholicum Regem.

In quibus orthodoxæ fidei origines, & cauſæ proponuntur, ac ſimul eius excolendæ, nutriendæ, & propagandæ ratio quàm aptiſsima traditur; atque uniuerſa, quæ eam pertentare ſolent, infidelium aut hæreticorum, noſtræ præſertim memoriæ, argumenta, & rationes proteruntur.

MICHAËLE MEDINA HISPANO,
in Synodo Tridentina Theologo Regio AVCTORE.

Acceßit rerum, & uerborum memorabilium, & ſacræ ſcripturæ locorum, quæ explicantur, Index locupletißimus.



Cum priuilegio.

SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. ROM. IHS

Venetiis, ex Officina Iordani Zileti, 1564.

8. 37. L 16

PHILIPPO
HISPANIARVM,
Neapolis, Siciliæ, &c. Nouique Orbis Regi
Catholico, atque potentiſsimo,

F. Michaël Medina Hiſpanus S. P. D.

ETSI omnes mortales naturæ quadam lege, atq; impulſione, Rex CATHOLICE PHILIPPE, ſuos Principes tanquam reipub. cuius ſunt membra, ductores atque protectores diligant, & uenerentur, ſummóque ſtudio atque honoribus proſequantur: illis tamen nunquam par gratia & amor rependi poteſt, qui non modò iuſtitiæ, & æquitati, quibus hominum ciuitates utcunque in hac uita mortali conſtare ſolent, ſed religioni quoque, & iis, quæ ad alterius uitæ rationem ineundam pertinent, promouendis, perfecta animi conſtantia, & infracta uirtute, ſemper inuigilant. Nam ſi pacis, & humanæ fœlicitatis, quæ per uitæ ciuilis rectam adminiſtrationem uix tandem obtinentur amor, atque conſecutio, ita homines obſtringunt, ut tam ſacroſanctum pro ſuis Principibus, quàm pro patria, chariſq; pignoribus cadere iudicent, quid, per Deum immortalem, iis principibus debere nos arbitrabimur, quibus auctoribus æternæ fœlicitatis, quæ rectæ ac ueræ Religionis eſt præmium, poſſeſſio obtingit? Numerantur in priori genere ab Ethnicis ſcriptoribus, prophanarum rerum publicarum rectores permulti, Cyrus, Alexander, Romulus, Numa, Africanus, Auguſtus, Lycurgus, Solon,

Ageſilaus, Codrus, & alij: ſed te in ſecundo ordine, iis Eccleſiaſticæ reip. difficillimis temporibus, poſt Conſtantinos, Valentinianos, Theodoſios, Carolos magnos; immo (quod nos tui Hiſpani non in parua fœlicitatis noſtræ parte reponimus) poſt Ræcaredos, Siſibutos, Alphonſos, Fernandos, maiores tuos, aut (quod eſt iis multò recentius) poſt illud admirandum Imperatoriæ uirtutis, ac Religionis exemplar CAROLVM V. patrem tuum, cui non tam imperio, ac potentia, quàm animi magnitudine, ac eiuſdem religionis ſtudio ſucceſſiſti, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ recenſebunt. Quis enim, uel ex iis, qui ubicunque terrarum, fidei ſinceritatem diligunt, adeò ſit durus, & agreſtis, qui tibi omnium Chriſtiani orbis Regum potentiſſimo, & Chriſtianiſſimo, non plurimùm iis temporibus ſe debere ingenuè fateatur, cùm te, non modò nomine, quod ante ferè mille annos, tuis maioribus Regibus noſtris tributum, cum ipſa ueræ religionis confeſſione, hæreditario iure ſuſcepiſti, ſed inuiolabili animi propoſito, & inuicta potentia, fidem ueterem catholicam'que profiteri uideat? cùm te non modò CHRISTI hoſtium infidelium, ſed ſinceræ, ac ueræ fidei peruerſorum hæreticorum, terrorem animaduertat? cùm te ſanctam CHRISTI ſponſam, non modò externo aduerſariorum impetu, ſed domeſtico quoque diſſidio nutabundam & penè labaſcentem, incredibili officio ſuſtentantem animo repetat? cùm demum fœliciſſimo tuo imperio non in angulo Orbis poſito, ſed per uniuerſæ Europæ penè potentiſſimas prouincias, Hiſpanias, Gallias, Germaniam, Italiam; immo uerò & Africam, nouumq; Orbem, latiſſimè producto, in tam ingenti Eccleſiaſticæ perſecutionis turbine, ſibi tutiſſimum ſuffugium aſylumq;截 ſupereſſe ſentiat? Quòd ſi hoc ita ſe habet, quantum tibi amorem, ſtudiumq; debemus, qui tuis legibus uiuimus? qui tuo imperio gloriamur? qui te duce ac Rege non ſolùm CHRISTI hoſtes, ueræ'que religionis corruptores non formidamus, ſed illis terrorem, & pauorem ubicunque gentium, ac terrarum incutimus? Quantum tibi debemus, qui non communi illa amoris, & ſtudij ratione, quam reliquis omnibus ſinceræ pietatis amatoribus impendis, ſed peculiari alia, atque filiali gaudemus? qui tua illa ingenita dulcedine, qua uel ipſum Titum imperij Romani principem, non tam naturæ tuæ manſuetudine, quàm recta animi inſtitutione, conquiſita, ſuperaſti; dum eam potiſſimum eſſe Regis, Chriſtiani præſertim, ornamentum, tibi iure perſuaſiſti, perfruimur? Nam quemadmodum optimus ille Princeps, quem meritò delicias generis humani ueteres uocitarunt, apud ſe ſtatuerat, non oportere quenquam à ſermone Prin-

In Concilio Toletan. III.

cipis triſtem diſcedere, ita tu quoque in tanta, immo uerò in maiori gentium, ac prouinciarum adminiſtratione conſtitutus, neminem unquam à tuo colloquio mœſtum, aut ſine ſpe dimittis. Quantum (inquam) tibi debemus, qui in tanta reipub. Chriſtianæ perturbatione, qua nobiliſſimæ quoque prouinciæ, partim externo, partim domeſtico diſſidio penè corruerunt, in altiſſima pace, ac ſumma uitæ tranquillitate ſecuri degimus, adeò ut nos omnium mortalium hoc ſæculo fœliciſſimos, cunctæ Chriſtianæ nationes, ac gentes deprædicent, qui aliis in hoc mundi ſenio fœdè tumultuantibus, Euangelico ocio, ut olim ſub Salomonico imperio Iſraëliticus populus, diffluamus? Iuſtitiam, quam in tot gentium, ac prouinciarum toto ferè Orbe diſſitarum populis conſeruas, qua nulli quantumcunque potenti, ac diuiti innocentiam quantumuis imbellem, & inermem, unquam lædere permittitur, commemorare non eſt opus; nam eam, niſi eorum ſæculorum, quæ tamen aurea ueteres uocitare ſolent, calamitates, & peccandi licentia diligenter ad memoriam reuocentur, quemadmodum & in reliquis humanis rebus, in quibus ſemper præſentia contemni ſolent, accidere uidemus, ſatis cognitum iri non arbitror. Magnificentiam tuam, & uerè regiam liberalitatem, non modò tui Hiſpani ſentimus, uerùm & penè totius Chriſtiani Orbis proceres, tum ſacri, tum prophani, qui Catholicæ religionis amore, atque ſtudio tenentur, effuſiſſimè commendant. Nam clementiam tuam & in condonandis acceptis iniuriis, animi magnitudinem; cum tamen ingentium copiarum apparatus, & diuitiarum, quæ belli nerui eſſe ſolent, ferè inexhauſti theſauri, tibi, cui & hic, & alter Orbis in hac parte ſeruit, abundantiſſimè ſuppeterent, potentiſſimæ Europæ prouinciæ, quibus non mediocribus alioqui rationibus laceſſitus, Chriſtiano pectore pepercisti, referant. Illud ſanè, ſi non huic noſtro ſæculo admirabile erit, apud poſteritatem tamen in tua maxima laude reponendum eſt, quòd cùm omnium Principum ſis potentiſſimus, & qui non modò iure belli, quod tibi non cõtemnendis titulis, in non paucas prouincias acceſſit, ſed etiam cum ſumma Religionis laude, atque commendatione easdem fortaſſe occupare potuiſſes, ne tamen Chriſtiano ſanguine, præſertim uerò catholico, quem etiam profundi neceſſe erat, ſordeſceres, & in tanta rerum Chriſtianarum anguſtia, CHRISTI Eccleſiæ undique afflictæ, inſultare uideretur, poſt illuſtriſsimos triumphos, Chriſtianarum prouinciarum pacem, ac tranquillitatem humanæ ambitioni, & auaritiæ prætuliſti: quas tamen nonnulli ex iis, qui ueteri memoria ſummis laudibus commendantur, minoribus multò

Suetonius in Tito.

quàm iiſce titulis ornarunt. Verùm hæc, quæ tamen in omni rerum, ac temporum memoria ſunt futura præclariſſima, ſi ad ſummum illud conſeruandæ, ac propugnandæ ueteris, & Eccleſiaſticæ fidei ſtudium, quo in uniuerſo tuo imperio, nec aditum quidem eius corruptoribus permiſiſti, conferantur, parua fortaſſe uidebuntur: nec immeritò. reliqua enim omnia, & a reliquis principibus præſtari poſſe, quis fortaſſe contendet; hoc tuum eſſe, tibi'que uni hanc laudem deberi, nullus iure negare poterit. Sunt (fateor) Principes non pauci, qui inter hæreticorum hominum phalanges, & conſuetudines, quaſi lilia inter ſpinas, ab hæreticæ doctrinæ contagione (quod profectò longè præclariſſimum eſſe arbitror) ſeſe mundos aſſeruauerint, uerùm tu ſolus non modò animum, ſed ampliſſimas quoq; gentes, quibus imperas, efficaciſſimis remediis, ita ab hac peſte incolumes ſeruaſti, ut in eis nec doctiores quidẽ homines, quibus tamen, tua ætate ob ingentia uirtutis præmia ſunt refertiſſimæ, eorum phanatica deliria, qui nunc Eccleſiaſticæ doctrinæ obſtrepere diuinitus permittuntur, uel à longe cognouerint. In ſumma, te Principe, te Rege, in ea fidei ſinceritate uiuimus, qua nulla maior, in omni Chriſtianorum memoria deſiderari potuiſſet. Nam quid ego tuum apud barbaras alterius Orbis nationes, ampliſſimáſque prouincias per Euangelicos miniſtros, quorum exercitus ingentes, non ſine ſummis expenſis illuc quotidie mittis, propaganda excolendáque eadem Religione, ſtudium diligentiámque dicam? Aut quorſum in amputandis in tua repub. peccatis, iis præſertim, quæ in Deum ipſamqúe religionem patrari ſolent, hæreſi, atque blaſphemia, afformandis'que tuorum hominum, ad Chriſtianæ uitæ regulam atque amuſſim, moribus, tuam ſolertiam, infatigabilemqúe ſolicitudinem referre opus eſt? Iam quanto Dei timore in eiuſdem religionis adminiſtris, id eſt Paſtoribus, præficiendis, quo iure iam à multa Chriſtianorum ſæculorum memoria, poſt maiores tuos reges noſtros uteris, agaris, & ſi ego hîc tacuero, illuſtriſſimum hoc Tridentinum Concilium, ex omnibus pene Chriſtianis prouinciis coactum, ſua ſponte prædicabit. deprehenderunt in eis profectò præter ſolidam eruditionem, & integram fidem, infractum in æmulanda antiqua illa priorum patrum uirtute Paſtorali, animorum uigorem, in te autem quantam, & promouendæ Chriſtianæ religionis, & munerandæ uirtutis & ſapientiæ, rationem habeas, planè cognouerunt.

In Concilio Tolet. XIIII. Can.6.& diſt.63. c. Cum lõgè lateq́.

HÆC atq; alia eximia Regalium uirtutum tuarum ornamenta, quibus nunc præluces, præcipuè uerò ſummum religionis ſtudium, tuendæque

dæ'que Eccleſiaſticæ fidei amor, apud me obtinuerunt, ut hoſce commentarios, quos DE RECTA IN DEVM FIDE, iis diebus ſcripſeram, ad te darem, Catholicæq́ Maieſtati tuæ conſecrarem; nec enim aut illis aptiorem patronum Catholico Rege, & eo, quidem fidei, quæ in eis propugnatur, ſtudioſiſſimo, inueniri poſſe exiſtimaui; neque te aliquod quantumuis precioſum munus dignius cogitare potui, eo, in quo Catholicæ religionis, à qua tu Catholicus diceris, ueritas aſſeritur. Quæ uerò me ad ſcribendum in tanta doctiſſimorum hominum frequentia, qui modò apud uarias Chriſtianorum prouincias, cum aperto triumpho, pro Eccleſiaſtica religione decertant, rationes impulerint, iam accipe. Adhortabatur me difficillimorum temporum, in quæ incidimus, conditio: nam cùm tot habeat recta fides aduerſarios, oportere mihi perſuaſi, & è re Chriſtiana maximè fore credidi, ſi omnes etiam præter neceſſitatem, ſcripto animum erga eandem religionem proderemus. Adhortabatur deinde me ſuſcepti officij Theologici ratio, quod Maieſtas tua mihi in hoc ſancto Concilio Trident. inter uiros doctos, non ſine multa regia liberalitate demandauerat. Quid enim etiam ij, qui uel unum tantùm talentum accepimus, id eſt, qui exiguam, & aridam eruditionis ſupellectilem, nulla ſanctitatis imagine decoratam ſortiti ſumus, non ceſſationis meritò arguamur, ſi in tanta Catholicæ religionis anguſtia; ſi in tanta Eccleſiæ preſſura, in tanto tentationum turbine, in tanta aduerſariorum ſcribendi licentia, qua nec maior, nec fœcundior fuit unquam, compreſſis manibus, ocioſi ſedeamus? Aut cur non æquo iure hæreticis hominibus conniuere uidebimur, ſi in hoc acerrimo Eccleſiaſtico conflictu, operas noſtras uniuerſi etiam gregarij milites eidem Eccleſiæ non fideliter præſtemus? Inuitabar deinde tum ueterum, tum multorum recentium Theologorum exemplis, qui uel nunc, uel olim, aut infidelium, aut hæreticorum, impetus cum ingenti poſteritatis laude, atque pietatis promotione repreſſerunt; non tam quid dicendo poſſent, quàm quantum eorum opera utilis Chriſtianæ reipub. foret, attendentes. Hæc igitur cùm mecum ipſe conſtituiſſem, cœpiſſemq́ animo reputare, uniuerſas religionis partes, quæ noſtra, uel præcedenti memoria ab eiuſdem religionis aduerſariis in controuerſiam uocatæ ſunt, ſatis doctè à multis fuiſſe pertractatas, non de parte aliqua, ſed de tota ipſa religione, & Chriſtiana doctrina tractationem ſuſcipiendam fore, mihi ipſi multis rationibus perſuaſi. Primò quidem quòd hic locus deſertus eſſet, nec ſatis uel à ueteribus, uel à recentioribus, dum in ſingulares controuer

ſias, totas operas collocant, excultus uideretur. Cum enim ueteri memoria, priores illi Eccleſiaſtici patres, uel aduerſus gentes, uel aduerſus Iudæos, uel demum aduerſus hæreticos, nonnullos libros dederint, quibus eorundem ineptias, atque abſurda dogmata digno Marte confutarent, nemo tamen eorum (quod ſciam) noſtræ religionis fundamenta ita ſtatuit, ut ad infirmiores Chriſtianos adhuc diabolicæ tentationis aditus non relinqueretur: quod profectò ego, ſi non aſſequor, tota tamen animi intentione præſtare conatus ſum. Eſt autem longè aliud, aliena confundere, quàm noſtra ſtatuere, quod *lib. de uir. illuſtr.* in Lactantio Firmiano Hieronymus adnotauit: & fit plerunque, ut ij, qui aliarum ſuperſtitionum inſanias, acutiſsimis rationibus nouerunt confodere, in Chriſtianæ tamen religionis fide ſint infirmiſſimi. Occurrebat deinde, quanta eſſet noſtrorum temporum infœlicitas, quantamq́ eiſdem cladem fides, non modò per hæreſes, & ſchiſmata, ſed (qui multò eſt hæreſibus peſtilentior) atheiſmum accepiſſet, dum multi, nec uerò ij uulgares, aut triuiales homines, non tam de parte aliqua religionis, quàm de uniuerſa ipſa religione Chriſtiana, dubitare incipiunt, qui fructus ſemper ab hæreſibus progerminauit. Nam cùm imbecilliores, fidem tot tantisq́ ſententiarum & opinionum portentis, ſusq́ deq́ iactari uident, nullamq́ earum tam eſſe dementem, & abſurdam, quæ non ſuos quoque ſtatim patronos, atque propugnatores inueniat; cùm (inquam) uident, nihil eſſe tam ſolidum, nihilq́ tam ſacroſanctum, quod quorundam hominum ſacrilega & execrabilis impudentia non aggrediatur, uniuerſas continuò de religione ſententias contemnere incipiunt, & quod eſt deplorandum, in totius fidei, ſi non abiurationem, languorem tamen, ac teporem ſubinde incidere. Quæ res utinam noſtra memoria non in *Ioël 1.* quibuſdam prouinciis adeò inualuiſſet, ut cum ſancto Propheta Ioële eiulare meritò non poſſemus, Reſiduum erucæ comedit locuſta; & reſiduum locuſtæ comedit brucus, & reſiduum bruci comedit rubigo. Abſumpſerunt Eccleſiaſticæ ſegetis ingentem partem, peccata, quæ quaſi erucæ quædam, bonorum operum uirorem arrodentes, hominesq́ cum ipſa fidei religione horreo cœleſti ſubtrahentes eoſdem, quaſi aridas, & inutiles paleas, in æterni ignis nutrimentum diſponunt. Abſumpſerunt (heu) non paruam partem locuſtæ, ideſt, infidelium hominum Chriſtiq́ hoſtium exercitus, qui quaſi locuſtæ quædam terribiles, non hanc, aut illam ſpicam, ut erucæ, ſed totam eam ſegetis dominicæ portionem, quam poſtulante iuſtitia, aut noſtra memoria, aut olim, tanquàm diuini furoris inſtrumenta, per-

uagari

uagari permiſſæ ſunt, id eſt, Aſiam, Africam, bonam'que Europæ partem, arroſis etiam fidei radicibus, ne amplius ſeges emergeret, penitus deuaſtarunt. Sed quemadmodum erucæ, id eſt peccata, locuſtæ, id eſt, hoſtilis expeditio, ita quoque hoſtili expeditioni, domeſticæ fidei ſeditiones, quas hæreſes uocamus, quas'que bruci mihi in hac parte ſignificare uidentur, quaſi in CHRISTI Eccleſiæ demolitionem coniuratæ, ſuppetias attulerunt. Neq; uerò hoc triplici aggreſſu ſatis habuit malus ille homo, qui agro Dominico rectæ fidei ſemente conſito, ſuperſeminauit zizaniam (is eſt Satanas perpetuus Eccleſiæ aduerſarius) ni etiam per philoſophiam & inanem fallaciam, à ſimplicitate, quæ eſt in CHRISTO IESV, in falſam quandam imaginem ſapientiæ, ut olim ſub Eccleſiæ initia, multos nunc quoque præcipites detruderet. Hic autem diabolicus inſultus, aptiſſimè mihi à ſancto Propheta, rubiginis nomine denotari uidetur, quòd quemadmodum rubigo ferrum quoque, quod inuaſerit abſumit, & in puluerem tandem conuertit, ita impietas, etiam ſapientiſſimos quoſque, præſertim, qui ſe non tam Chriſtianos quàm philoſophos haberi cupiunt, frequenter deuaſtat, atque è cœleſti illa fidei meditatione, in terreſtres & brutos affectus proinde deturbat. nullum enim hominum genus tam huic peſti ſubiectum eſt, quàm ij, qui Chriſtianæ religionis, & Euangelicæ doctrinæ ſinceritatem faſtidientes, prophanorum hominum ſapientiam admirantur.

Matt. 13 Coloſſ. 2 2. cor. 11

IN HVNC itaque ſcopum, pro uirili mea, totos neruos uniuerſo hoc opere intendere ſtatui, ut rationem aliquam confirmandi Chriſtianos homines in Euangelicæ legis amore; cunctasq; diaboli artes, quibus plerunque imbecilliores malè habent, eludendi ſuperandiq; exhiberem. Quoniam uerò Chriſtianæ religionis quacunque fide, homo non ſatis habet ad ſalutem, niſi ueram, ac ſinceram, quam Apoſtolici uiri Eccleſiam docuerunt, amplectatur, omni Chriſtianorum hominum ordini præcepta quædam ueræ fidei conſeruandæ tradidimus, quibus eandem, & ſecum inuiolatam retinere, & ueram à falſa diſcernere, ac diſtinguere facilè queat. In qua parte, ſi quod ego Chriſtianæ reipub. officium præſto, tuum erit REX CATHOLICE, id ea benignitate, qua ſoles, amplecti, & eo fauore, ac gratia proſequi, quibus reliqua tuorum munuſcula, quæ non tam eorum dignitate, quàm offerentium animo ſemper pro tua regia magnitudine metiris. Enimuerò id ego non ſine maiorum noſtrorum illuſtribus exemplis audeo: nam ut Quadrati Apoſtolorum

lorum

lorum diſcipuli, & Ariſtidis Athenienſis, Chriſtianorum philoſophorum, ad Adrianum Imperatorem, & Athenagoræ ad Marcum Aurelium Antoninum & Commodum Romanos principes, qui tamen neque Chriſtiani neque Catholicæ religionis propugnatores, ut tua Maieſtas erant, exempla prætermittamus, dedit ad Gratianum Imperatorem Ambroſius de Recta fide libros, & ad Theodoſium iuniorem Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, eodem nomine, de Recta in Deum fide. Quod ſi ego iis, neq; uitæ ſanctitate, neq; religionis zelo, neq; dignitate, ullo pacto ſum conferendus, tua tamen benignitas, & clementia efficiet, ut meus labor, atque animus boni conſulatur. Vale Trident. VI. Cal. Septemb. MDLXIII.

Catalogus

CATALOGVS AVCTORVM, qui in his libris citantur.

ABBAS Ioachim
Abdias Babylonius
Aelius Spart.
Aelianus
Aemilius Probus
Aëtius
Albategni
Albertus Magnus, uel Alemanus
Albertus Pighius
Albuhazzan.
Alexander Achillinus
Alexander de Ales
Alexander Conſtant. Patriarch.
Alexander Aphrod.
Alfagranus
Algazel
Alpetragus
Alphonſus Caſtrus
Alphonſus rex Caſtellæ
Alphonſus Toſtatus
S. Ambroſius
Ambroſius Caterinus
Amianus Marcellinus
Ammonius Alexandrinus
Andreas Catan. Imol.
Andreas Vega
Andreas Fricius Madreu.
Angelus Politianus
Anaximander
Anſelmus Cantuarien.
Antonius Corduben.
Antonius Parmen.
Antoninus Florentinus
Apollonius Epiſc.
Apollonius alter
Aprigius Pacenſis
Apuleius
Archelaus philoſ.
Archidiaconus
Ariſtoteles
Arnobius
Arthemidorus Epheſius
Athanaſius
Athenæus
Auerroës
S. Auguſtinus
Auguſtinus Steuchus Eugubinus
Auicenbron
Auicenna
Azarcheles
Aurelius Victor.

BAſilius
Baptiſta Egnatius
Barthol. Mirand.
Beda
Bernardinus Buſtus
Bernardinus Senenſis
Bernardus
Beroſus
Beſſarion Cardin.
Boëthius Seuerin.
S. Bonauentura.

CAeſarius monachus Ciſtercienſis
Caietanus
Calliſtratus Iuriſconſ.
Caſſandrus
Caſſiodorus
Centuriarum compilatores
Chryſippus philoſophus
Chryſoſtomus
Claudius Guillandus
Claudius Apollinaris
Claudius Ptolemæus
Claudianus
Clemens Romanus
Clemens Alexandrinus
Cælius Calcagninus
Columella
Concilia
Conſtantinus
Conradus Lycoſthenes
Cornelius Tacitus
Cornelius Celſus
Crates Thebanus
Cratinus comicus
Cratippus philoſophus
Cyprianus
Cyrillus Alexandr.

DAmaſcenus
Demetr. Phaler.
Dicearchus Peripateticus
Diocles Alexandr.
Diogenes Laërtius
Dion Caſſius
Dionyſius Areopag.
Dominicus Sotus
Durandus.

ENnius
Epiphanius
Eudoxus Gnidius
Eraſmus
Euodius Epiſc. Aphricanus
Euſebius Pamphil.
Euſebius Pont. Rom.
Euthim. Zigaben.
Eutropius.

FAber Stapulenſis
Federicus Staphileus
Feneſtella
Fl. Vopiſcus
S. Franciſcus
Franciſcus Torrenſis
Franciſcus Picus Mirandulanus.

GAbriel Biel
Galenus
Galeotus Martius
Gaineyrus
Gellius
Gelaſius Pontifex
Gloſſa ordinaria
Gratianus
S. Gregorius Pont.
Grego. Nazianzenus
Gregorius Niſſenus
Guillelmus à S. Clodoaldo.

Haliabas Rodan.
Haly Benrodan
Hegeſippus
Henricus de Erfordia
Hermes Triſmegiſtus
Hieremias Triuer.
S. Hieronymus
Hieronymus Magius Anglareſis
Hieronymus Cardanus
Hipparrhus Nicenſis
Hiſtoria Tripart.
Homerus
Hormiſda Rom. Pont.
Hugo Card.
Hugo Victorius
Hugo Senenſis.
Hylarius
Hypocrates.

Iacobus Alemanus
Iacob. Sprenger
Iacobus Forliuienſis
Iamblichus
Iaſon Cyreneus
Ignatius Antioch.
Innocen. primus
Ioan. Annius Viterbienſis
Ioan. à Monteregio
Io. Damaſcenus
Io. Geneſius Sepulueda
Io. Picus Mirandulanus
Io. Baſolis
Io. Coclæus
Io. Fernelius
Io. Driedon.
Io. Eebius
Io. Tritenius
Io. Lictembergenſis
Io. Zonaras
Io. de Indagine
Ioſephus
Ireneus
Iſidorus
Iulius Firmicus Maternus
Iul. Sirenius
Iul. Ceſar Scaliger
Iulianus Iuriſconſultus
Ius ciuile
Iuſtinus Martyr
Iuſtinus hiſtoricus
Iuſtus Orgelitanus
Iuuenalis.

Lactantius Firmianus
Lambertus de rebus Germ.
Leuinus Lemnius

Leo primus
Lucretius
Lucanus
Lucianus
Ludouicus Caruaialus
Ludouicus Coelius.

Macrobius
Mar. Aurelius Antonin.
Marcianus Iuriſconſ.
Marcus Imperator
Marſilius Ficinus
Martialis
M. Varro
M. Tulius Cicero
Melchior Canus
Melito Sardienſis
Menander
Menetheus
Methodius martyr
Metrodorus Chius
Michaël Pſellus.

Nicolaus Leonicus
Nicolaus Pontifex.
Nicolaus Orbellus
Nicolaus Copernicus
Nicolaus Lyranus.
Nicephorus Calliſtus.

Oecumenius
Olaus Magnus
Onuphrius Panuinus
Optatus Afer
Origenes.
Oroſius
Ouidius.

Papias Hierop.
Paphnutius
Paulus Florentinus
Paulus Grillandus
Paulus Iuriſconſ.
Paulus diaconus
Paulus Ricius Neapol.
Paulinus Nolanus
Pauſanias
Petrus Comneſtor ſcholaſticæ hiſtoriæ auctor
Perſius
Petrus Aureolus
Petrus Pomponacius
Petrus Lombardus
Petrus Tharantaſius
Petrus de Aluerna.
Petrus Galatinus

Petrus Aliacenſis
Petrus Montius
Petrus Serranus
Petrus Aponenſis
Phauorinus philo.
Philo Hebræus
Philoſtratus
Plautus
Plato
Plinius ſenior
Plinius iunior
Plotinus
Plutarchus
Polybius
Polycarpus
Pomponius Letus
Porphyrius
Poſsidonius
Primaſius
Proclus Lycius
Propertius
Proſper.

Rabanus
Rabi Dauid Chimhi
Rabi Ioſiæ
Rabi Iſaac cognomento Bazan.
Rabi Iſaac alter
Rabi Abraham Auenezrra
Rabi Abraham Zacutus
Rabi Leui
Rabi Marſubra
Raimundus Lullius
Raphaël Volaterranus
Raynardus Lolardus
Richardus à S. Victore
Richardus Mediauillanus
Rufinus Aquilenſis.

Sabellicus
Saluianus Epiſc.
Scotus
Sedulius
Seleucus
Septuaginta interpretes
Seuerus Sulpitius
Simon Portius
Simplicius
Socrates
Sozomenus
Staniſl. Hoſius
Stobeus
Suetonius
Suidas
Syneſius Platonicus.

Tatia

Tatianus Aſſyrius
Tertullianus
Terentianus
Thebith
Themiſtius philoſ.
Theodoritus
Theon Ptolemæi commentator
Theophilactus
Theophraſtus
S. Thomas
Thomas Vualdenſis
Thomas Garben.
Tibullus
Timon Phliaſius
Timotheus
Trebellius Pollio
Turrecremata

Valerius Maxim.
Vincentius Lyrinenſis
Virgilius
Vlpianus Iuriſconſ.

Xantus hiſtoricus
Xenophanes Colophonius
Xenocrates
Xyſtus Betuleius.

Zacharias Babylonius
Zozimus Pont.

Hæretici, quorum opiniones improbantur, aut quorum teſtimoniis aduerſus alios hæreticos auctor uſus eſt

Andreas Oſiander
Aûctores Apologiæ Anglicanæ
Auctores Centuriarum.
Bucerus.
Lutherus.
Melanchthon.
Oecolampadius
Obſopæus.
Petrus Vermelius Martyr
Petrus Abailardus
Petilianus Cyrtenſis.
Sabinus Heracleïnſis.
Vualfangus Muſculus.
Zuinglius.

Indicis catalogi auctorum, atque hære-ticorum, finis.

PRÆFATIO

HIERONYMI MAGII ANGLARENSIS

IN MICHAËLIS MEDINAE Theologi, ac Philoſophi præclariſſimi libros,

Ad M. & nobiliſſ. uirum Aloyſium Contarenum.

SI quàm uberem Eccleſiaſticorum ſcriptorum prouentum noſtra hæc tulit ætas, ALOYSI CONTARENE *uir nobiliſſime, atque humaniſſime, libros etiam, quibus iam penè obruimur, tam doctos dediſſet; haud profectò ullo poſthac tempore timendum eſſet, rediuiua opinionum ſuperioribus ſæculis conuulſarum portenta, atque innumera antiqui hoſtis uafRamenta, ſanctæ* CHRISTI *Eccleſiæ, ultrà quicquam eſſe detrimenti allatura. Verùm quia docti pariter atque indocti, ne dicam delirantes; ad ſcribendum accedimus, magniſq; & ſerijs rebus criticorum cenſuram, & Ariſtarchi obelos contemnentes manum admolimur, illud dolore maximo proſequendum uſu uenit, ut quidam ſcriptionibus ſuis, S. R. E. hoſtibus non reſipiſcendi anſam, quod conſilium erat, ſed ridendi potius, & ad quas errorum tempeſtate delati ſunt opiniones, tanquàm ad ſcopulos adhærendi, omnino præbere uideantur. Neque hîc mali modus eſt, ſed prorſus efficitur, ut qui tanquàm crudi noxijq; humores in humano corpore quiete & ſomno concoquebantur, mox uexati, ex agitatione ipſa, moleſtia detrimentoq; nos afficiant, atque in uirus magno noſtro malo euadant. Quod uerum eſſe, rebus non fictis ſed factis, ut facilè demonſtrari poteſt, ita hoc loco apertius commemoraſſe, eſt minimè neceſſarium. Horum uicem, non ſine pia quadam indignatione dolens* MICHAEL MEDINA *Hiſpanus, Regius in ſacra Tridentina Synodo Theologus, qui cum exacta ſcientiarum omnium cognitione multam pieta-*

tem

tem coniunxit, rebus penè afflictis, antiquorum Eccleſiæ procerum exemplo permotus, egregiam Chriſtianæ reipub. nauauit operam; & præter multa, quæ in auguſta patrum eruditiſsimorum corona, reconditæ doctrinæ uirtutisq́ planè ſingularis monumenta dedit, & reliquit, DE RECTA IN DEVM FIDE libros XIIII. ſi qui alij ante hac unquam editi ſunt, maximè frugiferos, quorum hic prior tomus eſt, conſcripſit. In quibus contra uim omnem hæreticorum, & quæ mentem ſubire poſſunt de fide dubitationes, nobis præſidij multùm poſitum eſſe, citra dubium uideatur. Argumentum quidem immenſi atque abditi operis fuit, utpote quod à primis religionis rudimentis, & cunabulis, ex uetuſtiſsimis innumerisq́ omnis generis ſcriptorum monumentis, ac antiquorum erroribus penitus excuſsis, repetatur, & in quo pro rei, auctorisq́ dignitate pertractando, labor immenſus, & per atrox certamen, anceps propoſitum fuit diſcrimen: uerùm utilitas, tot ſuperatis difficultatibus, tædiis deuoratis, & laboribus exantlatis, propè inæſtimabilis emerſit. Vir ſiquidem eruditiſsimus, & antiquis Chriſtianæ Eccleſiæ Theologorum Coryphæis meritò comparandus, nihil omnino prætermiſit, quod ad orthodoxam fidem fulciendam, comprobandamq́; & à multorum calumniis uindicandam ac tegendam, facere poſsit: adeò ut his, quæ ſparſim erant mandata literis, quæq́ ille ex ſuo inexhauſto penore deprompſit, in ſuas ſedes congrua diſtributione collatis; omnium nobis & poſteritati librorum & Theologorum, quantum ad huiuſmodi diſputationes attinet, inſtar futurus ſit: nec multùm dolendum uideatur, priorum ſæculorum negligentia, uel hæreticorum inuidia potius & ſacrilegio, quorundam intercidiſſe uolumina, quæ, tot Chriſtiano gregi offuſis erroribus, nobis uſui, ac præſidio eſſe poterant. Quamobrem facilè adducor ut credam, Prouidentiæ dono uirum hunc maximum, his infœlicißimis temporibus, tanquàm nouum quendam Theologiæ Herculem eſſe datum, qui cum pernicioſis de fide opinionibus & monſtris congrederetur. Equidem his libris legendis, rerum mira ubertate, multiplicìq́ ac ſalubri eruditione ita ſum delectatus, ut illud affirmare auſim, uix alios eſſe, è quibus hac tempeſtate maiorem & uoluptatem, & utilitatem ſibi lector poſsit depromere. Nemo ſiquidem in hanc rem tantum unquam animi (quod aliorum pace ſit dictum) cupiditatis, uigiliarum & operæ poſuit; aut rem Eccleſiaſticam tam fœlici numine promouit. Quo fit ut bonas horas in his collocaſſe me non pœniteat; quin in huiuſmodi ſtudijs, ad quæ libenter cùm aliquid ocij nanciſci contigerit, diuerto, me non parum profeciſſe ſentiam, atque ultro fatear. Ea de cauſa haudquaquam mihi committendum eſſe duxi, ut pro ſorte non modica, quam ex his libris percepi, aliquam uſuram properata opera, cùm aliò profeßionis lege abducerer, non redderem.

Marginea

Marginea igitur ſcholia, quibus oportuit locis adſcripſi, ac in ipſo ſtatim ueſtibulo, ſingulorum librorum περιοχὰς in Chriſtiani lectoris gratiam poſui, ut ille primo aſpectu, quibus de rebus uniuerſo opere agatur, facilè percipiat, & à quodam quaſi myſtagogo ductus, contemplatione multò iucundiore perfruatur. Hæc autem, quantulacunque ſint, ad te, uir nobiliſsime, mittenda eſſe duxi, tum ut mei erga te ſtudij, & obſeruantiæ, dum maiora nominis tui æternitati molior, argumenta aliqua præ me ferrem (tibi enim plurimùm debeo quòd me arctiore quadam beneuolentia pro tua incredibili humanitate complectaris) tum ut tibi in hæc ſtudia incumbenti rem gratam facerem, & aliqua parte prodeſſem. Mirum nanque eſt quantum huiuſmodi ſcriptorum lectione animum tuum oblectare conſueueris, quòd non tam belli opibus, quam probatæ religionis rectis perſuaſionibus in mores receptis, reſpublicas conſeruari, & magna accipere incrementa intelligas. Itaque cùm artes omnes & facultates, quæ ad res bellicas, rectè adminiſtrandas magna præſtant adiumenta, fœliciter hauſeris, probè quidem, & ſapienter nunc agis, dum quicquid temporis ex publicis occupationibus ſupereſt, id omne ſtudijs huiuſmodi tribuis. In quibus ſi tanta animi alacritate, quanta acceſsiſti, perſtiteris, fore uideo, ut qui iſta ætate iam CONTARENAE familiæ celebrem ex antiquitate & rebus præclariſsimis geſtis gloriã non parua dignitatis acceſsione cumulas, breui ad patrui utriuſque, GASPARIS ſcilicet CONTARENI, Cardinalis ampliſsimi ſummiq́ Theologi & Philoſophi, quem nutanti Eccleſiæ immatura morte præreptum adhuc boni omnes lugent; & THOMAE exercituum Imperatoris maximè illuſtris Diuiq́ Marci Procuratoris, quibus ut alijs multis urbs hæc inclyta cenſetur, laudem proximè ſis acceſſurus. Sed iam horum librorum Periochas, & ichnographiam accipe.

Periochæ

HIERONYMI MAGII ANGLARENSIS

in ſingulos libros Periochæ.

IN LIBRVM PRIMVM.

CVM hîc omnis diſputatio de Orthodoxa fide futura ſit, auctor Primo libro fidei definitionem proponit, duplicemque eiuſdem originem aut cauſam conſtituit, Euangelicam nimirum prædicationem, aut diuini uerbi propoſitionem, & animi internum conſenſum, cuius conſenſus rurſus duas origines conſtituit, religionis (ita dicam) rationabilitatem, & Spiritus ſancti motionem internam. Quoniam uerò ipſius argumenti neceſsitate, eiuſdem auctoris partes erant, oſtendere, ſingulas res, quæ fidei ſubiiciuntur, rationi magnopere eſſe conſentaneas, idque uidebatur immenſum opus, & quod uix multis uoluminibus poſſet abſolui, lectorem ad eos ſcriptores relegat, qui noſtra ætate, ac olim aduerſus Ethnicos, Iudæos, Sarracenos & hæreticos, libros cuderunt, quibus uniuerſam, quæ Chriſti Seruatoris nomine atque inſtitutis cenſetur, religionem, aut eius partes, minimè abſurdis, quod illi contendebant, niti fundamentis & rationibus demonſtratur. Quos auctores maiori etiam ex parte enumerat. Verùm quia non modò fidei propugnatores, ſed & hi, qui ſcriptionibus eandem alia quacunque ratione illuſtrarunt, idem præſtare adnituntur, proponitur homini Chriſtiano, & impollutæ ueritatis ſtudioſo lectori, Bibliotheca tum ueterum, tum recentiorum Theologorum, qui numeroſis lucubrationibus, Euangelicæ doctrinæ unitatem in lucem proferunt, rem Eccleſiaſticā non parum promouent, & ad fidei aſſenſum animo conciliandum, eundemq; in officio continendum plurimum adſerunt adiumenti.

In librum ſecundum.

QVoniam non cuiuis integrum eſt, ex auctoribus Catholicis rectæ fidei argumenta ſibi depromere, hoc libro Secundo decem conſiderationes afferuntur, atque ediſſeruntur, quibus hac in re ſibi quiſque conſulat. Harum prima, euentuum prænunciatio eſt. In cuius tractatione nihil non recenſetur, atque explicatur ſcitu utile, quod ad artes commentaque uaniſsimorum hominum, qui futurorum cognitionem profitentur, demolienda pertineat, ut demum in confeſſo ſit, Chriſtianæ religionis prædictiones à ſolo ſpiritu Dei profluxiſſe. II. Noui ac Veteris Teſtamenti ſibi undequaque conſona concordia, in qua mutuæ Ethnicarum traditionum diſcordiæ, & ſimultates demonſtrantur. III. Sacrorum duplicis eiuſdem Teſtamenti ſcriptorum auctoritas, & ueritas. in cuius explicatione prophanæ ſapientiæ auctorum, cultorumque mores quàm improbi ac deteſtandi fuerint, demonſtratur, & contrà, noſtrorum numeris omnibus abſoluta uirtus, & ſanctitas appingitur. IIII. Exacta, atque anxia planè Eccleſiaſticæ reip. patrum diligentia, qui primi orthodoxam religionem ſuſceperunt, ſuſceptamque & calculis ſuis approbaram, in omnem poſteritatem propagarunt. Vbi nullas uitæ huius illecebras pios, ac Chriſtianos uiros ad fidem pellexiſſe conſtat, cùm contrà aduerſa omnia & ſæua, dum Chriſtum ſequerentur, ipſis contingerent. V. Optima, qua Euangelica dogmata fulciuntur, ratio, quam ex Ethnicarum perſuaſionum collatione magis magiſq; auctor illuſtrat, ac aſtruit. VI. Infracta iugiſque Chriſtianæ religionis, inter tot pericula, hoſtes, & carnificinas conſtantia, qua illa ſui ſemper ſimilis perſtitit.

VII. Vera, ac diuina uirtute edita miracula. in cuius rei diſquiſitione, prophanorum obiecta refelluntur, ac proteruntur, deque illis miraculis & portentis agitur, quæ ſæpe Gentiles in admirationem abduxerunt: deinde quid cauſæ ſit, ut quæ olim uiſebantur miracula, noſtra tempeſtate non fiant, declaratur. VIII. Luculenta Ethnicorum, præſertim uerò Sibyllarum Romanorumque Principum de Chriſto, & Chriſtiana religione teſtimonia. IX. Diuinæ prouidentiæ & iuſtitiæ, quæ inter Deum & hominem intercedere poteſt, ratio. X. Eccleſiaſticæ Chriſtianæque fidei hoſtium, atque oppugnatorum res aduerſæ, clades, exitusque infœliciſsimi, ut Deum pro ſuis decertaſſe, eorumque iniurias, ac necem ultum eſſe, apertum ſit. Illudque accedit corollarium, non ſolùm Chriſtianam religionem hæreſibus ſubortis uexari, cum reliquas omnes diſsidiis laboraſſe probetur: Et cur hanc à prauis monſtroſisque opinionibus incolumen Deus minimè aſſeruet, edocetur. Tandem ea quæſtio agitatur, Cur potius Chriſtiana religio quàm ulla alia, domeſticis diſsidiis & conſpirationibus fluctuet.

In librum tertium.

DVobus libris præcedentibus, cùm auctor egerit de apellata Chriſtianæ religionis rationabilitate, quæ una ex tribus cauſis, quarum concurſu fidei ortus eſt, libro primo propoſita fuerat; hoc Tertio libro, de reliquis duabus, Spiritus ſancti nimirum concurſu atque Euangelica prædicatione diſſerit. Oſtendit igitur, rectam fidem humanis uiribus neutiquam comparari, ſed diuini Spiritus, qui mentem moueat, ope, externisque adiumentis, Euangelicis ſcilicet concionibus, earumque auditione indigere. Eam ob rem de diuinis concionibus, & uerbo Dei, & concionatoribus multa affert. Ipſum audire diuinum uerbum, uel contrà negligere, quodnam ſit in nobis argumentum, demonſtrat. Adhæc maxima commoda audiendis ſacris concionibus, & fructus ingentes parari, Chriſtianosque homines ad eas audiendum neceſſariò teneri. Euangelicos in uniuerſum concionatores cum ſuis functionibus, atque eos, qui in principum aulis uerſantur, delineat atque appingit; ipſisque pronunciationis rationem haudquaquam negligendam eſſe affirmat. Epiſcopos, ac reliquos populorum paſtores, concionatoris munere fungi debere, oſtendit, atque ita fidei effectricum cauſarum tractationem abſoluit.

In librum quartum.

TRactatione cauſarum fidei efficientium, tribus, qui præceſſerunt, libris abſoluta, nunc, ut res exigere uidetur, agit auctor de eo genere cauſæ, quod à materia nomen ſortitur. Fidei ſubiectum, cum in genere, tum in ſpecie demonſtrat: ſolumque intellectum, & uoluntatem fidei, quæ in hominem cadit, ſubiici decernit. Quæ hominem credere diuerſis temporibus fuerit, ſitque hodie neceſſarium, commonſtrat, ac fidem, quam explicitam recentiores Theologi appellant, modò ad ſalutem adipiſcendam neceſſariò requiri. Chriſtianæ præterea religionis abſolutam catecheſim, atque articulos memoria retinere uniuerſos, neceſsitatem, omnibus nequaquam incumbere. Item citra Dei fidem, ſola eiuſdem Dei naturali cognitione parta, nulli unquam conſequendæ ſalutis tributam fuiſſe facultatem, quâquàm intra naturæ clathros ſe ipſum continuiſſet, eamque tanquàm ducem optimam ſecutus ſit, aut etiam aliunde abſque fide, res, quas fides ipſa edocet, cognitas habuerit. In ſtatu Euangelico, ſine fide, in Chriſtum, ſalutis nulli patêre uiam. Quid ſit propriè fides implicita dicta, & an ea ad ſalutem acquirendam fore ſatis uideri poſsit.

In librum quintum.

FIdei cauſas & origines, cùm hactenus auctor enucleatè ac ſatis dilucidè explicauerit, fidei eiuſdem ſubiecto, homini ſcilicet, regulas, quibus recta fides conſeruetur, quinto hoc libro proponit. Quia uerò Chriſtianorum hominum, qui inſtructione indigent, quidam tantùm à doctoribus pendent, quidam autem etiam theologico diſcurſu, ueram à falſa doctrina diſcernere poſſunt, prioribus quidem, argumenta ac notæ præbentur, quibus ueros magiſtros à falſis internoſcere poſsint: poſterioribus uerò certæ regulæ traduntur, ad quas, ſi doctrinas exigant, nunquam à ueritate deflectent. Ac quoniam in doctrina tradenda, antiquus humani generis hoſtis, lucis Angelum aliquando ementitur, fucũq; dolis inducit, prius quàm notæ illæ tradantur, adulterina ſubditiciaq; ſigna, quibus infirmi homines in errorem aliquando pertrahuntur, omnino detegit atque refellit. Frequentem igitur ſanctarum ſcripturarum uſum, in quibuſdam, ſinceræ catholicæque doctrinæ certum non præbere argumentum, oſtendit. Item quæ ſint hæreticorum dum falſa dogmata obtrudunt, technæ, & cur iidem cùm manus cum catholicis conſerunt, ad uerbum Dei duntaxat prouocent, legesque, ne præter illud, quicquam aliud adducere liceat, præfigere nitantur. Adhæc multam eruditionem, minimeque uulgarem ſapientiam, quòd dolo malo non pauci agant, ſic etiam Eccleſiaſticæ fidei amorem prætenſamque æmulationem, ueræ non ſemper præbere doctrinæ indicia. Demonſtrat præterea, doctrinæ à ſanctis uiris hauſtæ diductæque, ſanctorumque uirorum aſsimulatum amorem, ſanctitatis ſpeciem, martyrium, & mortem, quæ quis Chriſti gratia ſubierit, miracula etiam edita, ueræ doctrinæ certas ſemper non aduehere notas: docetque ibidem cur Deus doctrinæ eiuſdem ſignorum abuſum diabolo permittat. ac ſubinde duas notas, quibus ueros dignoſcamus magiſtros, profert, quæ ſunt, fouendæ alendæque Chriſtianæ charitatis amor, & in rebus aſſerendis modeſtia, qua potius Eccleſiaſtico iudicio, ac cenſuræ, quàm proprij ſenſus illecebris & commentationibus, catholicus concionator & præceptor aſſentitur. Deinde doctioribus Chriſtianis generalem ſed breuiſsimam rectæ fidei dignoſcendæ rationem affert, qua non ſecus ac lydio lapide aurum, doctrinas oblatas probent. Ea autem eſt, id ſolum uel complecti uel auerſari, quod ab Eccleſia uel probatur, uel improbatur. Ante quem canonem, eorum Theologorum ſententia multis ſolidisque rationibus diſiicitur, qui ultimam fidei perſuaſionisque noſtræ reſolutionem, in Eccleſiaſticam auctoritatem fieri, nolebant; atque etiam oſtenditur, quænam ea ſit Eccleſia, cui in religione comprobanda, ſit inhærendum; eiusq; ſigna tum ex ſacræ ſcripturæ, tum ex ſanctorum patrum monumentis & rationibus Chriſtiano homini proponuntur. Verùm quia hac tam generali diſcernendæ fidei methodo, elegantioribus ingeniis, quæ abſtruſos religionis receſſus perluſtrare, eiusque abditas rationes perſpicere conantur, ſatis non uidebatur factum, magis particulares regulas traditurus, Eccleſiaſticæ reip. ius uniuerſum, quo illa optimè diſpoſita, ritè adminiſtratur, & incolumis adſeruatur, ad Romanorum, iurisq; noſtri exemplum, in ſcriptum, & non ſcriptum diducit ac partitur. Non ſcriptum ius Eccleſiaſticum, Eccleſiaſticas traditiones appellat, quæ quaſi per manus acceptæ, literarum non ſunt mandatæ monumentis. Ius, quod ſcriptione conſtat, rurſus in legem, ſenatus conſulta, Principum placita, magiſtratuum edicta, & prudentum reſponſa, diſtribuit, id eſt, in diuinos libros, Oecumenicas ſynodos, Pontificum Romanorum, qui Chriſti uicem gerunt, ſuntque reip. noſtræ principes, conſtitutiones ac diffinitiones, Epiſcoporum ſacra comitia, & ſanctorum auctorum interpretumque communem conſenſum.

In librum ſextum.

QVia in ea iuris Eccleſiaſticæ reip. partitione, quæ ſuperiore libro facta eſt, non ſine optima collocationis ratione, principem locum lex diuina ſortira eſt, Sexto hoc libro de eadem diuina lege, hoc'eſt ſacra Scriptura, auctor pertractat. Ac primùm quæ, & quot eius partes ſint; mox quæ contra eas Ethnici, Iudæi, atq; hæretici obiecerunt, edocet, ac diluit. De canonicis igitur libris quàm latiſsimè agit, & ante omnia demõſtrat, de numero canonicorum librorum magnam fuiſſe olim apud ueteres Eccleſiæ proceres controuerſiam. Quæ huius fuerit cauſa, aperit. Deinde qui libri ad ueteris Inſtrumenti canonem pertineant, & qui modò ab Eccleſia approbentur. ac priorum triplicem, poſteriorum quadruplicem afferri ſectionem oſtendit, & ueteris eiuſdem nouique Inſtrumenti ſingulos libros enumerat, ac non paucos temporum iniuria intercidiſſe & deſiderari demonſtrat. Quoſdam præterea in controuerſiam fuiſſe olim uocatos, an ad legem diuinam ſpectarent. Ad hæc, libros aliquot ab hæreticis inter Apocryphos, nõ alia, ut liquet, de cauſa, quàm quòd eorum opinionibus aduerſarentur, relatos, pro canonicis eſſe habendos, rationibus & auctoritatibus inconcuſsis, & maximè plauſibilibus contendit. Præterea hæreticorum, Iudæorumque rationes & commenta, quibus illi canonicorum librorum auctoritatem deterere, & labefactare nituntur, ſingillatim demolitur; quin ea quoq; recenſet refellitq; argumenta, quæ non modò ab orthodoxæ fidei hoſtibus, ſed & à Catholicis quibuſdam in noui inſtrumenti libros aliquot, inque eorum auctores intorquentur; adeò ut, omnibus uel leuiſsimis ſuſpicionibus, quæ moleſtiam aliquam humanis infirmioribusq; mentibus exhibere poterant, eliminatis, de canonicorum librorum numero & auctoritate nullus ſit amplius dubitandi locus.

In librum ſeptimum.

CVm ea ſit humani ingenij uis, in noſtræ præſertim tempeſtatis hominibus, ut ſcripta in diuerſas ab auctorum mente, ac aliquando prorſus ineptas ſententias detorqueat, ac luxet, ſitque opus interpretibus, qui germanos, ſalubreſque ex ipſis ſenſus eliciant; ideò hoc libro Septimo auctor de ſacrarum ſcripturarum interpretatione agit; ac in primis hæreticorum argumenta proſternit, quibus illi, earundem ſenſus cuiuis obuios eſſe & apertos, magno errore contendunt: multiſque infractis rationibus, ac demonſtrationibus, quin ex quorundam etiam aduerſariorum doctrina & ſcriptis, ſacras ſcripturas difficultatibus, obſcuritatibuſque obſtructas, obductaſque eſſe, non minus copioſè quàm eruditè demonſtrat. Agit præterea de optimo genere interpretandi ſcripturas; in cuius rei tractatione, aduerſariorum, quæ à recta ueritatis ſemita per deuia loca feruntur, ſententias diſiicit, earundemque ſcripturarum ſenſus à ſola Eccleſia probat eſſe petendos, quòd penès eam diſquirendi, diſcernendi, interpretandique facultas ac auctoritas exiſtat: quæritque deinde, ſit'ne Eccleſia ſcripturis anteferenda, & quod in eas ius illa ſit nacta. Abſurdas ea de re quorundam ſententias in medium profert, moxq; euertit. Eccleſiam, qua de agitur, in cernendi ſenſum cadere. & ne dum iuſtis, ſed etiam peccatoribus conſtare oſtendit. Item eiuſdem Eccleſiæ ueri que uocati magiſterij, quo prædita eſt, notas expendit. Poſtremò, deprauatos Paſtorum, Doctorumq; mores, ipſius doctrinæ ueritatem haudquaquam excludere, quin nullo pacto illi incommodare, rationibus & argumentis non leuibus euincit, & ſi nonnulli, in diuerſam iuerint ſententiam, quorum ipſe errorem egregiè refellit atque exterit.

FINIS.

AVCTOR

Ad Chriſtianum lectorem.

Sicut nihil eſt in hac uita mortali, quo propius homines ad diuinitatis naturam accedere uideantur, quàm eiuſdem diuinitatis uerus, purusq́; cultus, quem religionem uocauerunt; ita nihil adeò peſtilens pernicioſumq́;, aut ſingulorum hominum animos peruadere, aut eos iure ſociatos, quas ciuitates appellamus, impetere aggrediq́; poteſt, quam religionis, aut corruptio uitiatioq́;, aut contemptus & neglectus. Atq; id quidem cùm multis magnisq́; rationibus, apud profanos & ſincera religione præditos ſapientes, qui aliquando dignè philoſophiam pertractarunt, latiſſimè pateat, ipſa tamen Euangelicæ Chriſtianæq́; religionis, quam fidem appellamus, natura geniumq́; abundè mihi profectò oſtendere uidetur. Eſt enimuerò fides non ſolùm totius Chriſtianæ uitæ fundamentum, bonarũq́; uniuerſarum actionum radix & ſcaturigo, ſed diuinum quoque robur atque firmamentum, quod à diuinitatis cognitione deriuatum, uniuerſas humanas uirtutes, atque ſtudia, quæ altiori eminentioriq́; gradu collocantur, confirmat, corroborat, ac diuinitate donat. Eam ob rem Paulus Apoſtolus, cùm fidei religionisq́; naturam, & encomium texeret, non aliunde omnem illum rectè Heb.11.
geſtorum cumulum, quem diuerſis locis ſancta ſcriptura ſummis laudibus commendat, quàm ex fide dimanaſſe commemorat. Nam quantum robur uirtutum actionibus fides religioq́; conciliet, priſcorum ſæculorum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quibus reliquis omnibus mortalibus prorſus illuſtria uirtutum exempla proferuntur, ſatis mihi comprobare uidentur. Contrà uerò fidei peruerſionem, quam hæreſim & improbitatem uocamus, quàm ingens uitiorum ac peccatorum lerna conſequatur, niſi id, & impiorum hominum exempla, & ipſa ratio, quæ, euerſo omnium uirtutum fundamento, uirtutes uniuerſas continuò ruituras, per ſe ipſam apertè clamat, ſatis oſtendat, ſanctus propheta Dauid eleganter naturam impietatis deſcribens, nos docere poterit. Dixit, ait, inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus: cor- Pſal.13.

rupti

rupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, &c. Docet enimuerò ſanctus propheta, uniuerſas illas uitiorum cateruas, non aliunde quàm ab impietate deriuatas. niſi enim impij primitus niſi perſuaſiſſent, Deum, cuius prouidentiæ pœnas darent, non eſſe, nunquam illam peccatorũ aciem incidiſſent. Paulus quoque Apoſtolus, horrendam illam uitiorum colluuionem, quæ gentium tum ſapientes, tum plebes inuaſerat, haud alia ex re, quàm ex impietate religioniſq́ uera adulteratione deriuatam inſinuat. Nec mirum, neceſſe eſt enim, ut, quem diuinitatis amor aut reuerentia in officio minimè continet, in omne peccatorum genus protinus ruat. Hinc mihi, quemadmodum illi, qui pietatem communemq́ religionem adoriuntur, mortalium omnium pernicioſiſſimi, ita ij, qui aut eandem ſcriptis propugnare, aut in hominum animis promouere, propagareq́ moliuntur, omnium maximè de repub. Chriſtiana, cuius omnia in rectè credendo, recteq́ ſentiendo momenta uerti ſolent, bene mereri ſemper uidebuntur. Nam ſi ij, qui aut militarem diſciplinam, aliasúe artes, quibus homines ad uitæ commoditatem utuntur, aut (quòd ſummum in ciuili humanaq́ ſocietate, una excepta religione, eſt) iuſtitiam ſermonibus ſcriptisúe aliquando excoluerunt, laudem commendationemq́ merentur, quid per Deum immortalem de iis erit exiſtimandum, qui non unam iuſtitiam, ſed integrum uirtutum omnium aceruum, quem religio conciliat, cum eadem ipſa religione, ad quam ſolam nati eſſe uidemur, diuina quadam ratione, animis hominum infundunt? Quid de eo erit exiſtimandum, qui omnem illam uitiorum procellam, quàm Dauid, & Paulus enumerabãt, iniecto freno fidei, per quam aut alterius uitæ potiundæ cupido, aut ſaltem uindicis numinis pauor, hominibus inceſſit, mira quadam ratione comprimit & coërcet? immo uerò quid de eo erit exiſtimandum, qui in hoc ſua omnia ſtudia operasq́ collocat, ut antiqui hoſtis retectis diſiectisq́ technis, quæ in hoc totæ expenduntur, ut homines per falſos cultus, in ſuam damnationem pertrahat, eoſdem in cœleſtis fœlicitatis, quæ per fidem religionemq́ promittitur, amorem pelliciat? In ſumma qui religionem tuetur, is mihi diuino quodam agendi compendio, non modò uerum beatitudinis iter pandere, ſed integras quoq́ reſpublicas, in ipſa etiam ciuili ſocietate humanaq́ uiuendi ratione, efficacius multò, q̃ uniuerſæ leges aut magiſtratus continere, ſemper uiſus eſt. Quam rem non tantùm prophanorum legũlatorum, qui ad mortalium uitam in officio continendam, ſuis legibus, ſpeciem quandam religionis quaſi præſidem ſemper adiunxerunt, ſtudium, ſed Eccleſiæ quoque diſcurſus & annales comprobare abundè mihi uidentur. Nam cùm reip. Chriſtianæ detrimenta conſidero, & maximarum ciuitatum gentiumq́, cùm ueteres, tum recentes animo calamitates colligo, non minimam, immo uerò maximam uideo, per impios & fidei

corruptores

corruptores homines inuectam eſſe partem incommodorum, niſi quòd id no-
ſtrorum temporum infœlicitas notius reddidit, quàm, ut in eo explicando,
uerba multa prodigere debeamus.

Hæc itaque, cùm iiſce diebus mecum ipſe ſæpe multumq́; cogitarem, meq́;
deinde à ſummorum quorundam hominum uoluntate, quorum cauſa aut nolle,
aut hunc laborem detrectare, æquum non erat, permoueri uiderem, nihil ita
à me è reip. Chriſtianæ, quam ſemper pro uirili mea promouere contendo,
utilitate factum iri exiſtimaui, quàm ſi ego quoque in tanta præſertim pieta-
tis ſtrage, atque hæreſum illuuione, aliquid in ſinceræ fidei ac pietatis pro-
motionem commentarer. Cur enim hoc officium, non modò ij, qui in eiuſdem
fidei culturam uniuerſa noſtra ſtudia operasq́; contulimus, ſed Chriſtiani
quoque cuncti, qui aut literarum peritia, aut exactiori aliquanto rerum co-
gnitione ualent, in tanta temporum difficultate, non Eccleſiæ præſtabimus?
Hoſce uerò libros, CHRISTIANAM PARAENE-
SIM, ſiue DE RECTA IN DEVM FIDE inſcripſimus,
uel quòd huic paræneticо dicendi characteri, qui mihi ex ueterum imitatione,
qui pro uera religione ſcripta olim ediderunt, aptiſſimus eſſe uiſus eſt, hu-
iuſmodi titulus maximè quadraret: ſiue quòd hîc nihil aliud catholicis noſtrisq́;
hominibus, quàm rectæ fidei amorem ſtudiumq́; conciliare moliamur: idq́; eò
libentius fecimus, quòd non abſimiles titulos libris ſuis Origenem & Cyril-
lum Alexandrinum Patriarcham indidiſſe animaduertimus. In his autem Totius operis ſcopus.
duo tradere conamur, alterum quidem, quo pacto langueſcentem dilaben-
temq́; fidem, quæ plerunque diaboli artibus illaqueata ſuccumbit, Chriſtia-
nus homo reficiat, & obfirmet: Alterum uerò, quo pacto eandem à pieta-
tis hoſtibus, domeſticis præſertim, propugnare incolumemq́; aſſeruare queat.
Quoniam autem ut nobiles philoſophi teſtantur, unumquodque, nullis magis
quàm iis, à quibus habuit originem, reficitur & augeſcit, ipſius fidei, & Ariſto.
Chriſtianæ credulitatis principia atq́; cauſas, quatuor prioribus libris pro-
ponimus, ut earum cultu diligenti, omni prorſus impietate ſuperata, Chri-
ſtianæ religionis amor in animo reuireſcat: reliquis, omni piorum hominum
ordini regulas quaſdam, quibus orthodoxam fidem à falſa impiaq́; perſuaſione
dignoſcat, ſubinde exhibemus. parũ nanq́; prodeſſe uidebatur, rectæ fidei con-
ſecutio, niſi ea poſtea ab eius corruptoribus & peruerſoribus tuta ſeruetur.

Hoc uerò priori libro poſt nominis fidei explicationem, poſtq́; eius non
tam ex dialectica diſciplina, quàm ex apoſtolica doctrina depromptam defi-
nitionem, poſt eius origines rudi quadam ratione (nam ſingularum poſtea
tractationem ſequentibus libris latius aggredimur) adumbratas, uniuerſorum,
quos aut fidem aliquando propugnare, aut eandem ſcriptis coluiſſe & illu-
ſtraſſe

ſtraſſe comperimus, ſcriptorum bibliothecam accipies: æquum enim mihi uidebatur, prius lectorem ad ſanctorum hominum, qui non tantùm uerbis, ſed uiuendi quoque inſtituto eandem fidem illuſtrarunt, librorum lectionem, quàm ad mea hæc ſcripta prouocare. Sed erat etiam & altera huius rei mihi cauſa neceſſaria. nam cùm inter conſenſus fidei origines & principia, præter Spiritus ſancti impulſionem, religionis quoque cum ipſa ratione affinitatem & cognationem, quam rationabilitatem uocamus, collocaremus, neceſſariumque proinde nobis ipſa argumenti ui, foret, ſingularum fidei partium rationes ob obtutum conſtituere; quod erat immenſum opus, ſatius nobis uiſum eſt, ad eos auctores lectorem ablegare, qui eam in eiuſdem religionis aduerſarios ſcribentes, aliquando pertractaſſent. Sed tu Chriſtiane lector hæc quantulacunque ſint, bono animo complectere, noſtroſque conatus tua beneuolentia proſequere. Vale.

Errata quo pacto emendanda ſint, in fine totius operis reperies, quæ ſi quàm primum expunxeris optime lector, gratiſsimum auctori feceris, tibique non paruam commoditatem pepereris. plerunque enim aut mutant, aut confundunt ſententiam.

F.
MICH. MEDINAE
HISPANI,

ordinis Minorum regularis obſeruantiæ,

Chriſtianæ parænesis,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER PRIMVS.

Quid fidei nomine ſignificetur. *Caput primum.*

FIDEI nomen Hebræis eſt אמונה æmunach, Chaldæis הימנותא hemanutha, à uerbo אמן aman, quod eſt credere: Græci hanc uirtutem πίστιν uocarunt, à uerbo πιστεύω, id eſt credo; quòd non ſit aliud, quàm certa quædam mentis aſſenſio ac perſuaſio, qua hominis animus, in ea, quam accepit, ſententia confirmatur. Latini cùm non haberent commodum, uerbo credendi reſpondens nomen, fidem appellarunt: tametſi fides Latinis propriè aliud ſignificet, auctore Cicerone. Eſt autem fides, ut is ait, dictorum factorumq; conuentio, & ueritas. ubi fides potiùs fidelitatem, quàm certam animi perſuaſionem ſignificat. In ea dictione duæ ſunt ſyllabæ, eodem Cicerone auctore, prior à facto, poſterior à dicto, quòd fiat, quod dictum eſt, deriuatur. Hinc Latina ratione loquendi, dare fidem & accipere fidem dicimus, auctore Donato, cùm quid promittimus, aut ſub certa aſſeueratione nobis promittitur. Inde bonæ fidei homo, cui res tutò committitur, aut qui rem ſibi creditam, fideliter conſeruat, latinè uocatur. Atque hanc fidem Cicero fundamentum ciuilis iuſtitiæ conſtituit; de qua tamen nihil nobis in hac parte dicendum, cùm ille libris de Officiis multa eleganter tradiderit. Vſus itaque ſacra tractantium obtinuit, ut fidei nomine, certum diuinorum oraculorum aſſenſum, ſine rei euidentia intelligant: quanquam recentiores quidam, quibus purior ſermo, magis quàm antiqua & Eccleſiaſtica ratio loquendi, probatur, hunc aſſenſum, malint perſuaſionem uocari, quàm fidem. quorum etſi eruditionem ſuſpicimus, non poſſumus tamen non fateri, ſi ſua ſorte contenti, in alienam meſſem falcem non miſiſſent, fœliciores futuros.

Lib.1.off.

Laurētius Valla, & Gulielm. Budæus.

Quid ſit fides. Cap. II.

Hebr. 1. EST autem fides, ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, Apoſtolo auctore. In qua deſcriptione & fidei materia, & eius cõditiones, quibus à cæteris generibus cognitionis diſtinguitur, aptè ponuntur. ὑπόστασις enim, ſiue latinè ſubſtãtia, firmitatem cognitionis ſignificat, quòd fide (ſi uera ſit) res futuræ, quaſi præſentes & ſubſiſtentes, credantur. Nam ſi habeat dubitationem admiſtam, potius opinio quàm fides uocabitur. ſperandarum uerò rerum ſubſtantiam appellat, non quòd non uerſetur etiam circa præterita, nam fide quoq; aptata eſſe ſæcula credimus,
Hebr. 11. ſed quòd fidei potiſsima portio, ea quæ Deo promittente, poſt præſentem uitam, ſperamus, aſpiciat. Dictio [non apparentium] alteram conditionem deſignat, qua fides à cæteris habitibus euidentibus diſtat: eſt enim ita certa, ut tamen, quæ ſuadet, euidentia non faciat. Vnde Petrus Apoſt. In quem nunc non uidentes creditis, cre-
1. Pet. 1. dentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, reportantes finem fidei ueſtræ, ſalu-
2. Cor. 4. tem animarum ueſtrarum. Et Paulus, Quæ uidentur, temporalia ſunt, quæ uerò non uidentur, æterna. ubi ea, quæ non uidentur, illa, quæ fide futura & nobis obuentura, poſt huius uitæ tramitem, ſperamus, intelligunt.

Ex quibus generetur fides. Cap. III.

DVplicem Theologi fidem ſtatuunt, alteram infuſam, alteram acquiſitam: illam diuinitus infundi humanis animis, baptiſmo ſuſcepto, docent, hanc humanitus, Deo cooperante, ex certis cauſis acquiri. De illa, præſenti ſermone, eo quòd paruam habeat quæſtionem, nihil dicemus, de hac quoniam in ea totius penè controuerſiæ, qua noſtra memoria, Eccleſia concutitur, cardo conuertitur, poſthac ſumus uerba facturi.

Rom. 10. Fidei itaque huius originem Paulus aperiens, Quomodo, inquit, inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem nõ audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante, quomodo uerò prædicabũt niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt, Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. ſed non omnes obediunt Euangelio, Iſaias enim dicit, Domine quis credit auditui noſtro? ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Vides igitur fidem ex uerbi Dei auditione parari, nec tamen eam ſufficere, niſi accedat præterea uoluntatis conſenſus, & animi obedientia, qua uerbo Dei, auditione concepto, pareamus: hoc enim eſt, quod Iſaiæ teſtimonio docet, non omnes Euangelio obedire. Quod amplius eo loci ſuadet, dum inquit, Sed dico nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. ſed dico nunquid Iſrael non cognouit? Primus Moſes dicit, Ego ad æmulationem uos adducam in gentem inſipientem, in iram uos mittam. Iſaias autem audet & dicit, Inuentus ſum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant. ad Iſrael autem dicit, Tota die expandi manus ad populum non credentem & contradicentem mihi. Quibus uerbis planè oſtendit Apoſt. tum Iſraëlem, tum è gentibus quoſdam, Euangelio non credere, non quòd non audiant, ſed quòd audito uerbio, obedire nolint. Habet ergo fides acquiſita duplicem cauſam, Apoſtolo auctore, extrinſecam unam, Euangelij auditionem, quæ à prædicatione deſcendit, & rurſus prædicatio à diuina miſsione, alteram intrinſecum, uoluntatis conſenſum, quo liberè paret quis Euangelio. Neque una ſine altera ſufficit ut fides conſurgat. Atque hæc ſecunda etiam eandem à cæteris generibus cognitionum diſtinguit, quæ in ſui generatione nihil habent cum uoluntate commune, neque enim tunc ſcio, cum uolo, ſed cum rationalis diſcurſus intellectum conuincit, neque tunc opinor cum libet, ſed cùm etiam ratio probabilis, quæ mihi proponitur imperat, idemque de cæteris intellectus habitibus eſto iudicium.

Vnde

Vnde uoluntatis conſenſus oriatur. Cap. IIII.

QVoniam uerò ſæpe contingit, eandem multos prædicationem audire, nec tamen omnes Euangelio parêre, quod & Actionum apoſtolicarum 2. 3. & 4. capita oſtendunt, & de gentibus & Iſraëlitis docebat Apoſt. meritò quæritur, quæ uni ſit ratio producendi conſenſus, alteri uerò negandi, cùm ſit una omnium mortalium natura, unaque ſermonis exterioris auditio. Nam cùm duplicem dixerimus originem fidei, uerbi auditionem, & uoluntatis conſenſum; & illius ulterius oſtenderimus originem, prædicationem; ratio ipſa poſtulare uidetur, ut alterius originis, quæ conſenſus uocatur, ulterius etiam inquiramus origines, & cauſas. Habet is uoluntatis conſenſus, quem fidei generandæ neceſſarium docuimus, duplicem cauſam, extrinſecam unam, intrinſecam alteram; intrinſecam diuinum impulſum, quo cor humanum ad credendum iuuatur, de quo poſtea: extrinſecam, ipſam fidei rationabilitatem. humanus enim animus non temere credit, ſed religionis, quæ illi ſuggeritur rationabilitate, ad credendum inducitur. Quoniam uerò (ut inquit Apoſt.) Chriſtiana religio, Iudæis eſt ſcandalum, gentibus uerò ſtultitia, his quòd humana ratione & ipſa natura, cuncta metiantur; illis quòd litera tantùm, non item Spiritu, de ea iudicent, contra hæc duo genera hominum, noſtra & maiorum memoria ex Eccleſiaſticis uiris multi certarunt, eiuſdem Chriſtianæ religionis & fidei rationabilitatem oſtendentes, & quod Apoſtolico præcepto iubebantur, de ea, quæ in eis erat fide rationem reddentes, utique apertè oſtendentes quòd nec aduerſaretur naturæ, ſed omnium religionum maximè cum ea cohæreret, nec à placitis diuinæ legis, quæ olim Deo auctore, lata fuerat, diſcederet. In his ſunt maximè ſtrenui contra gentes quidem, Clemens Alexandrinus, quem quidam Stromathæum appellant; Origenes Adamantius lib. octo contra Celſum, Iuſtinus Martyr, Apologetico, ac penè omnibus libris. nam hic potiſsimus ſuorum operum fuiſſe uidetur ſcopus; Tatianus Aſſyrius, Iuſtini diſcipulus, libro uno contra Græcos, Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, ad Adrianum Cæſarem lib. uno; Athenagoras Chriſtianus philoſophus tum in legatione pro Chriſtianis ad M. Aurel. Antoninum, & Commodum Imperatores, tum lib. de Reſurrectione mortuorum: Ariſtides Athenienſis philoſophus eloquẽtiſs. & ſub philoſophico habitu Chriſtianus, uolumine uno ad eundem Adrianum Cæſarem, Miltiades ſub M. Antonio principe, libro uno; Egeſippus uicinus apoſtolorum temporibus, qui aduerſus idola pro noſtra religionione certauit, Melito Aſianus, Sardienſis Epiſc. qui librum Antonino Vero Imperatori pro catholico dogmate dedit, Cæcilius Cyprianus, Carthaginenſis Epiſc. lib. uno de uanitate Idolorum, Irenæus Lugdunenſis Epiſc. qui ſub M. Antonino librum aduerſus gentes edidit, Apollinarius Aſianus, Hieropolitanus Epiſc. qui ſub Marco Antonino Principe librum eidem pro Chriſtiana religione dedit, cuius etiam alia ſex uolumina ſuo tempore extare refert Hierony. Appollonius Romanæ urbis Senator, qui ſub Commodo Principe, à ſeruo Seuero proditus, quòd Chriſtianus eſſet; imperatus ut fidei ſuæ rationem redderet, inſigne uolumen compoſuit, quod in ſenatu legit: Lucianus Antiochenus presbyter, uir doctiſsimus, & demum Chriſti Martyr, qui libellum pro Chriſtiana religione compoſuit, Methodius Tyrienſis Epiſc. & poſtea Chriſti beatiſsimus martyr, qui nitido compoſitoque ſermone aduerſus Porphyrium tringinta libros confecit, Appollinaris Laodicenus Epiſc. qui alios triginta aduerſus Proclum Lycium, Platonicum philoſophum ſcripſit, Florens Tertullianus, tum multis aliis locis, tum uerò libro aduerſus Praxeam, & libro uno Apologetico aduerſus gentes, Iacobus cognomento ſapiens, Niſibenus Epiſc. qui libro edito, aduerſus gentium impietatem certauit, Lucius Cæcilius Lactantius Firmianus, ſeptem libris diuinarum inſtitutionum, & Arnobius eius præceptor ſub Diocletiano Principe, uir præter eximiam eruditionem, eloquentiſsimus, aliis octo uoluminibus admiranda ſapientia & grandiloquo ſtylo, gentium errores confutant, Hermias Sazomenus lib. uno quem

1. Cor. 2.

1. Pet. 1.

Lib. de uiris illuſtribus.

irriſionem Gentilium philoſophorum inſcripſit, Io. Philoponus cognomento Grammaticus, Philoſophus Chriſtianus contra Porphy. Epicheremata 18. quibus mundum ingenitum & incorruptibilem eſſe contendebat. Euſebius Pamphilus Cæſarien. Epiſc. tum libro 1. contra Philoſophos, tum uiginti libris de præparatione, & quindecim de demonſtratione Euangelica, id ipſum ſumma eruditione contendit. Theodoritus Cyrienſis libris duodecim de Græcarum affectionum curatione, & decem homiliis de prouidentia. Aurelius Auguſtinus, tum multis operibus, tum elegantiſsimis illis uiginti duobus libris de ciuitate Dei, quibus uniuerſas gentium religiones, & Philoſophorum inſanias, quas anteriora ſæcula quaſi oracula coluerãt, fidem Chriſtianam probabilitate non uincere, ſed ea longè eſſe inferiores, efficaciſsimè oſtendit. Paulus Oroſius Hiſpanus eodem penè argumento, ſeptem libros compoſuit, quibus ueterum Gentilium annales euoluens, eam calumniam diluit, qua Chriſtiana fides apud quoſdam traducebatur, quod ſub Idololatria mortales feliciores uixiſſent, eodemque argumento, neque inæquali eloquentia. Saluianus Maſsilienſis Epiſc. tres libros de prouidentia compoſuit, Conſtantinus cognomento Magnus, Britannorum Rex libro uno de prouidentia, altero contra Gentilium ſuperſtitiones. Vitellius Afer, uir doctiſsimus, ſi tamen ad Donatianam hæreſim non declinaſſet, librum aduerſus gentes ſub Conſtantis Imperio ſcripſit. Gregorius Dæthicus Illibrienſis Epiſc. elegantem lib. de fide compoſuit. Phothinum Gallogræcum, Syrmienſem Epiſc. libros contra gentes edidiſſe, Hieronymus docet. Sedulius Presbyter, Poëta præſtantiſsimus, exhortatorios libros ad gentes compoſuit, quibus magni momenti rationibus eoſdem ad credendum inuitat. Aurelius Clemens Prudentius, Poëta etiam, libris duobus, uno contra Symmacum idololatram, & altero contra gentes. Eugenius Carthaginienſis Epiſc. pro Chriſtiana religione ſub Lenone Principe, aduerſus gentes Apologeticum edidit. Boethius Seuerinus Conſul Romanus de fide ad Ioannem Diaconum librum edidit. Præter hos ſunt recentiores, Anſelmus Cantuarienſis libro, quem prænotauit, cur Deus homo; S. Thomas Aquinas quatuor contra gentes uoluminibus, in quibus ſumma eruditione, ac pietate totius noſtræ fidei rationem oſtendit: Ioannes Erigena, Britannus librum unum ſub Carolo Magno Pipini filio contra Barbaros edidit. eſt autem hic, qui alio nomine Ioannes Scotus Benedictinus uocitari ſolet: Gulielmus Pariſienſis Epiſc. libro cur Deus homo, Hieronymus Sauonarola lib. quatuor de ueritate fidei Chriſtianæ, & crucis triumpho, in quibus, meo quidem iudicio, quãtum uoluminis breuitas patiebatur, cunctarum aliarum Religionum errores confutaſſe ſtrenuiſsimè uidetur; Gilbertus cognomento Magnus, Anglus lib. uno, Minutius Felix Fundanus, dialogo uno Chriſtiani & Ethnici; Io. Franc. Picus Mirandulæ Comes, ſex elegantiſsimis libris contra Philoſophos & gentium philoſophiam.

Aduerſus Iudæos uerò, certauit olim Iuſtinus Martyr, libro uno contra Triphonem Iudæum; Tertullianus lib. 1. Melciades ſub Commodo Principe; Euſebius Epiſc. Emiſſenus lib. 10. Aurelius Clemens Prudentius; Theophanes Epiſc. Nicænus; Victorianus Bucconius Caſtellianæ urbis Mauritaniæ Epiſc. Cyprianus Carthaginien. Epiſc. lib. uno ad Cyrinũ, & tribus aliis de duobus montibus; Ammonius Alexand. lib. uno de Moſis, & Iſaiæ conſonantia; Ioannes Chryſoſt. quindecim orationibus contra Iudæos. Gregorius Epiſc. Nyſſænus lib. 1. Auguſtinus Hipponenſis Epiſc. lib. duobus; Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, de defectu ſynagogæ; Amulus Lugdunenſis Epiſc. ſub Ludouico Pio Cæſare; Vuilbertus Carnoten. Epiſc. in illam prophetiam, Non auferetur ſceptrum de Iuda; Iulianus Pomerius Toletanus Epiſc. tribus lib. ad Eruigium Regem; Euthimius Zigabenus ſub Alexio Imperatore lib. uno. Recentiores ſunt hi; Alphonſus ex Iudæo Chriſtianus; Paulus Burgẽ. Epiſc. ex Iudæo item Chriſtianus; Simon à Spira Carmelitanus; Rabbi Samuel ad Rabbi Iſaac lib. uno Epiſtolari; Gilbertus Anglicus; Ioannes Spira; Ioannes Bacho, ambo Carmelitani; Nicolaus Porchetus; Nicolaus Lyranus duplici opere, & contra Iudæos, & contra impugnatorem Euangelij Matthæi; Paul. Venetus Auguſtinianus; Petrus Gallatinus Franciſcanus; Paulus Eredia ex Iudæo Chriſtianus; Odo Epiſc. Cameracen. lib. uno ad Vilbodonem Monachum; Hieronymus à S. Fide Medicus; Adrianus Finus Mantuanus;

nius; Petrus Alphonſus Hiſpanus; Ioannes Senior Toletanus; Ludouicus Caretus libro Epiſtolari adhortatorio ad Iudæos; Ioannes Hildens Hemenſis Carmelita; Paulus Ritius Neapolitanus; Ioannes Phiguerola Hiſpanus; Valentinus, & alij complures, quorum omnium fuit generalis ſcopus, Euangelicam fidem, lege Moſaica delitеſcentem, oſtendere, & Chriſtianæ Relig. ſacroſancta myſteria, ex litera eruere.

Surrexerunt poſt hos domeſtici hoſtes Eccleſiæ, quos hæreticos, quòd Eccleſiaſticæ fidei unitate relicta, uarias ſectas ſibi elegerint, Eccleſiaſtici Patres uocarunt, qui non uniuerſam fidem, ſed eius portionem, quo eandem improbabilem redderent, dogmatibus & ſcriptis tentarunt. Ex his ſunt Simon Magus, Menander, Saturnillus, Baſilides, Iſidorus, Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Valentinus, Secundus Marcus præſtigiator, Aſcroditæ, Colobarſij, Barberiotæ ſeu Borboriani, Sethiani, Caiani, Antitactæ, Peratæ, Monimi, Hermogenes, Tatianus, Seuerus, Bardeſanes, Armonius, Florinus, Blaſtus, Cerdon, Marcion, Apelles, Potitus, Prepo, Manes, Ebion, Nazoræi, Cerinthus, Artemon, Theodoctus, Melchiſedeciani, Elceſæi, Paulus Samoſateus, Sabellius, Marcellus, Photinus, Luciferiani, Priſcilianiani, Hilarius, Eutiches, Nicolaitæ, Gnoſtici, Montanus, Noetus Smirnæus, Teſſarecaditæ, Nouatus, Nepos, Arius, Eudoius, Eunomius, Aetius, Pſatyriani, Circiani, Duliani, Macedonius, Donatus Melecius, Apollinaris, Pollemius, Audeus, Euchitæ, Neſtorius, Eutiches, Heluidius, Pelagius, Cæleſtius, Acacius, Adamitæ, Adelphius, Aerius, Alogiani, Brachitæ, Chaldæi, Circuncelliones, Cezocenſes, Conſtantinus, Dioſcorus, Diotrephes, Euſtachius, Fœlix, Fœlicianus, Tetraditæ, Vadiani, Venuſtiani, Vigilantius, & nobis propinquiores, Albanenſes, Albigenſes, Begardi, Berengarius, Diſcalciati, Flagellantes ſe, Ilarius, Iacobellus, Gulielmus à ſancto amore, Lolardus, Valdenſes, Pſeudo Apoſtoli, Almaricus, Vuiclef, Ioannes Hus, Hieronymus Pragenſis, Ihaboritæ: & demum Martinus Lutherus omnium peſtilentiſsimus, & qui ab eo fluxerunt, noui Adamitæ Munzeriani, & communia habentes, condormientes, eiulantes, Georgiani Dauidici, Memnonitæ, Tropiſtæ, Adeſſenarij, Methamorphiſtæ, Iſcariotiſtæ, neutrales, Iconoclaſtæ, Antidæmoniaci, Amsdorffiani, inuiſibiles, Maioriſtæ, Pœnitentiarij, Nouipelagiani, Syncretizantes, Manichæi, Sabatarij, Clācularij, Manifeſtarij, Dæmoniaci Stebleri, Significatiui tropiſtæ, Energici, Arrabonarij, Spirituales, Antinomi, Samoſatenſes, noui Inferiani, Adiaphoriſtæ, Antiſuenfeldiani, Antoſi, Andrini, Anticaluiniani, Manusimpoſitorij, Biſſacramentales, Triſacramentales, Tetraſacramētales, Luthero Caluiani, Amnetiſtæ, Medioſandriani, Suenfoldiani, Oſiandrini, Stancariani, Antiſtancariani, Anabaptiſtæ, & reliquæ ſectariorum peſtes, quæ uariis opinionum portentis, apud Germanos noſtra memoria diuexarunt Eccleſiam.

Sex hæreticorum factiones.

Horum uerò hæreticorum colluniem in ſex factiones diſtinguere poſſumus, non tam temporum rationem attendentes, quàm errorum origines. Vniuerſi ergo, qui à Simone Mago deſcendunt, pluralitatem principiorum aut Deorum conſtituunt. Qui uerò ab Ebione deriuantur, ita Dei unitatem ſtatuerunt, ut diuinarum perſonarum pluralitatem excludant & Chriſti diuinitatem non doceant, ſed eum purum hominem fuiſſe mentiantur. *Prima hæreticorum acies.* Nicolaitæ, Gnoſtici, Carpocratiani, Cataphriges, Adamitæ & ſimiles quidam, ad unam hæreſis rationem reduci non poſſunt; in hoc tamen conuenire probantur, quòd Chriſtum non impetunt, ſed in uarias libidinum ſectas dilapſi contra naturam & Euangelica dogmata, quæcunque arrident amplectuntur. *Secunda acies.* *Tertia acies.* Quicunque ab Ario Alexandrini deriuantur, in hoc ſibi conſentire uidentur, ut Filium uel Spiritum ſanctum, non æquales Patri diuinitate concedant, ſed utrumque, creaturam; quæ hæreſis non tantùm Romanos Imperatores inuaſit, ſed penè uniuerſam Eccleſiam colliſit. *Quarta acies.* Ad quintam factionem refero, quoſcunque Neſtorij & Eutichis erroribus ad Vuiclef Angli, & Ioannis Hus Bohemi ſæcula, fluxiſſe legimus: non enim unam & eandem habent erroris ſcaturiginem, ſed uarias, atque ideò in uaria abierunt hæreſum deliramenta. *Quinta acies.* Inter hos uerò etiam collocandi uidentur Donatus & Nouatus, qui cum præcedentibus hæreticis nihil habent commercij, quanuis quintam hanc factionem tempore præceſſerint. Sextam conficiunt ij, quos Eccleſiaſticæ *Sexta acies.*

diſciplinæ

diſciplinæ. tædet, & libertatem carnis affectant, qui quanuis á prioribus hæreticis ducant origines, tanto tamen ſunt illis peſtilenriores, quanto maiori hæreſum illecebra, orationis artificio, ac diſciplinarum ſupellectile, in maiori quàm unquàm uirrutis penuria, Eccleſiam ſunt aggreſsi: ad qnam hæretici illi Imperatores Conſtantinopolitani, Leo Iſaurius, Conſtantinus Copronimus, Leo Copronimus, cæterique imaginum ſacrarum demolitores, quos Iconoclaſtas uocamus, reducendi uidentur, quòd eorum errorem & toti huic ſextæ claſsi defendere placuerit.

Qui contra omnes hæreſes ſimul ſcripſerint.

Contra omnes hos in uniuerſum, decertarunt olim, ex Eccleſiaſticis uiris Iuſtinus Martyr libro uno; Tertullianus lib. nno; Hilarius Pictauen. Epiſcopus lib. vno; Auguſtinus libro uuo, ad Q uoduultDeum; Victorianus Buconius lib. duobus; Epiphanius Salaminæ Epiſcopus lib. uno; Philaſter Brixien. lib. uno; Vincenrius Lyrinen. lib. uno contra prophanas hæreticorum nouationes, & duobus contra hæreticos; Primaſius Africanus lib. tribus; Iſidorus Hiſpalen. Epiſcopus lib. uno; Cyrus Alexandrinus ex philoſopho & medico Monachns lib. nno; Leander Epiſcopus Hiſpalen. lib. duobus; Gennadius Maſsillen. Epiſcopus lib. uno ad Gelaſium Papam, & octo aliis; Ecbertus Abbas Florini aduerſus omnes hæréſes lib. uno; Euthimius Zigabenus, opere illo inſigni, quod Panopliam uocauit; Paulinus Treuirorum Archiepiſcopus lib. uno; Guido Carmelit. lib. uno; Bernardus Luzemburgen. lib. uno; Gabriel Spoletanus lib. uno; Vernefridus Bonifacius Epiſc. Londinen. lib. uno. & nouiſsimè noſtra memoria Alphonſus Caſtrus olim magiſter meus, quatuordecim libris, qui ingenti Catholicorum approbatione leguntur. Hi, inquam, omnes, ac plures alij, quorum libri interciderunt, uniuerſas, qnæ ad ſuum uſque tempus graſſatæ fuerant in Eccleſiam hæreſes, uaria erudirione, & ſanctarum ſcripturarum ſupellectile expugnarunt.

Qui Eccleſiaſtici auctores contra primã hæreticorum factionem certauerint.

Aduerſus uerò peculiares hæreſes, ſcripſere, contra primæ factionis hæreticos, quidem, Iuſtinus, Irenæus, Origenes, Agrippa Caſtor, Clemens Alexandr. Theophilus Antiochenus Epiſcopus, Ephren Syrus, Philippus Gortynæus Epiſcopus, Modeſtus, qui cuius dignitatis aur ordinis fuerit, auctores non produnt; Rodon Aſianus, Tatiani quondam diſcipulus, Eutychianus Pont. epiſt. una ad Epiſcopos Bæthicæ; Hippolytus martyr, Euſebius Emiſſenus, Titus Epiſcopus Boſtrenus, Victor Gortynæ Mauritaniæ ciuitatis Epiſc. lib. uno, Metrophanes Smyrnenſis lib. tribus, Diodorus Cilicum Metropolitanus, nt ait Theodoritus, Georgius Epiſcopus Laodicenus, qui licèt eodem auctore, ab Arrianis ſteterit, contra illos tamen fabuloſos errores, ſtrenuè pugnauit; Euſebius Phœnix; Tertullianus, Fauſtus Regien. Epiſcopus lib. uno; Archelaus Epiſcopus Meſopotamiæ, Sabbatius Epiſcopus Gallican. Philippus Epiſcopus Cretenſis; Serapion Scholaſticus, Thomuſij apud Aegyptum Epiſcopus; Auguſtinus Hipponenſis Epiſc. libris triginta duobus contra Fauſtum, & duobus aliis contra Fœlicem; Seuerus Malacitanus, Epiſcopus apud Hiſpanias, libro uno aduerſus Vincentium Cæſar Auguſtanum Epiſcopum, & alij plures Eccleſiaſtici uiri, qui prioribus trecentis annis uſque ad Arianorum tragœdiam in Eccleſia floruerunt. Contra

Qui aduerſus 2. aciẽ ſcripſerint

ſecundam aciem ſcriptis pugnarunt etiam, Iuſtinus Martyr, Ireneus, Origenes, Gaius quidam, Dionyſius Alexand. Epiſc. Melchior Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, Diodorus Cylix, Titus Epiſc. Boſtrenus, Aurelius Clemens Prudentius, Ambroſius Mediolanenſis quinque libris de fide ad Gratianum, Cyrillus Alexandr. lib. de fide ad Reginas, & lib. de fide ad Theodoſium, Proclus Alexandr. Epiſc. libro ad omnes Epiſc. Aegypti.

Qui cõtra tertiã aciẽ militarint.

In tertium hæreticorum exercitum, quòd potius obſcuri ac deiecti homines ferali libidine, quàm ulla ſanctarum ſcripturarnm auctoritate agerentur, pauci inſurrexerunt. In his tamen ſunt, Baſilius Ancyranus, Fauſtus Regienſis lib. uno in Antropomorphitas, Fulgentius Ruſpenſis Epiſc. lib. uno de uirginirate ad Probam, Rhodon Aſianus lib. uno aduerſus Montanum & Priſcillam, Melciades lib. item uno aduerſus eundem, Oſius Cordubenſis lib. uno de laude nirginitatis ad ſororem, Cæcilius Cyprianus Carthaginien. Epiſcopus lib. uno de nirginitate, Sabbatius Gallicanæ prouinciæ Epiſcopus aduerſus Marcionem & Valentinum libro uno, Serapion Anachoreta, & poſtea Epiſcopus Antiochenus libro uno ad Carinum, Sixtus Pontifex

Romanus

Romanus libro uno de Virginitate, Ioannes Chryſoſt. lib. item uno de Virginitate, Ephren Syrus epiſt. una, Seuerus Mallacitanæ urbis Epiſ. lib. uno de Virginitate ad ſororem, Leander Hiſpalen. lib. uno de Virginitate ad Florentinam ſororẽ. Maior Eccleſiaſticorum uirorum impetus in quartã hæreticorum turbam ſurrexit, tanto nimirum, quanto ex perſecutionum, quæ iam Imperio Chriſtiano ſuppreſſæ fuerant, quiete, maiores operas ſanctæ ſcripturæ nauarant. Atque ita quidem decebat, ut quo tempore, non iam fabuloſa portẽta, quæ uel indoctiſsimis hominibus, niſi mente corruptis, ſuaderi non poterant, ſed uiolentiſsimas hæreſes, diabolo ſuſcitante, patiebatur Eccleſia, magis ſtrenuos haberet milites, qui digna uirtute, Satanicum furorem, & fraudes, in campo ſanctæ ſcripturæ adorti, comprimerent. In his ſunt, in primis apud Nicæam urbem Bithyniæ, trecentorum decem & octo Patrum ſanctiſsima Synodus, in qua Arius, & quidam alij, quos etiam in hac parte Diaboli fraudes obſederant, totius uniuerſalis Eccleſiæ ſententia damnantur. Sunt poſt eam, Sother Roma. Pont. epiſt. unica, Athanaſius Epiſc. Alexandr. uir præter ingentem ſanctitatem & Eccleſiaſticum zelum, ſæculari quoque philoſophia ditiſs. Hilarius Pictauẽ. Epiſc. duodecim lib. de Trinitate, Marius Victorinus Afer, Rhetor ſui temporis clariſs. duobus lib. contra Arium, & duobus aliis de Trinitate, & Homouſio, quos nobis nuper cum aliis uenerandæ antiquitatis lib. dedit Ioannes Heroldus. Dydimus Alexandr. cæcus quidem corpore, mente uerò perſpicaciſs. lib. uno de Spiritu ſancto & duobus aliis contra Arianos, Leander Hiſpalen. Epiſc. lib. uno contra inſtituta Arianorum, Marcellus Ancyranus Epiſc. Maximus Mongontinen. Epiſc. ambo ſingulis libris, contra Arianos, Baſilius Cæſarien. Capadociæ Epiſc. lib. uno de Spiritu ſancto, & altero contra Eunomium, Grego. Nazianzenus cognomento Theologus, lib. duobus contra Eunomium, Ambroſius Mediolanen. Epiſc. lib. uno contra Auxentium, Maximus Epiſc. Conſtantinop. Philoſophus & Theologus inſignis, libro uno contra Arianos, Fauſtinus presbyter, qui quanuis à parte Luciferianorum ſteterit doctiſs. tamen ſeptem ad Faccilium Rheginum uolumina contra Arianos, & Macedonianos ſcripſiſſe fertur, Cerealis Caſtellianen. Epiſc. Africanus, lib. uno aduerſus Arianos, Beatus Auguſtinus, quindecim doctiſsimis libris de Trinitate, Aſclepius Vagen. Epiſco. lib. uno aduerſus Arianos, Idacius Hiſpanus Lemicæ Hiſpaniarum urbis Epiſc. aduerſus Varimandum Arianum lib. uno, Eugenius Carthaginien. Epiſc. lib. uno de Trinitate, Fulgentius Ruſpen. Epiſc. lib. tribus ad Traſimundum Regem, Maximus Alexandrinus Conſtantinop. Patriarcha lib. uno de Fide, aduerſus Arianos, quem Mediolani Gratiano Principi dediſſe memoratur, Metrophanes Smyrnẽ. lib. duobus contra Eunomium, Theodorus Antioch. presbyter, lib. quindecim de Incarnatione Domini, aduerſus Arianos, Fauſtus Regien. Epiſc. lib. uno, Michael Pſelus lib. uno contra Eunomium, Sabbatius Epiſc. Gallicanus, lib. uno contra Eunomium, Victorianus Buconius, Caſtellianæ urbis Mauritaniæ Epiſc. lib. uno, Syagrius libris ſeptẽ de Recta fide aduerſus præſumptuoſa hæreticorum Arianorum uocabula, Gelaſius Rom. Pont. libris duobus, contra Arianos, Manlius Boëthius Seuerinus, libris duobus de Trinitate & unitate, Higinus Pont. epiſt. canonica de Vnitate Dei, Conſtantinus Britannorum Rex, lib. uno de Concilio Nicæno, Demetrius Sydonius Theſſalonicẽ. lib. uno contra Eunomium, Paſchaſius Romanæ urbis Diaconus, lib. duobus de Spiritu ſancto contra Macedonium, Fulgentius Carthaginẽ. Epiſc. lib. uno ad obiectiones Arianorum, Anſelmus Cantuarienſis Epiſc. libro uno de Trinitate, Ricardus à S. Victore Regularis Canonicus, lib. ſex, quibus Catholicæ fidei in hac parte dogmata, ſola rationis naturalis indagine, doctiſsimè diſcutit, Ioan. Scotus lib. uno de Primo principio, quo adeò apertè, ſanctæ Trinitatis fidem oſtendit, ut ei quidam pro magno crimine obiiciant, quòd id ipſum myſterium analytica demonſtratione probare contenderit, quod utinam effeciſſet, tantum abeſt, ut ſanctiſsimus labor ſit crimen cenſendus. Nihil profectò magis eſt demonſtrabile, quàm ſanctæ Trinitatis & unitatis arcanum, quod ſi non euidentibus rationibus demonſtratur, non id facit ſanctæ Trinitatis natura, ſed humani intellectus imbecillitas, ut inquit Ricardus. Sunt autem humani intellectus ſicut & corporei uiſus, inter ſe differentes, & quo unus non

Qui in 4. factionem hæret. ſcripſerunt.

Lib. 1. de Trinitate

poteſt,

poteſt, alter pertingit. hoc unum certum eſt, neque Platonem, quem diuinum appellaut, neque Ariſtotelem, cuius ſcripta ad miraculum ſuſpicimus, aut quenquam alium prophanorum ſapientum, qui unquam apud homines fuerit in prerio, tam ſolidas pro ſua opinione, aut Religione adduxiſſe rationes, quàm pro Chriſtiana & Catholica ueritate, in hac parte Scotus adduxit, ita ut (meo quidem iudicio) ſi uniuerſæ Philoſophorum ſententiæ, aut gentium de Deo opiniones, prudenti ac ſapienti uiro proponerentur credendæ, etiam ſi nulla fuiſſent miracula, ſolo earum ductu, noſtram in hac parte de diuina natura ſententiam præeligeret. Fuerunt & alij diuerſis temporibus, qui contra hanc turbam hæreticorum, Chriſti diuinitatem, & Dei Trinitatem & unitatem impetentium, ſuis ſcriptis pugnarunt. Fuit enim ſæculum illud fruge literarum fœcundiſsimum, fuerunt præter Nicænam Synodum & multa alia Concilia per diuerſas Orbis partes, in eandem hæreſim coacta, præſertim prima Conſtantinopolitana Synodus, in qua impius Macedonius, quòd Spiritum ſanctum creaturam doceret, publico anathemate percuſſus eſt.

Aduerſus quintam hæreticorum turbam, coacta eſt in primis ſacroſancta ſecunda Synodus Epheſina, in qua impius Neſtorius quòd ſacratiſsimam uirginem, matrem Dei negaret, damnationis ſententiam accepit. Calcedonenſe, quoque non minus uenerandum Concilium, in quo damnatus eſt Eutiches Conſtantinopolitanus presbyter, quòd utriuſque naturæ in Chriſto confuſionem doceret. Fuerunt & alia prouincialia Concilia partim auctoritate Apoſtolica, partim paſtorum Eccleſiaſticorum zelo contra hos duos hæreticos per diuerſas prouincias celebrata. Scripſerunt in eos, Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, Theodorus Anciranus, apud Galatiam Epiſcopus, ambo ſingulis libris contra Neſtorium, Iſaac Aſſyrius, monachus contra utrumque hæreticum, libris duobus, Ioannes Caſsianus libris ſeptem contra Neſtorium de Incarnatione Domini, Leo primus Pont. Romanus, contra Eutichem, libris duobus, & altero contra eundem, ad Flauianum Conſtantinopolitanum Patriarcham, Georgius Pyſidis Græcus auctor, lib. uno iambico carmine, Petrus cognomento Chryſſologus Rauēnæ Epiſc. lib. uno aduerſus eundem Eutichem, Flauianus Patriarcha Conſtantinopolitanus, contra eundem libro item uno, Hilarius Romanus Pontifex, lib. uno de Concilio Epheſino, in quo Neſtorij errorem confutat. Cyrus Alexandrinus, lib. uno aduerſus Neſtorium, Samuel Eccleſiæ Ediſſenæ Presbyter, tribus libris contra Neſtorium, Eutichem & Timotheum, qui Eutichis errori fauebat, Genadius Maſsiliē. Epiſc. ſex libris aduerſus Neſtorium, & undecim contra Eutichem, Gelaſius Pont. Rom. contra Eutichem & Neſtorium lib. quinque, Ioannes Antiochenus Presbyter, contra Eutichianos, Iuſtinianus imperator tribus libris de Incarnatione Domini, contra Eutichem, Fulgentius Carthaginē. Epiſc. libris tribus ad Traſimundum Regem Vandalorum, Ioannes Pont. Romanus lib. uno de duabus naturis, aduerſus Eutichianos, Ruſticus Diaconus, lib. uno contra Acephalos, Vigilius Tridentinus Epiſc. contra Eutichem libris quinque, Cœleſtinus Romanus Pont. lib. uno contra Neſtorium, Fauſtus Regiē. Epiſc. lib. item uno contra eundem Neſtorium ad Gratum Diaconum. contra Nouatum, qui ſecundas nuptias & pœnitentiam tollebat, uaria apud Africam & Italiam coacta ſunt Concilia, quibus eius errores Eccleſiaſtico Anathemate ſunt profligati. Scripſit tamen in eum uir doctiſsimus & ſanctiſs. præter Martyrij lauream, Cornelius Pont. Rom. Cyprianus Carthagineu. Epiſc. idem & beatiſsimus Martyr, de gratia Dei ad Donatum, libro de lapſis, & lib. ad Antonianum de Nouato, & eius erroribus. Dionyſius Alexandr. Epiſc. epiſtola ad Nouatianum hæreticum, & altero libro, quem Canonem pœnitētiæ prænotanit, Rethitius Eduorum Auguſtudunen. Epiſc. contra Nouatum lib. uno, Euſebius Emiſſenus Epiſc. libro item uno, Paulinus presbyter S. Auguſtini diſcipulus, lib. uno de pœnitentia, Victor Cartheniæ Mauritaniæ Ciuitatis Epiſc. lib. uno, Paccianus Barcinonen. Epiſc. contra Nouatum. Contra Donatum Carthaginen. presbyterum, qui rebaptizationem docebat, coacta ſunt etiam multa Concilia prouincialia. Scripſit autem contra eum, Aſclepius Vagenſis Epiſc. lib. duobus, Victor Cartennenſis Epiſc. apud Mauritaniam, lib. uno, Optatus Afer libris ſex, Auguſtinus Hipponen.

Epiſc.

Epiſc. in pſalmum contra partem Donati, libro contra Epiſtolam Donati, duobus aliis libris contra partem Donati, alio quem prænotauit collationes contra Donatiſtas, duobus aliis contra Gaudentinum Donatiſtam, alio ad Emeritum Donatiſtam, libro etiam cõmonitorio Donatiſtarum, lib. uno ad Donatiſtas, lib. de moribus Donatiſtarum, & aliis innumeris tractatibus, quibus ab uniuerſa Africa inſaniam iſtã relegauit.

Contra Pelagium, celebratum eſt Concilium Mileuitanum auctoritate Innocentij Primi, in quo iuſſus eſt proprium errorem damnare. Contra eundem ſcripſit idem Pontifex Innocentius doctiſsimam epiſtolam ad idem Concilium, Beatus Auguſtinus Epiſc. Hipponen. libro de geſtis Pelagij, quatuor libris contra duas epiſtolas Pelagianorum, ſex libris contra Iulianum Epiſcopum Pelagianorum, libro uno ad Paulinum contra Pelagianos, & aliis tractatibus quibus hunc errorem doctiſsimè impetit. Fulgentius Epiſc. Ruſpen. in Africa de Gratia & libero arbitrio lib. ſeptem, Hieronymus tribus Dialogis aduerſus Pelagianos, Leporius presbyter, & Monachus primò quidem Pelagianus, poſtea Orthodoxus, libro uno, Paulus Oroſius S. Auguſtini diſcipulus, lib. uno aduerſus Pelagianos, Cæleſtinus Pontifex primus, ad Epiſc. Galliarum epiſtola una, Genadius Maſsilienſis Eccleſiæ presbyter libris tribus aduerſus Pelagium, Thomas Brauardinus Anglicus, lib. uno, de uirtute Dei aduer. Pelagian. & alij eius ſæculi doctiſsimi uiri.

Quieuerunt poſt Pelagium multis annis Satanicæ impoſturæ, neque quenquam illuſtrem hæreticum obſederunt, quouſque Berengarius Andegauen. Eccleſiæ Diaconus, ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, ſub Victore tertio Pont. maximo cœpit impetere, docens ſub panis & uini ſpeciebus, uerum Chriſti corpus non contineri. A quo errore, cùm coacto Concilio Turonenſi, fuiſſet reuocatus (quod hæreticis eſt ſolenne) ad uomitum ſtatim rediit, quod & Pelagius fecerat. Damnatus eſt idem error ſub Leone nono Vercellis, & demum ſub Nicolao ſecundo Pont. Max. centum & tredecim Epiſc. Concilio, ubi demum idem Berengarius errorem abiurauit, in ea forma, quæ apud Gratianum diſt. 2. de conſecratione, ſcribitur, Ego Berengarius, &c. Scripſit contra hunc hæreticum, Lanfrancus Archiep. Cantuarien. lib. uno, Guitmundus Archiepiſc. Auerſanus, lib. quatuor, Algerus Monachus lib. tribus, Petrus Vernerius Abbas Cluniacen. lib. uno, Adelmanus Epiſc. Brixien. lib. uno, Iuo Carnoten. lib. uno, Bertramus Monachus, lib. uno, Guido Monachus S. Lanfredi, libro uno, Rabanus Maurus, libro uno de ſacramento altaris, Paſchaſius Racbertus Corbien. Abbas, lib. uno, Guilielmus Abbas S. Theodorici, libro uno de ſacramento altaris, Thomas Vuinterton Anglus Stanfordien. Monachus, libro uno, Vuolfelmus Abbas Brunſuuilerenſis, lib. uno Epigrammatum in Berengarium hæreticum.

Poſt ea tempora fuit Petrus Abailardus, qui omnia fidei dogmata, quæ ratio non capiebat, refutabat omnino. Contra hunc ſcripſit Sanctus Bernardus Clarauallenſis abbas lib. uno, ad Eugenium, Ganfredus Antiſiodorenſis Monachus Ciſtercienſis, eiuſdem Petri quondam auditor, libro altero, Guilielmus Abbas Sancti Theodorici lib. item uno.

Surrexerunt poſt hos Ioachim Abbas, & Almaricus hæreticus, quorum ſententia damnatur in Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio tertio Pont. Max. Contra Ioachim ſcripſit Richardus à S. Victore, Petrus Lombardus, & poſt hunc uniuerſi ſcholaſtici auctores libro primo ſententiarum, diſtinctionibus ſecunda & tertia. In Græcorum & Armenorum errores, ſcripſit Richardus Armachanus Hyberniæ Primas, elegans opus, niſi quædam in eo docuiſſet, quæ communem Theologiam offendunt, Griſſolanus Mediolanen. Archiepiſc. Leo Pont. Nonus, lib. uno ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, & altero ad Conſtantinum Imperatorem, & altero contra errores Græcorum. Gualterus Hunte Anglus lib. uno, Vmbertus Cenomanus Epiſc. Hoſtienſis contra Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Leonem Acridanum Archiepiſcopum Bulgariæ, Paſchaſius Romanæ Eccleſiæ Diaconus libro uno. Contra Armenos uerò peculiariter, præter hos ſcripſit Nicetas Monachus. Fuerũt ſub eadem tempora obſcuriores quidam hæretici Lollardi, flagellantes ſe, Valdenſes &c. Quorum inſaniæ non tam libris quàm Eccleſiaſtica diſciplina ſuppreſſæ ſunt. In Lol-

c. damnamus. de ſũma Trini. & fide catholica.

lardos ſcripſit Richardus Leuyrhan Anglus, Contra flagellantes ſe, Hermannus de Schildis lib. uno, Contra Valdéſes Claudius Couſſordus Theologus Pariſienſis, &c.

Qui cōtra ſextam factionē pugnarunt. Sextam, & utinam poſtremam, expeditionem hæreticorum, quæ ab Vuicleffo & eius diſcipulis incipiens, in Martino Luthero & noſtræ memoriæ hæreticis, iuſtum incrementum accepiſſe uidetur, quæ ſolam Eccleſiaſticæ diſciplinæ perturbationem intendit, multi magno triumpho ſunt aggreſsi, inter quos, contra Vuicleffum primas obtinet Thomas Valdenſis Carmelitanus, libro illo inſigni, quem in tres partes diuiſum, Doctrinale fidei prænotauit, Ioannes Dieppurgus Heydelbergenſis, ordinis Prædicatorum, Ioannes Capiſtranus ordinis Minorum, Guilielmus Berthon Anglus, Henricus ab Haſsia, Guilielmus Vuoderfordus Nicolaus, Cuſan, Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalis, Richardus Leuythan, Rubertus Gumblenthon, Ioannes Tyſyngronus Minorita. Contra Bohemos, ſcripſit Aeneas Syluius & poſtea Pius ſecundus Pont. Max. Ioannes Haggenius Carthuſianus, Strodus Anglus, Simon Sottrai Anglus Auguſtinianus, Ioannes Chyrrigham Anglus, Ioannes Marronius Anglus Carmelitanus, Stephanus Petrigonen. Teutonicus, Ioannes Raguſinus ordinis Prædicatorum, Thomas Aſcheboni Anglus, Thomas Vuintherion Stanfordien. Monachus, quamuis hi poſteriores in Vuicleffi doctrinam potius inuecti fuerint. In Iconoclaſtas ſiue imaginum demolitores ſcripſit olim Ioannes Chryſſoras Damaſcenus Monachus, contra Leonem Iſaurium lib. duobus, Epiphanius Selybriæ Epiſcopus lib. uno, Gregorius Secundus Pont. Max. libro uno contra eundem Leonem Auguſtum, Ionas Aurelianen. Epiſc. lib. tribus contra Claudium Taurinenſem, Carolus Magnus Pipini filius lib. quatuor qui tamen à noſtri temporis hæreticis uitiati, circumferuntur, Conradus Brunus I. C. ſed & aliarum bonarũ diſciplinarum eruditione præditus, lib. uno.

Decertatum eſt cum his hæreticis & eorum diſcipulis ab uniuerſis Eccleſiæ patribus in Baſileenſi & Conſtantieñſi Concilio, ubi omnium generali cõcordia ſunt diris deuoti.

In Luther. qui ſcripſerint. In horum genimina, Lutheros, Caroloſtadios, Zuinglios, Buceros, Oecolampadios, Philippos, Caluinos, Illyricos, &c. à quibus illa ſectarum Lerna, quam diximus, legitimo partu deſcendit, modò non minori triumpho decertat Eccleſia. Nam poſt Concilium Tridentinum, in quo Eccleſiaſticorum patrum uniuerſali conſenſu, ter iam anathema acceperunt, nullum unquam fuit ſeculum, in quo maiori ac expeditiori doctorum uirorum exercitu, aduerſus Satanæ inſultus ſurrexerit Eccleſia; ita ut certo numero comprahendi non poſsint, qui apud Germanos, Gallos, Hiſpanos, Italos, Anglos, Hungaros, Polonos, &c. aduerſus hanc peſtem doctiſsimos libros & tractatus ediderint. In his tamen ſunt, Ioannes Echius, Albertus Pighius Campenſis, Ioannes Roffenſis, Chriſti Martyr, Ioannes Cocleus, Georgius Vicelius, Iodocus Clitoueus, Eraſmus Roterodamus lib. uno de libero arbitrio, Ioannes Geneſius Sepulueda Cordubenſis, eiuſdem argumenti altero, in quo & Ciceronis eloquentiam & Ariſtotelis Philoſophiam, & quod prius eſt, Chriſtiani pectoris integritatem inuenias, Ambroſius Catherinus, Syluester Prierius, Alphonſus Virueſius Benedictinus Cannarien. Epiſc. in quo & eruditionem uariam, & eloquentiam admirari liceat, Bartholomæus Lathomus, homo Laicus, ſed ex eorum numero, qui eruditionem cum eloquentia copularint, Iacobus Lathomus Louanien. uir doctus & ingenio fœcundo, Petrus Sotus ordinis Prædicatorum, olim Caroli Q. Imp. à Sacris confeſsionibus, uir & doctus & Eccleſiaſticæ doctrinæ conſultus, Stanislaus Oſius Polonus, Epiſc. Varmienſis, Sanctæ Rom. Eccleſiæ Card. uir & ingenio acer, & lectione diues, eruditioneq; fœcũdus, & ſtylo dicendi acutus, Fridericus Staphylus Regis Romanorum Ferdinandi olim Conſiliarius, Guilielmus Lindanus Dordracenus, Colloniẽ. Eccleſia duobus planè doctiſs. ac Catholicis operibus, Concilio & Antididagmate, Andreas Vega Minorita lib. quindecim, quibus contra Caluinum & quoſdam alios hæreticos Decretum concilij Tridentini de Iuſtificatione tam dextrè defendit, & hæreticas inſanias tam potenter fundit, ut nõ immeritò eius immaturam mortem Catholici doleant, Contradus Brunus I. C. ſed Theologus quoque doctiſs. ſex libris de hæreticis, ſex aliis de Ceremoniis, uno de Imaginibus, & nouem de Concilio, Marcus Anto. Conſtantius Louanien. Theologus, Tonſtalus Dunelmenſis, Gaſpar Saggerus,

rus, Contádus Clingius Minoritani ambo; Ioan. Faber contra Baltaſarum Paccimontanum, Ioannes Driedo Thurnautæus Louanié. Theologus, Chriſtophorus Longolius Meclinen. Ioannes Slottánus Geffenſis, Iacobus Noguera Epiſc. Aliphan. libro uno de Eccleſia, Franciſcus Somnius, Antonius Monchiacenus, Matthias Brendembachius, Honorius Piſadeſtius, Ioannes Verratus Carmelitanus, Ioannes Vintonienſis Epiſc. Martinus Aiala Segobien. Epiſc. uir præter integrum animum & excellens ingenium, ueteris Eccleſiaſticæ lectionis conſultiſsimus, quibus dotibus ſic urget hæreticos opere illo de Eccleſiaſticis traditionibus, ut niſi diabolo obſidente, oculis animi capti eſſent, apertè uiſuri ſint quantum impiæ iſtæ nouationes, à ueteris illius Eccleſiæ moribus diſtent. Vniuerſi hi & alij multi, quos numero certo compræhendere non poſſumus, tum acutis diſputationibus, tum elegantiſsimis ſcriptis, præſentem mundi Principis furorem ſolertiſsimè comprimunt, contra diuerſos hæreticos huius ſæculi & uarios eorum errores pugnando. Faxit Deus, ut obtento triumpho tripudiet Eccleſia, quod præcedentibus ſæculis in maiori rerum anguſtia, eam feciſſe comperimus.

qui in Saracen. ſcripſerint. Sunt præter hos Catholicæ fidei impugnatores, quos diximus, quidam alij, qui cum non ſint iudicandi Chriſtiani, utpote qui ſacramento baptiſmi deſtituantur, nec tamen eos Idololatras dixeris, cùm Deum unicum, rerum cunctarum principium fateantur, & Chriſtum, & ſi non Deum, uirum tamen iuſtiſsimum doceant. Hos Saracenos, & Thurcas appellamus. Inter quos nullus unquam extitit (quod legerim) qui ſcriptis Euangelicam fidem infirmare ſit auſus, immo eorum ſapientes, cum ad eum doctrinæ gradum proficiant, in quo ſuæ religionis rationem aduertere liceat, aut cum Diagora Euemero, Theodoro, Protagora & Epicuro, omnen religionem abiurant, quod feciſſe Auerroem legimus, aut niſi ad noſtram religionem conuertantur, ſuæ tamen uanitatem & mendacia ingennè agnoſcunt. Sic olim Auicenna, quem illi tantopere celebrant, libro de prima Philoſophia nono, cum ſpurcam illam fælicitatis, quam Mahometus præſcribit, rationem attenderet, Lex noſtra, inquit, quam dedit Mahomet, diſpoſitionem fœlicitatis & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum corpus oſtendit, ſed eſt alia promiſsio, quæ appræhenditur intellectu, ſapientibus uero Theologis multo maior cupiditas fuit ad appræhendendum iſtam, quam corporum, quæ quamuis daretur eis, non tamen attenderunt eam, nec in precio habuerunt, incomparatione fœlicitatis, quæ eſt coniunctio cũ prima ueritate. Nihil profectò probroſius, & infamius Chrſtianus homo de Mahometica lege efferre potuiſſet, quàm dicere, non ueram ſed falſam fœlicitatis rationẽ, & hanc corpoream (quòd mundi quoque ſapientes riſerunt) eandem docere. Quoniam uerò hi, ſua licentioſa carnis libertate, qua in hac uita fruuntur, & ſua rerum geſtarum fortuna; infirmos Chriſtianorum animos quatiunt, dum omnia illis ex uoto prouenire quotidie uidentur, contra uerò Eccleſiam Chriſti internis ſectarũ & armorum ſeditionibus concuti, & infidelium externis bellis lacerari, ex quibus fidei uoluntarius conſenſus poterat minui, ſapientes quidam Ecleſiaſtici uiri in eam ſuperſtitionem & legem, ſtylum direxerunt. In quibus præcipui ſunt. Ioannes Damaſcenus cognomento Gryſſoras, qui circa eius ſectæ initia uixit & apud Perſas ſub eorum imperio captiuus, Chriſtum ſuſtinuit, Eutimius Monachus Zigabenus, Theodorus Epiſc. Charran, cognomento Abbucoras, Euodius Monachus, Nicetas Byzantius Philoſophus, & monachus tum lib. uno contra Mahometum, tum altero contra Epiſtolam quandam ab Agarenis miſſam ad Michaëlem Imperatorem, Ioannes Cathacuzenus, prius quidem Imperator Conſtantinopolitanus, poſtea uerò Monachus, tum libris quatuor contra Sarracenos, tum quatuor orationibus contra Mahometem, Stephanus Langion Epiſc. Cantuarien. & Alexander Alenſis ſingulis libris de geſtis Mahometis, Adelphus Abbas Benedictinus, Iacobus Vitriacenſis, Anchonen. Epiſc. S. Thomas Aquinas, libro de rationibus fidei ad Cantorem Antiocheuum, Ioannes Vallenſis Anglus ordinis Minorum, Dauid Bois Anglus Monachus Gloceſtrienſis, Humbertus quondam generalis Magiſter ordinis Præd. Nicolaus Cuſanus S. Romanæ Eccleſiæ Cardi. libris tribus ad Pium ſecundum Pont. Max. quos Alchorani Cribrationem uocauit, Vipertus Iuris Canonici peritus; Dionyſius

Ricelius Carthuſianus, opere grandi ad Pium Pont. Richoldus ordin. Prædic. qui
apud Sarracenorum Athenas Baldach urbem, litteris Arabicis & eorum ſapientiæ na-
uauit operam, Ioannes Turrecremata Cardin. S. Xiſti utriuſque diuini & humani iu-
ris conſultus, Ioannes ſenior Toletanus, Nicolaus Ianuen. Epiſc. &c. Fuerunt uerò
in hoc genus hoſtium ſegniores Eccleſiaſtici uiri, quoniam ea ſecta ſit indignisſima,
quæ ductis ex philoſophia uel aliunde rationibus confutetur, cùm nemo ſit mortalium,
qui eiuſdem inſulſisſimas fabulas & Phanatica deliria, prorſus ab omni natura & ra-
tione diſtare non uideat. Illud ad eius confutationem ſuffeciſſet, quòd Chriſtum &
Chriſti Euangelium cum Mahometo & Alcorano componant, ut ait Nicolaus Cuſa-
nus, quod non eſt aliud quàm ſumma dementia. Quod uerò eorum res proſperè ce-
dant, familiare eſt omnibus infidelibus, ut in præſenti uita felicitate fruantur, uel
quòd bona quædam faciant, quæ diuinam magnificentiam remunerare, non dede-
cet, aut quod magis puto, ad fidelium probationem. Nullum certè populorum tot
tantiſq; afflictionibus oppreſſum accepimus, quàm Iſraëliticum populum, cum tamen
utcunque inter omnes mortales Deum coleret: contra uerò nullis tam applauſit for-
tuna, quàm prophanis illis nationibus, Babyloniis, Aſſyriis, Aegyptiis, Philiſtinis,
Pſal.72. Romanis, &c. In labore, inquit ſanctus Propheta, hominum non ſunt, & cum homi-
nibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia &c. Et ſubinde, Ecce ipſi peccatores
& abundantes in ſæculo, obtinuerunt diuitias, & dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor
meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio
mea in matutinis. Sic dicebam, narrabam ſic, exiſtimabam ut cognoſcerem, hoc,
labor eſt ante me. Ecce uehementisſima tentatio & mentis perturbatio, qua adeo
ſancti uiri cor quatiebatur, ut in ea penè moti ſint pedes eius, & penè effuſi fuerint
greſſus illius. Sed quouſque fuit ea tentatione concuſſus? Donec, inquit, intrem in
Sanctuarium Dei & intelligam in nouisſimis eorum. Quomodo facti ſunt in deſola-
tionem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam, uelut ſomnium ſur-
gentium, Domine imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Non itaq; infidelium popu-
lorum in uita præſenti fœlicitas, ſed uitæ finis & interitus eſt mente uoluendus. Quo-
Pſal.133. rum filij (inquit alibi de eiſdem loquens) ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua,
filiæ eorum compoſitæ ſicut ſimilitudo templi, promptuaria eorum, eructantia ex hoc
in illud, oues eorum fœtoſæ, abundantes in egresſibus ſuis, boues eorum craſſæ, non
eſt ruina maceriæ eorum, neque tranſitus neque clamor in plateis eorum. Ecce pesſi-
morum idololatrarum & infidelium fœlicitas. Beatum, inquit, dixerunt populum cui
hæc ſunt. Ne uerò in falſa illa & umbratili fœlicitatis imagine, populi Dei ſortem ſi-
tam eſſe nunc crederes, Beatus (ſubiungit) populus, cuius Dominus Deus eius. San-
ctus ille Habacuc propheta, cùm Hieroſolymitanum excidium totiusque populi Iſraë-
litici, per Idololatras gentes futuram ſtatim deſolationem, Aſſyriorum fœlicitatem
contra, uerò populi Dei preſſuras & frequentisſimas calamitates expenderet, iuſto
(ut ſibi uidebatur) dolore commotus, cum nondum ſatis diuini conſilij profundita-
tem eſſet ingreſſus, iniuſtitiam Deo exprobrans, Vſquequo (inquit) Domine clama-
Habac.1. bo, & non exaudies? uociferabor ad te uim patiens & non ſaluabis? Quare oſtendiſti
mihi iniquitatem & laborem, uidere prædam & iniuſtitiam contra me? Quare reſpi-
cis contemptores & taces conculcante impio iuſtiorem ſe, & facies homines ſicut pi-
ſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem, & factum eſt iudicium & cōtradictio
potentior? Propter hoc lacerata eſt lex & non peruenit uſque in finem iudicium, quia
impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum. Et ut
oſtenderet ſe de gentium fœlicitate querimoniam texere, ſumpta Dei perſona, Aſpi-
cite, inquit, in gentibus & uidete & admiramini & obſtupeſcite, quia opus factum eſt
in diebus ueſtris, quod nemo credet cum narrabitur, quia ego ſuſcitabo Chaldæos
gentem amaram & uelocem, ſuper latitudinem terræ, ut posſideat tabernacula non
ſua, horribiles & terribiles, leuiores pardis & ueslociores Lupis ueſpertinis, & diffun-
dentur equites eius. equites nanque eius de longè uenient, uolabunt quaſi aquila feſti-
nans ad comedendum, omnes ad prædam uenient, & facies eorum uentus urens, &
congregabit quaſi arenam captiuitatem, & ipſe de regibus triumphabit, & Tyranni

ridiculi

ridiculi eius erunt. ipſe ſuper omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem, & capiet eam. Et ut quaſi impotentiam quandam Deo opprobraret, quæ licentia familiaris ſolet eſſe prophetis, ac ſanctis uiris, qui nondum diuinorum iudiciorum abyſſum penetrarunt, ſubiungit, Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Quaſi diceret, hæc ille Aſſyriaci exercitus Imperator, cùm ſua uirtute præſtare nequeat, reſtat ut Dei ſui, quicunque eſt ille, quem colit, uirtute perficiat. A' qua ſententia altiori & animi cogitatione ac fidei radio, quæ ſolùm, unum diuinitatis numen eſſe ſciebat, ſubinde reuocatus, Nunquid ait, non tu à principio Domine Deus ſanctæ meus & non moriemur? Quaſi diceret, ſed quid ego de alio Deo loquor, cùm tu ſolus ſis ab æterno Deus, & in tua poteſtate ac arbitrio & mors & uita noſtra ſit poſita? Si enim tu nolueris non moriemur, & ſi Babylonici exercitus potentia urbes noſtras inuadat, unde non ſuorum Deorum uirtute, ſed tua uoluntate ac arbitrio ueſtamur. Sed quando ita eſt, oſtende mihi obſecro, quo fine id facias, Nunquid Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem ut corriperes (populum tuum ſcilicet) fundâſti eum? Atqui id quidem mihi forſan perſuaderi potuiſſet, niſi te infeſtiſsimo animo iniquos omnes perſequi ſcirem. Mundi ſunt oculi tui ne uideas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare non reſpicis ſuper iniquè agẽtes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem, totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuo, ſuper hoc lætabitur & exultabit, propterea immolabit ſagenæ ſuæ (uocat autem ſagenam, uaſtatorem exercituum) & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat. Hæc igitur, ſecum imo pectore uoluens ſanctus Propheta, cùm humana ratione huius tentationis aculeos non poſſet reprimere, ad Deum prorſus conuerſus, & humani iudicij uiribus diffiſus, Super cuſtodiam meam ſtabo, inquit, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor ut uideam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me. Et reſpondit mihi Dominus & dixit, Scribe uiſum & explana eum ſuper tabulas, ut qui legerit eum percurrat, quia adhuc uiſus procul, & apparebit in finem & non mentietur, ſi moram fecerit, expecta illum quia ueniens ueniet, & non tardabit, & ecce, qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo, iuſtus autem in fide ſua uiuet. Hortatur his uerbis Dominus S. Prophetam diuinæ prouidentiæ ac conſilij ignorantia nutabundum, ne animum deſpondeat, ſed magno futuræ, aliquando erga populum ſuum, miſericordiæ ſolatio erigatur. Et ne gentium illarum fœlicitatem perpetuò duraturam crederet, quis earum ac ſimilium populorum, qui diuina auctoritate ac permiſsione populum Dei affligũt futurus eſſet, exitus confeſtim oſtendit, Et quomodo uinum, inquit, potantem decipit, ſic erit uir ſuperbus & non decorabitur, qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur, & congregabit ad ſe omnes gentes, & coaceruauit ad ſe omnes populos, nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius? Et dicetur, Væ ei, qui multiplicat non ſua, uſquequo aggrauat contra ſe denſans lutum. Nunquid non repentè conſurgent qui mordeant te? Et ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis. quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominum & iniquitatem terræ ciuitatis & omnium habitantium in ea. Hactenus prophetici teſtimonia, & diuinum reſponſum. Speremus igitur aliquãdo populi Chriſtiani Nabuchdonoſores, Pharaones, Salmanaſares, Philiſtinos, Antiochos, &c. è medio tollendos, & placidum illum fortunæ riſum, quo nunc fruuntur, in luctum conuertendum: uerùm tũc primùm, cùm eiuſdem Chriſtiani populi, quæ per hos, quaſi per quoſdam Carnifices puniantur peccata, ceſſarint. Admirandum profectò diuinæ prouidentiæ conſilium, ut cùm & uetere illo ſæculo, duos populos habuerit Idololatram unum, & ueræ religionis expertem; religioſum alterum ſuæque ſaltem cognitionis participem, illum tanta omnium rerum affluentia, tantoque bellorum ſucceſſu, contrà hunc tantis & internis & externis cladibus & calamitatibus, fuerit proſecutus, ut cùm hic

Ibid.

Habac. 2.

infœlix apud omnes finitimas gentes ſit habitus; ille in toto Orbe fœliciſsimus iudicari potuerit: Hoc profectò non alio conſilio factum eſt, quàm quòd ad populi ſui peccata cohercenda, Satellitibus, non quibuſcunque, ſed ſumma uirium humanarum potentia præditis, Deus indigeat. Nec enim principes, in uindictam malefactorum, inermes & imbelles miniſtros aſſumunt, ſed ingenti illos & hominum & armorum potentia circundant, ut in peccatores, quantumuis potentes, intrepidi irruant. Non ergo infidelis populi fœlicitas, & fortunæ applauſus inde prouenit, quòd Deus, eorum peccatis & infidelitate delectetur mundi enim ſunt oculi eius, ut dicebat Propheta, & reſpicere, ad iniquitatem non poteſt, nec quòd eorum religio ſit uera, noſtra contrà falſa, ſed quòd uelit populum ſuum in diſciplina contineri, qua ratione uirga furoris, Aſur, & exercitus Domini, Romani uocantur; quòd uoluntatem eius quaſi
Iſa. 10. iuſtitiæ miniſtri exequendo, perficiant. Inundante igitur peccatorum diluuio, & in-
Matt. 22. ualeſcente delinquendi licentia, neceſſe eſt miniſtrorum Dei potentiam excreſcere: Atque id quidem cum totius aliquando populi fidelis, peccatis contingat; potiſsimè uerò Regum & Præfectorum uiuendi licentia, prouenire docemur, nunquam enim non eſt uerum illud;

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Id non modò peſsimorum Regum, Ieroboam, Achab, Ochoziæ, Ioram, Achaz, Manaſis, Hoſeæ, Ioachim &c. ingenti Iſraëlitici populi malo, docent hiſtoriæ, ſed non minus atrocibus exemplis, eccleſiaſtici annales. Totum certè eccleſiaſticum imperium, quod olim ab Occidente in Orientem, & à Septentrione in Meridiem extendebatur, Romanorum & Conſtantinopolitanorum principum tyrãnis & licentia uiuendi perdidit, & infidelibus prodidit, Hiſpaniam nobiliſsimam Europæ prouinciam Vitigis & Roderici Regum Gothorũ, criminoſa uita, poſt enormem totius regionis uaſtitatem, Saracenis tradidit. Neq; uerò opus eſt omnes populi Chriſtiani tragœdias & frequentiſsimos, quos nunc uel olim de nobis, infideles Chriſtianorum principiũ peccatis, reportarunt triumphos, in medium adducere: ſatis ſit intelligere & populi Dei temporariam hanc fœlicitatem, & miſeriam, à principis animo & conditione pendê-
Themiſt. re. Quemadmodum enim ſapienter quidam, ſe malle ceruorum exercitum, duce
Athenieſ. Leone, quàm exercitum Leonum duce ceruo, dicere ſolitus erat, ita corruptioris populi & ſolutioris uitæ exercitum, ſæpius de fidei hoſtibus reportaſſe uictorias, duce ſancto & integro Rege comperimus, quàm ex bonis & integris hominibus ampliſsimas acies, duce, Deo, inuiſo principe. Id profectò præter ea, quæ in populi Chriſtiani hiſtoria quotidie depræhendimus domeſtica exẽpla, annales Sanctorum illorũ Regum Dauid, Ezechiæ, Ioſiæ, Ioatham, & ante hos, Moſis & Samuelis apertiſsimè inſinuant. Itaque nihil eſt cur infidelis populi fœlicitas & ſecundus ſucceſſus, mentes Chriſtiani hominis concutiat, ſed ſi aliquando uiderit illum augeſcere, Dei uerò populum contrà flacceſcere, noſtris peccatis, quæ ut coherceantur, Dei miniſtris indi-
Iudith 8. geant, cum ſancta illa uidua Iudith acceptum referat, Reputantes, inquit, peccatis noſtris, hæc ipſa ſupplicia minora eſſe flagella Domini, quaſi ſerui, qui corripimur, ad emendationem & non ad perditionem, eueniſſe credamus. Imputent etiam id Chriſtiani principes ſuis peccatis, quæ cum per eorum Reipub. magiſtratus, puniri nequeant, conſentaneum eſt ut per alios puniantur, nec enim omnia inferni cruciatibus punienda ſeruantur. Eſt etiam huius haud exigua cauſa, quòd non iam uel duces uel milites prælia Domini, ſed ſua præliantur, non enim iam Sancto illo honoris Dei zelo, ſed propria ambitione, & proprij commodi (ut turpiores alios fines taceam) auaritia ducuntur. Milites, non iam antiqua illa Chriſtianæ militiæ ornamenta & authoramenta, ſed plerunque uitam plus quàm ethnicam præferunt, non Domino, ſed ſibi, ſuiſque uel commodis uel turpibus affectibus militare docentur.
Ioſue 7. Vnius Achæ delicto, qui contra Domini prohibitionem apud Hiericuntem de Anathemate acceperat, integer Iſraëliticus exercitus, diuinitus quodam inflicto ſtupore flacceſcentibus uiribus, cædenda hoſtibus terga uertebat; ac penè deletus fuiſſet, niſi Sancti ducis ſubueniſſet prouidentia, qua è medio per mortem, peccator, ſorte inuentus, tolleretur; quid putas futurum in eo exercitu Chriſtianorum, ubi tot ſunt

qui pluſquam Ethnica uiuendi ratione Thurcas & gentes, quæ Deum non cognoue-runt, ſuperent? ubi tot ſacrilegi, ubi tot templorum inuaſores, puerorum & uirginum ſtupratores tam multi, ubi tot blaſphemi, ac tam atroces, ut uix ab ipſis infidelibus, credi poſsint Chriſtiani, qui ſic in Sanctos, in Chriſti matrem, in Chriſtum ipſum crudeliſsimè ſæuiant. Erat olim totum exercitum Iſraeliticum Deus deleturus, niſi quorundam fornicationem cũ filiabus Moab, diuinam uindictam præueniens, Moſes & Phinees uindicaſſent. Irritauerunt eũ (inquit) in adinuẽtionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina, & ſtetit Phinees & placauit eũ, & ceſſauit quaſſatio. Quid nunc futurũ putas cum exercitu Chriſtiano, non modò non cohercentur grauiſsima peccata, ſed etiam ad militaris uitæ profeſsionem pertinere creduntur. curatur hodie apud Chriſtianos exercitus, Principum gloria, honor, ambitio, auaritia, Dei honoris & gloriæ, ac ſi non eſſent Chriſtiani, apud eoſdem profundiſsima obliuio. Quid ergo aliud reſtat, quàm ut Dei honore proiecto, à Deo quoque abiecti ut olim Saul, tantùm homines contra homines pugnent, & ut homines tantum, à pluribus aut fortioribus hominibus ſuperati, dent manus & terga. Similibus enimuero prophetico Spiritu diuinitus dicitur, Congregamini populi & uincemini, & audite uniuerſæ procul terræ: confortamini & uincemini; accingite uos & uincemini; inite conſilium & diſsipabitur, loquimini uerbum & non fiet, quia nobiſcum Deus. Eſt Deus non uno, ſed duplici modo, cum exercitu ac militaribus copiis, quẽadmodum Domini exercitus non uno modo, ſed duobus uocatur. eſt cum exercitu, quia ille eidẽ non modò armis, ſed legis obedientia, & religione deſeruit, ut olim Iſraeliticus exercitus, & modò Chriſtianus, ſi Chriſtianè prælietur, eſt & Domini exercitus, quòd quaſi diuinæ iuſtitiæ miniſtri peccatores caſtigent, ut antè dicebamus. Væ autem genti & populo, à cuius parte Deus noſter erit: ſed uæ & iterum uæ illi à cuius contrarij parte quocunque horum modorum ſteterit, non enim eſt conſilium, non eſt ſapientia, non eſt prudentia contra Dominum, equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit. Grande robur putabat olim ſanctus Rex Ezechias Aſſyriaco exercitu obſeſſus, ſecum habere Dominum cuius unius auxilio nullo pacto hoſtibus copias Dei populo extimeſcendas, credebat. Viriliter, inquit, agite & confortamini, nolite timere, nec paueatis regem Aſſyriorum & uniuerſam multitudinem, quæ eſt cum eo. multo enim plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo: cum illo enim eſt brachium carneum, nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter & pugnat pro nobis. Quod genus militaris orationis, (ſi non rem ipſam) utinam Chriſtiani principes imitari contenderent. Sed huius generis ſententiarum Sanctæ ſcripturæ campus eſt refertiſſimus. Tantum itaque in hac parte cauendum, ne noſtris peccatis, ſæuum illud genus ultionis, quod olim Deus in ſuo populo exercuit, dum illum infidelibus tradidit exequatur. Maiorem Eccleſiæ partem à ſyluatico illo apro diremptam uidemus, Aſiam Græciam, Africam, Aegyptum. Terra noſtra deſerta eſt, ciuitates noſtræ ſuccenſæ ſunt igni, regionem noſtram coram nobis alieni deuorant, & derelicta eſt filia Sion ut umbraculum in uinea. Ita ut niſi Dominus Deus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus ſicut Sodoma & Gomorra. Faxit Deus, ne aliquando cum Dauid ploremus, Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Nam illud, quod ſubdit, quotidiano docemur exemplo. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum, eſcas uolatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ &c. dum quotidie Chriſtiani exercitus ſtrages & captiuitates audimus. Quemadmodum autem Samariticum Regnum, quod ſe & à Dauid regno & à recta & patria religione ſeparaſſet, prius ultionem promeruit, ita & noſtri Samaritani, qui ſibi falſorum dogmatum uitulos aureos conflant, ab Eccleſiaſtico Regno & uera religione ſeiuncti, prius in ultionem deuenient, exemplo ſumpto, quas diximus, ampliſsimæ prouinciæ, quæ cùm primùm ſe ab Eccleſiaſtica obedientia ſeparaſſent, diuino auxilio deſtitutæ, in hoſtium fidei ſæuiſsimas manus & ſeruitutem uenêre. Iam Oholla ſoror fornicatrix, perditæ libidinis pœnas perſoluit; caueat ſoror eius Oholiba, quæ à multis iam annis, in ſuos amatores inſanire cœpit; forſan turpius quàm ſoror eius Oholla, ne calicem ſororis ſuæ profundum & latum bibere cogatur. Sed utinam noſtra Hieruſalem in

Num. 25.
Iſaiæ 8.
Lucæ 19.
Prou. 21.
2. Paralip. 32.
Iſa. 1.
Pſal. 78.
Ezec. 22.

hac

Luca 19. hac die, quæ ad pacem illi, quæ recta ſunt, ſapiat, ne ipſa quoque Nabuchodonoſori punienda tradatur.

De Chriſtianis & Catholicis ſcriptoribus, qui uarijs ſcriptis Euangelicæ doctrinæ ueritatem oſtendunt. Cap. V.

QVanuis ſupetiori ſermone Chriſtianos auctores, qui hoſtes Eccleſiæ Sanctarum ſcripturarum mucrone confodiunt, utcunque collegerimus, nō erit à noſtro inſtituto, ut arbitror, alienum, ſi eorum hîc quoque annectamus elenchum, qui ſacras literas & Euangelicam fidem uarijs ſcriptis, diuerſis ſæculis, ac temporibus illuſtrarunt, & tutati ſunt. multum enim intereſt homini Chriſtiano, ad rectum & firmum aſſenſum fidei producendum, quibus libris, cui'ue doctrinæ aſſueſcat; neque quicquam quibuſdam prouincijs Eccleſiæ, magis quàm aſsiduam profanorum auctorum lectionem, præſertim ubi animus eſt alioqui parùm pius, nocuiſſe crediderim. 2.Tim.2. Sunt autem peſtilentiores multo hæretici libri, quorum ſermo, Apoſtolo auctore, ut cancer ſerpit. Si enim ex eorum lectione fidem non perdis, magnum eſt, ſi eius feruorem ac pietatem non perdidiſti, dum uides non nulla in quæſtionem uocari, quæ nunquam dubitaras, fore firmiſsima. Sunt autem in his, quos hic dicam, quidam ex illis, quos uel aduerſum gentes, uel aduerſum Iudæos, uel contra hæreticos & Sarracenos ſcripſiſſe retulimus. Quoniam uerò multa quoque alia ſcripſerunt, in quibus multum proficit & augeſcit Catholica fides, hîc quoque, ubi Chriſtiano homini bibliothecam proponimus, quò fidei, quam credit, rationabilitatem intelligat, iuxta ſuas ætates ac tempora ſunt inſerendi. In his ſunt præcipui utriuſque teſtamenti, qui ſacroſancti habentur Canonici libri; poſt hos ſunt magnæ auctoritatis Apoſtolici Canones & Eccleſiaſtica Concilia tum generalia, tum prouincialia, quorum quædam hîc recenſebuntur. Integrum tamen elenchum & cuiuſque in obligando uirtutem ponemus ſeptimo libro. tertio loco Sanctorum Eccleſiæ doctorum turba, quorum libri extant, aut opera doctorum uirorum è medijs tenebris luce Eccleſiaſticæ ſapientiæ quotidie magis ac magis inclareſcenti, eruuntur. Marcialis unus ex ſeptuaginta diſcipulis Chriſti, Abdias Babylonius Epiſc. Chriſti quoque diſcipulus, Dionyſius Areopagita Athenien. Philoſophus & Pauli diſcipulus, Demophylus Therapeutes, Clemens Romanus Pont. Euodius apud Antiochiam Petri ſucceſſor, Polycarpus Smirnæus, Papias Hieropolytanus, ambo Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, auditores, Ignatius Antiochenus Epiſc. à Petro tertius; Egeſippus hiſtoricus; Xiſtus & Alexander, ambo Martyres Chriſti & Romani Pont. Dionyſius Corinthius, Q. Septimius Florens Tertullianus, Apollonius Polycrates Epheſius, Ireneus Lugdunen. Epiſc. Serapion, Septimus, apud Antiochiam, Petri ſucceſſor, Victor & Zepherinus Romani Pont. Clemens Alexandrinus, Hippolytus Martyr, Origenes 15.diſtin. Adamantius, In his operibus, quæ Hieronymus approbat, Gregorius Neocæſarien. c. Sancta. Pontianus, Vrbanus, & Antherus Romani Pont. & Martyres Chriſti, Cyprianus Carthagin. Epiſco. & Martyr. Stephanus & Cornelius Pont. & Martyres, Pacianus Barcinonen. Epiſc. Didymus Alexandrinus, Arnobius & Lactantius Chriſtiani Rhetores, Pontianus, Anacletus, Euariſtus, Higinus Rom. Pont. & Martyres, Euſebius Cæſarien. Rhetitius Auguſtudunen. Epiſc. Euſtachius Antiochenus, Iuuencus Poeta, Victorinus Pictauen. Epiſc. primum Concilium Nicænum, Athanaſius, Euſebius Emiſſenus, Theophilus Alexandrinus, Nectarius Conſtantinopolitanus, Soter, Stephanus, Liberius, Marcellus, Damaſus, Euſebius, Eutychianus, Fœlix, Rom. Pont. Baſilius Cæſarien. Optatus Mileuitanus, Gregorius Niſſenus, Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, Aurelius Prudentius, Ambroſius Mediolanen. Epiſco. Philaſtrius Brixienſis, Effren Syrus Anacoreta; ſecundum Concilium apud Conſtantinopolim celebratum, Epiphanius Salaminius, Palladius, Marius Victorinus Afer, Siritius Rom. Pōt. Hieronymus Stridonen. Proba Falconia, Proculus Conſtantinopolitanus, Ioannes Caſianus, Iſichius presbyter, Pontius Paulinus Nolanus,

Vigilius Tridentinus, Auguſtinus Hipponen. Petrus Diaconus, Maximus Taurinen.
Siritius, Cœleſtinus & Innocentius primus, Romani Pontifices, Proſper Aquitanicus,
Primaſius African. Iunilius Africanus, Vincentius Lyrnienſis, Tertium Concilium apud
Epheſum celebratum, Leo magnus, Pont. Rom. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus
Cirienſis, Petrus Rauēnas cognomento Cryſologus, Fulgentius Ruſpen. Gelaſius Rom.
Anaſthaſius Antiochenus, Boëthius Seuerinus, Victor Africanus, Iuſtinianus Impe-
rator, Fauſtinus Epiſc. Caſsiodorus Romanus, Arator ſubdiaconus, Gildas Mona-
chus Brito. Concilium quartum apud Calcedonem celebratum, Liberatus Archidia-
chonus Carthaginē. Procopius Gazeus, Olympiodorus Nanius Megalopolytanus, Eu-
ſtachius Theſſalonicen. Genadius Maſsilien. Oecumenius Conſtantinopo. Euthimius
Zigabenus. Dorothæus Tyrius, Michaël Singellus Hieroſolymitanus. Euodius Dia-
conus, Photius Conſtantinopolitanus, Pachimerius Syrus, Prodromus, Leoncius Cy-
prius, Theodorus presbyter, Rabanus Monachus, Beda presbyter, Alcuinus Mona-
chus, Anſelmus Archiepiſc. Cantuarienſis, Hormiſda Pontifex, Fauſtus Monachus,
Dionyſius Abbas, Iuſtus Ogelitanus, Aprigius Paccenſis, Gregorius Pont. Leander Hi-
ſpalen. Fortunatus Pictauen. Epiſc. Paterius Notarius, Iſidorus Hiſpalen. Haymo Hal-
berſtenſis Anglus, Petrus Damianus, Honorius Auguſtudunen. Bernardus Abbas, Hu-
go presbyter de S. Victore, Rupertus Abbas, Richardus Monachus Sancti Victoris,
Petrus Lombardus, Petrus Bleſenſis, Innocentius tertius, Nicolaus Lyranus, Hugo
Cardin. Vincentius Gallus. Et poſt hos qui Scholaſtici uocantur, inter quos præci-
pui creduntur, Alexander Alenſis, Albertus Ratiſponen. S. Thomas Aquinas, S. Bona-
uentura Cardi. Ioannes Dunus Scotus, Guilielmus Ocham Anglicus, Richard. Media-
uillanus, Durandus à S. Portiano, Gregorius Ariminen. Aegidius Romanus, Petrus
Tharantaſius, Petrus de Candia, uterque poſtea Roman. Pont. Franciſcus Maronius,
Henricus Gandauus, Marſilius Ingenius, Ioannes Capreolus, Alphonſus Toletanus
Epiſc. Hiſpalen. Antonius Florentinus, Dionyſius Ciſtercienſis, Hanibaldus Roma-
nus, Petrus Paludanus, Nicolaus Dorbellius, Michaël Ceſenius, Ioannes Michli-
nius, Ioannes de Ruſpeciſa, Ioannes Pariſien. Henricus de Haſsia, Godifredus de Fon-
tibus, Ioannes Baſolis, Aluarus Pelagius, Guilielmus Altiſiodoren. Gerardus, Odo-
nius, Gualterus Pictauenſis, Auguſtinus Anchonitanus. Et in hoc genere ſcriben-
di alij multi, qui à trecentis annis rigoroſiori diſputatione tum Sancta ſcriptura, tum
prophana Philoſophia fidem illuſtrarunt. In his omnibus & ſimilibus auctoribus le-
gendis animus Chriſtianus in pietate pingueſcit; in his fidei aſſenſus reficitur, & in-
crementum accepit, in his Chriſtiani hominis ſpiritus roboratur & creſcit. In hoc
enim omnes diuerſis ætatibus & ſcriptis laborarũt, ut fidei Chriſtianæ, Gentilibus, Iu-
dæis, Hæreticis, immo cunctis hominibus rationem oſtenderent. Cæteri qui ab iſtorum
doctrina diſcedunt, quaſi peſtes & præſentanea uenena uitandi. Nam aut infidelitatis &
apoſtaſiæ uenenum relinquunt, aut quæ prius erat ſtabilis fides, eorum peſtifera lectio-
ne concutitur. nihilque magis eſſet publico magiſtratui curandum, quàm eorum libro-
rum exterminium, qui uel ad Reip. utilitatem, uel ad Religionis promotionem, nõ per-
tinent. Eorum profectò qui publica in ciuitatibus munera gerunt, non magis eſt cu-
rare ædes, uias, aquas, non nundinarum, litium aut rei numariæ iura urgere, non ho-
ſtes abigere, non patriæ fines tutari, quàm diſpicere, ut publicè priuatimq; recta fides
& integri mores ſint in republica. Quæ quidem comparare, habere aut conſeruare,
nequaquã poſſunt, ſi, infidelibus hæreticis ac impuris libellis, locus ſit in Rep. Lon-
gè inquit Plato, grauius periculum eſt, in diſciplinis, quàm in cibis emendis. Etenim *Plato i*
qui eſculenta emit aut poculenta, poteſt antequam his ueſcatur, in aliis quibuſdam ua- *Protha.*
ſculis domum deferre, ibique depoſita, diligenter examinare, & aduocato aliquo iſta-
rum rerum perito, quid edendum bibendumue ſit, quid non, quantumque & quan-
do, deliberare. Quamobrem, haud graue eſt in emendo periculum. Diſciplinas au-
tem non licet in uaſe ferre, ſed neceſſe eſt ut qui emit eas, animo capiat, & relicto
precio abeat, intra ſe ferens. Ergo ſi Reip. intereſt qui cibi qua'ue ratione condiantur
& uendantur inſpicere, multo magis intererit libros, ex quibus quaſi ex quibuſdam pu-
blicis officinis, fides & mores petuntur, aduertere & publico iudicio probare. Sed in hac
parte apud noſtrates Sancti Inquiſitorij magiſtratus beneficio, non leuis eſt cura.

F. MICHAËLIS MEDINAE HISPANI,

ORDINIS MINORVM REGVLARIS OBSERVANTIAE,

CHRISTIANÆ PARÆNESIS,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER SECVNDVS.

Nouem conſiderationes proponuntur, quibus fidei aſſenſus in animo roboratur, & augeſcit.

QVIBVSQVE uerò uel familiæ ſtudio, uel gubernãdæ Reip. cura diſtringitur, alia uel ratione eorum auctorum, quos priori libro enumerauimus, lectione non fruitur, undecim habet conſiderationes à Io. Scoto Doct. ſubtili, ex utraq; Philoſophia deprõptas, quibus profectò tum contra gentes, tũ contra Iudæos, tum contra cæteros hoſtes, Catholica fides defenditur, & in Eccleſiaſtica traditione perficitur. Has facile eſt Chriſtiano homini mandare memoriæ, & quoties fidei tentatione (quæ omnium eſt grauiſsima) aut Satanica fraude circumuentum ſe ſenſerit, eas Diabolo uellicanti, alto animi receſſu libratas obiectare, inualeſcent protinus diabolici æſtus, & aduerſarij tela continuò retundentur. Sunt uerò illæ Prophetica euentuum prænunciatio, Sanctarum ſcripturarum, quibus noſtra religio connititur inter ſeſe concordia, Earundem Sanctarum ſcripturarum auctoritas & ueritas, Eccleſiaſticæ Reip. patrum, qui eam religionem primitus ſuſceperunt, & in nos propagarunt, exacta diligentia, Ipſius Religionis & ſingularum eius partium, digna examinatio, Fidei ipſius, ſiue religionis, inuito mundo ſtabilitas, Miraculorum ſiue prodigiorum, quibus primitus prædicata eſt, claritas, externorum aut prophanorum hominum de Chriſto & eius Religione teſtimonia, ipſaque Dei, quæ cum homine intercedere poteſt, iuſtitiæ ratio, & demum, eorum, qui Chriſtianam religionem perſequuntur deiectio & malus exitus. de quibus ſingillatim qua poterimus breuitate, in hoc ſecundo libro locuturi ſumus.

De Prophetico euentuum uaticinio. *Cap. I.*

ERgo, ut ad primum perueniamus, expendenda Chriſtiano homini eſt futurarum rerum prophetica prænunciatio, & præuiſio: ſolus enim Deus aut ab eo inſtructus, aliquis ea, quæ ſunt aliquando contingenter futura, maximè uerò quæ ab humana uel diuina uoluntate dependent, poteſt cognoſcere. Nam quæ naturæ neceſsitate aut phyſicarum cauſarum concurſu proueniunt, creaturæ quoque rationales, ſine diuina reuelatione poſſunt compræhendere. Prædixit chorus Prophetarum, quæcunque Iſraelitico populo ſub illo ueteri ſtatu, ſiue proſpera ſiue aduerſa obuenerunt, adeo explicitè, ut potius

præſentes

præſentes fuiſſe cùm fierent, quàm antea futura uaticinatos, quis iudicet. Prædixit Sanctum Incarnationis myſterium, Chriſti paſsionem, totamque Euangelici ſtatus œconomiam, adeo diſertè, ut hos potius hiſtoricos uoces quàm uates. Nam quæ de finitimarum gentium, Babyloniorum, Aegyptiorum, Idumæorum, Aſſyriorum, Phœnicum, Græcorum, Perſarum, Romanorum &c. uaſtatione aut fœlicitate prædixerunt, ipſum rerum euentum comprobaſſe uidemus. Verùm ne alia quàm diuina uirtute id fieri potuiſſe quis putet, quantum in latiſsima materia & de qua, præter Xenophanis Colophonij, Dicearchi Periparetici, Cratippi, Zenonis, Cleantisq; labores, Cryſippus tres, Diogenes Babylonius unũ, Antipater duos, Poſsidonius quinque, ut Cicero docet; ipſe Cicero duos, Franciſcus Picus Mirandulanus noſtra memoria, nouem libros edidit, inſtituta breuitas permiſerit, quouſque in hac parte creata uirtus, naturæ tantùm ſuffragio, ſiue Angelica, ſiue humana ſe poſsit extendere, diſcutere oportet.

Ergo uniuerſum illud rerum futurarum cognoſcendarum ſtudium, quod uaticinium uocamus, in Phyſicum & artificioſum primò ſecare, huius diuinatricis ſapientiæ cultoribus placuit. Phyſicam eam præcognitionem uocarunt, quæ à natura, ſiue rerum *Cic. lib. 1.*
naturalium conſideratione deſcendit; artificioſam illam, quæ non ex naturæ præſagijs, *& 2. de Di*
ſed ex altioris alicuius & ſpiritualis ſubſtantiæ traditione deriuatur. Quam iuxta du- *uin.*
plicem naturæ ſpiritualis rationem, diuinam & dæmonicam, duplicem quoque diſtinxerunt, diuinam, Græco uocabulo prophetiam, dæmonicam diuinationem, Latino illo communi uocabulo retento, aut oraculum appellantes. Phyſicam, in eam, quæ à natura cœleſti, & eam, quæ ab inferioribus corporibus, rerum futurarum præcognitionem uenatur, primò partiti ſunt; illam aſtrologicam præcognitionem uocarunt, hanc pro uaria inferiorum corporum appellatione, uarijs quoque nominibus appellare inſtituerunt. Et primò quidem, quòd quatuor corpora ſimplicia, quæ (quòd ſint corporum naturalium, quæ miſta philoſophi uocant, prima principia) elementa uocamus, non minus quàm cœlum ipſum diuinatrice uirtute prædita putarent, ab igne quidem Pyromantiam, ab aëre aëreomantiã, ab aqua hydromantiam, à terra geomantiam, uocibus Græcis dixerunt. Quoniam uerò res omnes compoſitas non modò ex quatuor elementis conſtare, ſed quandam cum ipſo cœlo affinitatem habere, ac perinde ab eo quaſi quandam cœleſtem umbram recipere, perſuaſum habebant, ipſis etiam diuinandi uirtutem tribuere non dubitarunt. Sunt uerò animata corpora inanimatis nobiliora, & magis huius cœleſtis uirtutis perinde capacia, quemadmodum ſenſibilia inſenſibilibus, & ſenſibilibus rationalis homo, qui naturæ quadam excellentia proximè ad ſpirituales ſubſtãtias accedit, ſed inter bruta, aues, quòd minus craſſæ naturæ, aëris ſcilicet ſint habitatrices, immo quòd cœlo ipſi propinquiores uerſentur, huius cœleſtis uirtutis uaticinatricis plus habent, unde ab auibus & hominibus potius quã ab alijs quibuſque inferioribus corporibus, rerum futurarum uaticinia petere libuit. Ergo ab uniuerſi humani corporis conſideratione Phyſiognomiam, à ſolius frontis, metopoſcopiã, à uolæ manus, chiromantiam, à ſomni inſpectione & Iudicio, onirocriticam dixere. Ea uerò huius ſciẽtiæ portio, quæ in auium conſideratione & inſpectione uerſatur, priſcis temporibus nondum diuinæ ueritatis radio ſuborto, apud omnes mortales adeò ueneranda, ut nihil eorum, quæ ad publica uel ad priuata pertinerent, inauſpicatè perfecerint, cùm ſpecialibus nominibus careat, nomine tamen generali uocatur augurium, cùm auium cantus & garritus conſiderat: cùm uerò motus aut uolatus, aruſpicium aut auſpicium, artifices uerò ipſos, augures, aruſpices, aut auſpices, Latini uocarunt. Vincit autem hæc uaticinandi ratio cæteras uniuerſas prænotionis ſpecies antiquitate ac celebritate, nam cùm Aſtrologia, pyromantia, aëromantia, & hydromantia, phyſionomia, chiromantia, & metopoſcopia, neque multos, neque ueteres, neque celebres habuerint auctores, aruſpicium, & antiquiſsimis, & frequentiſsimis populis, & celebribus rebuſpub. ut Cicero & Pomponius Lætus docent, inuentoribus gaudet. à Chaldæis enim primùm ad Græcos, apud quos Amphiareus, Tyreſias, Mopſus, Aphilotes, & Chalcas, ſumi augures habiti ſunt; à Græcis uerò ad Hetruſcos antiquiſsimos Italiæ populos; ab Hetru- *Cicero lib.*
ſcis ad Romanos, inter cætera ſuæ Reip. quæ à finitimis populis acceperunt ornamenta, *primo de*
peruẽnit. Denique Phrygij, Piſidæ, Cilices, Pamphilij, Arabes, Vmbri, Aſiæ, Europæ *Diuinat.*
& Africæ illuſtriſsimæ gentes, auguria ſecuti ſunt, &, ut Dionyſius Halicarnaſſeus,

docet, Aborigines Romanorum anctores, augurandi artem impenſè coluerunt, unde Aſcanius priuſquàm Mezentium in aciem producat, augurium, apud Virgilium captat: quod ubi fœlix inſpexit, pugnauit & uicit. Fuit eximius quidam honos in Romana repub. decretus augurio. Romulus ipſe augur fuit, & magiſtratuũ electionem non niſi augurijs confirmatam, ratam eſſe permiſit. Romulus huius urbis parens, inquit Cicero, lib. ptimo de diuinatione, non ſolùm auſpicato urbem coudidiſſe, ſed ipſe etiam optimus augur fuiſſe traditur. Deinde auguribus & teliqui reges uſi, & exactis regibus, nihil publicè ſine auſpicijs, nec domi nec militiæ gerebatur. Fuit & apud eoſdem augurum collegium, cui niſi illuſtriſsimi quique initiari poterant: quam conſtitutionem ex Lacedæmoniorum republica mutuaſſe uidentur, in qua augurij honor regi ptoximus erat. Aues, in quibus peculiari quadam ratione captabatur augurium, enarrare uelle, neque inſtituta breuitas permittit, neque præſentem diſputationem concernit, præſertim cùm poëtarum & hiſtoricorum libri, huius generis rebus ſint teferti. Illud tamen huic toti arti commune erat, ut potiſsimè earum auium motus, aut garritus inſpiceret, quæ rara in hominum couſpectum uenirent, ut Bubonum, Cygnorum, Aquilarum &c. Præter has uaticinandi rationes Pythagorici, qui nihil numeris in natura diuinius putarunt, literarum elementis, quibus hominum nomina compinguntur & numeris in illis latentibus, quædam rerum futurarum præſagia inhærere docuerunt. quod uaticinandi genus & hodie apud circulatores quoſdam perdurare uidemus, dum per propria hominum nomina diuinant, collectis in ſummam cuiuslibet literis, & collatis inuicem; cuius ſumma alteram exceſſerit, futurum in bello, lite, coniugio, uita, & imperio uictorem ſuperſtitemq́ue pronuntiant. Sed uera ſors Pythagorica ſolùm in illis linguis locum habere uidetur, quæ numerandi rationem literis tribuunt, ut Græca, Hebraica, Arabica, & cæteris Aſiaticis linguis. nam in Græca α ualet unum, β duo, γ tria, δ quatuor; in Hebraica 4 ד 3 ג 2 ב 1 א: in Latina uerò lingua quanquàm I ualet unum, V quinque, X ualet decem, L ualet quinquaginta, C ualet centum; non tamen ea omnibus literis numeros tribuit, unde ars hæc uaticinandi, quæ nõ tam literas quàm numeros in literis latentes appendit, non in omnibus nominibus, ſed in his tantùm, quæ his literis conſtatent, locum haberet. Quãquàm Plinius, Pythagoræ inuentis etiam illud attribuit, propriorum nominum imparem uocalium numerum, orbitates oculorum, claudicationes, conſimilesúe caſus portendere. Sunt & qui ex aleæ iactu uaticinia uenentur, quã artem aleatoriã uocaruut, quæ exſciſo Aſiatico regno inter manubias uaria ſub ſpecie migrauit ad Græcos. In ea arte magna ratio habetur Teſſeræ, Calculi, Tricoli, Senionis, Monarchi, Orbiculi, Thaliarchi, Vulpis, Octocedronis, Duodocacedronis &c. Sunt & innumetæ aliæ uaticinandi formæ, obſcuræ tamen, quas fœminarum ſuperſtitioſa curioſitas quotidie excogitat, quæ cùm neque artem ſequantur, nec certam rationem obſeruent, ab huius ſapientiæ cultoribus ſunt prorſus neglectæ, ut ſortilegia &c.

Sed nunc in eas omnes artes aut potius ocioſorum hominum inanes præſtigias, quæ à natura ipſa, rerum futurarum cognitionem ſe accipere profitentur, conuertamus ſtylum ſubindeq́ue dæmonicam illam, quam diuinationem uocauimus, aggrediamur, oſtenſuri nimirum omnes eas inanes eſſe, & ineptas, ſolamq́ue prophetiam, quæ cœleſti reuelatione ſuſcipitur, uerè ac efficaciter rerum futurarum cognitionem præſtare; niſi quòd ocioſum quoque putamus, in ſcurrilibus & circulatoriis fabulis improbandis, tempus terere, quæ omnium ſapientium uel ſilentio & contemptu, uel aperto ſuffragio reprobatæ, damnantur. Cur enim, Deum immortalem, illas artes ad ſapientiam pertinere credatur, quas ſapientiæ ſtudioſiſsimi, & auidiſsimi homines, quique non huius aut illius temporis, ſed omnium ſæculorum teſtimonio ſapientes iudicantur, neque coluerunt, neque uenerati ſunt, ſed potius extremo loco habuerunt? Enimuero omnes mortales, ut ſapienter docet Ariſtoteles, ſcire deſideramus, nullusq́ue tam ingens noſtris omnium mentibus quàm parandæ cognitionis ingenitus eſt amor, quo nos adeò commoueri ipſi ſentimus, ut conatus, labores, pericula multa, nullo inuitati emolumento, ſola ſcientiæ auiditate, ſubeamus: unde dicere ſolitus erat Iulianus Iuriſconſ. Et ſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc addiſcere quidem uellem. Quod, cùm ita ſit, in id tamen magis genus cognitionis ipſo naturæ impetu præcipites ferimur, quod res futuras, & nondum exiſtentes ob oculos ponit: nondum exiſtentia quòd difficilius

1. Metaphyſ.

ſit,

ſit, præcognoſcere excellentius putamus, futuras etiam res noſtras præuidere, in humana uita precioſiſsimum foret. Eſt igitur in hoc genus cognitionis ſapientium & eruditorum hominũ, maximè omnium propenſiſsimus animus, colerentq́; illud, ſi ullam certã futuram præuidendi rationem in natura, cuius erant ſagaciſsimi, innenire potuiſſent. *Syneſius* Cùm igitur uniuerſam uaticinandi rationem grauiſsimi qnique philoſophi Xenophanes, *Plat lib. de inſom.* Democritus, Plato, Ariſtoteles, Chryſippus, Diogenes, Antipater, Panætius, Carneades, Phauorinus, Plotinus, Auicenna, Auerroës, Hippocrares, Galenus, Alexander, Cicero, Seneca, Plurarchus &c. prorſus contempſerint; conſentaneum eſt putare, eas artes nihil ad parandam rerum futurarum cognitionem proficere. Id uerò maximè apparet, cùm earum cultores, & inuentores expendimus, homines profectò, qui cùm apud omnes mortales ſuperſtitioſiſsimi ſint habiti, nullum tamen illuſtris eruditionis ſplendorem dederunt. Hi ſunt in Aſtrologia quidem critica, ſiue iudiciaria, Ptolemæus Alexandrinus, Paulus Dorothæus Alexandrinus, Heliodorus Epheſius, Campanus, Ioannes à monte Regio, turba Sarracenorum indocta, Abẽrodem, Albumaſar, Aomar, Thebit, Zachel, Maſſahalla, Alchindus, Iudæi quidam inſani, Abraham, Auenzrra &c. Quos illi apud Chriſtianos ſequuntur, Petrus Aponen. Rogerius Bachon, Guido Bonactus, Arnoldus Villanouanus, & huius farinæ alij. In elementaris prænotionis ſtudio, Pyromantia, aëromantia, hydromantia, geomãtia, quidam Arabs Almadal, Gerardus Cremonenſis, Bartholomæus Parmenſis, Tundinus, &c. in ea uerò parte quæ in humani corporis inſpectione uerſatur, Zopyrus, Helenus, ut uolunt Priami filius, Arthemidorus philoſophus Epheſius, Polemon Athenien. Adamantius Sophiſta, Melampus, Ptolemæus, Alpharabius, Razes, Iuliauns Chaldæus, Petrus Aponen. Michaël Scotus, Antiochus quidam, Bartholomæus Cocles, Michaël Sauonarola, Antonius Cermiſonus, Petrus de Arca, Marbethus Cardin. Andreas Coruus Mirandulanus, Tricaſſus Mantuanus, Ioannes Guilelmus Nuricenſis, Hieronymus de Manfredis, Blaſius Parmenſis, & omnium diligentiſsimus, Ioannes Taiſnerius. Quãquàm quo antiquius hoc naticinandi genus doceant, quidam in Hermetis Triſmegiſti librum, quem Ariſtoteles in templo illi dicatum, literis aureis ſcriptum inuenerit, quemq́ue poſtea Ioannes quidam Hiſpanus ex lingua Arabica traductum, Catholicæ Reginæ *Ioã. Taiſnerius in proœmio Chiromã.* Iſabelæ dicauerit, ſuam iſtam ſubtiliſsimam artem reducant. In onirocritica, id eſt, Somniorum naticinatrice ſapientia, & ea, quam aruſpiciam uocamus, Arthemidorus philoſophus, ſiue Daldianus libris 4. & circulator quidam, qui quòd Philo Iudæus in libris de Gigantibus Abrahamum Patriarcham, ſomniorum ſolutiones primum inueniſſe reliquit ſcriptum, ſub eius nomine, ſuas ſomniorum manias in uulgus emiſit. In ſortis Pythagoricæ uaticinia, quamuis Plinius eam artem in inuenta Pythagorica referat inſanus Alchindus, quem Ariſtotelis olim diſcipulum mentiuntur, librum ſcripſiſſe refertur: nec tamẽ omnino negamus ullum Ariſtotelis diſcipulum potuiſſe inſanire. Aleatoriæ, nullum uel ſolo ſapientiæ titulo inſignem inuentorem, aut cultorem inuenio, niſi quòd Attalum Aſiaticum Regem eam inueniſſe, & Octanianum & Claudium Romanos Imperatores ſingulis libris eandem illuſtraſſe commemorant. Verùm ne tantummodò totam hanc diſputationem auctorum iniuria uideamur peragere, agedum ſingulas has peſtes & inſanias in examen uocemus, quod aptè præſtabimus, ſi multiplex furnrorum diſcrimen ante omnia notemus: neque enim una eademq́ue rerum futurarum eſt ratio, ſed multiplex & naria, pro uaria principiorum, ex quibus deriuantur & oriuntur, natura. Cum uerò non in Theologos, qui communes Theologiæ partitiones recipiant, ſed in eos, quos ſolo naturalis rationis aculeo configere oporteat, inſtituamus ſermonem, non Scholaſticis illis futurorum diſtinctionibus, quæ à Theologis traduntur, ſed noſtro ſcopo aptioribus alijs, quo ab aduerſarijs magis intelligamur, nobis erit utendum.

Principiò igitur, res futuras, in neceſſarias & uoluntarias diſtrahimus; neceſſarias, *Inſtituitur diſputat. contra ſuperſtitioſas artes.* quæ cauſas habent neceſſarias, uoluntarias, quæ cauſas habenr liberas, & nulla intrinſeca uel extrinſeca neceſsitate coactas, dicentes. Rurſus iuxta multiplex neceſsitatis diſcrimen, multiplex quoque futurum neceſſarium diſtinguimus. eſt enim quoddam futurum neceſſarium, quod à cœleſti, quoddam uerò, quod ab elementari neceſsitate dependet. neceſſarium enim in hac parte, naturale uocamus. Eſt autem non modò

iuxta Chriſtianæ, ſed & prophanæ philoſophiæ decreta, inter æthercam illã, quæ nullum errorem admittit, & elementarem regionẽ, magnum diſcrimen, quòd illa etſi ſit naturæ *Peripatetici.* corporeæ portio, aut quòd materia careat, ut Peripatetici docẽt, aut quòd eã habeat alterius rationis ut inter Theologos Chriſtianos quidam uoluerunt, aut quòd cum cæteris *S.Tho.* corruptibilibus eandem participans, incorruptibilis & inalterabilis ſola diuina uo- *Plato.* luntate permaneat, ut Platoni & Timeo Locro placuit; aut demum, quòd perfectiorem & ualentiorem formam cæteris agentibus naturabilibus habeat, ut aliis quoque *Scot.* Theologis uidetur, à ſuis actionibus & motibus nulla temeritate perturbata declinet, unde inuariabilem ac certam rationem agendi perpetuò ſortitur: elementaris uerò, agentium aduerſaria uirtute plerunque compreſſa, fruſtretur effectibus, & quæ in ſuo ordine ſibi debebantur actionibus pellatur. Vnde eius agendi ratio tam incerta redditur, ut philoſophorum doctiſsimi nulla eam prouidentia, ſed ſola materiæ temeritate *Ariſto.* gubernari contenderint. Atque idem de miſtorum agentium ordine, quæ elementari natura compinguntur, per omnia dicendum: non enim formæ nobilitatem, ſed materiæ rationem in agendo ſequuntur, neque formæ ſubſtantialis, ſed iis quas cum ipſa maſſa elementari acceperunt, frigore, calore, humore ac ſiccitate, qualitatibus agunt. Ea igitur futura, quæ ab æetherea naturæ portione dependent, abſolutè neceſſaria, ac perinde certiſsima, conſequenter dicemus; ea uerò, quæ elementarem mundum, aut ea, quæ in eo continentur, cauſas habent, dicemus quidem neceſſaria, id eſt naturalia, ſed tanto illis prioribus magis incerta, quanto illa æthera mundi portio, naturæ huic elementari, nobilitate, & agendi certitudine præſtat. Prioris generis futurorum exempla ſumpto, quòd Sol ſit cras oriturus, quòd hoc aut illo tempore ſit Solis aut Lunæ futura Eclipſis; quòd Luna cum Sole ſit hoc aut illo die, hac aut illa hora coitura, & cætera omnia, quæde aſtrorum, tam eorum quos planetas uocamus, quam eorum quæ fixa firmamento dicuntur, annorum, temporum, & ſæculorum Ephæmerides docent. Quamuis uerò in orbium deferentium, certo numero Aſtrologi diſſentiant, in horum tamen certitudine, nulla poteſt eſſe diſſenſio, quæ ſiue hoc ſiue illo numero orbes exiſtant, certiſsimè euenient. Secundi ordinis futurorum exempla, duplicia partimur. Sunt enim uniuerſalia quædam, ut, quòd proxima hyeme futura ſit pluuia: particularia alia, ut, quòd ueſpere, quoniam hodie rubor matutinus apparuit, pluuia deſcendet, & cætera talia quæ à particularibus cauſis, & agentibus prodeunt. Sunt uerò ſecunda hæc & particularia futura, tanto illis prioribus incertiora, quanto magis particularia: certius enim eſt hyeme proxima pluuiam deſcenſuram, quàm hodie aut cras, quòd rubor matutinus apparuit, eandem futuram.

Sunt & ea futura quæ uoluntaria uocauimus, prima quoque partitione duplicia. Sunt enim quædam omnino libera, & quæ à nulla extrinſeca, uel intrinſeca neceſsitate oriuntur, & quædam, quæ, quemadmodum illa ſecundi generis naturalium futura, contingentiam & uariationem recipiunt, ita neceſsitatis quandam permiſtionem admittentia, ab omnimoda illa prioris ordinis libertate degenerant. Prioris generis ſunt actiones omnes uoluntatis, quæ à nulla extrinſeca neceſsitate, uel alterius rei præteritæ poſitione truduntur, ut quòd ego ſim tibi equum donaturus, cùm nulla promiſſio aut ſtipulatio præceſſerit: quòd Socrates ſit Valeriam uxorem accepturus, cùm neque uerba, nec amor, nec parentum pactio interceſſerit, quòd Hiſpani ſint aduerſus Gallos pugnaturi, cùm modò & mutuo matrimonij fœdere, & placidiſsima pace fruantur, &c. Ad ſecundum genus pertinere uidentur, uniuerſæ actiones, quas Ariſtoteles miſtas appellat, ut quòd illi, qui modò ſæua tempeſtate iactantur, in mare onuſtam nauem exonerando, proiecturi ſint merces, quòd tu, qui propter homicidium in hac ciuitate, in qua iuſtitiæ rigor infractus dominatur, in cuſtodia teneris, ſis uita priuandus, ac ſimilia omnia, quæ in humana uita ſunt frequentiſsima. Prioris uerò ordinis uoluntaria futura, in duas quoque factiones abeunt: ſunt nanque quædam uniuerſalia; particularia item quædam. nam quòd bella ſint futura, aut quòd hic ſit ducturus uxorẽ, aut quòd is ſit cum alio certamen initurus, uniuerſalius eſt, ac ſubinde magis certitudinis habẽs, quàm quòd Galli aduerſus ſint Anglos pugnaturi, aut quòd Socrates Valeriam ſit ducturus, aut demum, quòd Titius Cornelium certamine inceſſet. Rurſus huius prioris ordinis uoluntaria futura, in propriæ, & alienæ uoluntatis diuidimus.

propriè

Propriæ uoluntatis futura uocamus, quæ ab illa ſola & non ab alia extrinſeca uoluntate pendent, alienæ, quæ ut exiſtant, alterius quoque uoluntatis auxilium, neceſſariò requiritur. Prioris exemplum eſto, quòd ego cras, ſi uixero, ſim lectioni uacaturus, aut Deum oraturus. Secundi, quòd à te ſim equum accepturus, aut quòd Corneliam ſim ducturus uxorem. Qui etiam duo futurorum uoluntariorum ordines, ſeſe, pro maiori aut minori dependentia, certitudine ſuperant, certiora enim ſunt illa, quæ ab una tantummodò uoluntate, quàm illa, quæ ut fiant, alterius quoque uoluntatis concurſum neceſſariò requirunt, certiusque ego me cras oraturum, quàm me à te accepturum equum, poſſum prædicere. Partimur deinde priorem illum ordinem, iuxta duplicis diuinæ & creatæ, quæ rurſus in angelicam & humanam diſtinguitur, uoluntatis rationem, in duos alios futurorum uoluntariorum ordines. Sunt enim quædam futura uoluntaria, quæ diuinam uoluntatem cauſam habent, alia quæ creatam, generali illo, quem Theologi ponimus, influxu, ſuffultam. Ad priorem huius diuiſionis aciem pertinent, incarnatio antequàm fieret, & quæcunque Euangelica hiſtoria diuina miracula geſta recenſet, Iudicij dies &c. Secundi ordinis, ſiue in humana ſiue in angelica natura, non eſt opus exemplis. Voluntaria demum futura, quæ à diuina uoluntate oriuntur, ſunt quoque duplicia, quædam enim à uoluntate legibus ſoluta, quam quidam uocant beneplaciti, quædam uerò à uoluntate ordinaria, id eſt, quæ legibus quibuſdam in agendo conſtringitur, ut producantur, dependent. Prioris exemplum eſto, Antichriſtus futurus, huius aut alterius hominis futura creatio &c. Secundi, Socratis iuſtificatio futura, beatificatio &c, quæ licet ſint diuinæ uoluntatis actiones, noſtræ tamen uoluntatis, iuxta leges, ſemel poſitas concurſum requirūt. Sicut autem in uniuerſum ea futura, quæ à creata uoluntate oriuntur, illis, quæ diuinam uoluntatem ſunt auctorem habitura, certitudine cadunt, ita & inter ea, quæ à diuina uoluntate dependent, illa quæ ſolam eam, & non alterius uoluntatis concurſum, ut producantur, expoſtulant, certitudine eminent. Atque hæc ſunt in uniuerſum futurorum ſpecies, quæ in tota rerum uniuerſitate contingere queunt. De quibus omnibus iam tandem, quatenus per naturam aut naturæ uires poſsint apprehendi, ſingillatim dicamus.

Ergo de futuris neceſſariis, quæ ab ætherea naturæ portione deriuantur, ſic ſtatuo, illa & communi uitæ uſu, & aſtronomiæ theoricæ, quam artificialem appellant, beneficio, & præceptis, multis ſeculis antequàm oriantur poſſe prænoſci, certè enim ſcimus humanæ uitæ uſu, cras per ipſius aut alicuius corporis deferentis motionem diurnam, ſolem iterum in Oriente futurum, nobis iterum occaſurum &c. certò ſcimus lunam poſt dies uiginti nouem, horis duodecim, ſcrupulis quadraginta quatuor, ſecundis tribus, rurſus nobis in eodem puncto orituram. Scimus quantum luminis primo, ſecundo, tertio aut quarto quadrante ſit habitura. ſcimus ſolem peragrato Zodiaco, terræque globo, per diuerſa quò ad nos luminis incrementa, rurſus ad puncta tropica, acceſſu & receſſu reuerſurum, ſcimus eundem in Cancri tropico puncto exiſtentem, nobis propinquiorem futurum, quàm cùm ſit in æquinoctiali linea, aut cùm in contrarium omnino tropicum Capricorni deuergat. Scimus deinde beneficio aſtronomiæ, hoc anno 1563. 25. die Iulij, hora 1. minu. 58. umbræ terræ obiectu Lunam, aut lunæ oppoſitione, ſolem hoc eodem anno 1563. 20. die menſis Iunij, hora 20. minu. 27. deliquium paſſurum. ſcimus, aliorum aſtrorum, quos planetas uocamus, motus, oppoſitiones, deliquia, concurſus &c. tam certè, ut de ea, niſi tota natura ruat, dubitare non liceat: quorum omnium ratio eſt, non modò multis iam inde ab Orbis initio motionum cœleſtium experimentis comparata peritia, ſed ipſa inuariabilis ztheretheææ ſubſtantiæ natura & ratio, quæ nulli errori nulliquè temeritati in agendo ſubijcitur.

De ſecundi uerò ordinis futuris neceſſariis, quæ ſcilicet non ab ætherea naturæ portione, ſed ab elementari dependent, ſic dicimus, multas eſſe in humana uita diſciplinas, quarum beneficio non modò in generali, ſed in particulari, multa poſsint præſciri. beneficio enim agriculturæ, medicinæ, & nauticæ, quæ ad agriculturam refertur, non modò futura hyeme frigus & æſtate calorem ſæuiturum cognoſcimus, ſed ex rubore matutino, ueſpere futuram pluuiam, & ex ueſpertino aliiſue obſeruationibus cras futuram ſerenitatem præſcimus. Docet etiam medicina & certis obſeruationibus, non modò uer, æſtatem, autumnum, aut hyemem, morboſam futuram, ſed etiam

hunc aut illum hominem, qui hoc aut illo languore corripitur, euaſurum, aut tandem naturali per morbum, quo premitur, ſuperata uirtute, interiturum: eſt enim bona pars medicinæ in uaticinio repoſita, extatque Hippocratis Coi de prognoſticis liber, quo non modò in generali ſed in particulari quoque, futurorum morborum docentur præſagia. Ad quam medicinæ partem & ea reducitur, quam φυσιογνωμίαν dixerunt, quæ non modò ex oris & uultus, ſed ex totius corporis inſpectione, qualis ſit hominis compoſitio, qualeque temperamentum, quibuſque perinde morbis ſit obnoxius, coniectando prædicit. Cui quaſi partes annectimus metopoſcopiam, chiromantiam & podomantiam, ut ſcilicet ex multis obſeruationibus conſtet, eum, qui has aut illas lineas, in fronte, in manibus, aut pedibus, eum qui hos aut illos næuos fuerit à natura ſortitus, huic aut illi morbo prædicatur obnoxius, dummodo uaticinium, non ad temporis huius, aut illius conditiones arctetur. Ita, ut cùm agriculturæ, nauticæ, & illi parti medicinæ, quæ prognoſtica dicitur, quæ ſcilicet poſt morbi inuaſionem uaticinia profert, non modò in genere ſed in particulari, quæ ſibi uidentur, prædicere liceat. hæ tamen & conſimiles artes, tantùm in generali futura præſagiunt, nec tempus nec locum, niſi etiam in generali notando. cuius utriuſque ratio eſt apertiſsima, quòd ſcilicet illæ non modò ex ipſa rei natura, ſed ex particulari accidentc, quod rei futuræ conditiones determinet, hæ uerò, ex ipſa ſola natura, huius aut illius, non item ex dominante accidente, uaticinia producant. Enimuerò illi, qui ex ſola temporis natura in agricultura, nautica aut medicina uaticinia proferret, tantùm uaticinari liceret, futuram hoc uere pluuiam, futurum hac æſtate grandinem, futuras hoc anno tempeſtates, & quòd ver humidum præceſſerit, uariolas in mollibus ac teneris corporibus, in adultis uerò putres febres futuras. Verùm qui ultrà naturæ uaticinium, Picum ceciniſſe audiuit, aut Lunam halone, aut nubiloſa corona circundatam uidit, qui aues marinas, in terram ſeſe recipere, & nubeculam albam ex maris aduerſo conſediſſe conſpicit, qui ſæuientem morbum & tabem, cordis domicilium occupaſſe conſiderat, non modò hoc uere, ſed hodie pluuiam, non modò huius Lunæ tempore, ſed hodie tempeſtatem futuram, non modò hoc uere quoſdam interituros, ſed hunc ante multas horas moriturum prænouit. Ergo illi, qui ex phyſionomica, chiromantica, metopoſcopica & podomantica inſpectione, uaticinium profert, cùm non ex ſouo humorum accidenti, aut ſymptomate, aut ex noui languoris inuadentis incurſu, aut acceſsione, ſed ex antiqua uultus, corporis, manuum, frontis, aut pedum lineatione, & naturali pictura præſagiat, tantummodò in communi & in genere, aut ſaltem in ſpecie uaticinari licebit, & quidquid in indiuiduo ſignauerit, temerariũ cenſebitur. Poterit, inquã, præſagire Socratem, qui hanc aut illam naſi, oris, oculorum, frontis, ſuperciliorum, manuum, pedum &c. formam à natura ſortitur, hoc aut illud habere temperamentum, quod temperamentum quia qui habent, huic aut illi morbo ſubduntur, conſentaneum eſt & Socratem eidem morbo ſubeſſe. Potoric etiam ſic in ſpecie per eaſdem naturæ & accidentis conſideratrices artes de futuro languoris incurſu uaticinium proferre. qui hanc corporis effigiem, hanc manuum, frontis, pedum &c. lineationem à natura ſortiuntur, temperamento ſunt calido, hi uerò bilioſis languoribus ſunt magis obnoxij, ergo in æſtate, præſertim cùm ſolis feruor à canicula increuerit, malè eſt habiturus. Hic non modò in genere uaticinium editur, ſed in ſpecie. nec enim tantùm hunc aliquando malè habiturum in genere dicitur, ſed à bilioſo languore, & æſtatis tempore inuadendum prædicitur. Atque in hoc quidem omnium ſecundi ordinis neceſſariorum futurorum genere, nullam aliam certitudinem uaticinio tribuimus, quàm ipſa in ſemetipſis & in cauſis poſsideant: ſunt illa in ſuis cauſis ſic neceſſaria, ut tamen & materiæ & contrariorum agentium poteſtati ſubiaceant; non ergo certitudinem illam mathematicam, quam prioris ordinis futuris neceſſariis, quæ ab ætherea naturæ parte oriuntur, donabimus, ſed quandam aliam cum magna incertitudine miſtam, quam Phyſicam aut naturalem uocamus, eiſdem indulgebimus. Vnde cùm futura illa ſolùm per diuinæ poteſtatis arbitrium, poſsint impediri, hæc per eam ipſam, & inſuper per naturæ uirtutem & actionem contrariam, ſæpenumero pereunt. Licet igitur in hac parte conijcere, non item præſcire, quemadmodum in priori illa futurorum acie, quæ inuariabilis erat. Verùm iam de futuris uoluntariis conſequenter dicamus, ſed prius

de miſtis,

demiſtis, & his, quæ cum naturalibus, de quibus modò locuti ſumus, aliquam affinitatem habent, ut ab uno extremo, ad aliud tranſeamus per medium.

Ergo in huius generis futuris uoluntariis, quòd ex ſuppoſitione illa, quandam rationem neceſsitatis participent, etiã uaticinio & præſagio naturali, locus eſt concedendus: quiſquis enim in ea ciuitate, ubi iuſtitia & leges, non item hominum affectus imperent, hominem ob homicidium aut alterius generis crimen compræhenſum intelligat; uaticinari poterit, eundem ſuſpendendum, aut alias pœnas à legibus decretas ſubiturum ſtatim, idemque iudicium eſto de cæteris futuris miſtis, quæ legum aut morum humanorum neceſsitate, facta aliqua conſequuntur. Quin non tantùm ex legum humanarum ſanctione ac arbitrio, ſed naturæ quoque impulſu uaticinari licebit. qui enim nauem iactari ſæua turbinis tempeſtate conſpiceret, præſagire poſſet, mercium iactationem faciendam. Quorum omnium ſimplicisſima eſt ratio, quòd ij uoluntarij futuri effectus, iam aliqua ratione in illis ſuppoſitionibus aut factis, quæ præceſſerunt, quemadmodum, & illa quæ diximus naturalia, ſubſiſtant, unde & humanæ quemadmodum & illa, cognitioni ſubduntur. Hinc iam quid ſit de uoluntariis abſolutis futuris, id eſt quæ factum aliquod non ſupponunt, ſed in integrum à uoluntate quaſi à cauſa oriuntur, dicendum, conſequenter apparet. nam cùm hæc ut neceſſaria illa tam primi quàm ſecundi generis, & uoluntaria miſta, de quibus modò ſumus loquuti, nec in ſe, nec in ſuis cauſis, ullo alio pacto quàm uirtute ſubſiſtant, humana ac naturali uirtute, tantùm ut in ſubiecto uirtute exiſtentia, cognoſci poterunt, id eſt, cognoſcetur ſubiectum huius aut illius futuri productiuum eſſe, uerbi gratia, cognoſcetur Socrates uirtute diuinatricum artium naturalium medicinæ, phyſionomiæ, chiromantiæ, metopoſcopiæ, podomantiæ, & criticæ aſtrologiæ, (ſi ulla tamen eſſet) uirtute continere, id eſt, poſſe producere, homicidia, adulteria, mendacia, periuria, aut contrà, humanarum actionum uirtutes. Ratio eſt, quòd ut ſapienter docet Ariſtoteles, res non alia ratione cognoſcantur, quàm ſint & exiſtant, quæ igitur in ſe ſunt, in ſe cognoſcentur, ut res præſentes, quæ in præcedentibus effectibus, ex quibus conſequuntur, ut futura neceſſaria tam primi quàm ſecundi ordinis, & uoluntaria miſta in illis cognoſcentur. Quæ uerò, nec in ſe, nec in rebus præcedentibus, ex quibus uel natura uel humana uoluntate ſequuntur, exiſtunt, nullo alio pacto quàm uirtute, confuſa quadam ac generica cognitione prænoſcentur. Huius triplicis generis cognitionis exempla ſunto, primò Socrates, quòd ſit quatuor elementis compactus, uirtute mortalis cognoſcitur, id eſt ſcitur, in ſe ipſo moriendi potentiam habere, poſſeque illa quatuor elementa, aliquando compage naturali ſoluta, mortem inducere, deinde lethale uulnus accepiſſe cognoſcitur, & tandem antiqua illa corporis eucraſia per uulnus abrupta, diſſoluitur. In his tribus temporibus, mors Socratis cognoſcitur, in tertio quidem perfectè, & per modum præſentis in ſeipſa, in ſecundo in alio effectu præcedenti, & per modum futuri, ſed diſtinctè præſcitur, non enim quacunque morte Socrates, ſed morte ex uulnere, nec quocunque tempore, ſed ſtatim obiturus cognoſcitur. In primo tandē nec in ſe nec in alio effectu, qui ſecum neceſſariam connexionem conſeruet, ſed in ſuo principio, in quo nullo pacto actu, ſed ſola uirtute deliteſcit, cognoſcitur. Licet igitur ex diuinatricibus ſcientiis naturalibus, quæcunque ſint illæ, actiones uoluntarias tantùm, hoc tertio pacto diuinare futuras, id eſt cognoſcere, qui hanc aut illam temperamenti rationem, lineam, aut uultum à natura ſortitur, in hoc aut illud uicium, in hanc aut illam uirtutem à natura propenſum, ultrà tamen ad actiones indiuiduas & ſingulares, ad tempora etiam & loca indiuidua progredi, per naturam, prorſus ſtultum. Eſt autem horum uoluntariorum futurorum euentus, multo quàm illorum omnium, de quibus huc uſque locuti ſumus, incertior, tanto ſcilicet, quanto non modò in ſeipſis, ſed in ſuis cauſis minus determinantur ad exiſtentiam. futura enim neceſſaria, quæ ab æetherea naturæ parte, quaſi à cauſa dependent, propter ſuarum cauſarum in agendo inuariabilitatem, ſunt prorſus certisſima: futura neceſſaria, ſecundi ordinis, quæ à portione elementari, ubi materia dominatur, deſcendunt, quoniam eorum cauſæ ſunt minus in agendo conſtantes, ſunt quidem inconſtantiora, ſed tanto illis primi generis uoluntariis futuris, quæ ex ſuppoſitione uocauimus, incertiora, quanto minus uoluntas, quàm natura determinatur ad unum. Sed quoniam, aliquid ſui iam in actu habent, effectum ſcilicet

illum ex qno, licèt non natura, decreto tamen uoluntatis ſequuntur, moralem ſaltem ſorriuntur certitudinem. hæc tamen abſoluta futura uoluntaria, cùm nullo pacto ſint determinata, nullam neque mathematicam, neque naturalem certitudinem habent. Vnde inſignis eſt circulatorum quorundam ſtultitia, qui per aſtrologiam, phyſiognomiam, chiromantiam, &c. non modò de hominum complexionibus & paſsionibus in genere, ſed de tempore, de locis, &c. in indiuiduo pronunciant: uerùm multo ſtultiores qui eiſdem aſſentiuut; ſed de his poſtea, nunc ad ſecundam diuiſionem futurorum uoluntariorum recurrat oratio. 1

Humanus intellectus quam uim in futura uoluntaria habeat.

Partiti ſumus futura uoluntaria abſoluta, in uniuerſalia & particularia; cuius utrinſque exempla poſuimus ſuperius, nunc quid in ea abſque cœleſtis luminis illuſtratione, humanus poſsit intellectus, oſtendamus oportet. Cum uerò naturales ſcientias uaticinatrices, in totum horum futurorum genus, nihil præter rationem quandam notitiæ imperfectam, qua in ſuis cauſis, non ad exiſtentiam, ſed ad potentiam determinatā noſcuntur, gignere poſſe ſtatuerimus, prudentiā, quæ acutiores quàm natura oculos ſæpe numerò habet, non immeritò ultrà progredi dicimus. illi enim, ex hominum natura, ex temporum & locorum conditione, ex aliis demum coniecturis, ſine nota temeritatis, de huiuſmodi futuris in genere uaticinari conceditur. Itaque qni militum irrequietum animum, qui regum & principum auaritiam, qui amplam & opulenram urbem, aut regionem, in duorum regnorum medio, ſitam eſſe perpenderit, facilè coniectare poſſet, ſtatim in eam iuſtas belli cauſas quærendas, aut principes inter ſe pro eius ciuitaris aut prouinciæ dominio inituros certamen. Licet etiam in ampla ciuitate ariolari, futura homicidia, adulteria perpetranda &c. ſpecialis tamen & determinata quantum ad locum, tempora, & perſonas nulla, qua aliquid horum poſsit comprehendi, ullo certitudinis genere, aut per naturales ſcientias, aut per prudentiam, notitia poteſt obtineri. Ratio eſt, quòd in ſe aut in ſuis proximis cauſis (ut antea dicebamus) nullo pacto ſubſiſtant; aut enim uaticinium, quod inter regem Gallorum & Anglorum futurum ſit bellum, ullas habet rationes ac fundamenta aut nulla: ſi nulla, temerarium eſt igitur: ſi ulla, bellum ergo, licèt non ſeipſo, ſecundum tamen ſuas proximas cauſas iam exiſtit. non ergo ex eorum futurorum noluntariorum ordine erunt, qnæ abſoluta uocamus, & à ſola uoluntate pendentia, ſed ad priorem illam futurorum aciem reducuntur, quæ factorum quorundam neceſsitate ſequuntur, ad miſta ſcilicet. 2

. Hinc iam quid de tertia futurorum uoluntariorum diuiſione, qua huiuſmodi futura abſoluta in propriæ & in alienæ uoluntatis ſecauimus, decernere oporteat, Luculenter apparet. Diximus enim neque naturales diuinatrices artes, neque prudentiam de huiuſmodi futuris abſolutis in particulari, poſſe ſine ingenti temeritate prædicere, ita ut ex ſolo temperamento, quod per huiuſmodi artes naturales cognoſcitur, de inclinatione & propenſione tantummodò, non de ipſis actionibus aut in genere aut in ſpecie, aut in ſingulari, per prudentiam uerò & ciuilis uitæ curſum, in genere tantùm uaticinari liceat. multo minus ergo de illis futuris, quæ non ab ea ſola uoluntate ex cuius temperamento uaticininm profertur, ſed ab altera quoque uoluntate dependent, licebit prædicere. Si enim Medicus, Aſtrologus, Phyſiognomus, Chiromantes &c. ex mei uultus, linearum &c. inſpectione, nec dum in ſingulari, ſed neque in ſpecie aut genere, quid ſim per meipſum ego aliquando facturus, ſine ingenti temeritate mihi poteſt prædicere, quî fieri poterit, ut idem, quid ſim ego cum alio, aut alius mecum facturus, prædicere queat? Enimuero eæ actiones, quæ à meo temperamento fluunt, ſi non actu, uirtute tamen, in me continentur, at hæ quæ ab altera uoluntate oriuntur, anr eæ quarum mea uoluntas tantummodò partialis eſt cauſa, aut nullo pacto in me continentur, aut tanquàm partiali cauſa, quæ tamen ſine alterius concurſu nihil poſsit perficere. Non igitur ullo pacto, id eſt, neque actu, ut res præſentes, neque ut in cauſa naturali proxima, ut futura neceſſaria primi & ſecundi ordinis, aut morali & libera, ut uoluntaria miſta, nec demum ut uirtute exiſtentia, ut futura & uoluntaria abſolura, præcognoſcere licet. Irridendi igitur Phyſiognomici, & Chiromantici uates, qni eum, qui hunc, aut illum uultum, hanc aut illam lineam fuerit à natura ſortitus, hoc aur illo anno ductnrum uxorem diuitem, nobilem, ac pulchram, hac aut illa dignitate donandum, fœlicem futurum, & à quodam principe diligendum, & honoribus cumulandum,

in lite

in lite uictorem, & cæteras huinſmodi nænias, quibus ſuorum ſtultorum librorum aceruos reſperſerunt, beatiſsimè garriunt. Iſtiuſmodi nanque futura uoluntaria, cùm nulla ratione in noſtro temperamento conſiſtant, nullo pacto ex eo poſſunt depræhendi, tantoque magis ſunt irridendi, quanto uaticinium fuerit particularius, ut cùm non ſatis eſt illis, aliorum amores, odia, fauores, &c. erga nos augurari, ſed etiam generis, nobilitatis, immo & ſtatus accidentia præſignant, ut cum aiunt, eum qui his aut illis lineolis, lineam naturalem, menſalem, uitalem, eparis, reſtrictam, Saturniam, montem, Veneris, Iouis, Saturni, Solis, Mercurij, Lunæ, & Martis (ſic enim uocant) intercisa habuerit, breui futurum Cardin. Epiſcopum, Papam, quendam eccleſiaſticum principem illum amaturum, & (quod eſt ſtultius) à iumentis proterendum, quaſi etiam iumentorum facta in noſtro temperamento ſint ſcripta, &c. Sed de his poſtea.

Nunc de ea diuiſione, qua futura uoluntaria abſoluta, in diuinæ & creatæ uoluntatis partimur, continuò dicamus. Et quidem qnid de humana uoluntare deque futuris, quæ ab eadem, ſiue ſola, ſiue cum alterius concomitantia, ſiue abſolute, ſiue alterius facti ſuppoſitione oriuntur, ſit ſentiendum, ſatis arbitror explicatum, indeque apertiſsimè conſtare non dubito, quid de angelicæ noluntatis futuris ſit dicendum, ſcilicet eam, per nullam naturalem uirtutem, neque per ullam naticinatricum ſcientiarum, ullo pacto, niſi angeli ipſi, aut dæmones patefecerint, poſſe præſciri: Tum quia cùm non ſint noſtræ noluntatis actiones, ut modò de aliorum hominum actionibus dicebamus, nullo pacto in noſtro temperamento, ex quo ſolo per has naturales ſcientias uaticinari licet, continentut, rum quòd Angelicæ ſubſtantiæ, ſiue ſint à materia ſecretæ, ut docet Ariſtoteles, ſiue ſint corporum materialium mole circundatæ, ur Pythagoricis, & Platonicis, immo ut ueteribus omnibus eccleſiaſticis patribus placuiſſe cognoſcimus, extra naturæ ſphæram continentur, nec actionibus phyſicis, de quibus tantummodò artes naturales uaticinantur, ullo pacto ſubſternuntur; tum demum quia ſi aliorum hominnm futuræ actiones ex noſtro temperamento præcognoſci non poſſunt, multo minns Angelorum aut Dæmonum, qui non modò non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed nec generis, ac perinde nec ſimiles affectus aut actiones habebunt.

Quòd ſi id de Angelicæ & Dæmonicæ uoluntatis futuris, qui licèt nec genere nec ſpecie nec phyſicis temperamentis nobiſcum conueninnt, creaturæ tamen ſunt, & intra idem ſubſtantiæ prædicamentum concluduntur, uerum eſt, quid fnturum putas de eius uoluntatis futuris, quæ uniuerſum rerum ordinem ſua perfectione tranſcendens, naturam omnem poſt tergum reliquit, de diuina ſcilicet? Cæcutiant, hîc oportet profectò non modò naturales artes aſtrologia, phyſionomia, medicina, chiromantia, podomantia, metopoſcopia, nautica, extiſpicia, ſomniſpicia, aruſpicina, pyromantia, aëromantia, hydromantia, geomantia, & reliquæ omnes quæcunque in genere uaticinandi phyſico continentur; quæ cùm phyſicam & naturalem agendi rationem non ſequuntur; ſunt prorſus ſtultæ, ſed dæmonicæ & angelicæ mentes. Vnde Apoſtolus Paulus, Quis, inquit, hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita quæ Dei ſunt, nemo nouit niſi ſpiritus Dei. Colligit à ſimili S. Apoſtolus diuinæ noluntatis incompræhenſibilitatem, ſed non minus uerè ſic à maiori colligeret, hominis ſenſus, id eſt, humanæ uoluntatis propoſitum, cogitationes, & interna colloquia, quanuis in temperamento, à quo ſicut dependent, ita poſſent aliqua ratione, id eſt, ſaltem quaſi in remotiſsimo principio, inueſtigari, uirtualiter lateant, nemo alius præter einſdem hominis cor & ſpiritus percipit, multo igitur minus, Dei, qui nullum habet temperamentum, ac perinde in enm artes diuinatrices non ualent, ſenſus, propoſita, cogitationes & ſententiæ cognoſci poterunt, atque id hæc ratio, non modò de dinina natura, ſed de Angelica, quæ tamen à diuina infinita proportione diſiungitur, potentiſsimè colligit. Verùm ne per humanam aut angelicam prudentiam, in diuina futura beneplacita, quis putet aſſurgi, quibuſdam factis ex ſacra hiſtotia productis, quæ humano iudicio aduerſari uidebantur, idem S. Apoſtolus exclamando ſubiungit, O' altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomptæhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Et rurſus, Sapientia, inquit, huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum, ſcriptum eſt enim, Comptæhendam ſapientes in aſtutia ſua. Et iterum, Do-

Intellectus humanus, diuinæ uoluntatis futura non aſſequitur.

1. Cor. 2.

Rom. 11.

1. Cor. 9.

minus nouit cogitationes hominum, quoniam uanæ ſunt, &c. Nullus itaque non modò
humanæ ſapientiæ aut prudentiæ, ſed angelicæ quoque, patet aditus, ad ea prænoſcen-
da, quæ à diuina uoluntate oriuntur, niſi poſt diuinam reuelationem; atque ideo Pau-
1.Cor.2. lus cum pronunciaſſet, neminem ſcire quæ ſint Dei, præter ſpiritum, qui in ipſo ſit,
ſtatim tacitam obiectionem præueniens, Nobis autem, inquit, reuelauit per ſpiritum
ſuum. Et ne Chriſtum ab ea cognitione diuini ſenſus excluſiſſe uideretur, Nos ait,
ſenſum Chriſti habemus, quaſi idem ſit ſenſus Dei, id eſt, patris, qui ſpiritus qui eun-
dem ſenſum ſciat, & Chriſti. Atque ita quidem in uniuerſum de diuinæ uoluntatis
futuris, non modò Chriſtianis, ſed etiam Ethnicis hominibus, qui dignè diuinitatem
perpendant, ex natura rei ſentiendum. Eandem tamen diuinam uoluntatem in eam,
quæ legibus ſibi, à ſeipſa præſtitutis, eſſet alligata, & eam, quæ uniuerſis legibus eſſet
ſoluta, non rei naturam, ſed eiuſdem diuinæ uoluntatis conſtitutionem attendentes,
ſecauimus. de qua ultima futurorum partitione nunc dicamus oportet. In eam ita-
que futurorum diuinorum aciem, in quorum productione, diuina uoluntas ſuis legi-
bus ſubiacet, licet nec naturales ſcientiæ & artes, aut humana prudentia conualeſce-
re queat, uirtute tamen theologiæ, quæ cœleſti reuelationi, quaſi baſi committitur, in
communi ſaltem & generali aſpiramus. ſcimus enim certiſsimè, legitimè de pecca-
tis dolenti, Deum iuſtitiam donaturum; ſcimus iuſto uitam æternam tribuendam di-
uinitus; ſcimus denique facienti quod in ſe eſt, Deum non defuturum, &c. Quamuis
in particulari, nec de nobis nec de aliis hoc poſsimus appræhendere, quòd nimirum ſub
ſumptio ſit ſemper infirma, ſemper enim dubium eſt an quod in nobis ſitum erat fe-
cerimus. In qua parte neſcio cur hæretici noſtri, ſibi hanc iuſtitiæ certitudinem arro-
gent. Quamuis enim opera ab hominis iuſtificatione ablegent, & gratis dicant eam
nobis contingere. Cùm non nobis dormientibus, ſed aliquid operantibus, credenti-
bus ſcilicet, nec cuicunque fidei aut fiduciæ, ſed integræ & ueræ teneantur aſcribere;
cumque nec an ſatis credant, ſicut nec an ſatis ament, cùm utrumque ſit animæ actio,
ſit ſatis perſpicuum, nullam eos de ſua iuſtitia certitudinem habere poſſe, neceſſariò
Eccleſi. 8. conſequitur. Itaque ueriſsimè dictum eſt à Sapiente, Neſcit homo utrum amore, uel
odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eo quòd uniuerſa æque eue-
niant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti uictimas, & ſacri-
ficia contemnenti, ſicut bonus, ſic peccator; ut periurus, ſic ille, qui uerum iurat.
Quibus uerbis non modò internam iuſticiæ cognitionem, dum dicit, neſcit, ſed exter-
nam, & non modò propriæ, ſed alienæ iuſticiæ excludit, dum ea, quæ iuxta humanæ
rationis iudicium, iuſtitiam internam exterius conſecutura eſſent, iuſtis homini-
Iob 9. bus abeſſe commemorat. Et Iob, ſi ſimplex, inquit fuero, hoc ipſum ignorabit ani-
ma mea. Maior eſt profectò iuſtitia quàm ſimplicitas, nam ſi ſola ſimplicitas eſſet iu-
ſtitia, nequaquam præter illam, alia quoque in eiuſdem Iob commendatione cumulata
Iob 1. fuiſſent. Erat, inquit, uir ille ſimplex, ac rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.
Eſt igitur tantùm ſimplicitas iuſtitiæ portio, non ipſa iuſtitia, immo uerò ſimplicitas,
rectitudo, Dei timor, receſſus à malo, etſi quid eſt aliud, adhuc non ſunt ipſa iuſtitia,
ſed ea, quæ diuinitus à nobis, ut ſimus iuſti præſtanda exiguntur: quæ tamen an digna
ſint acceptatione, ignoramus omnino. Quod ſi ſua ſimplicitas Iob erat ignota, mul-
tò igitur magis ſuam propriam ignorabat iuſtitiam.

De futuris demum diuinis, quæ à diuina uoluntate legibus ſoluta, quaſi ab integra
cauſa dependent, eodem pacto pronunciandum eſt, ac de omnibus diuinis futuris in ge-
nere, parum antea docuimus, nimirum ea, nullius humanæ artis præſidio, nulla ange-
licæ naturæ ſubtilitate, nulla demum creata uirtute, abſque diuina reuelatione poſſe
unquam præſciri. Talia ſunt uniuerſa, quæ uel de Iſraëlitico populo, aut de gentium
uaſtatione, aut ſecunda fortuna, uel de Chriſtiano & Euangelico ſtatu, Iſaias, Hiere-
mias, Ezechiel, Daniel, Oſeas, Amos, &c. diuinitus accepta reuelatione, ſuis libris
ſcribunt. Ad ea enim præſtanda, nulla lege, aut obligatione, quam ſibi præfixiſſet,
Deus erat aſtrictus, ut in illis prioris ordinis uoluntariis futuris. nullo ergo alio pacto
erant antequam fierent, quam uirtualiter, in diuina uoluntate quaſi in cauſa con-
cluſa, atque adeò nullo pacto humani aut angelici intellectus, poteſtati ſubdebantur.
Nam quòd futura uoluntaria abſoluta, quæ in humana uoluntate, ut iſta in diuina uir-

tute

tute tantum deliteſcunt, ſecundum illud eſſe uirtuale poſſemus prædicere, in cauſa erat,
quòd diuinatrices illæ ſcientiæ, quas in humanis edendis uaticiniis intellectus inſequi-
tur, in humanum temperamentum & humorum compactionem haberent acceſſum:
Deus autem cùm temperamenro careat, omnes ſcientias excludit: nec ergo ſecundum
eſſe uirtuale, quo in diuina uoluntate latent, futuræ actiones, ſunt cognoſcibiles.

Habet igirur ex toro hoc diſcurſu Chriſtianus homo, quod totius huius diſputatio-
nis exordio ſpopondimus, nullam ſcilicet humanæ, immo nec angelicæ ſapientiæ par-
tem, in earum rerum, quæ prophetico uaticinio ſuſcepimus, quæque, cum à noſtra ſan-
cta ſctiptura futura prædicantur, ueriſsimus rerum earundem comprobauit euentus,
apertam cognitionem potuiſſe conſurgere, atque adeo, à Deo ſolo eſſe. Verum nunc
quoque idem ex ipſa prædicendi cognitione comprobemus oportet. Enimuero, in uni-
uerſo illo futurorum ordine, quæ non ab æetherea, ſed ab elementari natuta, aut ele-
mentis conſtanti, exiſtentiam ſortiuntur, nullam eſſe ampliorem in prædicendo certi-
tudinem, quàm eam, quam agentis naturalis contrarij plerunque uiolentia diſturbat;
non leuibus rationibus in præcedentibus diximus. Phyſica enim illa futura, quæ neceſ-
ſaria ſecundi ordinis uocauimus, nullam aliam habent, uoluntatia deinde miſta, mul-
to minorem, moralem, ſcilicet, uoluntaria abſoluta, nullam prorſus certitudinem, ſed
leuem quandam, quæ à temperamenti cognitione & inſpectione deriuatur, (cuius ta-
men temperamenti inclinatio, uirrute aut uitio, educarione, conuictu, conſuetudine,
patria, cibis, cœlo, & cæteris accidentibus phyſicis poteſt impediri) ſuſpitionem in-
generant. Ergo ſi actiones illæ quas futuras aliquando ſcriptura commemorat, intra
ambitū naturæ continerentur, & perinde ſub humanæ aut angelicæ ſapientiæ cognitione
caderent, nullo pacto tamen certo poſſent prædici, ſed ſub conditione ſi (inquam)
natura, aut potentioris agentis poteſtas permiſerit, aut amphibologicis uerbis, ut poſt
ea dicemus, cum de diuinatione dæmonum agemus, nec enim alio pacto naturæ uari-
bus, (niſi prorſus inſaniant) prædicere licet. Noſtra igitur prophetica præſagia, cùm
nulla condirione ferantur, præterquam in comminationibus, aut ſecundæ fortunæ pro-
miſsionibus, quæ omnes (cùm ſint futura uoluntaria diuina miſta, id eſt, ex eo ge-
nere quæ non abſoluta diuina uoluntas, ſed ſuis legibus aſtricta, producit, impletæ legis
conditionem admittunt) non humanæ ſapientiæ miniſterio, ſed prorſus diuina reuela-
tione ſunt cognita. Quis obſecro aſtrologiæ diuinatricis uirtute fretus, tam intrepida
aſſeueratione in ea uerba prorumperet? Ecce uirgo concipiet & pariet filium & uoca- *Iſai. 7.*
bitur nomen eius EMANVEL, &c. aut illa, Paruulus enim natus eſt nobis, & fi-
lius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, &c. aut illa, Non eſt ſpe- *Iſai. 9.*
cies ei neque decor, & uidimus eum & non erat ei aſpectus, & deſiderauimus eum de-
ſpectum & nouiſsimum uirorum, uirum dolorum & ſcientem Infirmitatem, &c. aut *Iſai. 53.*
illa, quæ Iudæorum perſona, dixerunt impij. Circumueniamus iuſtum quoniam inutilis
eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, diffa- *Sap. 2.*
mat in nos peccata diſciplinæ, promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe
nominat, factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarū, &c. Quibus uerbis
tam audacter incarnationis, natiuitatis & paſsionis prædicuntur myſteria, ut ſancti
Prophetæ eadem, quaſi iam facta eſſent, per præteritum nuntient, quæ conſuetudo lo-
quendi ad rei certitudinem demonſtrandam illis ſemper atriſit. Tertiò eadem futura
non aliquo genere humanæ ſapientiæ, ſed tantùm diuina reuelatione potuiſſe prædici,
earundem rerum certiſsimus euentus, inuictiſsimè comprobat. Ea profectò quæ natura-
lis ſcientiæ patrocinio præſciuntur, cum non in ſe ipſis, ſed in ſuis cauſis ad eadem deter-
minatis, præſciantur, & cauſæ ſint per alias uehementiores cauſas, impoſsibiles, non mo-
dò ſui cognitioni, (ut modò dicebamus) incertitudinem, miſcent, ſed aliquando, (im-
mo quæ naturæ eſt in agendo uarietas) frequentius, mendacio decipiunt. Vix enim unum
inter multa uaticinia reſpondet, immo nullam aliam harum uaticinatricum naturalium
ſcientiarum, cum rationibus urgentur defenſionem obiiciunt, quàm quòd aliquando ita,
aut ita contigerit, Noſtra uerò prophetica uaticinia, cùm quædam ante mille, quædam
ante duos mille annos, à Sanctis prophetis prænunriata ſciamus, nullum tamen ſuo tem
pori defuit, ſed omnia eodem tempore, eiſdem perſonis, locis &c. quibus prædicta ſunt,
euenerunt certiſsimè. non igitur humanæ ſcientiæ beneficio ſed diuinæ ſunt cognita.

Contra Aſtrologiam cæteras'que uaticinatorias artes in particulari.

Atque huc uſque quidem de uaticinatricibus artibus ita ſumus locuti, ac ſi illæ, uel ſaltem naturalem certitudinem prædicendo attingerent. nunc iam aperto marte in eas ſingillatim philoſophiæ gladium ſtringere oportet, & in examen accerſitas, quantum breuitas inſtituti permiſerit, earumdem uires & momenta diſcutere. Nec tamen tam ſumus moroſi, ut uniuerſam uaticinandi rationem in futuris naturalibus, & uoluntariis, humano intellectui denegemus, cùm uideamus eundem potentem eſſe, tum ad colligendum effectum ex cauſis, tum ad artem comparandam experimentis, qua licet non à priori (quod uocant) à poſteriori tamen, eo pacto & ea certitudine, qua diximus, res futuras uenetur. Agnoſcimus enim non modò agricultura, nautica, medicina, & phyſionomia, ſi rectè comparentur, quarundam rerum naturalium euentus, aut in cauſis proximis, aut in remotis, id eſt, uirtute tantummodo (ut dictum eſt antea) poſſe præuideri, ſed etiam in harum conſortium, chiromantiam, podomantiam, metopoſcopiam, ſpeculatoriam, ſomniſpiciam, in quantum uel medicinæ uel philoſophiæ naturalis ſunt partes, libenter admittimus; ſoli ſuperſtitioni ſumus infenſi, cui in omnibus his artibus ac diſciplinis certamen indicimus. Vt autem fœlix fauſtuſque ſit totus hic ſuperſtitioſus ac uaticinatorius congreſſus, non aliunde aptius ineundus, quàm à Saturnini, Iouialis, Martialis, Solaris, Mercurialis, Venerei, & Lunaris imperij demolitione, id eſt, ab aſtrologicæ artis, quæ omnium ſuperſtitionum & circulatoriarum artium eſt fœcundiſsima parens, euerſione uidetur. Quanquam hunc locum, tum ueteres Eccleſiaſtici patres tum ante eos prophani philoſophi multi, multis uoluminibus, tum Ioannes Picus Mirandulanus, duodecim libris, & Franciſcus Picus Mirandulanus nouem, uiri profectò non modò noſtræ memoriæ, ſed omni ſæculo admirabiles, poſt eius diſciplinæ longiſsima ſtudia, in omnium diſciplinarum theatro traductam, ſatis irriſerint, & eius uanitatem & ſtolida dogmata ſuperſtitioſorum hominum larua, fucata, abundè retexerint. Duo igitur in hoc aſtrologico congreſſu nobis erunt præſtanda, prius quidem aſtrologiam diuinatricem nullam & inanem eſſe, poſterius, quòd ſi ſit, eius beneficio, ſine ſumma temeritate nihil, præſertim eorum, quæ à principio libero, id eſt, uoluntate humana uel diuina oriuntur, poſsit prædici.

Prima in Aſtrol. ratio.

Atque ut ad primum deueniamus, ſi nullæ aliæ rationes nobis ſupereſſent, quibus fugiendam hanc artem putaremus inſaniam, quàm ea, quæ totius huius diſputationis initio ſuccurrit, nimirum quòd ab omnibus eruditis & ſapientibus hominibus fuerit ſemper irriſa, contrà ab hominibus ſuperſtitioſulis & impenſè credulis, nulloque eruditionis titulo inſignibus, culta, abundè eſſet, ut eam non alio loco haberemus, quàm circulatorias artes, & cætera, quæ aut uentris auiditas, aut ſuperſtitio confinxit fabuloſa figmenta. Videmus non à quibuſcunque gentibus aſtrologiam criticam, ſed à Chaldæis, & Aegyptiis, omnium mortalium, non modò humanarum, ſed diuinarum hiſtoriarum teſtimonio ſuperſtitioſiſsimis, ortam fuiſſe. Principiò, inquit M. T. Cicero lib. primo de Diuinatione, Aſſyrij (ut ab ultimis auctoritatem repetam) propter planitiem, magnitudinemq́ue regionum, quas incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones, motusq́ue ſtellarum obſeruauerunt, quibus notatis, quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis uocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique euenturum & quo quiſque fato natus eſſet. Eandem artem etiam Aegyptij, longinquitate temporum, innumerabilibus penè ſæculis conſecuti, putantur. hactenus Cicero. Eſt igitur aſtrologia iudiciaria, non aliud, quàm Chaldæorum & Aegyptiorum uaniſsima ſapientia & inuentio, ea nimirum, quæ compluribus locis, in Chaldæis, Babyloniis, & in Magis Aegyptiacis, à ſancta ſcriptura irridetur & damnatur. Atque ut ad eius diſciplinæ progreſſus & incrementa ueniamus, uidemus inter ueteres naturæ candidatos, in ſapientiſsimis quibuſq; & quos nunquam ſatis celebrauit antiquitas, tanto maiorem in loquendo de rebus cœleſtibus, & quæ ſenſus noſtros tranſcendebant, modeſtiam, quanto maiori eruditione pollebant, adeò ut uix de ea aſtrologiæ parte, quam Theoricam uocant, quam tamen ex motionibus aſtrorum deprehendere utcunque poterant, ſententiam exprimerent. Neque uerò eam ex proprio iudicio, ſed ex maiorum traditione, profitebant, quod Platonem & Ariſtotelem ſummos philoſophos feciſſe, eorum

Daniel 2. & 5. Exo. à 1. C. uſque ad 10, &c.

Plato in Epinom. Ariſtot. 3. de cœlo 1 & 2. Metaph.

ſcripta

ſcripta teſtantur. Contra ineptiſsimi quique, & quos alioqui nulla aut naturæ dote,
aut ſcientiæ eruditione, emicuiſſe cognouimus, tanta audacia de his cœleſtibus effecti-
bus pronunciant, ut eos cœlorum fabricatores, aut ſaltem cum Luna, Venere, Mer-
curio, Sole, Marte, Ioue, & Saturno, ut aliud facere non audeant, pepigiſſe quis cre-
dat. Hi ſunt qui horas, dies, menſes, annos, regna, prouincias, regiones, metalla,
plantas, lapides, animalia, immo & animalium membra, caput, collum, humeros,
thoracem, brachia, uentrem, pudenda, fœmora, ſuras, poplites, tibias, malleos, plan-
tas, immo & membrorum partes, pollicem, indicem, medium, medicum, auricula-
rem, uolam, percuſsionem, Saturno, Ioui, Marti, Soli, Mercurio, Veneri, Lunæ,
tam benignè ſacrificant, ut eos naturæ auctores extitiſſe quis dicat. Non audet Ariſto- *Lib. 3. de*
teles, quoniam longè ab his diſtet, de cœlis multa loqui, & ignorantiſsimi homines, *cœlo c. 1.*
qui uix ſapientiæ limina eminus ſalutarunt, de rebus abditiſsimis, & quæ nulla digna
homine ſapiente, ratio, comprobauit, de natiuitatibus ſcilicet, de quæſtionibus, &
electionibus, de intentionibus, de cogitationibus, de uirtutibus, & omnibus futuris,
etiam de prouidentiæ arcanis, ante omnem rei memoriam, ante Promethei tempora,
à magnis (ut aiunt) & antediluuianis coniunctionibus, inſolenter pronuntiare audent:
lapidum, metallorum, herbarum, animantium, & uniuerſorum, quæ in his inferiori-
bus iacent, à cedro quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, *3. Reg. 4.*
naturas, genituras, fortunas, uires, incrementa, progreſſus, diminutiones, uitam, mor-
tem &c. non modò noſſe ſe, impudenter iactare, ſed, ac ſi quando Deus præparabat *Prouer. 8*
cœlos adfuiſſent, & cum eo fuiſſent cuncta componentes, quæcunque poſterioribus
ſæculis ſint futura, prædicere. Enimuero ſi Aſtrologia iudiciaria ars ulla eſt, eam cæ-
teras omnes artes ac partes philoſophiæ difficultate prætergredi, propter ſubiecti di-
ſtantiam, eſt omnino neceſſe. ſi igitur non illam fœcunda ingenia, & quæ omnium ſæ-
culorum comprobarunt ſuffragia, ſed quæ neque naturæ, neque eruditionis inſignis
ornamenta honeſtarunt, tractaſſe comperimus, quantum quæſo, eorum præceptis con-
fidere oportet? Iam quantum ponderis habet illa ratio, apud paulò liberaliora inge- *2. Ratio in Aſtrol.*
nia, quòd hæc ars, non modò à uiris doctis irriſa, ſed omnium penè rerum publ. ſuf-
fragio damnata fuerit? Quæ tamen ſi ulla eſſet, nulla profectò fuiſſet in hac uita mor-
tali ad gubernandas hominum ſocietates, & Reſp. utilior. Si enim homini priuato,
quid illi ſit euenturum in poſterum, ad præcauendos fortunæ ictus, ſcire precioſum iu-
dicatur, quanto magis eſſet precioſum futurum, integræ ciuitati, regno, prouinciæ,
Reipub. &c. ad præcauendas calamitates, infortunia, excidia, bella, captiuitates &c.
quæ illis à maleuolis aſtris impendent, euentura prænoſcere? Cur non ſi ulla uera fuiſ-
ſet iudicatrix & uaticinatrix aſtrologia, in eius diuinæ artis magiſtros, immo in eorum
collegia alenda, & ingentibus muneribus cumulanda, publicos theſauros profuſiſsimè
impenderent? nam & id olim de auguribus, (ut antea dicebamus) auctores memoriæ
prodiderunt. Verùm quo loco eam habuerint, aut quantum eius cultores honorarint,
non eſt difficile cognoſcere. Omitto nunc Reip. Moſaicæ fundatorem Deum, qui
forſan aſtrologis, gloriæ aſtrorum inuidus uidebitur, & ſibi tantùm indicandi futura
poteſtatem uſurpaſſe iudicabitur, cum tamen nulla ratio eſſet, ut qui aſtra in hoc mu-
nus creaſſet, præſertim apud eam Remp. quæ eundem cœli ac terræ conditorem profi-
tebatur, eadem ſtatim, ductus pœnitudine, ea poteſtate, & homines, ea utilitate ab-
dicaſſet. Siue enim ab eo immediatè, ſiue mediatè per aſtrorum deſignationem, fu-
tura præſcirentur, profectò ſoli Deo, qui aſtra in hanc hominum commoditatem creaſ-
ſet, ferrentur accepta. Neque uerò erat cur magis hanc artem, quæ ab aſtris futura
prædicendi cognitionem aſſumit, à ſua Rep. feciſſet extorrem, quàm reliquas uniuer-
ſas ariolatrices artes, medicinam, agriculturam, &c. Omitto eiuſdem Reip. cultores
Moſem, Iſaiam, Ieremiam, Ezechielem, qui, quòd eſſent prophetæ, & rerum futura-
rum prænunciatores, diuiniſsimis iſtis aſtrologis forſan inuidi erant. Fabro enim, ut
eſt in prouerbio, faber inuidet. Omitto Iob Idumæum, qui eadem forte ratione,
iſtis erat infeſtus. Omitto Eccleſiaſticæ (in qua tamen minimus erat idololatriæ ti-
mor) Reip. patres, Cyprianum, Lactantium, Ambroſium, Seuerianum, Auguſtinum,
Hieronymum, Gregorium Romanum, Baſilium utrunque, Gregorium Græcum, Chry-
ſoſtomum, Euſebium &c. qui nunquam hanc inſaniam non irrident & ſcriptis inceſ-
ſunt.

ſunt. Omitto Martinum primum, Gregorium Iuniorem, Alexandrum tertium Pont. Max. qui eandem à Repub. Chriſtiana anathematiſmis & maledictis abigunt. Omitto primum Toletanum Concilium, in quo tanquam ſuperſtitioſa & omni naturæ fundamento deſtituta, damnatur. Omitto demum Chriſtianos Impera. Conſtantinum, Theodoſium, Valentinianum, & Gratianum, qui grauiſsimis ſuppliciis ac pœnis eandem omnibus hominibus cum reliquis ariolatricibus artibus, quaſi ſuperſtitioſam & inanem interdicunt. Ad gentium & prophanas Reſp. non agendi cum dæmonibus timidas, ſed eiſdem addictiſsimas, tantùm contendo. Cur, quæſo, Romani tanto odio eos proſecuti ſunt? Cur tanto ludibrio habuerunt, cur tot dicteriis & ſchommatis, eoſdem, ſcriptoribus quibuſque inceſſere licuit? Mathematici (ſic enim eos uulgo nominabant) inquit Cornelius Tacitus, genus hominum principibus infidum, credentibus fallax, à ciuitate noſtra ſemper prohibentur, ſed expelluntur nunquam. Cur Varro inter Romanos ſcriptores grauiſsimus, omnium ſuperſtitionum uanitates ex aſtrologiæ ſinu profluxiſſe teſtatur? Cur Tiberius, Vitellius, Diocletianus, latis legibus eandem Romana Repub. eliminarunt? Fuiſſe apud Alexandriam Blacenominon ab ſtultitia nuncupatum uectigal, quòd ex ingenioſa ſtultitia quæſtum facerent, aſtrologis impoſitum, memoria proditum eſt, quæ conſtitutio, eos omnes, qui inſanæ huic cœleſti fabulæ fidem adhibent, aut aliquid ponderis niſi ad decipiendos ſtupidos & ſtultos homines, habere credunt, apertiſsimè taxat.

C. de malefic. & mathe.

3. ratio in aſtrolog. Illud deinde uel ſolum ad huius artis confutationem ſatis eſſet, quòd nulli magis miſerè uitam finierunt, quàm hi, quos eandem impensè coluiſſe commemorant. Zoroaſtem, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Cæſarem, Craſſum, Pompeium, Deiotarum, Neronem, Iulianum Apoſtatam, &c. Promiſerant aſtrologi Pompeio, Craſſo, & Cæſari lætiſsima omnia, non niſi iam ſenes domi, cum ſumma gloria & auctoritate morituros, tamen quiſque eorum infœliciſsimè & immaturè periit. Atque ita quidem horum artificium ſtultitia comparatum eſt, ut ſemper contraria eorum quæ fauſtiſsimè garriunt, ſint formidanda. Narrant de quodam Alphonſi Regis Neapolis, aſtrologo, quòd cum inter cæteros, quos multos Rex habebat, frequentius, ueritatem attingeret, rogatuſque fuiſſet à rege cauſam primò quidem ne mercedis aſtrologicæ iacturam faceret, reſtitiſſe, deinde tandem regia magnificentia fretum, rem prodidiſſe, falſumque fuiſſe ingenuè, ſe nunquam aſtrologicæ arti operam nauaſſe, ſed hanc tantum uaticinandi regulam ſibi præfixiſſe, ut prorſus eorum quæ grex aſtrologorũ ariolaretur contraria, futura prædiceret, Regemq; continuò ea ſuperſtitione liberatum. Et ingens profectò uidetur eorum hominum ſtultitia, qui his futurorum prædictionibus fidem adhibeant, qui nunquam ſibi præuidere potuerunt, immo qui cùm ſe futura ſcire profiteantur, præteritorum & præſentium ignari, quid in propria domo, immo, ut quidam facetè dixit, quid in thalamo ſuo fiat, ſæpiſsimè neſciant. Sed eſt quoddam hominum genus adeò timidulum credulumque, qui tanquam pueri ad lemurum fabulas plus timent, creduntque ea, quæ non ſunt, quàm ea, quæ ſunt; & quo res eſt minus poſsibilis, eò timent magis, atque quo eſt ueriſimilior, eo minus. Hi ſoli non ſolida ingenia, aſtrologicis fabulis auctoritatem conciliarunt, in quibus tamen principes, qui, quo ſunt potentiores eo magis timidi, maximè numerantur: horum profectò diuitiis & auſpiciis non ſolùm aſtrologicæ nugæ, ſed uniuerſæ aliæ circulatoriæ artes emerſerunt, dum non ſatis eſt paraſitis, eiſdem principibus fortunæ applauſum & riſum polliceri, niſi etiam in eorundem glorioſam uitam & extremam quandam fœlicitatem, elementa, aſtra, & Deum ipſum coniuratos conueniſſe, illis perſuadeant.

Cicero lib. 2. de diui.

Aeneas Syluius in quadam epiſtola.

4. ratio in Aſtrolog. Verum iam quartò libet ab iſtis diuinis uatibus quærere, unde ſi ars eorum uera eſt, tot tantique errores ebulliunt in eorum prognoſticationibus? cur de futuris, cautiores illorum, non niſi obſcurè pronunciant, & quæ ad omnem rem, tempus, principem, & nationem applicari poſſunt, ambigua prognoſtica, artificioſa uerſutia confingunt? Cur tantummodò iis malè ariolantur, quibus ſunt malè propitij? Cur his, qui eos læſerunt, mortes, ſuſpendia, dedecora, clades, exilia, orbitates, angores, exitia, calamitates renunciãt: contrà eis quorum ſtultitia fruuntur, uitam, ſalutem, honores, opes, potentiam, uictoriam, ſanitatem, ſobolem, amicos, coniugia, ſacerdotia, magiſtratus, Imperia, Papatus, & demũ fauſta omnia prædicunt? An quia is aſtra ſint infeſta, qui

eorum cultores & profeſſores contemnant ? an uerò quòd aſtrorum malitia, odium quo
que aſtrologorum, illis ſuis hoſtibus cum natura inſtillauerit ? Cur ſi ars iſta pluſquàm
diuina, in uatura & ratione fundamentum habet, non patiuntur tantiſper de eius prin-
cipiis togari ? Cur ulteriorem quàm ipſi reddere pro ſua inſania uelint, fidem inqui-
rentibus, iraſcuntur ? Quæ, quæſo, in totius humanæ ſapientiæ latiſsimo campo, ars
fuit unquam, quæ ſua ptincipia uon agnoſcat, quæ uniuetſa ſua placita uia quadam ac
ratione in eadem non teducat, quæ illamet principia aut ſenſu aut ſuperioris ſcientiæ
diſcurſu non probet ? Et tantum una aſtrologia critica, nou modò phyſicam, cuius (ſi
eſt) debet eſſe portio, ſed uec metaphyſicam, & omnem quæ arte atque uſu ducatur
ſcientiam, ſpernit, conculcat; ſupplodit ? Nam quod iſti quaſi totius huius aſtrologici *1. Meteoro.*
ædificij columnam, Ariſtotelis ſententiam ſubſternunt, ubi docet, mundum hunc infe-
riorem, oportere contiguum eſſe ſuperioribus cœli lationibus, ut inde eius omnis uir-
tus gubernetur, multo aliorſum eſſe accipiendum, ſoli aſtrologi uon uident. Sermo eſt
profectò ibi uon de ſacratiſsimis illis Veneris, Mercurij, Iouis, Martis & Saturni in-
fluxibus, quos, cum nec ſenſu neq; ulla ratione ſe digna compræhendiſſet, aſſerere nun-
quàm cogitauit Ariſtoteles, ſed de cœli lationibus ac motibus, quibus fit ut ſolis ac
Lunæ calor, uaria ratione ac menſura, rebus inferioribus attemperetur. Calorem ita-
que, quo rerum infernarum genituræ & progreſſus foueantur, non item inuiſibiles &
inſenſibiles, immo uerò incogitabiles alios influxus, eo loco Ariſtoteles aſſerit. Enim- *Ariſtotelici*
uerò ſolida philoſophia, præter temporum computationem cœlo, duplicem utilitatem *loci uera in-*
luminis & caloris, aſtris, uou item Iouiales, Mercuriales, Martiales, aut Saturnios in- *terpretatio.*
fluxus, acceptas refert. neque uerò eodem pacto. cùm enim cœleſtia corpora, nul-
lam phyſicam qualitatem admittant, uon inquam ſint frigida, calida, ſicca aut humida,
calorem, quem immediatè non habent, iu mediate producere non poſſunt, habent ta-
men quatuor qualitatum loco, unicam luminis naturam, uon alia ratione, quàm quòd
ſint lucida. omnibus enim lucidis corporibus ſiue terreſtribus ſiue cœleſtibus, lux ineſt.
lux igitur ſiue lumen, (nec enim hîc quid iuter utrunque interſit exigere libet) à cor-
poribus cœleſtibus defluens, tantummodo ibi calorem generat, ubi impedimentum,
id eſt, corpus ſolidum, quo radij frangantur, aut flectantur offendit. unde media re-
gio aëris, quòd ibi uullum ſit ſolarium tadiorum, quo reflectantur, obſtaculum, frigi-
diſsima cenſetur, quamuis iidem ſolares radij ignis elementum pertranſierint. Atque
ita accipiendum eſt quòd communiter à Philoſophis dicitur, cœleſtia corpora, uon for-
maliter, ſed uirtualiter eſſe frigida, calida, ſicca, aut humida, non quidem quòd eas
qualitates, ut piper aut uinum calorem, & papauet aut aconitum frigiditatem, aliqua
ratione in ſe habeant, ſed quòd lumẽ, cuius ſunt cauſæ, cum ſolido corpore, quaſi cauſa
partiali, diuerſis tamen rationibus, producat eaſdem. Nam calor à lumine immediatè
genitus, ſiccitatem producit, idem dum abeſt aut dum corporibus ſolidis radios non
reflectit, priuatiuè frigiditatẽ cauſat. Porrò frigiditas, cum humiditate magnum habet
commercium. Dicuntur etiam calida, frigida, ſicca aut humida, quòd caloris, qui à lu-
mine cœleſti progignitur beneficio, iuxta diuerſam luminis ac perinde caloris menſu-
ram frigida, calida, humida & ſicca in inferioribus pululent, cæteros omnes influxus,
quos infamis aſtrologia confinxit, cum nec ſenſus aſſerat, uec ratio uniuerſitatis po-
ſtulet, quantumcunque Petrus Ciruelus Darocenſis, homo alioqui pius & Lucius Ba-
lancius, & ex Græcis Nicephorus Gregoras, accerrimi Aſtrologiæ propugnatores excla-
ment, & planetas, & ipſorum planetarum fidem implorent. Nam quòd eas uniuerſita-
tis ratio non requirat, illa ratio ſuadet, quòd nihil ſit in rerum uniuerſitate, quod ad
elementorum, ex quibus componitur & iu quibus naſcitur, & ſolis & lunæ calorem at-
temperatum, quaſi ad ſufficientiſsima principia, teduci uon poſsit. Hîc aurum illhic
argentum, alibi cuprum etc. non à Solis, Mercurij, aut Saturni dominio, ut hi fabula-
rum artifices deblacterant, ſed à terrarum diuerſo temperamento, & à ſolis calore, di-
uerſo modo ſuſcepto, prouenit, idemque de reliquis uniuerſis, quæ in his inferioribus
naſcuntur, oportet aſſerere. quanquàm in hac rerum phyſicarum genitura, præcipuas
partes terræ temperamento aut rerum ſemini (ſi ſit) concedere oportet. non enim
aliam ſoli aut lunæ actionem iu ea celebranda tribuimus, quàm naturali calori, qui
dum ſemen paternum & maternum utero concepta, fouet, fœtum generare dicitur.

cum tamen uerè calor non generet, ſed ſemen, & uteri formatiua uirtus. Ita Sol, hac duntaxat ratione aurum generare dicitur, quòd terræ utero auri materiam conceptam, quaſi calor naturalis foueat. Eſt autem auri, argenti, ferri, &c. materia humorum terreſtrium miſtorum attemperatio, quæ uicem habent ſeminis, eſt uerò hic & non illhic non fictitio & fabuloſo planetarum dominio, ſed ab huius terræ temperamento, quo terra illa deſtituitur. eſt enim in Orbe terrarum ſicut & in cæteris elementis, in quibus animantes uiuunt & nutriuntur, diuerſa temperamenti ratio. Sunt inquit, Cicero uaria terrarum genera, ex quibus & mortifera quædam eſt pars, ut & Ampſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonia, quæ uidemus. & ſunt partes agrorum aliæ peſtilentes, aliæ ſalubres, aliæ quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ retuſa. hactenus Cicero. Quanquam ibi ſtatim addat ex cœli uarietate eam terrarum uarietatem deriuari, ſed id non ex propria animi ſententia, ſed ex Quinti fratris opinione & Stoicorum partes agentis, ut in ſecundo lib. oſtendit. ſubiungit, Nec mirum quòd ſint diuerſarum terrarum diuerſa temperamenta, cùm in una eademque humana ſpecie, tot ſint temperamentorum rationes, & tam diuerſæ ut uix, immo ut nunquam unum eiuſdem tēperamenti cum alio reperias. Immo uerò cum in uno eodemq; humano corpore caro ab oſſe, os à neruo, neruus à uena, uena, à tendine, tendo à ligamentis &c. temperamento ac perinde ſanguorum & effectuum differentia diſcedat. Ruit ergo totum quod aſtrologi habebant Ariſtotelicum robur, nec mirum cùm nunquam illud Ariſtoteles cogitarit, præter hoc, quod non ſatis erat huic tam diuinæ arti, cum non ſit Theologia aut Theologiæ portio, auctoritatibus ſua prima principia communire. Quid enim ſi negaſſemus illis Ariſtotelem, qui ſæpe ſine grandi piaculo, non modò in cœleſtibus rebus, & à ſenſu remotis, quales ſunt hi cœleſtes influxus, ſed in rebus quoque, quæ inter ſenſus uerſantur, negari ſolet? Verùm iam ad ſecundum huius diſputationis gradum ueniamus, concedamusq; aſtrologis, Planetares hos & cœleſtes influxus, quibus in eas regiones, prouincias, urbes pagos, lapides, plantas, fungos, arbores, animalia, membra, annos, menſes, dies, horas, momenta, &c. quæ aut ſorte aut ex condicto & conuentione, quam uiolare ſit ſcelus, unicuique obuenerint, ſuam uirtutem inſinuent. Quid, an inde ſequitur aſtrologiæ opera aliquid poſſe præſciri? Cuius igitur aſtrologiæ. Nec enim una eſt apud omnes, ſed prorſus pro regionum, prouinciarum, ſæculorum & auctorum uarietate diuerſa. Aliam aſtrologiam probant Iudæi, Chaldæi aliam, aliam Aegyptij. ab his omnibus diuerſam Perſæ conſtituunt, neque cum aliqua harum Arabica conſentit. Græci ſolam ſuam ueram putant, Latini ab omnibus ſunt in principiis diuerſi, omnes omnium ſæculorum & prouinciarum auctores. Ptolemæus Alexandrinus reiecit, hunc Albumaſar, dignis, ut ſibi uidetur, rationibus percutit, in utrunque Rabi Abraham Auenezra conſurgit. denique Paulus Alexandrinus, Dorotheus, Epheſtion, Maternus, Aomar, Thebith, Alchindus, Zahel, Meſahalla, & ferè omnes non in dogmatibus modò, ſed in ipſis principiis contraria probarunt, neque ſuas opiniones aliis rationibus comprobant quàm ſola experientia, quam tamen quiſque eorum, cum contraria doceat, pro ſe adducit. De domorum proprietatibus ex quibus tamen prædictiones uenantur, Deum immortalem, quanta diuerſitas in eis aſſequendis, aliter docent Aegyptij, aliter Arabes, aliter Græci, aliter Latini, aliter ueteres, aliter recentiores, aliter Ptolemæus, aliter Paulus, aliter Heliodorus, aliter Manilius, aliter Maternus, aliter Abenragel, aliter Ioannes à monte Regio. Quam ergo harum ueram aſtrologiam putabimus? Nam omnes, ut ipſi dicunt, experientiis ſuas aſtrologias & placita comprobant. Cui adhærebimus? nam omnes tanta confidentia ſententiam præcipitant, ut probabile ſit eos cum Luciano ſcrutandi aſtra gratia, cœlos aſcendiſſe, ſed forſan illud uerum eſt, non ad naturalium ſcientiarum, quæ ſemper apud omnes ſunt eædem, factionem, ſed ad eas, quæ cum regionibus, nationibus, gentibus & temporibus mutantur, quales ſunt, ſutoria, ueſtiaria, pharmacopolaria, cœmentaria, &c. aſtrologiam reiiciendam. niſi uerò forte illud ſit uerius, non apud Perſas, Aegyptios, Hebræos, Arabas, Græcos, Latinos, nec omni ſæculo fuiſſe eoſdem, Solem, Lunam, Mercurium, Venerem, Martem, Iouem, & Saturnum, non habere eoſdem motus &c.

Lib. 1. De diuinatione.

Aſtrologica præcepta, & inconſtātia, & ſecū pugnātia ſūt.

Demus deinde, non modò aſtrologiam eſſe, ſed eſſe unam, nec ullam aliquando de principiis aut dogmatibus habuiſſe controuerſiam. Quid? An tunc perinde aſtrologiæ

cultoribus

cultoribus futura prædicendi poteſtatem indulgebimus? Enimuerò ſi ea, quæ quot motus haberent, cognoſcibiliora erant, corporum nimirum cœleſtium numerus & planetarum ſitus ac poſitus, nunquam hucuſque quiſquam aſtrologorum ſatis depræhendit, neque difficiliora id eſt cœleſtes influxus, quos neque ſenſus probat, neque ratio uniuer ſitatis conuincit, depræhendere poterit. Quis, quæſo, non uidet quàm ſint inter aſtrologos, immo inter omnes eos, qui de cœlo philoſophantur, in aſſignandis orbibus côcentricis, eccentricis, epicyclis &c. atroces controuerſiæ? Timæus, Plato, Ariſt. Eudoxus Gnidius, Platonis diſcipulus, Proclus Platonicus, Auerroes, & ipſe aſtrologiæ, quæ nunc floret, parens Claudius Ptolemæus Peluſienſis, uelit nolit, Albertus, & demum omnes ferè tum Græci tum Latini, ante Alphonſi Regis Caſtellæ tempora, ſatis ſe naturæ ac cœleſtibus omnibus, qui apparebant motionibus, octo orbibus prouidiſſe putabant. contrà Babylonij Hermetem ſequuti, (quorum ſententia etiam Rabi Iſaac, Alpetrago, Azarcheli, Thebith, & quibuſdam aliis probatur, nonum poſuere, Alphonſus Rex Caſtellæ, cum primitus Rabi Iſaac cognomento Bazan opinionem ſequutus, nouem conſtitui, & ad octonarium numerum Abohazen atque Albategni Sarracenorum ſententiam in ſuarum tabularum cotrectione ſeſe reuocauit, eundemque numerum utriuſque ſententiæ fundamentis diſcuſsis, Rabi Abraham Auenezra, Rabi Abraham Zacutus, & Rabi Leui comprobarunt, contra quos uniuerſos, Albertus Magnus & quæ nunc in precio eſt communis aſtrologia, decimum orbem mobilem cogitarunt. Neque uerò hi, poſterioribus ſæculis inueniendi alios atque alios orbes metam præfixere. contrà ſunt, qui huius orbium multitudinis pertæſi, tres orbes ad ſaluandas omnes (ut aiunt,) apparentias, ſatis eſſe putent, neque ab ea ſententia Apoſtolum abhorrere credant, cùm ſe raptum narrat uſque ad tertium cœlum. Sunt, qui unicum cœlum, circulis tamen quibuſdam diſtinctum, planetarum omnium motionibus ſatisfacere putent. Sunt demum, qui philoſophica ratione, nullum corpus cœleſte conſtituendum exiſtiment, ſed aſtra omnia ac planetas in aëris ſpatio, quod ſupra terram & aquas extenditur, appenſa, circumagi. Quorum ſententiam naturæ diligentiſſimus indagator Plinius, libro ſecundo de hiſtoria naturali imitatus uidetur. Iam de octaui orbis motu, inter eoſdem Aſtrologos quàm atroces tragœdiæ? Chaldæi & Aegyptij, Alpetragus, & Alexander Aquilinas, illum uni ea tantummodo ferri latione autumarunt. Contrà, Hipparchus ac cæteri, multiplicem tribuunt, nec tamen in aſsignando numero ſatis conueniunt. nam cùm Iudæi, illi duplicem aſsignent, contrà, Azarcheles, Tebith, & Ioannes à monte regio, motum, quem dicunt, acceſſus & receſſus, ſuper paruis circulis ad capita arietis & libræ, eidem aſcripſerunt, hoc tamen à ſe inuicem differentes, quòd Azarchelis, ait, caput mobile à fixo non plus decem partibus diſtare poſſe, Thebith autem, non pluribus quatuor partibus, cum decem & nouem fermè minutis. Contrà Ioannes à monte regio, non plus partibus octo, & idem ſtellas fixas, non ſemper ad eandem mundi partem uergere ſed quandoque reuerti unde cœperunt. Contrà Ptolemæus, Albategni, Rabi Leui, Rabi Abraham Auenezra, Abraham Zacutus, Paulus Florentinus, Auguſtinus Ricius Neapolitanus, ſtellas, iuxta ſignorum ſucceſsiones, ſemper continuò moueri, conſtanter affirmant. Verùm nec inter hos. qui duplicem illi motionem tribuunt, in eo aſsignando, ſatis conuenit. nam, qui trepidationis motum admittunt, illum à ſuperiori ſphæra fieri uolunt; contrà multi, inter quos Albategni, Albuhazzem, Alfagranus, Auerroes, Rabi Leui, Rabi Abraham Zacutus, Auguſtinus Ricius &c. motum raptus, non à ſola ſuperiori ſphæra, ſed à toto cœlo prouenire contendunt. Demùm planetarum poſitiones & ſitus, non modò ab aſtrologis, ſed à grauiſsimis philoſophis, ram difformiter tradũtur, ut nulla de eis haberi poſsit certitudo. Quid ingentes illas de motu octaui orbis & fixarum ſtellarum aſtrologicas concertationes & rixas commemorem? Arbitratur Claudius Ptolemæus, ſtellas fixas, centum annorum ſpacio, uno tantum gradu moueri, contrà Albategni, unum gradum, ſexaginta annis tantummodo tribuit, cuius ſententiam Rabi Leui, Rabi Zacutus, & Alphonſus Rex Caſtellæ, in correctione tabularum ſuarum, approbaſſe uidemus. contra utroſque Azachelus Maurus in ſeptuaginta quinque, moueri, contendit. Hipparcus Niceenſis philoſophus, in ſeptuaginta, & octo; Rabi Ioſue, Rabi Moſes Maymonis filius, Rabi Abraham Auenezra Toletanus, Haliben Rodan, in ſeptuaginta,

2. Cor. 11

 Ioannes

Ioannes à monte Regio in octuaginta, Auguſtinus Ricins Neapolitanus, quaſi medium amplexus credir ſtellas fixas unam cœli partem, non citius quàm ſexaginta ſex, nec tardius quàm ſeptuaginta annis moueri. Sed & Rabi Abraham Zacuti (ut narrat Auguſtinus Ricius libro de motu octauæ ſphæræ) ex Indorum traditione teſtatur, in cœlo eſſe duas ſtellas, ſibi diametraliter oppoſitas, quæ curſum ſuum contra ſignorum ordinem, non niſi centũ quadragintaquatuor annis, abſoluant. Immo uerò Alpetragus ipſe, multos in cœlo motus adhuc eſſe arbitratur, hominibus incognitos. Quòd ſi ſit uerum, cur ibi multa aſtra, quibus motus illi incogniti, conueniant, eſſe non poſsint, quæ aut cernere homines per exceſſum altitudinis, nequeant, aut adhuc nulla artis obſeruatione deprehẽderint? Cui ſententiæ & Phauorinus in oratione aduerſus Genethliacos, apud Gellium aſſentit. Martis motum, toti aſtrologicæ diſciplinæ incognitum, Ioannes à Monteregio, inter Aſtrologos celebris, ingenuè conqueritur: eiuſdem motus errorem, *in Epiſtola quadam ad Blanchinum.* Guilielmus à Sancto Clodoaldo inſignis Aſtrologus, in ſuis obſeruationibus, ante ducentos annos, ſcriptum reliquit. Solis præterea ingreſſum in puncta æquinoctialia, inuenire, impoſsibile eſſe, Rabi Leui multis ac magnis rationibus comprobat. Cœli imagines ac ſtellarum fixarum figuras, aliter Indi, aliter Chaldæi, aliter Aegyptij, aliter Arabes, aliter Hebræi, aliter Timotheus, aliter Hipparcus, aliter Ptolemæus, aliter recentiores, tradiderunt. Quæ tamen, magis quàm, cætera omnia, uiſui erant expoſitæ. Aegyptij, Pythagoras, Timæus Locrus, Plato, Ariſtoteles, Eudoxus, & Theon Ptolemæi commentator, ac penè Græci omnes philoſophi, ſolem in ſecunda ſphæra collocarunt. contrà Anaximander, Metrodotus Chius, Crates Thebanus eundem omnium planetarum ſupremum conſtituunt. Chaldæi, Archimedes, & Claudius Ptolemæus, quartum collocant: à quibus omnibus Xenocrates diſcedens, uniuerſos planetas ac cætera aſtra una eademque cœli ſuperficie, moueri, neque cœleſtibus apparitionibus neque rectæ philoſophiæ contrarium exiſtimat. Nicolaus Copernicus, inauditam omnibus ſæculis, de ſolis, lunæ, aſtrorum, immo terræ, cum ingenti, nt ſibi ac multis aliis non indoctis, uidetur, rationum uigore, priſca illa omni aſtrologia protrita, opinionem inuexit, dum ſolem in mundi centro collocat, dum terram moueri, cœlum contrà quieſcere (quam de motu terræ ſententiam præter quoſdam antiquos, etiam Cœlio Calcagnino, noſtra memoria placuiſſe uidemus,) impunè contendit, dum terram à mundi medio protendens, cœlis quaſi aſtrum intorquet. Quæ ſi non ſint uera (nec enim his magis quàm aliis fidem adhibuerim) oſtendunt tamen quàm parum, etiam ſolidiſſima ingenia, in cœleſtium corporum perſcrutanda natura, etiam poſt longiſsima ſtudia, proficere ualeant. Omitto maximam ſolis declinationem, anni menſuram, dextrum, ſiniſtrum, antrorſum, dextrorſum, motum Augis, ſolis, ac cæteras uniuerſas, quæ apud eandem artem grauiſsimas pugnas excitarunt, quæſtiones. nulla enim ars acriori bello intrinſeco in ſua placita exarſit. Quod ſi in ea aſtrologiæ parte, quæ utcunque motibus perſpicua erat, tam parum præualuit humanum iudicium, ut non modò aſtrologi, ſed ſumma philoſophorum ingenia nunquam aliquid certi depræhendere potuerint, quid de aſtrologicis illis influxibus, quos nec uniuerſitatis neceſsitas, nec ſenſus iudicium, ullo pacto conuincit? Itaque Eudoxus, Archelaus, Caſſandrus Hoychilax Halicarnaſſeus peritiſsimi Mathematici, & ex recentioribus Aſtrologis cordatiſ- *Cicero 2. lib. de diuina.* ſimi quique, ingenuè fatentur, impoſsibile eſſe, certi, de iudiciorum ſcientia, poſſe quicquam haberi, tum propter innumeras cooperantes cum cœlo cauſas, quas ſimul attendere oportet, tum quia obſtant illis (ut ait Ptolemæus,) occaſiones quàm plurimæ, ut conſuetudines, mores, educatio, pudor, imperium, locus, genitura, ſanguis, cibus, animi libertas, diſciplinæ, &c. Quanquam pluſquam his (quæ aſtrologorum ſunt certiſsima refugia, quoties res non euenerit, ſemper enim aliquid horum, cur uaticinium non reſponderit, in cauſa fuiſſe conteſtantur) efficaciora impedimenta ego ſemper putaui illa duo, ſcilicet aut quòd nulli ſint cœleſtes influxus præter ſolis & lunæ, ut antea diximus, aut quòd hucuſque certa aſtrologiæ præcepta, cum nondum fuerint diuinitus reuelata, mundus non acceperit. Nam quanta ſit in iudiciorum regulis tradendis uarietas, quantaque diſcordia, uel hi, qui in ea arte paruiſsimos progreſſus fecerunt, deprӕhendere poterunt. non enim tantùm per auctores, ſed per gentes, regna, prouincias, & ſæcula, de iudicijs aſtronomicis uariantur præcepta. Et demum tanta eſt

huius

huius diuinæ artis certitudo & conſtantia, ut apertè Ptolemæus & Halybenrodam fateantur, aſtrorum ſcientiam non ex ſolis illis, ſed ex uaticinante conſtare, Scientia, inquit Haly, ſtellarum, ex te & illis eſt: ac ſi apertè diceret, nullã in ea ſcienria futura præ gnoſcendi, poſſe regulam inſtitui, cui nt aliquando ueritas reſpondeat, opus non ſit intrinſeca uaticinantis, aut illius, cui ſit uaticinium, ſuperſtitione; quæ cum in animis, qnos ſemel inuaſit, per affectus, quos generat, ſit potentiſsima, plerunque ex ludo & inani aſtrologicorum uerborum iactatione, ueritatem inducit. Quæ poteſtas, & cæteris uniuerſis ludicris ac ſuperſtitioſis artibus communis eſt.

Verùm iam aſtrologicæ diſciplinæ fundamenta aggrediamur, ut cum illa in iudicium euocata, ſolidiſsima nidcantur, ingenrem eidẽ aſtrologiæ auctoritatem concilient. Qui Chaldæorũ natalitia prædicta defendunt, ait Cicero, uim quandam eſſe aiunr in ſignifero orbe, qui Græce ζωδιακὸς dicitur, talem, ut eius orbis unaquæque pars; alia, alio modo moneat, immutetque cœlum, perinde, nt quæque ſtellæ in iis, finitimiſque partibus, ſint quoque tempore, eamque uim uariè moueri ab iis ſideribus, qnæ uocantur errantia. Cum autem in eam ipſam parrem orbis uenerint, in qua, ſit ortns eius, qui naſcitur, aut in eam, quæ coniunctum aliquid habeat, aut conſentiens, ea triangula, illi & quadrata nominant. Etenim cùm tempore anni, tempeſtatumque, cœli conuerſiones, commutationesque tantæ fiant acceſſu ſtellarum, & receſſu, cumque ea ui ſolis efficiantur, quæ uidimus, nou ueriſimile ſolùm, ſed etiam uerum eſſe cenſent, perinde utcunqne temperatus ſit aër, ita pueros orientes animari, atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem uitæ, caſus cuiuſcunque euentusque fingi. hactenus Cicero. Verùm illius de ea Chaldæorum inuentione ſententiam, iam audi, O' delirationem incredibilẽ, non enim omnis error ſtultitia eſt dicenda. Quibus etiã Diogenes Stoicus concedit, aliquid ut prædicere poſsint, duntaxat quali quiſque natura, & ad quam quiſque maximè rem aptus futurus ſit. Cætera, quæ profiteantur negat, ullo modo poſſe ſciri. Etenim geminorum formas eſſe ſimiles, uitam atqne fortunam plerunque diſparem. Proclus & Euriſtenes Lacedæmoniorum reges, gemini fratres fuerunt, at hi, nec totidem annos uixerunt. anno enim Procli uita breuior fuit, multumque is fratri, rerum geſtarum gloria præſtitit. At ego id ipſum quod uir optimus Diogenes Chaldæis quaſi quadam præuaricatione concedit, nego poſſe intelligi. Etenim, cum, ut ipſi dicunt, ortus naſcentium, luna moderetur, eaque animaduertant, & notenr ſydera natalitia, Chaldæi, quæcunque Lunæ iuncta uideantur, oculorum faciliſsimo ſenſu indicant ea, quæ ratione atque animo uidere debebant: docet enim ratio Mathematicorum, qnam iſtis notam eſſe oportebat, quanta humilitate luna feratur terram penè contingens, quantum abſit à proxima Mercurij ſtella, multo antè longius à Veneris, deinde alio interuallo diſtet à ſole; cuins lumine colluſtrari putatur. Reliqua uerò tria interualla infinita & immenſa, à ſole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni ſtellam, inde ad cœlum ipſum, quod extremum, atque ultimum mundi eſt. Quæ poteſt igitur contagio, ex infinito penè interuallo pertinere ad Lunam uel potius ad terram? Quid? cum dicunt, id quod iis dicere neceſſe eſt, omnes omnium ortus, quicunque gignantur, in omni terra quæ incolatur, eoſdem eſſe, eademque omnibus, qui eodem ſtatu cœli & ſtellarum nati ſunt, accidere, neceſſe eſſe? non'ne eiuſmodi ſunt, ut ne cœlî quidem naturam interpretes iſtos, noſſe appareat? cum enim illi orbes, qui cœlum quaſi medium, diuidunt, & aſpectum noſtrum diffiniunt, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur, à nobis finientes, rectiſsimè nominari poſſunt, uarietatem maximam habeant, aliique in aliis locis ſint; neceſſe eſt, ortus occaſnsque ſiderum, non fieri eodem tempore, apud omnes. Quod ſi eorum ui, cœlum, modò hoc, modò illo modo temperatut, qui poteſt eadem eſſe uis naſcentium, cùm cœli tanta ſit ſimilitudo? In his locis, quæ nos incolimus, poſt ſolſtitium canicula exoritur, & quidem aliquot diebus apud Troglodytas, ut ſcribitur, ante ſolſtitium, ut ſi iam concedamus, aliquam, uim cœleſtem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum ſit illis, eos, qui naſcuntur, eodem tempore, poſſe in diſsimiles incidere naturas, propter cœli diſsimilitudinem. Minimè illis placet, uolunt enim illi omnes eodem tempore ortos, qui ubique ſint nati, eadem conditione naſci. ſed quæ tanta dementia eſt, ut in maximis motibus mutationibusque cœli, nihil interſit, qui uentus, qui imber, quæ tempeſtas ubi-

Conuellun tur aſtrologiæ fundamenta.

que ſit? Quarum rerum in proximis locis, tantæ diſsimilitudines ſæpe ſunt, ut alia Tuſculi, alia Romæ eueniat ſæpe tempeſtas. Quod qui nauigant, maximè animaduertunt, cum in flectendis promontoriis, uentorum mutationes maximas, ſæpe ſentiant. Hæc igitur cum ſit, tum ſerenitas, tum perturbatio cœli, eſt ne ſanorum hominum, hoc ad naſcentium ortus pertinere dicere quod non certe pertinet? Illud neſcio quid tenue, quod ſentiri nullo modo, intelligi autem uix poteſt, quæ à Luna cæteriſque ſideribus cœli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere. quid, quòd non intelligunt, ſeminum uim, quæ ad gignendum procreandumque plurimum ualeat, funditus tolli, mediocris erroris eſt? Quis enim non uidet, & formas, & mores, & pleroſque ſtatus, ac motus effingere à parentibus liberos? Quod non contingeret, ſi hoc non uis & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunæ cœlique moderatio. Quid, quòd uno eodemque temporis puncto nati, diſsimiles & naturas & uitas & caſus habent, parum'ne declarant, nihil ad agendam uitam naſcendi tempus pertinere? niſi forte putamus neminem eodem tempore ipſo, & conceptum & natum quo Africanum. Num quis igitur talis fuit? Quid? illud'ne dubium eſt, quin multi cùm ita nati eſſent, ut quidam contrà naturam deprauatã haberent, reſtituerentur & corrigerentur ab natura, cùm ſe ipſa reuocaſſet, aut arte, aut medicina, aut quorum linguæ ſic inhærerent, ut loqui non poſſent, eæ ſcalpello reſectæ liberarentur. multi etiam naturæ uitium meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt, ut Demoſthenem ſcribit Phalereus cùm, Rho, dicere, nequiret, exercitatione feciſſe ut planiſsimè diceret. Quòd ſi hæc ab aſtro ingenerata & tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet. Quid ſi diſsimilitudo locorum, non'ne diſsimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile eſt. Quid inter Indos, & Perſas, Aethiopes, & Syros, differat, corporibus, animis, ut incredibilis uarietas diſsimilitudoque ſit. Ex quo intelligitur plus terrarum ſitus, quàm lunæ tractus, ad naſcendum ualere. Nam quod aiunt quadraginta & ſeptuaginta millia annorum, in periclitandis & experiundis pueris, quicunque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt. ſi enim eſſet factitatum, non eſſe deſitum, neminem autem habemus auctorem, qui aut fieri dicat aut factum ſciat. hactenus Cicero, Et ſubinde, cùm non modò Carneadis acerrimi philoſophi, ſententiam. ſed & Panetij, ſe proferre dixiſſet, continuò ſubiungit, Ego autem, etiam hoc requiro, omnes'ne qui Cannenſi pugna ceciderunt, uno aſtro fuerint? exitus quidem omnium unus & idem fuit. Quid qui ingenio atque animo ſingulares, num aſtro quoque uno? quod enim tempus quo non innumerabiles naſcantur? at certè nemo ſimilis Homeri, & ſi ad rem pertinet, quo modò cœlo affecto compoſitiſque ſideribus, quodque animal oriatur, ualeat id neceſſe eſt, etiam in rebus minimis, quo quid dici poteſt abſurdius? L. quidem Tarutius Firmanus familiaris noſter, in primis Chaldæis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat, ab iis parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque cùm eſſet in iugo Luna, natalem eſſe dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O' uim maximam erroris, etiam'ne urbis natalis dies, ad uim ſtellarum & lunæ pertinebat? fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit, num hoc in latere aut in cæmento, ex quibus urbs effecta eſt? ſed quid plura? quotidie refelluntur. Quàm multa ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari, à Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate, eſſe moriturum, ut mihi per mirum uideatur, quenquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie uideat re & euentis refelli. hactenus Cicero. Quæ omnia nobis huc tranſcribenda uiſa ſunt, quòd tum ſumma eloquentia, tum maximo rationum impetu, ac philoſophicæ eruditionis theſauro, moleſtiſsimam illam aſtrologicam uirtutem, quæ primum ac ſummum eius fundamentum eſt, orbe ſignifero protruſerit, & ut par erat eluſerit. Eſt igitur Ciceronis, quem ſummos illos Græciæ philoſophos, non modò eloquentia ſuperaſſe, ſed iudicio de eruditione æquaſſe ſemper ego contenderim, res uana ac ridicula cœleſtis illa uirtus rerum infernarum motrix, ſignifero inhærens, neque in alio numero reponenda quàm in eo in quo Sphinx Chimæra, Harpiæ &c. Quod ſi uerum eſt, immo quia uerum eſt, corruit igitur aſtrologica machina & Chaldaicum inuentum. ſed iam ad alia.

Quorſum aiunt, ſi rebus infernis uirtutem aſtra non infundunt, ſunt condita? Re-

ſpondet Moſes, immo per Moſem Deus, ut diuidant diem ac noctem & ſint in ſigna & tempora, dies & annos, & ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, & ut cœli enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiet firmamentum. Neque uerò: qui huiuſmodi utilitates à cœlo acceperit, fruſtrà ſydera à Deo & natura fabricata conſenſerit, niſi hominem, aſtrologi inde fruſtrà factum eſſe conuincant, quòd quemadmodum aues, per aëra non uolet. Enimuerò aſtra in temporum ſigna, facta non item in infernarum rerum genituras formandas, non modò quæ nunc attulimus uerba, ſed Timæus Locrus, & Plato, dum cœleſtis ædificij fabricationem recenſent, apertè demonſtrant. Quæ uerò alieno cientur motu, inquit Timæus, muſicis diſtinctæ rationibus, in ſeptem orbes diſpoſitæ, deſcriptæque ſunt, ac Luna quidem humilitate ſua terram penè contingens, menſtruam conuerſionem peragit, Sol qui ſupra ipſam proximus eſt, anni temporis ſpacio, ſuum luſtrat orbem, Mercurij deinde, ac Iunonis ſtella, quam tum Venerem tum Luciferum pleríque nuncupant, curſum habet ſolis celeritati parem, reliqua uerò tria Martis, Iouis, & Saturni, proprias tenent celeritates, & annos habent inæquales. hactenus Timæus, eandemque ſententiam dialogo de natura, quem Timæum, quòd, eum ſit imitatus, appellat, Plato uſurpauit. Seruiunt quoque aſtra humano generi, non modò in generalem temporis rationem, ut ſcilicet annos diuerſos planetarum & menſes diſtinguant, ſed in rerum humanarum opportunitates, & ſtatos dies, quos ad diuerſa negocia, humanus conuictus, neceſſariò requirit. unde illo loco, non in quæuis tempora inſtituta aſtra docet ſcriptura, ſed in מעדים moghedim, id eſt opportunos ac ſolemnes dies, quorum celebrationem, ut olim calendarum Romanarum, adhortatio præcederet. Vnde ſeptuaginta non χρόνους, id eſt tempora ſed καιρούς, id eſt rerum bene gerendarum occaſiones, uerterunt.

Eſt autem inter ſolem & lunam, in hac parte, diſcrimen, quòd cùm cætera aſtra, ſolùm in ſigna, non aſtronomica, ut aſtrologi putant, ſed rerum gerendarum, & ad permouendos humanos animos in Deum ſint conſtituta, ſol tamen & luna præter hæc, & terris luminis beneficium impendunt, & diem & noctem, eodem lumine diuidentes, illuſtrant: apertè enim inter hæc duo aſtrorum genera, ſcriptura diſtinguit, nam cùm de omnibus in uniuerſum Deus dixiſſet, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant, diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora, dies, & annos, & luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. ne dies ac noctis diuiſionem, & diei ac noctis præſidentiam, cæteris aſtris attributam putares, continuò ſubiunxit; Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, id eſt Solem, ut præeſſet Diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas (ſub intellige) fecit, non tamen in diei & noctis præſidentiam & diſtinctionem, nec enim ſtellæ, aliæ, luminæ ſuo diem à nocte; diſtinguunt, nec nocti præſunt, quæ diei etiam tempore (niſi quòd ſolis lumine comprimuntur) in cœlo ſunt fixæ, immo quæ, ut habet uulgariter philoſophorum opinio, non proprio, ſed ſolis lumine nobis ſplendent.

Aiunt rurſus à luna præter lumis beneficium, alias quoque actiones in res infernas negare, experientia non ſinit, ergo & cætera aſtra, præter temporum computationes, influxus habebunt. Reſpondeo, uniuerſos effectus, qui in lunæ augmento uel decremento, in inferioribus deprehenduntur, non ad occultum influxum, ſed ad ſui luminis naturam, & certam eius menſuram referendos, ut de ſingulis eruditè probat Io. Picus, Mirandulanus Comes. Quemadmodum enim Heliotropium, lupini, & ſimiles quædam herbæ, non quodcunque lumen, ſed ſolis ſequuntur, contrà Heliniotropium, non Solis ſed Lunaris luminis conuerſionem inſequitur, ita & illa, quæ ſui augmento & decremento, lunam creſcentem, & decreſcentem ſequuntur, non ad occulti alterius influxus, ſed ad luminis lunaris, cui ſunt attemperata alterantur. Plura etiam eorum, quæ lunæ ab ignaris tribuuntur, ut muliebria menſtrua, & quædam alia, non ad lunam, ſed ad propriam naturam, ſunt referenda. ſtultum eſt enim putare, uniuerſas mulieres in plenilunio & non alio tempore ſanguine menſtruo fluere. habet ſanguis menſtruus ſuã periodum, non lunæ augmento aut decremento alligatam, ſed ſuæ naturæ, immo nec certum habet temporis terminum, à natura decretum, ſed quædam trigeſimo, quædam quadrageſimo die, quædam ampliori tempore, quædam minori, pro ſanguinis abundãtia, aut defectu purgantur. Et ſunt, quæ cùm nullam menſtruam purgationem incur-

Gen. 1. Pſal. 19. Ioannes In dagine in prologo aſtrologiæ natu.

Gen. 1.

In tertiam rationem aſtrologor.

rant, uegeta tamen ac ſolida ſanitate fruuntur, quòd nimirum ſiccioris ſint naturæ, aut calorem naturalem robuſtum ſortitæ fuerint, aut certè quòd laboribus, ſuperfluas humiditates per ſudores excernant, quod ut docet Ariſtoteles, agricolarum fœminis, quæ laboribus exercentur, contingere ſolet. Maris fluxum & refluxum lunæ tribuere, eorum eſt, qui in ea quæſtione, nihil aliud habent quod afferant; nec ea ſententia, rectè rem examinantibus placuiſſe probatur, quamuis ab ea non alienus fuerit Ariſtoteles. Enimuerò ſi lunæ certa influentia mare fluit & refluit, non ſolùm Oceanus, ſed uniuerſa maria, immo lacus & ſtagnantes aquæ, paterentur refluxus, quod tamen prorſus eſſe falſum, experientia depræhendimus. Nec enim mare mediterraneum, Hiſpanicum, Gallicum, Italicum, Ionicum, &c. nec lacus, (qui tamen magni ſunt in Germania & Italia) fluxus & refluxus patiuntur. Neque uerò ad illud ſuffugium, quod quidam inuenere, ſe recipere licet, reliquas aquas, quæ non ſunt in Oceano, extra ſphæram eſſe; lunam autem, non in quaſcunque aquas aut humida, ſed in eas, quæ humidorum ſphæra concluduntur, dominium ſortitam. In primis enim hoc eorum ſententiæ, qua lunã humidis certa quadam influentia dominari contendunt, apertè contradicit. nam ſi luna in aquas dominatur, non loci ſed humoris ratione dominari, eſt dicenda. ſi igitur reliquæ omnes aquæ, quæ extra Oceanũ uagantur, ſunt humidæ, in illas quoq; ſortietur dominiũ. Deinde falſum eſt, aquas quæ nõ ſunt in Oceano, non eſſe in ſuo loco: locus enim aquarum non modò ſcripturæ teſtimonio, ſed communis philoſophiæ ſententia, terra eſt. quemadmodum enim ignis locus eſt, non hæc aut illa aëris portio, ſed totus aër, nec aëris locus eſt, hæc aut illa terræ portio ſed tota aqua & terra, ſic non hæc aut illa terræ pars, ſed uniuerſa terra, ſedes, aquarum quarumcunq; naturalis cenſetur. quod cùm ſit uerum, de mediterraneo mari tamen eſt omnino ueriſsimum, quod licet nomine, quod ex hominum arbitrio ac uoluntate dependet, ab Oceano differat; re uera tamen non differt. quid enim aliud eſt mediterraneum mare quàm portio quædam aut excurſus Oceani? aqua autem in nullum locum uiolentum excurrit. Tertiò nonne Adriaticus ſinus portio eſt maris mediterranei? cur ergo, quod Canales Veneti quotidie teſtantur, fluit ac refluit? Quartò ſi tantùm Oceani aut aquarum, quæ ſunt in ſphæra, ideſt in Oceano luna dominatur, non igitur aliarum aquarum mediterranei nimirum maris, lacuum, fluuiorum, &c. conchilia, lunares impreſsiones ſentire debuiſſent. Nam cur illhic conchiliorum, non item aquarum dominari dicamus? Poſtremò reliqua humida, animalium uidelicet medullæ, arborumque ſucci, non ſunt in Oceano, & tamen eorum dominio luna potiri, uulgariter fertur. Eſt & illud non paruum argumentum, fluxus & refluxus aquarum, à Luna non eſſe, quòd in Adriatico mari non eandem motus menſuram, quam in Oceano ſeruent, non enim eodem temporis ſpacio Venetiis, ſed breuiori multo ſenis ſcilicet horis fluxus & refluxus, quàm in Oceano accidit. A quo autem ſit fluxus & refluxus aquarum, quaſi à cauſa effectrice, aut ex eorum numero eſt, quæ Deus in ſapientiæ theſauris abſcondit, ut ea, quæ quotidiæ uidemus & palpamus & non intelligimus, mentis noſtræ in altioribus ac diuinis exquirendis, laſciuiam compeſcant, qualia ſunt in rerum uniuerſitate complura, aut quòd uiris doctiſsimis, & qui ingenti ſolicitudine in hanc rem naturæ penetralibus eruendam, animo incubuerunt, placuiſſe uideo, tum ab ipſarum aquarum natura, quæ in ſuo loco, quem admodum & cætera omnia elementa, circulari motu circumferuntur, tum à locis quibus motio illa naturalis repercutitur, qui in diuerſis maribus ſunt prorſus diuerſi, prouenire dicendus. Vnde in Oceano & Adriatico mari fluxus & refluxus eſt, in meditetrano contrà, non eſt, quòd licet ibi moueantur aquæ, (eſt enim omnibus aquis niſi locorum anguſtia cohibeantur, irrequieta, & perpetua ingenita motio) propter loci tamen anguſtias, à ſua illa naturali motione impeditæ, naturalem, & ſtatam illam conuerſionem, non habeant. Eſt autem in hoc aut illo mari, in temporis ſpacio diſcrimen, quòd loci repercutientes, hoc aut illo interuallo, à loco unde aquarum motio incœpit, diſcedant. De his tamen multa Ioannes Picus Mirandulanus, quæ acutioribus ingeniis & naturæ ſagacibus examinanda relinquo, non enim modò animus eſt omnia, quæ in hac parte dicuntur, exigere, ſed ſolùm docere, fluxum & refluxum maris, eruditorum ſententia, à certo lunæ influxu, ſicut & multa alia, quæ lunæ tribuuntur, non deriuari.

Lib. 1. de par. anim.

Lunam, Maris fluxus & refluxus non præbere cauſam.

Fluxus & refluxus maris, quæ ſit cauſa.

Verùm fac lunam, quoſcunque philoſophi docent, influxus habere, Quid? an perinde

quoque

quoque cætera aſtra influxus habebunt? nequaquam. Nam quanuis præter luminis naturam, cœleſtibus illis corporibus, influxus donetur, tantummodo illuc, quo lumen, influxus pertingit. Eſt enim aſtrorum potiſsima actio, & quæ omnium, quas haberent, maximè longinquæ ſunt ad agendum potentia, luminis effuſio, immo uerò, (quod in Sole & Luna depræhendimus) lumen ipſum cœleſte, uirtutis & influentiæ (ſi qua eſt) uehiculum erit; effectus enim, qui in inferioribus Lunæ donantur, ad luminis menſuram coaptari, uidemus, quòd ſcilicet aut à lumine fiant, aut ab influxu, qui lumine quaſi uehiculo quodam deſcendit, deriuentur. Quò igitur lumen non pertingit, nec influentia pertinget. Lumen uerò aſtrorum præter ſolem & lunam &, ut quidam uolunt, Venerem, nullo pacto terram ipſam pertingit, nec igitur influentia, non ergo à ſole & luna, ad aliorum aſtrorum influxus, rectè ratio connectitur. Quòd uerò actione phyſica ac naturali, aſtrorum lumen in terras non perueniat, res ipſa loquitur, ſi enim tot aſtrorum quot in cœlo collocantur lumen per aëris noſtri ſpatium ſpargeretur, nunquam eſſent tenebræ; tantum autem abeſt, ut tenebras fuget, ut obſcurioribus noctibus, & quæ magis lunæ & ſolis illuſtratione priuantur, uehementius in cœlis ſplendeſcere uideas, peruenit tamen intentionaliter (ut philoſophi loquuntur) id eſt, dum per miſſas ſpecies non luminis, ſed ſenſibiles à lumine genitas, in ſenſu recipitur: agit (inquam) aſtri lumen in terras non alia ratione, quàm ignis procul uiſus, qui cùm nullam in me longe diſtantem, phyſicam actionem habeat, intentionali tamen, meum uiſum, dum ſuo loco ſplendeſcere uidetur, attingit.

At ne adeo moroſi & inexorabiles uideamur, natura etiam reclamante, donemus aſtrologis, non modò ſolis & lunæ ſed aſtrorum quoque lumen terras pertingere: donemus quoque præter luminis naturam, influxus poſſidere, quos nulla phyſica ratio poſtulare uidetur, nunquid perinde futuri ſunt illi fabuloſi influxus, quos rerum ordine contradicente, aſtrologia confinxit? Nunquid eo ordine, quem aſtrologi præſcripſerunt, ut ſcilicet in eadem parte, pro eorum ſortitione & condicto, diuerſi planetæ, diuerſas influentias infinuent? Nunquid & illa occultarum influentiarum lerna, qua de Deo, angelis, & hominibus, quaſi Appollines Delphici, uaticinia profetunt, perinde erit ſtatuenda? Sed medicina, aiunt, in minuendo ſanguine aut miniſtrandæ potione, dies Criticos ſeruat, nam Hippocrates non omni tempore pharmaca admiſit. teſtatur etiam Auicenna, unicuiq; corpori & omni membro, immo uni & eidem corpori, & uni & eidem membro in una hora & non alia, hanc aut illam medicinam conferre, Galenus deinde de diebus Criticis, ſeu decretoriis & eorum obſeruatione, uolumen compoſuit. Reſpondeo, Quoſdam in langoribus obſeruandos eſſe dies, & in eis non modò euacuationis, aut humorum per pharmaca, aut ſanguinariæ maſſæ, per uenæ inciſionem habendū eſſe delectum, ſi Hippocrates, Galenus & Auicenna non dicerent, res ipſa, & quotidiana experientia luculenter teſtantur. uidemus enim ſeptimum, quartum decimum, uigeſimum primum, in pleuritide, & reliquis acutis langoribus, præ omnibus aliis periculoſos exiſtere. Negamus tamen id prouenire à cœlo: ſed ipſam quæ tunc in ægro corpore ſæuit humoris proprietatem, diſcrimen inducere cenſemus. Quòd ſi id Galenus & Auicēna ſenſerunt, cùm rem non ſatis diſcuſſiſſent, non ualde mirandū. Multa profectò egregiè Galenus, multa Auicenna, non tamen uniuerſa, uel naturæ uel corporis humani arcana potuerunt diſcutere. inuaſerat, iam Galeni ſæculo medicinam, Chaldaica ſapientia, non licuit eidem examinare, an quæ in hac parte aſtrologica medicina docebat, rectè cum natura ipſa conſentirent, & rem alioqui difficilem, in eas cauſas, quæ ſibi tunc nondum uiſæ fuerant improbabiles, reiiciendam iudicauit. Quanquam, ut ingenuè, quod ſentio fatear, uidere nequeo, quo pacto Galenus (nam de Auicenna tum Sarraceno, apud quam barbaram gentem, poſt Chaldæos & Aegyptios, aſtrologia tyrannidem occupauit, tum homine iudicio ac eruditione longe inferiore, nihil miror) ſibi perſuadere potuerit, morborum ſymptomata & incurſus, qui diebus criticis proueniunt, à cœlo deſcendere, cum ſi non rem, ad rationis libram reuocare libuiſſet, ipſe tamen illum medicinæ uſus potuiſſet inſtruere. An uerofimile credemus, nunquam Galenum tres ægros habuiſſe, qui tribus diſtinctis diebus, uno poſt alium, eundem ſpecie aut genere acutum morbum, incidiſſent, tres inquam pleureticos phreneticos &c? Quid ergo, Cuicunque horum primus criticus dies, id eſt ſeptimus,

aut quintus à Saturno prouenit, diebus igitur omnibus Saturnus imperabit, & alios omnes planetas, pulchram ſcilicet Dianam. Iouis nuntium & caduceatorē Mercurium, formoſam Venerem, arcipotentem Appollinem, fortiſsimum Martem, & magnum Iouem, ſemel per tyrannidem contra paternam pietatem inuaſo deturbabit Imperio? Enimuerò eius qui primo à morbo inuaſus eſt, ſeptimus dies, illius, qui ſecundo die fuit eodem morbo percuſſus, ſextus; & eius quem tertio idem languor aggreſſus eſt, quintus, cenſebitur: deinde qui dies octauus eſt primo, ſecundo, & qui nonus, tertio futurus eſt ſeptimus & criticus dies. Quod ſi ſeptem ſint, quos uno poſt alium diem pleuriſis corripuit, qui dies ægro primo decimus erit, quarto erit ſeptimus, & qui undecimus, quinto, & qui duodecimus ſexto, & tandem qui tertius decimus, ſeptimo. ſicque omnibus diebus odioſus ſenex Saturnus obtinebit imperium. omnes enim alcuius acuti morbi poſſunt eſſe ſeptimi, quartidecimi, uigeſimi primi, uigeſimi octaui, &c. Quæ res iniuſtiſsima, neſcio an Galeno poſt mortem malè ceſſerit, nec enim innocentes ſex alios planetas, qui mundo plus commodi quàm inueteratus ille & puerivorus ſenex, attuliſſe creduntur, ſic tam atrociter à languoribus humanis, phreneſibus, lethargis, anginis, epidimiis, reliquisque peſtibus, in quibus Chaldaico & aſtrologico iure magnas partes obtinuerant, debuiſſet excludere. iniquè etiam cum aſtrologis egit, qui iam cum planetis conuenerāt, ut inter eoſdem hebdomada diuiſa, legis ueteris ſabbato ac ultimo die, uetus Saturnus contentus taceret. Nam ſi forte quiſquam primo aut ſecundo hebdomadæ die, ſeptimum diem lāguoris inciderit, à ſua ſtatione ac dominio, in illum eundem diem contra omnem iuſtitiæ ordinem, reuocandus erit miſerrimus ſenex, unde mirandum non eſt, ſi tot quotidie, non (ut par eſt credere,) medicorum opera, ſed ſenis huius inueterati, & humanarum carnium auidiſsimi, irreconciliabili irracundia, tollantur è medio. Sed iocari iam deſino. Eſt profectò ridicula ſicut omnes aliæ, quæ in aſtra conferuntur, & erudito medico indigna, ea ſententia, quæ cuiuſq; languoris acceſſus aut criticos dies, in planetas refundit; præter hoc, quòd, ut apertè probatū eſt, ſibi ipſi & omnibus aſtrologis placitis apertè repugnat. Proueniunt itaque in Criticis diebus ægrorum diſcrimina, non aſtrorum, ſed humorum natura, qui pro eorum diuerſitate, in humanum corpus & eius membra, diuerſos motus & excurſiones exercent. Eſt humor tam agilis & celer, ut unoquoque die ſubiectum inuadat, eſt qui ſecundo, eſt qui tertio, eſt qui quarto, unde diuerſarum febrium ſinochi, quotidianæ, tertianæ, quartanæ &c. differentia deſcendit. Sunt morbi, qui quinto, ſunt, qui ſeptimo, ſunt qui octauo, acceſſiones ſuas & aggreſſus faciant. ſunt demum, qui tardiori tempore, ut uenenum rabidi canis morſu conceptum &c. Omnis autem acceſsionis dies, criticus eſt & decretorius. eo enim quid de ſalute ſit ſperandum, prudentis medici coniectura colligitur. Et profectò, ſi aſtrologicæ medicinæ, aliquod eſſet cū ratione commercium, nulli magis cum Saturno languori conueniebat, quàm quartanæ, quæ ut ille planeta, terreſtris, melancholicus & maleuolus cenſetur; ſic à melancholico, terreſtri, & ſanguinis, in quo potiſsimè uis uiuendi ſita eſt, inimico, deriuatur: cur igitur illius planetæ quartana fæbris acceſsionē non ſequitur, quarta enim non ſeptima die, corpus ægrum aggreditur. An quia melancholicus humor quarto elemēto, terræ (inquam) reſpondet? ergo rerum naturæ cum planetarum dominio non conuenit, & cauendum eſt ne telluri iratus Saturnus, ut eſt peſtilentis & nocuæ naturæ, zelo percitus; quòd eius magis quàm ſuo, qui iam ſenex ſit, & effœtus, conſortio delectetur, cum ingenti mortalium ruina pro quartana decertet.

Vnde Critici dies, & eorum periculum originē habeat.

Lib. de gener. animali.

FVRIOSIVS tamen quàm hi delirant, qui octimeſtres partus, qui ut Ariſto. & experientia docet, ſunt periculoſi, Saturno ſacrificant, quaſi non ſit illi ſatis, proprios filios deuoraſſe, niſi etiam ſuos menſes habeat guloſus ſenex, quibus qui nati fuerint, ſuis deliriis & bulimiæ deſetuiant. Aut quaſi non ſatis fuiſſet illi, anni menſes decimare, aut potus unum ex anni menſibus, in tanta humani generis turba, qui quotidie naſcuntur, deſignare, quo ſuam pluſquam maleuolam & melancholicam rabiem, in totum annum infarcire liceret, aut eoſdem piſtillis contuſos, ut olim Gnoſtici hæretici, in artocreas condire, aut in reliquum anni tempus ſalitos (qui cibi ſolent quoque eſſe melancholici) in aëra ſuſpendere. Ergo docent iſti, pueros octauo menſe editos, (cum tamen ſeptimo geniti non intereant) propterea interire, quòd eo menſe regnet Saturnus. O' acutos homines

mines & cœli ſcrutatores, quaſi uerò non omni menſe, immo uerò omni die, in toto orbe terrarum, menſe nono completo, noui partus exiſterent. Nullus ergo à mũdi principio aliorum planetarum aliquando imperabit, ſed totum imperium ad Saturnum deuoluetur, ſemper enim eſt alicuius prægnantis octauus menſis. Et miramur nos quòd totus mundus in maligno ſit poſitus, cùm aſtrologici ſatellites, non modò tot iuribus ac legibus Saturni peſsimi & maleuoli ſenis, & humano genio inimici, regnum & imperium tyrannicè aſſerant, ſed eidem tot humanas & innocentes uictimas, ſingulis octauis menſibus (proh nefas) ſacrificent. Sed iam hos ἀστρολογοϊάτρους amice conuenire libet. Quo, quæſo, pacto miſer & malè ſanus ſenex, tot ſeptenarijs, quibus forte, tot alijs aſtris contemptis, ſolo titulo ſenectutis præfertur, ſatis eſſe queat? aut quid tum faciet, cùm menſe primo, ſecundo, tertio, quinto, ſexto, ſeptimo aut nono, phreneſis pleuriſis, lethargi, & aliorum complurium morborium acutorum ſeptimis, quartodecimis, & cæteris criticis diebus, ſit illi præſidendum? An erit illi octimeſtris partus, quem iam iam aperto ore deuoraturus ſpectat, chariſsima præda deſerenda, ut in morticinas & uetuſtas carnes ſeni iam edentulo ineptas, faciendas diſcedat? abſit. Quin & Luna, Mercurius, Venus, Apollo, Mars, & Iupiter, Saturni progenies, ne ſuos menſes inuadat, omnino reſiſtent. Itaque cùm ille octauo menſi præſideat, languorum, qui in toto Orbe, totis illis ſeptem menſibus humana corpora inuaſerint, ſeptimi dies, ab incurſione Saturni influxus tutiſsimi erunt. Verùm dicant, quæſo, quî fieri poſsit, ut toti octauo menſi Saturnus præſideat, cùm ſingulis hebdomadibus, totus planetarum grex, proprios dies ac horas, aſtrologico decreto iam dudum acceperit? aut quî fieri poterit, ut reliqui planetæ, contra paternam pietatem, atrocia bella in Saturnum non moueant, cùm ſe uideant, è ſuis dominijs, & temporibus à Saturno detruſos? Nam ſi ille toti octauo menſi præſidet, toto igitur illo menſe, nec in prægnantem, nec in languores, nec demum in terras, poteſtatem exercent. Sed fortaſſe poteſtas illa Saturnina, non eſt naturalis ſed uoluntaria, nec ſibi natura, quæ ad unum eſt determinata, ſed ab aſtrologorum uoluntate, aut aliorum planetarum conuentione deſcendens, non eſt ſcilicet talis, qualis, illa, qua Luna eodem tempore in omnia humida agit &c. quoniam illa naturalis eſt & uniformis, ſed eſt uoluntaria, qualis illa, quam rex habet, qui pro ſuo arbitrio aut uoluntate, his aut illis locis à ſe diſtantibus per regia decreta benefacit: itaque uno eodemq́ue tempore, & octauo menſi præſidere poterit, & eius, qui primo menſe ægrotauerit, ſeptimo diei. Sed hæc talia ſunt, ut hominis, non dico Chriſtiani, & qui ſolida ueritate comperta, ueteres & inſulſas fabulas faſtidire iam nouit, ſed mediocriter docti, quanuis gentilis, iudicio indigna uideantur, deplorandiq́ue ſunt homines, qui hiſce næniis, quas uel anus delira faſtidiret, malas horas impendunt, ſed potius illorum eſt miſerendum, qui eas tam auidè audiunt, ac ſi eſſent oracula; niſi quod eorum ægrorum ſummè omnium mihi uidetur miſeranda ſors, qui in manus medici aſtrologi, id eſt, qui cùm humorum & morborum naturas in ſeipſis penitus ignoret, in aſtris requirit, inciderit. Quid enim de huiuſmodi medicis aliud expectandum, quàm quòd ingenti humani generis malo quotidie contingere uidemus, ut ſcilicet hominum hecatombas Saturno ſacrificent?

Eſt itaque octimeſtris partus, diſcrimini & periculi cauſa, non cœlum, ſed ut ſummis medicis & philoſophis placet, ipſiuſmet fœtus debilitatio & uirium exhauſtio, *Hippocrates lib. de partu octimeſtri.* quam prodeundi ex utero, deſiderio atque adniſu contraxit. Nam cùm ſeptimo menſe, omnium membrorum ac humani corporis partium diſtinctionem ac perfectionem acceperit, eius loci pertæſus, ubi nec ſatis fortè nutritur, nec reſpiratione corculum, quod iam iam in corpuſculo ardeſcit, poteſt reficere, ſeſe huc atque illhuc uolutans, & à parte illa neruoſa ac uenoſa ſecundinæ, qua utero materno cõſtringitur, explicare contendens, & ſeipſum debilitat, & exhaurit, & matri ingentes corporis moleſtias & afflictiones cõciliat & plerũq; ruptis naturæ uinculis ac clauſtris, ſtatim moriturus aut debilis in poſterũ uicturus, in hanc lucem emergit. Impedit uerò egreſſum, aut fœtus infirmitas, (ſunt enim quidam fœtus, quàm alij robuſtiores) aut matris uigor, qui fœtus inconditas motiones ualidiſsimè comprimit, aut demum ſecundinæ toroſitas ac fortitudo, quæ illis reuolutionibus ac adniſibus non poteſt diſrumpi. Neque uerò hæc motio fœtus, ſemper octauo menſe ut aſtrologomedici putant, ſed ſæpe nono, & ſæpe ſeptimo, & nonnun-

quàm decimo, pro humani partus uarietate contingit. Cum enim in cæteris animalium ſpeciebus, ſit fœminis ferendi uteri tempus decretum, in humana ſpecie nullus, ut Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus, Plinius, Polybius, mitis adductis hiſtoriis, comprobarunt, eſt limes præfixus. Sunt enim quidam partus decimeſtres, quidam undecimeſtres, duodecimeſtres nonnulli, quamuis ut in plurimum, ſpacio temporis nonimeſtri proueniant. Eſtque tam uarij atque diuerſi partus ratio; humani temperamenti pluſquam in aliis ſpeciebus, admiranda uarietas, unde prouenit, ut hic fœtus tardius, ille uelocius; ille hoc, alter illo temporis ſpacio concoquatur in utero. Cum igitur non ſemper ſeptimeſtri tempore ſit perfecta proles, non ſemper octimeſtri mouebitur, ſed tantùm in nonimeſtri ac regulari partu. Quod uerò ſeptimo menſe, fœtus editus uiuat, illud eſt in cauſa, quòd cum aut matricis uirtus ſit infirma, aut ſecundina debilis & parum uegeta, aut fœtus uirtus & robur tantum, ut omnia illa naturæ ligamenta & clauſtra, motionis principio, ante ſui debilitationem, diſcerpat, fœtus integra uirtute prorumpit in lucem. In ſexto tamen, quinto, tertio, &c. menſe, non uiuit, quod humani corporis organica compactio, nondum fuerit perfecta. Vides igitur in nullos magis diuinatores, illud conuenire, quod in aruſpices Cicero iactauit, quàm in noſtros aſtrologos, dum, inquit, aruſpicinam uerà eſſe uultis, totam phyſiologiam perditis, niſi quòd medicinam, utiliorem philoſophiæ partem, aſtrologia perniciofius inuaſit. Proferunt aſtrologi uates exempla, &, ut ipſi loquuntur, experimenta complura, quibus eam artem compegiſſe ſe aiunt. Verùm eodem pacto Quintus Fabius apud Ciceronem, Stoicorum perſona ſuſcepta, contra Carneadem, uniuerſam uaticinandi rationem, id eſt, aruſpicinam, ſomniatricem, fulguratiam, extiſpiciam, & demum reliquas omnes, quibus gentiliſmus utebatur, inſanias, conſtantiſsimè protegit. Quid, quæris, inquit Carneades, cur hæc ita fiant, aut qua arte perſpici poſſint? neſcire me fateor, euenire autem, te ipſum dico uidere, caſu inquis, ita'ne uerò quicquam poteſt eſſe caſu factum, quod omnes habet in ſe numeros ueritatis? Subindeq; multis productis exemplis, Sic, inquit, ſe profectò res habet, ut nunquam perfectè ueritatem, caſus imitetur; at nonnunquam ea, quæ prædicta ſunt, minus eueniunt, quæ tandem id ars non habet, earum dico artium, quæ coniectura continentur, & ſunt opinabiles? an medicina ars non putanda eſt, quam tamen multa fallunt? Quid, gubernatores? non'ne falluntur? An Achiuorum exercitus & tot nauium rectores, non ita profecti ſunt Ilio, ut profectione læti, piſcium naturam intuerentur, & ut ait Pacuuius, nec intuendi ſacietas capere poſſet?

Lib. 1. de Diuin.

Interea propè iam occidente ſole, inhorreſcit mare,

Tenebræ conduplicantur, noctiſque nimbum occæcat nigror.

Num igitur, tot clariſsimorum Ducum regumque naufragium ſubſtulit artem gubernandi? aut num Imperatorum ſcientia nihil eſt, quia ſummus Imperator nuper fugit, amiſſo exercitu? aut num propterea nulla eſt Reipub. gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quædam M. Catonem, nonnulla etiam teipſum, fefellerunt? Similis eſt aruſpicum reſponſio, omniſque opinabilis diuinatio, coniectura enim innititur, ultra quam, progredi, non poteſt. Ea fallit fortaſſe nonnunquam, ſed tamen ad ueritatem ſæpiſsimè dirigit. Eſt ab omni æternitate repetita memoria, in qua, cùm penè innumerabiles res eodem modo euenirent, eiſdem ſignis antegreſsis, ars eſt effecta, eadem ſæpe animaduertendo, atque notando. Hactenus Quintus Fabius, ſubindeque multarum prouinciarum & gentium, quæ auſpiciis uſæ fuiſſent, & multa uariaque exempla auſpiciorum, quæ res ipſa comprobaſſet, in mediū adducit. Cratippus deinde & Dicearchus Peripateticus, eodem pacto ſomniorum & furoris uaticinia, quæ duo, (reliquis omnibus, etiam aſtrologia ipſa reiectis) uera eſſe, animum induxerant, apud eundem Ciceronem, his uerbis defendunt. Si ſine oculis non, poteſt extare officium & munus oculorum, poſſunt autem aliquando oculi non fungi ſuo munere; qui uel ſemel ita uſus eſt oculis, ut uera cerneret, is habet ſenſum oculorum, uera cernentium. item, igitur ſi ſine diuinatione non poteſt officium & munus diuinationis extare, poteſt autem cùm quis diuinationem habet, errare aliquando, nec uera cernere, ſatis ergo ad confirmandam diuinationem, ſemel aliquid eſſe diuinatum, nihil ut fortuitò occidiſſe uideatur. ſunt autem eius generis, innumerabilia, eſſe igitur

tur diuinationem, confitendum eſt. Hactenus apud Ciceronem Cratippus. In cuius oratione, eodem argumenti genere, quo aſtrologi Chaldaici ſuas nugas defendunt, uides pie Chriſtiane, quicunque hæc legis, ſomnia & furores, qui uel à languoribus, uel à Satanicorum ſpirituum inuaſionibus deriuantur, quaſi legitimas & ueras prædicendi artes defendi; ſed eorum rationes ita frangit Cicero, feſtiuè & breuiter, Sed cum bis ſumpſit Cratippus quod uoluit, etiam ſi faciles nos ad concedendum habuerit, id tamē quod aſſumit, concedi nullo modo poteſt. Si inquit, aliquando oculi peccent, tamen quia rectè aliquando uiderint, ineſt in his uis uidendi, item ſi quis ſemel aliquid in diuinatione dixerit, is etiam cum peccet, tamen exiſtimandus ſit, habere uim diuinandi. Vide quæſo Cratippe noſter quàm ſint iſta ſimilia. nam mihi quidem non uidentur: oculi enim uera cernentes, utuntur natura atque ſenſu animi, ſi quando, uel uaticinando, uel ſomniando, uera uiderunt; uſi ſunt fortuna atque caſu, niſi fortè conceſſuros tibi exiſtimas, eos qui ſomnia pro ſomniis habent, ſi quando aliquod ſomnium uerum euaſerit, non id fortuitò accidiſſe. Sed demus tibi iſtas duas ſumptiones, ea quæ λήμματα appellant Dialectici, ſed nos Latinè loqui malumus, præſemptio tamen, quam πρόληψιν iidem uocant, non dabitur. Aſſumit autem Cratippus hoc modo, Sunt autem innumerabiles præſenſiones, non fortuitæ; at ego dico nulla, uide quanta ſit controuerſia, iam aſſumptione non commiſſa, nulla concluſio eſt. At inquit, impudentes ſumus, qui quod tam perſpicuum ſit, non concedamus. Quid eſt perſpicuum? multa uera inquit, euadere. quid, quod multo plura falſa? non'ne ipſa uarietas, quæ eſt propria fortunæ, fortunam eſſe cauſam, non naturam docet? Deinde ſi tua iſta concluſio Cratippe, uera eſt (tecum enim mihi res eſt) nonne intelliges, eadem uti poſſe & aruſpices, & fulguratores, & interpretes oſtentorum, & augures, & ſortilegos, & Chaldæos, quorum generum, nullum eſt, ex quo non aliquid, ſicut prædictum ſit, euaſerit? ergo aut ea quoque genera diuinandi ſunt, quæ tu rectiſsimè improbas, aut ſi ea non ſunt, non intelligo cur hæc duo ſint, quæ relinquis, Qua ergo ratione hæc inducis, eadem illa poſſunt eſſe, quæ tollis, hactenus Cicero. Vident igitur Aſtrologi, haud efficaciorem multo eſſe hanc ſuam rationem, quæ ab experimentis accipitur, cui tamen unicè apud uulgus innituntur, quàm eam, quæ Aruſpices, ſomniatores, extiſpices, augures, aucupes, oſtentorum interpretes, & reliquos omnes, iam dudum, non modò à ſancta ſcriptura, ſed à probatis auctoribus, damnatarum ſuperſtitionum auctores defendit. immo uerò uident eandem rationem aſtrologia prorſus profligata, à Cratippo & Dicearcho pro ſomniſpicia & furore, uſurpari. Rationes autem illæ, quas Quintus Fabius ex cæteris humanis artibus proferebat, tales profectò mihi eſſe uidentur, ut non modò diuinatrices illas, quas cum Stoicis ſtatuere conatur, ſed quaſcunq; alias iocularorias artes, ueriſsimas & humo generi utiles eſſe comprobet. Eſt igitur inter medicinam, gubernatoriam ſiue nauticam, ciuilem prudentiam, & reliquas humanas artes, quas ibi commemorat, aliquando inſtituto non reſpondere, & circulatorias has, quæ captandis diuinationibus inſeruiunt, magnum diſcrimen, quòd illarum principia, aut cum ipſa natura & ratione cohæreant, aut ſi principia non habent, ut quædam, quæ ſola experientia conſtant, effectus tamen illarum à naturæ principiis non diſſentiant, & cito ex effectibus ad cauſas, mens humana conſcendat. Contrà, iſtarum principia, neq; cum natura coëant, neque effectus in ea ſine totius naturæ iniuria ac aperta uiolentia poſsint referri. Ergo experimenta, quæ aſtrologi proferunt, aut ſunt falſa, aut ab eiſdem conficta; cuius rei ſunt ſtrenuiſsimi artifices, aut, ut Cicero docet, à caſu euenerunt. Quæ ſententia tunc locum non haberet, cùm aſtrologica uaticinia, ut plurimum ſic euenirent, ut quæ in medicina, gubernatoria, &c. fiunt: aut ſi uaticinia ſunt rerum ciuilium, & quæ oriuntur à uoluntate libera, à ciuilis prudentiæ coniectura deſcendunt, aut ſi ad ſingulares perſonas attinent, à ſuperſtitione, quam in plebeiorum & uulgarium hominum animis generat. Quæ poteſtas, non modò aſtrologiæ ineſt, ſed, ut antea dicebamus, cæteris ludicris ac mendacibus artibus. Quæ enim tam ludicra & uana ars, quæ cum animi ſuperſtitione non ſit potentiſsima? Inde ergo non ex aliqua artis conſtantia, & ueritate, illi experimentorum & exemplorum, quæ ab his artificibus pro aſtrologicis uaticiniis producuntur, acerui, quibus tamen multo plura & ueriſimiliora, Quintus lib. 1. de Diuinatione & Valer. Maximus titulo De neglecta religione, proferunt, ſed quæ ui-

Quid de aſtrologicis experimentis iudicandum ſit.

rum doctiſsimum Ciceronem, nunquam ad aſtrologicam fidem induendam, inflexerint. Non ergo aſtrologis exempla proferre, quæ cæteris ludicris artibus communia ſunt, ſatis eſt, niſi etiam ex naturæ principiis, ſuam artem oſtendant, aut experimenta quæ proferunt, incertas naturæ regulas & principia reducant. Atque hæc ſunt, quæ in aſtrologica figmenta, non maledicendi aſtrologis libido, ſed religionis zelus, ſubminiſtrauit. parum enim illis prodeſt Petrum Aliacenſem, hominem alioqui doctum & uenerandum, niſi fuiſſet aſtrologus, libro ædito, Chaldaica, Aegyptiaca, & Arabica inuecta, cùm theologia componere, cum eandem, tot in Chaldæis illis ſuis primis parentibus, in magis Aegyptijs, & in aliarum gentium natibus & diuinis, Theologiæ fons ſcriptura ſacra, ut antea dicebamus, maledictis inceſſerit. Quin adeò ille rem temperauit, ut aſtrologia, quam cum theologia coire contendit, potius ſit quiduis aliud quàm illa aſtrologia, quam & ante eum, & nunc aſtrologi uenditant. ſed iam quàm rectè aſtrologia uaticinatrix, aut Critica cum theologia componatur, per Deum immortalem lector attende.

Confertur aſtrologia diuinatrix cum theologia chriſtiana.

Docent Aſtrologi, aſcendente Geminorum ſidere, idque Saturno Mercurioque ſub Aquario iunctis, in nona cœli plaga, naſci prophetam, ideoque Chriſtum Dominum tot claruiſſe miraculis, quòd in eo loco Saturnum habuerit, in Geminis. Religionum ſectas, quibus Iouem præcipuum patronum præficiunt, per cæterarum ſtellarum cõmiſtiones diſtribuunt, ita ut Iupiter cum Saturno, Iudæorum faciat religionem, cum Marte, Chaldæorum, cum Sole, Aegyptiorum, cum Venere, Sarracenorum, cum Mercurio, Chriſtianorum, cum Luna, Antichriſti. Reliquorum uerò: populorum, qui tamẽ maximi fuerunt, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Cretenſium, Carthaginienſium, Romanorum &c. quòd priores illæ prouinciæ cœlum occupauerint, aſtra non habent. & tamen mirandum eſt, quo pacto Romanorum ſuperſtitio, quæ tamen in uniuerſo Orbe fuit celebris, Chriſtianam Religionem, quæ horũ iudicio non à Deo ſed à Ioue & Mercurio eſt, non anteuerterit, cum tot ſæculis eandem præceſſerit. Sed ò altitudinem diuitiarum ſapientiæ ac ſcientiæ aſtrologicæ, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & in inueſtigabiles uiæ eius? Verùm pergamus ultrà, oſtendere, quàm rectè aſtrologia cum Theologia conueniat. Docent aſtrologi Moſem, quem hujus aſtrologicæ iudiciariæ cognitione uolũt fuiſſe inſtructiſsimum, Sabbati diem aſtrologicis obſeruationibus inſtituiſſe religioſum, atque adeò Chriſtianos, qui nõ ſabbatum, ſed Dominicum diem religioni habeant, prorſus errare, quòd nimirum diem ſacrum Saturno, ſacro otio non colant: dolent profectò aſtrologi dominicum diem Chriſto fuiſſe dicatum, quòd id temporis, ſuis illis beatiſsimis ac lucidiſsimis planetis, quibus totam hebdomadam, omneſque dies ſacrarant, deperire uideatur, & per illud, Saturnum quàm Chriſtum magis coli, immo Saturnum ſuo illo Sabbatino ocio, quo (ut illi uolunt) Maſaico inſtituto colebatur, depulſum uehementer triſtantur. Fidelitatem autem cuiuſque, cùm ad homines, tum ad Deum, profeſſamque religionem, conſcientiæ preterea archana, à parte Solis, ac tertio, nono, undecimoque cœli domiciliis, deprehendi poſſe putant, pænoſcendisque hominum cogitationibus & intentionibus, multi multas admodum regulas aſtrologicas tradunt. Chriſtum Seruatorem noſtrum, temporum & horarum peritiſsimum uolunt, ea quæ propter, aſtrologicas quaſdam rationes obſeruaſſe, atque adeò dum Hieroſolymam, aſcẽderet, diſcipulis dixiſſe, non'ne duodecim horæ ſunt Dei? &c.

Ioan. 11. Luna atque Ioue cum capite Draconis in medio cœli coniunctis, qui Deo ſupplicauerit, omnia illum, ſiue homicidia, ſiue adulteria, & demum quæcunque petierit, obtenturum, promittunt. Quòd ſi quis Saturnum in Leone fœliciter conſtitutum, ingeneſi ſortitus fuerit, eius animam poſt hanc mortalem uitam, innumeris anguſtijs liberatam, ad cœlum & originis ſuæ primordia, rapiendam tradunt. Vitæ fœlicitatem, à Ioue Saturnoque largiri, conſtantiſsimum habent, uirginis Deiparæ puerperium, in cœli & aſtrorum configurationes quaſdam, quaſi in cauſas refundunt, redemptricem humani generis Chriſti mortem, opus fuiſſe Martis aiunt, ipſum met Catachlyſmum & Sodomæ incendium, quibus, ſancta ſcriptura docente, humani generis grauiſsima facinora,

2. Petri, 2. Deus mundo illo primæuo compeſcuit, non in eundem, ſed in aſtra refundunt. Diem

Actu. 1. Iudicij, quem pater poſuit in ſua poteſtate, & quem angeli Dei, immo filius ipſe iuxta carnis naturam, uniuerſa illa ſcientiæ ac ſapientiæ plenitudine præditus, niſi de eo pe-

culiarem patris habuiſſet reuelationem, neſciiſſet, his beatiſsimis uatibus Saturnus reuellat. Matt. 24 Quis enim neſciat ab Arnoldo Villanouenſi & à quibuſdam alijs eo haud ſanioribus, ante centum annos, de Iudicij die, aduentante, ex aſtronomica ratione comperto, tot, uolumina edita, ut neceſſe fuerit patribus in Lateranenſi Concilio ſub Iulio & Leone coacto, aſtrologicæ laſciuiæ frenum iniicere? Demum Chriſti miracula & ægrorum ſanitates, ut poſtea cùm de noſtræ religionis miraculis agemus, dicturi ſumus, Planetis accepta ferunt. et tamen hæc eſt illa diuina ſcientia, quæ iudicio Alyacenſis & Rogerij Bachonis, cum theologia conſentit. Nec tamen ego magnopere miror quòd hi, aſtrologicas fabulas (nam de huiuſmodi, quas modò recitauimus blaſphemiis, de theologis alioqui uiris, nihil tale crediderim) cum Theologia coniunxerint, cùm alter illorum Bacho ſcilicet, homo tamen noſtræ familiæ ac inſtituti, tanta eruditione præditus fuerit, ut de Necromanticis imaginibus, librum unum, de Excantationibus alterum, de Alchimia duos, præter alios innumeros in aſtrologica myſteria, temporibus à Theologicis ſtudiis ſucciſiuis, ediderit. Verum eſt igitur, quod & olim Lactantius Firmianus, homo præter ſolidam eruditionem, & extremam quandam eloquentiam, uerè Chriſtianus, & ante paucos annos Ioannes Picus Mirandulanus, de Aſtrologica arte pronunciarunt, eam non tam hominum quàm malorum dæmonum, inuentum extitiſſe, per quam illi, omnem philoſophiam, medicinam, leges, atque ipſam religionem, in humani generis certiſsimum exterminium niſi ſunt abolere. Verùm ego haud ſatis ſcio, quare hoc prophanum & Ethnicum inuentum, cum cæteris gentium inſaniis, quas ſcriptura condemnat, iam dudum Chriſtiani Magiſtratus non aboleuerint. quanquàm imperij Chriſtiani initio, Chriſtianiſsimos quoſque principes & Imperatores, ut antea commemorauimus, id feciſſe memoriæ proditum ſit. Sed forſan tunc temporis, non erant ſapientiſsimi iſti Theologi, qui aſtrologiam criticam cum Chriſtiana fide ac Theologia componerent. Illud uerò in his hominibus intolerabile, quòd non modò Theologiam, ſed prophetica uaticiuia, aut ſanctorum hominum patefactiones, cum aſtrologia coniungant. Quotus enim quiſque non legit, Ioannis cuiuſdam Lictembergenſis aſtronomi prognoſticum libellum, in quo mira audacia, ab anno 1484 in multa futura ſæcula, quaſi alter Ioannes Euangeliſta, quæ ſunt euentura deſcribit? Nam cùm eius anni menſe Septembri, die 25, hora 6, minutis 4, poſt meridiem, quaſdam diuinæ Brigidæ reuelationes, quaſdamque Sibyllæ Cretenſis, Abbatis Ioachim, & cuiuſdam Eremitæ Reynardi Lolhardi, quem uehementer ſupicor eſſe illum, à quo Hæretici Lolhardi & errorem & nomen acceperunt) prophetias, cum coniunctione Saturni & Iouis, eo die facta contuliſſet, ita pronuntiat, Circa annum Domini 1504 uel ultrà, maior & ſublimior Rex totius Occidentis mirabiliter fugabitur & deducetur in prælio, ac totus ferè nobilis eius exercitus mirabiliter occidetur, & potiſsimè erit turpiſsima ſtrages, & lamentabilis proſtratio & occiſio multorum magnorum Dominorum ac potentium; ita quòd non remanebit propter hoc negotium, quinimmo antequàm in Galliis ſit pax, talis, uel peior priore, turpiſsimè & mirabiliter per plures uices eueniet. Quarum in una, idem princeps nobiliſsimus captiuabitur, captiuabitur à ſuis inimicis euentu lamentabili, & affligetur dolore, propter ſuos, aquila uolabit per mundum, & ſubiiciet ſibi multas nationes. Quòd circa annum Domini 1517 tribus coronis in ſignum uictotiæ coronabitur, hactenus uates. In cuius tamen narratione, quæ falſa ſunt, aſtrologiæ ſunt, quæ uera, Sanctæ Brigidæ ſunt, quam Prophetico ſpiritu, claruiſſe, Eccleſiaſticæ Reipu. euentus, quos prædixit, apertiſsimè oſtendunt. Continentur autem hæc omnia in eius uaticiniis penè ad uerbum, quæ in quodam eius libello, præcedenti anno cùm Hiſpania Tridentum iuſſu Philippi Catholi Regis properarē, in quodam oppido Ducatus Sabaudiæ, me legiſſe recordor, cum aliis multis ad hanc hæreticorum tempeſtatem pertinentibus, potiſsimè uerò ad hos Gallicos tumultus, qui modò in Eccleſiam & religionē deſæuiunt, Væ, inquit, & iterum uæ Eccleſiæ Dei, cùm puer ſederit in ſede lilij. potens enim eſt Deus ſuſcitare Francos aduerſus Eccleſiam, & alia multa, quæ profectò cum factis uiderem reſpondere, ingenti cum admiratione legi. Non itaque aſtrologiæ beneficio ille futurus rerum diſcurſus, ſed dono prophetiæ tantùm, quod aſtrologicis fabulis Lictenbergenſis infamat, eſt præcognitus. Niſi, quòd neſcio quis ſit ille, maior Rex totius Occidentis, qui anno 1504 fuſo & occiſo exercitu, occiſiſque ſui Regni proceribus, fu-

gatus fuerit, niſi forte de Ludouico XII. Gallorum Rege loquatur, cuius tempore, Duce Conſallo Fernando Cordoua, cognomento Magno, fuſis, cæſisque Gallis, Rex Catholicus Ferdinandus Neapolim recepit. Franciſci uerò Valeſij captiuitatem, quæ ibi deſcribi uiderur, anno 1524 contigiſſe omnes conſentiunt. Imperatoris demum Caroli Quinti coronationem, non anno 1517, ſed 1530 Clemente VII. Pont. Max. celebrâram, multi, qui hodie uiuunt ſcripſerunt. Sed hi numeri & almanachi, non prophetici uaticinij, ſed aſtrologicæ temeritatis, quæ concurſus ſtellarum conſiderat, eſt fructus, ſic enim & hiſce annis quidam Gallus ut fertur ex Iudæo neophitus, Michaël de S. Maria, ex aſtrologica dementia, in ſingulos annos almanachos, quibus Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, &c. nugis implebat, diebus, horis, momentis, quibus illa contingerent, quæ cum penè omnium mortalium terrore, euētura prænuntiabat, aſsignatis, condebat. Quæ, ſi uera fuiſſent, iam ſuperiori anno penè tota Hiſpania corruiſſet. ſed eius hominis & ſimilium fabellæ, & terriculamenta, omnibus nota ſunt.

Duplex aſtrologia Ioannis Indaginis confutatur.

DISTINGVIT Ioannes de Indagine decanus Franchfordianus, uir præter puſillam pietatem, aſtrologus, Chyromantes, phyſiognomus, & alter Calcas, niſi quòd mauult Abrahamo, Ioſepho, Moſi & cæteris Patriarchis ac Prophetis, quos aſtrologos fuiſſe commemorat, uideri conſimilis, duplicem aſtrologiam, ſuperſtitioſam unam, quam nemo unquam palàm ſit profeſſus, quòd eius profeſsio ignominiam conciliaret auctori; ueram alteram, quam ipſe ac ſui ſimiles, cum ingenti hominum applauſu & approbatione pertractent, illam non modò à Pythagora diuinatricum artium inuentore, Ariſtotele, & Platone, neglectam, ſed à Seneca irriſam, & à Cicerone exploſam; hanc uerò ſanctiſsimam ſuam aſtrologiam, quæ quemadmodum agricola, ulmos uitibus, ita terram cœlo, id eſt, inferiora ſuperioribus uirtutibus collocet, & quæ, quemadmodum prohibita illa, homines auocat à Deo, ita in admirationem operum Dei, eoſdem homines excitet, tantum abeſſe ut ſit impia, ut magnus ille Zamolxis Thracum Deus, Zoroaſtes, non magus ille Bactrianorum Rex, ſed quidam alius Horomaſi filius, Damigeron, Hoſtanes, Dardanus, Appollonius ille Tyanæus, quem Hierocles Alexandrinus philoſophus, æqualem fuiſſe Chriſto contendit, Eudoxius inſuper, Alchindus, Rogerius Bachon, qui etiam Magiæ fuerint auctores, inuentores eius cultoreſque extiterint. Cui etiam Marſilius Ficinus homo citra controuerſiam grauiſsimus, libro edito de uita cœlitus comparanda, ingentis auctoritatis incrementum addiderit. Neque eſſe qui eidem obſtrepant, præter Romanos Pontifices, qui nihil probare ſoleant, quod quæſtum eorum diminuat, & indoctiſsimos ſophiſtas (ſic Theologos uocat) qui ſemper ignorata damnant, proclamantes, ſtatim hæreticum, quod ipſi non intelligunt, & præter Thomam Aquinatem, hominem, qui ſibi nunquam in dicenda ſententia conſtiterit. Hæc uir aſtrologicus, niſi quòd qui tam procaciter in Romanos Pont. & in Theologos debacchatur, non uidetur eſſe tantum aſtrologus, ſed etiam hæreticus.

NAM quod primo loco garrit duplicem eſſe criticam aſtrologiam, (ad quam tamen diſtinctionem grex aſtrologicus confugere ſolet) magis commentitium eſt quàm ipſa aſtrologia, tantum enim unam aſtrologiæ rationem, quæ Chaldæis & Aegyptiis accepta refertur, & in quam non modò Romani Pontifices & Eccleſiaſtica concilia anathemata iecerint, ſed Romani Imperatores, leges, grauiſsimis pœnis uallatas uibrauerint, hucuſque cognouimus. Neque uerò credibile eſt aſtrologiam illam, quam homo malè feriatus, auctoribus deſtitutam confingit, tot doctorum uirorum ſcriptis lacerari, tot canonicis, & Imperatoriis legibus ab Eccleſia, immo ante Eccleſiam, à repub. Romana proſcindi, niſi auctores habuiſſet, qui eam & publicè docerent, & editis libris, quod ſemper fecerunt, mundo, inuita natura intorquere contenderent. Et profectò facilem mihi rationem, aſtrologi, non modò defendendi aſtrologiam, ſed quaſcunque alias damnatas artes & nugas inueniſſe uidentur. cùm enim illis uel imperatorum leges, uel ſacra Eccleſiaſticorum patrum obtrudantur decreta, facile erit dicere, non has artes, ſed quaſdam alias damnatas & ſacrilegas, ab Imperatoribus aut Eccleſia damnari. Quaſi uerò ea aſtrologia poſsit eſſe aliqua magis ſacrilega, quæ non modò Stoicorum pernicioſam & damnatam ſententiam de Fato, uelit nolit Aliacenſis, ſi non defendit, introducit tamen, cùm omnia certo aſtrorum ordine fieri doceat, ſed etiam noſtræ religionis

gionis

gionis myſteria, ut antea dicebamus, non Deo ſed Saturno ac Marti accepta referat.
Sed miror aſtrologi hominis imprudentiam, qui cùm ſuæ aſtrologiæ, uel à mundi dilu-
uio patronos aſciuerit, damnatæ illi ac ſuperſtitioſæ aſtrologiæ, nullum inuentorem aut
cultorem donauerit. Quæ tandem, quæſo te aſtrologe, potuit eſſe aſtrologia, quæ nul-
lum patronum habuit? aut quæ aſtrologandi ratio fuit illa, quam tu, homo tamen parũ
ſacer, uocas ſacrilegam? An'ne quæ in prouidentiam blaſphema eſſet? an quæ Chriſto
& Euãgelico inſtituto uiuendi, fuiſſet iniuria? an quæ ueneficio miſta eſſet? At iſta, quã
tu diuiniſsimam uocitas, ut antea diximus, & poſtea cum de miraculis Chriſti agemus,
ſumus oſtenſuri, & prouidentiam tollit, dum fatum introducit, & Euangelium euertit,
dum non diuinitatis potentia, ſed naturæ ordine, quæcunque in illo geſta narrantur fa-
cta eſſe mentitur, & imagines certis magicis characteribus ad dementandos homines,
non tam uirtute rerum, quàm diaboli maleficiis approbauit. Tua igitur iſta, quam co-
lis & quæ à theologis, Romanis Pontificibus & Imperatoribus condemnata narratur
aſtrologia, eſt illa ſuperſtitioſa, quam damnas. Sed manus iam comminus conſeramus,
mirabilis aſtrologe. Ingenuè fateris, eam aſtrologiam, quam Pythagoras, Plato, Ari-
ſtoteles, Seneca & Cicero contemnunt, eſſe ſuperſtitioſam, illa autem non eſt alia,
quàm ea, quæ in zodiaco & aſtris uim quandam eſſe docet, qua alia atque alia ratio- *Lib.2. de*
ne aër immutetur, ut antea ex Cicerone protulimus, nec alia ratione à doctiſsimis illis *Diuina.*
uiris contemnitur, quàm quòd eam uirtutem in ſideribus collocet. Tua igitur iſta diui-
niſsima aſtrologia, aut nullam uirtutem in zodiaco & ſideribus collocat, aut ſi collo-
cat, non eſt alia quàm ea, quam Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Cicero & Seneca, fa-
buloſam putarunt. Deinde cur Imperatores, Pontifices & Concilia, eam diſtinctionem
non faciunt? An oportebat tam ſalutarem diſciplinam, & quæ homines in Deum,
(ut ais) reuocat, immo quæ penè prophetas facit, cum ſuperſtitioſa illa ac damnata
aſtrologia in tantam humani generis iniuriam confundi? Cur uel Romanæ uel Eccle-
ſiaſticæ Reipub. leges, hanc alteram, quam diuinam doces, ſuis pœnis non liberant,
ſed indiſtinctè, aut ſub nomine matheſeos, aut aſtrologiæ, aut genethliacæ artis, aut
pœnis corporalibus, aut anathemate uerberant. Sed audi, non Pontificem, qui tan-
tummodò, ut tu non minus mendaciter quàm procaciter blacteras, ea nouit approbare,
quæ ſibi quæſtum faciant (qui tamen in aſtrologicis fabulis exterminandis, profectò
nullus erat) ſed Toletanum Concilium, quàm parum eam fictitiam diſtinctionem,
quam inducis appendat, immo quàm generaliter omnem aſtrologiam Chriſtianis ho-
minibus abominandam decernat. Si quis aſtrologiæ uel matheſi exiſtimat eſſe creden- *1. Concil.*
dum, Anathema ſit. Sed Imp. iam audi, nam Pontificum decreta, pro tua Eccleſia- *Tole.*
ſtica pietate, non curas. Nemo inquit, Conſtantius Imperator, aruſpicem conſulat,
aut Mathematicum, nemo Ariolum, Augurem, & uatum prauam confeſsionem; con- *C. de ma-*
ticeſcant, Chaldæi, & Magi, ac cæteri, quos maleficos, ob facinorum magnitudinem, *lefi. & ma-*
uulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur: ſileat omnibus perpetuò diui- *thema. l. ne-*
nandi curioſitas. etenim ſupplicium capitis feret, gladio ultore, proſtratus, quicunque *mo.*
noſtris iuſsis obſequium denegauerit. Audi iterum eundem ad Taurum præfectum ſcri- *C. de ma-*
bentem, Si quis magus uel magicis cantationibus aſſuetus, qui maleficus uulgi conſue- *lefi. & ma-*
tudine, nuncupatur, aut aruſpex, aut ariolus, aut certè augur, uel etiam mathematicus, *the. l. & ſ.*
aut enarrandis ſomniis occultam artem aliquam diuinandi, aut certè aliquid horum *excepta.*
ſimile exercens, in comitatu meo uel Cæſaris, depræhenſus fuerit, præſidio dignitatis
exutus, cruciatus & tormenta non fugiat, ſi conuictus proprium facinus detegentibus,
repugnauerit pernegando, ſit equuleo deditus, ungulisque ſulcantibus latera, perſerat
pœnas, proprio facinore dignas. Quod ſi hunc Chriſtianum Imperatorem quanquàm
parum pium, ſuſpectum habeas, Diocletiani & Maximiani edictum iam accipe, Ar-
tem geometriæ diſcere atque exercere publicè intereſt, ars autem mathematica, da- *C. de ma-*
mnabilis & interdicta eſt. Audi & Vlpianum, Si quis inquit aſtrologus, uel qui aliquam *lefi. & ma-*
illicitam diuinationem pollicetur, conſultus, aliquem furem dixiſſet, qui non erat, iniu- *the. l. artẽ.*
riarum cum eo agi non poteſt, ſed conſtitutiones cum tenent. In his legibus & impe- *ff. de iniur.*
rialibus conſtitutionibus, quæſo te per immortales planetas, & zodiaci ſigna omnia, *& famo. li-*
diuiniſsime aſtrologe, ſit ne aliqua aſtrologiæ ſuperſtitioſæ & non ſuperſtitioſæ diſtin- *bel. l. Item.*
ctio? An'non omnes aſtrologi cum aruſpicibus, Ariolis, Chaldæis, Magis, & reliquis

maleficiis, ſine diſtinctione damnantur. An'non ea nunc damnatur, quòd ſit ars diuinandi? quòd ſit curioſitas præſciendi futura? An'non appellat eam Vlpianus, illicitam diuinationem? An'non uocat eam Diocletianus damnabilem artem? Aut igitur ueſtra iſta, quam nunc, multo illa antiqua nugis ac blaſphemiis pleniorem uenditatis, illa'met eſt, quam leges & Concilia, ſuperſtitioſam & damnatam artem appellant, aut nullum habet de futuris rebus uaticinium, quod tamen, tu, qui ais, hac diuiniſsima arte, non modò rerum naturalium præſcientiam acquiri, ſed per eandem homines prophetas euadere, non credo concedes. tua enim hæc ſunt uerba. Quid enim aliud tibi uidetur agere astrologus, dum futura prædicit, quàm quod quæ ſecretiora ſunt naturæ, ac ſoli Deo cognita, hominibus inſinuat per prophetiam, Dei uoluntatem, ac conſilium nobis inſinuans? ut Moſem illum & Abrahamum aſtrologos fuiſſe ferunt. Quid quæſo te lector, Conſtantium illum Imperatorem, qui duas illas leges priores contra aſtrologos tulit, ſi hanc blaſphemiam legiſſet, aut audiſſet, facturum exiſtimas? An'non eſſet Diocletiano & Vlpiano damnata ars, ea quæ ſoli Deo nota non modò ſcire, ſed multo ante præſcire iactaret? Ergo, quidquid Ioannes de Indagine, ac cæteri aſtrologici ſpiritus, nequicquam nugentur, aſtrologia, quam Romani Pontifices, Eccleſiaſticæ Reip. limitibus arcuete, eadem eſt cum illa, cui Pythagoras quaſi uanæ ac temerariæ, nullam fidem tribuit; quã Seneca irriſit, quam Cicero exploſit, quam Plato & Ariſtoteles, & inter ipſos aſtrologos, Iulius Firmicus Maternus, & doctiſsimi quique contẽpſerunt, cum ea, quam ſacra concilia cum ſuis cultoribus anathemate feriunt, cum ea, quam tum Ethnici tum Chriſtiani Imperatores, non alio flagitio, quàm quòd eſſet ars uaticinandi, cum malarum artium lerna confundunt, cum ea demum, cuius cultoribus, equulei, pectines, & gladij, ſicut aruſpicibus, ariolis, ſomniorum interpretibus, cæteriſque uaticinatricibus artibus decernuntur. Illud uerò ridiculum, quod nolit Ioannes de Indagine, ſuam aſtrologiam, id eſt eam, quæ modò eſt in uſu, eſſe eandem cum illa, quam Cicero irridet, & tamen uelit eandem in auctorem Zoroaſtem referri. Enimuerò Cicero, non aliam aſtrologiam irridet, quàm eam, quæ Perſas, Babylonios, (& qui iidem fuerunt) Chaldæos, auctores habuit: Zoroaſtem uerò Oromaſi filium, ſub Nino Rege Aſsyriorum annis quingentis ante bellum Troianum, aſtrologicam diſciplinam primum coluiſſe, auctores conſentiunt. Eſt igitur Ioannis de Indagine, aſtrologia, non alia, quàm ea, quam Cicero, & poſt eum Seneca & celeberrimi quique Romani philoſophi, irridente, & ad damnatas artes pertinere conſentiunt. Nam quòd ſuam aſtrologiam hac ratione comprobatum iri ſibi perſuadeant aſtrologi, quòd eius natales & ſtẽmata in Zoroaſtem, Zamolixim, Hoſtanem, Damigeronta, Appollonium, Dardanum, Alchindum, & Rogerium, referantur, tantum abeſt ut eam à ſuperſtitione, immo flagitiis, quæ illi, tum à probatiſsimis quibuſque auctoribus, tum ab Eccleſiaſticis & ſæcularibus legibus, imponuntur perpurgent, ut omnino mihi cauſam prodere uideantur: nec ſatis ſcio, cur non & reliquos ueneficos, Iarcham, Theſpionem, Budam, Abarim, Hermem, &c. aſtrologicæ diſciplinæ patrocinio quæſiuerint. Scimus eos, quos eius, quam laudat aſtrologiæ, uult eſſe parentes, tum ex quorundam eorum ſcriptis, qui adhuc ſuperſunt, tum ex Plinio, Conſtantino, ſiue Dionyſio Vticenſi de agricultura, Athenæo &c. homines magos & ſuperſtitioſos fuiſſe, & forſan non Magia illa, quam naturalem quidam appellarunt, ſed illa damnata magia, cuius libros, ſicut & aſtrologiæ, damnatæ lectionis Vlpianus appellat. Et alioqui æquum erat, ut qui ſuperſtitioſam illam aſtrologiam Pythagoræ, Platoni, Ariſtoteli, Ciceroni ac Senecæ, diſplicuiſſe docebat, hanc alteram ſuam, non modò Zoroaſti Chaldæo, Hoſtani mago, Alchindo ſuperſtitioſo, & cæteris, quos ibi enumerat, ſed Pythagoræ, Platoni, Ariſtoteli, Ciceroni & Senecæ, placuiſſe monſtraret. Nam cùm illi aſtrologiam indiſtinctè damnent, ſuſpicio uiolenta eſt, cum ea, quam Ioannes de indagine ſuperſtitioſam uocat, & illam ſuam non ſuperſtitioſam fuiſſe confuſam. Marſilius uerò Ficinus alioqui uir doctus, non tantus eſt, ut aſtrologiam de non eſſe ad eſſe, edito libello, proferat. Vtinam ille in Platonica philoſophia enarranda, non quædam excogitaſſet myſteria, quæ meritò doctioribus, ſuperſtitioſa uidentur. Vtinam ille aut cœlum aſcendiſſet, aut nobis ex Platonis & Plotini ſacrariis, eius, quam docet aſtrologiæ, rationes ac fundamenta, eruiſſet, quæ neque cum natura, neque cum ratione, neque cum religione, ut ea quæ modò habemus pugnarent. Verùm

Ioannes de Indaginem aſtrolog. natural. proœmio.

ff. de iniuriis, & famo. lib. l. Item.

de aſtro-

de aſtrologica uanitate iam ſatis: nunc de reliquis ariolatricibus artibus, quæ phyſico uaticinandi genere continentur, dicamus.

VBI primò, hæ ſeſe offerunt, quæ aſtrologico partu nobis prouenerunt, phyſiognomia nimirum & eius partes, chiromantia, metopoſcopia, podomantia, & ſi quæ pro humanorum membrorum uarietate, ſunt aliæ: tot enim ſunt huius diſciplinæ partes, quot humana externa membra, niſi quòd facies, manus & pedes, quòd ſint notiores, ſibi has tres diuinatorias artes uſurpauerunt. Eſt autem (ut ſuprà quoque multoties annotatum eſt) duplex phyſiognomia, naturalis una, quam Pythagoras, Socrates, Galenus, Polemon Athenienſis Philoſophus, Arthemidorus Epheſius, Melampus, Adamantius ſophiſta, Auicenna, & his omnibus doctius, Ariſtoteles coluit, quæ non modò portio uaticinatricis medicinæ, in quantum externa corporis inſpectione, temperamenta uenatur, ſed ciuili quoque prudentiæ, in quantum hominum mores, & procliuitates conſiderat, à doctis habetur, cuius partes, naturalis illa metopoſcopia, chiromantia, & podomantia &c. creduntur, quæ certis ſignis, ex humani corporis inſpectione notatis, regulas quaſdam, ad temperamenti uel morum edenda uaticinia, conſarciunt. Sciunt hæ artes exigere. quot næuos, quot rugas, quantasq;, in fronte, in manibus, in pedibus, natura deſcripſerit. notant, quales oculos, quæ ſupercilia, qualem frontem, quale caput, qualem naſum, quales dentes, quale mentum, collum, pectus, uentrem, coxas, pedes, crura, quiſque fuerit à natura ſortitus, ex omnibusque iſtis, non ex aliqua parte, non de eius actionibus, numero, loco, tempore, perſonis, ſignatis, non de aliena uoluntatis futuris, ut uniuerſi, qui nunc circumferuntur, una Ariſtotelica excepta, phyſiognomiæ aut chiromantiæ, inaniſsimè garriunt, ſed de animi propenſione ac procliuitate, in has aut illas actiones, non certa, ſed probabili coniectura, uaticinia componunt. Eſt autem, tanto harum naturaliũ artium incertitudo maior quàm aliarum, quæ etiam à natura originem ſortiuntur, quanto magis principiis, ex quibus futura ſecundum rationem concluſionis ſequantur, deſtituitur, & quanto hominis animus, in naturæ impetus & propenſiones comprimendas, quàm reliquorum animantium eſt fortior: multa enim naturalem animi propenſionem impediunt, nimirum, cibus, cœlum, patria, leges, conſuedines, & quæ omnium ad naturæ uim inferendam eſt potentiſsima, educatio. Atque adeo Ariſtoteles phyſiognomicum iudicium, etiam poſt omnium partium humani corporis collationem, tam difficilè iudicat, ut uix aliquando tandem ueritatem attingat; Hanc phyſiognomiam cum omnibus ſuis partibus, tantum abeſt ut improbemus; ut uellemus ab iſtis, quibus nunc infælicitate auctorum, ſcatet fabuloſis figmentis, perpurgari, niſi quòd ſatis mihi ab Ariſtotele lib. uno τῶν φυσιογνωμικῶν, ea philoſophiæ portio uidetur exculta: ad quam etiam Petri Montij de multiplici temperamento, & de cognoſcendis hominibus, non omnino inutilis liber pertinere uidetur, in quo externa corporis inſpectione, primò quidem complexionis rationem, deinde non ſuperſtitioſa, ſed tum medicinæ ac philoſophiæ ratiocinio, tum humanis obſeruationibus, gentium, prouinciarum & ſingularium hominum, mores, ingenia & propenſiones deſcribit.

ALTERA eſt phyſiognomia aſtrologica, quæ aſtrologico artificio de cœlo deſcendit, quæque ſigna zodiaci & cœleſtes planetas, primùm quidem in humanũ corpus, deinde in eius partes, caput, collum, brachia, thoracem, uentrem, coxas, pudenda, femora, poplites, ſuras, pedes; & his minutiora, carpum, uolam, pollices, indices, uerpos, medicos, auricularesque digitos, lineas & rugas Olympo præcipites detruſit, quæ inquam in totius humani corporis membris, certas partes, certasque regiones, ſignis cœleſtibus planetisque dicauit; indeque non modò temperamenti naturam & animorum propenſiones, ſed actiones, loca, tempora, fortunas, languores &c. tanta uaticinatur audacia, ac ſi eſſet illa cœleſtis ſapientia, quæ à fine uſque ad finem omnia ſuauiter fortiterque diſponit. Huius pars eſt, ſuperſtitioſa illa fabuloſaque chiromantia, quæ totam palmam per ſeptem montes (ut uacant) diuiſam, planetis diſtraxit. De quibus quid ego ſentire debeam, cùm huiuſmodi næniæ non aliud ſint quàm aſtrologici fœtus, ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, haud obſcurum eſſe credo: ſi enim uniuerſa naturalis aſtrologia, fabuloſa eſt, & aſtrologia phyſiognomica, metopoſcopica, chiromantica, uel podomantica, fabuloſa quoque perinde erit, niſi quòd nunquam alicubi ut in his artibus, ſic ſe produnt aſtrologicæ nugæ. Cui enim (modò humani intellectus uel tan-

In phyſiognomiam & eius partes.

Superſtitioſa phyſiognomia.

Sap. 3.

 tillum

tillum poſsideat) aſtrologi perſuadeant, eſto quòd aſtrologica ſcientia uera eſſet, & planetaris ille influxus, natura ipſa comprobatus eſſet, uniuerſos planetas, ita inter ſe conueniſſe, ut humanam manum inter ſe partirentur? Enimuerò planetarum actio, ſi ulla in his inferioribus præter lumen recipitur, non uno loco, ſed ut ſolis & lunæ, quas experimur actiones, uniuerſaliter funditur. Cur ergo Venus tuberculo pollicis, Iupiter indicis, Saturnus medij, Sol medici, Mercurius, minimi digiti, Luna percuſsionis, Mars palmæ ſcrobiculæ, tantummodò dominentur? Dicent eas manus partes his, quibus attribuuntur planetis, temperamento reſpondere, atque adeo in ipſis potius, quàm in aliis, eorum actiones recipi. ſed quæſo, in tam parua humani corporis parte, cur tot cõplexionum diſcrimina? An tuberculus pollicis ſanguineus erit, & medij digiti, qui Saturno reſpondet, melancholicus erit? Quòd ſi temperamenti ratione fiat iſta diuiſio; in homine igitur melancholico, nihil cæteri planetæ dominij poſsidebunt, quoniam hominis melancholici, partes, quæcunque melancholicæ erunt. tuberculus igitur Veneris, Iouis, Saturni, Solis, Mercurij, Lunæ uel Martis, melancholicus erit. quòd ſi homo ſit ſanguineus, eadem ratione cæteri planetæ, nihil in uniuerſo eius corpore, aut manibus, habebunt dominij, idemque de reliquis temperamentis eſt habendum iudicium. Non igitur diuerſi temperamenti ratione, ſed mera aſtrologorum, qui omnia ſuis fabulis inficiunt, uoluntate, dominia planetaria ſunt in humano corpore, aut manu, diſtincta. Verùm dum uaniſsimas nænias ratione confutamus, periculum eſt, ne ipſi quoque uanitatis inſimulemur. Præſtabit paucula ex circulatorum quorũdam multis libris, quæ ipſi tamen totius phyſiognomicæ ac chyromanticæ diſciplinæ fundamenta ſupponunt, in medium producere, ut inde quales ſint ipſe artes, quæ ex illis fundamentis præcepta conficiunt, apertè noſcatur. Et ſunt eius ingenij mendacia, ut potius ex eis ipſis in ea, quam ex aliis quibuſcunq;, argumenta decerpas. Docent phyſiognomoaſtrologi, Solem in Ariete, quod primum ſignum eſt inter reliqua ſigna, in decem primis gradibus editos facere ſubrufos, ſimos, uentre exili & anguſto, macilentos, ſignatos in ſiniſtro
Ioan. Indag. &c. pede uel cubito, amicos habentes plurimos, odientes malum, proſequentes quod optimum eſt; in ſecunda uerò facie, id eſt à decimo gradu Arietis, uſque ad uigeſimum, facere nigrum, qui nigror tamen, non in uicium reputetur, ſed in uenuſtatem & maximam ciuilitatem: temperatæ qualitatis facere, & iracundum, ſuſpicioſum, fraudulentum, cordatum, ſeptum inimicis pluribus, qui hunc uenentur ad mortem: in tertia facere interdum rufum croceo permiſtum colore, ſolitarium, meditantem inſidias & frandes frequenter, Eundem ſolem in prima facie Tauri, facere præ grandibus oculis; labronem, ſignatum in ceruice, feſtiuum & iocularem, in deliciis ſemper occupatum; in ſecunda facie, laſciuum, libidinoſum, uagabundum atque mutabilem; in tertia frigidiorem propter Saturnum, qui ultimam hanc faciem occupat. Sicque per duodecim ſigna iidem Solem tantùm circunferentes, aliorum planetarum dominij prorſus obliti, uniuerſas hominum formas & figuras diſtinguunt. Chitomantici Aſtrologi, urbaniores ſunt in alios planetas, nam eos, qui lineas quaſdam, iu Saturni, Veneris, Iouis, So-
Ioã. Taiſner. lis, Martis, Lunæ aut Mercurij tuberculo, deſcriptas habuerint, ad eos planetas pertinere non dubitant. Sed ò ſtultitiam, nunquid uniuerſi, qui in toto Orbe in primis decem gradibus Arietis eduntur, ſubrufi, uentre exili & anguſto, macilenti, atque in ſiniſtro pede aut cubito ſignati, erunt? Nunquid uniuerſi, qui in ſecunda facie naſcũtur, nigri erunt? uenuſti erunt? ciuiles erunt? temperati erunt? ſuſpicioſi erunt? Nunquid uniuerſorum natiuitates, qui his aut illis, quas uaniſsimi & ocioſiſsimi homines in Veneris, Iouis, Saturni &c. tuberculis notarunt, ad id tempus, quo Venus, Iupiter aut Saturnus imperabat, oportebit reducere? Sed de his artibus, quæ etiam apud uulgus infames habentur, hæc dixiſſe ſit ſatis.

NVNC ad reliquas, quæ nihil habent cum aſtrologia commune, artes properemus, niſi quòd in eis confutandis, tum quod de illis M. T. Cicero, doctè & eloquenter duobus illis libris de Diuinatione, diſputauerit, tum quòd eas omnium mortalium, rerum publicarum ac legum conſenſus, non modò tanquàm impias & ſuperſtitioſas, ſed uanas, inutiles & commentitias proſcripſiſſe uideamus, breuiores futuri ſumus, quàm in aſtrologico congreſſu, quæ ars hodie quoque non paucorum hominum, nihil maiorum noſtrorum, tum Eccleſiaſticis, tum imperatoriis ſanctionibus, prohibentibus; mentes & ani-

mos

mos occupauit. Et quidem Pythagoricæ ſortis dementia, (ut de ea, quæ antiquior eſſe fertur, & iam belli Troiani tempore, Heroibus in uſu fuiſſe dicitur, primo loco dicamus) quanta ſit, ipſa artis enarratio haud obſcurè prodit. Cum enim mortalibus, non ipſe naturæ & uniuerſi ordo, ſed hominum beneplacitum ac uoluntas, ſicut cæteris quibusque rebus nomina indiderit, neſcio qua'nam ratione factum fuerit ut aut numeris, literis incluſis, aut uocalium exceſſui; diuinatio, tributa fuiſſe crederetur. Quid enim per Deum, uoluntaria nominis impoſitio, quæ & alio pacto fieri poterat, cum morbo, cum ſalute, cum caſu, cum robore, ac cæteris, quæ non ab hominum arbitrio, ſed à naturæ ipſius indiuiduis principiis deriuantur, commercij habet? Quòd ſi cum naturæ actionibus, nomina, aut maior minor'ue numerus ſyllabarum, nullam habent affinitatem, qui, quæſo, cum fortunæ quæ necdum à natura dependent actionibus, certam connexionem poſsidebit, ita, ut qui alterum aut ſyllabarum numero, aut numerorum quantitate, ipſo nomine ſuperauerit, in bello, lite, coniugio, uita, ſuperior ſit futurus? Enimuerò naturales actiones, aut à naturæ principiis, aut naturalibus aliis actionibus. uoluntarias item à libero principio, id eſt uoluntate, aut actionibus uoluntariis deriuari, ratio ipſa neceſſariò poſtulat, ſicut cōtrà naturales, à uoluntariis actionibus pendêre, natura non patitur. Multo tamen abſurdius eſt, fortunæ proſperitatem, ſecundos aut infœlices ſucceſſus, uoluntariis actionibus aſcribere, quòd nimirum natura, cum uoluntate minus quàm cum fortuna, quam nec ipſa uoluntas præuenire poteſt, cohæreat. Vaniſsimè itaque Terentianus, Patroclum ab Hectore uinctum, illum uerò ab Achille ſuperatum, quòd Patroclus ab Hectore, Hector uerò ab Achille, numeris nominibus incluſis, ſuperaretur, hiſce uerſibus canit.

Et nomina tradunt, ita literis facta
Hæc, ut numeris pluribus, illa ſint minutis
Quandoque ſubibunt dubia pericla pugnæ,
Maior numerus qua ſteterit, fauere, palmam
Præſagia lethi minima parte ſumma
Sic & Patroclum Hectorea manu periiſſe,
Sic Hectora tradunt, cecidiſſe mox Achillis.

Quòd ſi hæc ars uera eſſet, profectò facile eſſet ex maximorum quorumque numerorum characteribus, nobis nomina effingere, atque ita de hoſtibus & quibuſcunque aliis, reportare triumphum.

ALEATORIAE artis uaticinia, quam uana ſint, & temeraria, haud minus compertum eſſe exiſtimo. Quid enim calculi, Teſſeræ, Tricoli, Senionis, Monarchi &c. temerarius & fortuitus iactus, diuinationis habere poteſt? aut quo pacto res, quæ nobis à natura imminent, ut morbi ualetudo &c. aut quæ à uoluntate impendent, ut uiolenta mors, principum gratia &c. cum fortuna & caſu, quæ neque uoluntati hominum deſeruiunt, neque naturæ colligātur, conuenient? Neque uerò crediderim Attalum Aſiaticum regem, Auguſtum & Tyberium Imperatores, aleatoriæ huic ariolatrici, quæ profectò illis non poterat ſuperſtitioſiſsima non uideri, nauaſſe operam, aut eam ſcriptis libris coluiſſe; ſed illam alteram, qua fortunæ per ſerios ludos, pecuniæ cōmittuntur, quæ tamen non modò Chriſtianorum principum, ſed omnium penè gentium legibus, quòd eſſet Reip. pernicioſa, interdicta fuit & infamis habita. Vnde Cabilon Lacedæmonius, iungendæ ſocietatis cauſa Corinthum legatus miſſus, cum duces ac ſeniores Corinthiorum inueniſſet alea ludentes, infecto negocio rediit, dicens, Nolle ſe Spartanorum gloriam, hac infamia maculare, ut dicerentur, cum aleatoribus ſocietatem contraxiſſe: tantoque probro apud maximos quoſque habita eſt, ut Regi Demetrio in lenitatis opprobrium, taxilli aurei à Parthorum Rege miſsi ſint. Illud uerò, aleatoriæ arti totam futurorum diuinationem uidetur præripere, quòd in eam quoque rectè ac dextrè iaciendam, ſit quædam ars, unde rerum, quæ futuræ eſſent prædictiones, arte ac uoluntate noſtra potuiſſent acquiri.

Augurium deinde, cùm Chryſippus, Diogenes, Antipater, Panetius, Carneades, apud Ciceronem, & inſuper ipſe Cicero, & poſt eum Ioſephus, & Philo Iudæus, immo uerò Philoſophi uniuerſi uno Platone excepto & uanum oſtenderint, & tot maledictis inceſſerint, opus non fuiſſet Chriſtiano Theologo, argumentis conuellere, niſi

De ſorte Pythagorica.

De Aleatoria.

In Augurium.

ſuſcepti inſtituti ratio, omnium iſtarum artium uanitatem poſtularet oſtendi, ut uni prophetiæ, quæ diuinitus contingit, noſtrorum myſteriorum prædictiones, referantur acceptæ.

Ergo duplicem (ne cum his omnibus uniuerſam aruſpicinam damnare uideamur) augurandi ſcientiam peritiores ſtatuunt, phyſicam unam, quæ ad artes illas, quibus prædicendi poteſtatem naturæ ipſius obſeruatio indulſit, nauticam dico, agriculturam, &c. quaſi portio reducitur: alteram, quæ ad artificioſum genus diuinandi, pertinet, quæ ni mirum, ab hominibus inuenta & excogitata, rebus futuris, non naturalibus, ſed uoluntariis, denunciandis inſeruit. Illam tantum abeſt ut damnemus, ut potius eandem, ſi ſine ſuperſtitione acquiri queat, ad uitæ humanæ commoditates ingentes, ſpectare credamus: de ea enim Ariſtotel. qui omnibus uanis ariolatricibus artibus fuit ſemper infeſtus, non uno loco ſermonem facit. Approbant & tandem multis ex Ennio aliiſque antiquioribus productis exemplis Cicero. lib. 1. de diuinat, et Theophraſtus lib. de ſignis. Hæc ex multis animantibus, tum terreſtribus tum aquaticis, potiſsimè uerò ex auibus, aut tempeſtates futuras, aut pluuias, aut contrà ſerenitatem & maris tranquillitatem ex aëris circumfuſi permutationibus, quibus huiuſmodi animantes afficiuntur, certiſsimè denuntiat: Vnde Virgilius,

Ariſtot. de hiſt. anim. lib.9. ca 1. & 31. & lib.2. de cœlo. text. 10. & c.

Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferant ad litora, cumque marinæ
In ſicco ludunt fulicæ, notasque paludes
Deſerit, atque altam ſupra uolat ardea nubem, &c.

et alius apud Ciceronem.

Cana fulix itidem fugiens è gurgite Ponti,
Nuntiat horribiles clamans inſtare procellas.

Secundam hanc, non modò theologia, uerùm uniuerſa ſincerè philoſophandi ratio, perpetuò inſanam, delitam, ac uanam exiſtimauit. Quod quàm merito factum fuerit, iam eſt oſtendendum. Igitur quanta fuerit, in auguratrice diſciplina inconſtantia, quanque uariè ea diuerſæ gentes ſuperſtitione deceptæ, uſæ fuerint, his uerbis Cicero lib. 2. de diuinatione Q. Fabio recenſet, Externa, inquit auguria, quæ ſunt, non tam artificioſa, omnibus ferè auibus utuntur, nos admodum paucis, alia illis ſiniſtra, alia noſtris. Solebat ex me Deiotarus percontari, noſtri augurij diſciplinam, ego ex illo ſui. Dij immortales quantum differebat, ut quædam eſſent etiam contraria, atque ille iis ſemper utebatur, nos niſi dum à populo auſpicia accepta habemus, quàm multum iis utimur. Hactenus Cicero. Et poſtea, Quæ autem eſt inter augures conueniens, & coniuncta conſtantia? ad noſtri augurij conſuetudinem dixit Ennius,

Cum tonuit læuum bene tempeſtate ſerena.

At Homericus Aiax, apud Achillem, quærens de ferocitate Troianorum, neſcio quid hoc modo nunciat.

Proſpera Iupiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis ſiniſtra uidentur, Graiis & Barbaris dextra meliora; quanquam haud ignoro, quæ bona ſint, ſiniſtra nos dicere, etiam ſi dextra ſint. Sed certè noſtri ſiniſtrum nominauerunt, externique dextrum, quia plerunque melius id uidebatur. hæc quanta diſſenſio eſt? Quid, quod aliis auibus utuntur, aliis ſignis, aliter obſeruant, aliter reſpondent, non neceſſe eſt fateri, partim horum errore ſuſceptum eſſe, partim ſuperſtitione multa fallendo? hactenus Cicero. Non igitur una eademque fuerunt eius artis principia, ſed pro prouinciarum, regionum uarietate, diuerſa: quæ inconſtantia eam uoluntariam, neque cum natura cohærentem apertiſsimè prodit: natura enim apud omnes eſt eadem. Et alioqui, ut ſapienter idem Cicero inquit, quæ eſt natura quæ uolucres huc & illuc uagantes efficiat ut ſignificent aliquid, & tum uetent agere, tum iubeant cantu & uolatu? Cur autem aliis à dextra, aliis à leua datum eſt auibus, ut tantùm auſpicium facerent? hactenus Cicero. Eſt igitur res uoluntaria aruſpicium, ac perindè nullius diuinationis, rerum futurarum capax, & meritò gentium ſuperſtitioſarum inuentum. Quo modo autem, ait idem Cicero, aut quando, aut à quibus inuenta dicemus? Hetruſci tamen habent exaratum puerum, auctorem diſciplinæ ſuæ, nos quem? Accium ne Nauium? At aliquot annis antiquior Romulus & Remus, ambo augures ut accepimus, an

Piſidarum

Piſidarum aut Cilicum, Phrygum'ue iſta inuenta dicemus? Placet igitur humanitatis expertes habere diuinitatis auctores? Hæc ille. Quòd uerò inquit Hetruſcos puerum exaratum auctorem aruſpicinæ habuiſſe, de Tage loquitur, quem in agro Tarquinienſi aratro erutum, eam artem Hetruſcos docuiſſe memorant. Verùm præſtat ſuperſtitioſas Stoicorum philoſophorum ratiunculas in medium adducere, ex his enim quàm ſolido, fundamento, niterentur auſpicia, compendioſius uidebitur. Principiò illa maiorũ, conſtitutione tuentur, quòd Romulus ſcilicet & Remus Romanæ ciuitatis auctores, aruſpices fuerint, cui ita Cicero reſpondet, Credo, inquit, Romulum, qui Vrbem auſpicatò condidit, habuiſſe opinionem, eſſe in prouidendis rebus augurandi ſcientiam, errabat enim multis in rebus antiquitas, quam uel uſu iam, uel doctrina, uel uetuſtate immutatam uidemus. Retinẽtur autem ad opinionem uulgi & ad magnas utilitates Reip. mos, religio, diſciplina, ius augurum, collegij auctoritas. Quæ ſecunda ratio à Cicerone allata, adeo mihi probatur, ut neque à Romulo neque ab aliis quibuſque gentibus, quæ augurio celebres in hiſtoriis feruntur, tanta ignorantia & ſtupiditate laboratum crediderim, ut ſibi perſuaderent, motionibus aut garritibus auium, quicquam diuinationis ineſſe, ſed ſolùm illa ac ſimilia uaticinandi genera, ciuilis prudentiæ ratione, & ad religionis & obedientiæ, quæ ab ea deſcendit, conciliandam obſeruantiam, & inueniſſe & obſeruaſſe. Deſtituebantur prophetico uaticinio, quòd ueræ religionis non eſſent participes. neceſſe igitur legumlatoribus erat, ut ſententiam de numinis prouidentia, à qua una religio, & à religione uera magiſtratus obedientia deſcendit, in Repub. conſeruarent, auguriorum ſuperſtitionem in ciuitates inducere. Atque eadem prorſus ratione uel Plato in Phædro, uel Xenophon in Cyri pœdia, ille dum augurandi ſcientiam ueram ſcientiam & reipublica bene conſtituta uſurpandam eſſe docet, hic dum Cambyſem inducit Cyro filio ad Aſtyagem auum proficiſcenti, ne aliquid ſine augurio faciat præcipientẽ, de augurio loqui mihi uidentur; non quidem quòd homines alioqui ſapientes, aliquid huius generis inſaniis deferendum putarent, ſed quòd, cum uterq; humanam rationem uiuendi & reipublicæ agendæ formam, in qua ad homines in officio continendos ſuperſtitione aut religione opus eſt, illis locis conſcriberent, ea non ſint uiſa repudianda, quæ iam apud ipſum uulgus auctoritatẽ obtinuerant. Atq; ita illa altera Stoicorũ ratio, quòd omnes penè gentes uterentur auſpiciis, facilè diluitur. quanquam Cicero aliam rationem huius publici conſenſus eſſe uelit. At omnes reges, populi, nationes, inquit, utuntur auſpiciis. quaſi uerò quicquam ſic tam ualde, quàm nihil ſapere, uulgare, aut quaſi tibi ipſi in iudicando placeat multitudo. Q notusquiſq; eſt, qui uoluptatem neget eſſe bonum, plerique etiam ſummum bonum dicunt. num igitur eorum frequentia de ſententia deterreutur; aut non pletiſque in rebus, ſequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, ſi in omnibus auſpiciis, & omni diuinatione, imbecilli animi ſuperſtitioſa iſta concipiant? hactenus Cicero. Ineptiſsima deinde erat illa eorundem Stoicorum ratio, quòd Deus id poſſet efficere, quam nõ minus facetè quàm doctè ita Cicero eludit, Nihil eſt inquiunt, quod Deus efficere non poſsit. Vtinam ſapientes Stoicos effeciſſet, nec omnia ſuperſtitioſa ſolicitudine & miſeria crederentur. Tandem exemplis & experimentis tum à Romana repub. tum à gentiũ aliarum hiſtoria petitis, Stoicorum ſchola, aruſpicia confirmat. Quibus, non aliud reſpondere oportet, quàm quod Aſtrologis, qui etiam exempla proferebant, reſpondimus: nunquam uanis ac ſuperſtitioſis artibus, exempla deeſſe. Ea denique, quæ ab eiſdem exempla proferuntur, mira eloquentia & eruditione Cicero eodem libro conuincit. Fuerunt etiam multa eorum, diabolicæ perſtigiæ, quo hominibus etiam ſapientiſsimis ſuperſtitio & falſorum deorum cultus, induceretur, ut quod de rege Deiotaro, & de ipſomet Cicerone refertur, quorum prior, cùm domum ad quieſcendum ſibi paratam, quòd ſuper eiuſdem tecto aquila conſpecta eſſet, ingredi renuiſſet; ſequenti nocte domus corruerit, alter uerò Caieræ, cum ferrum quoddam horologij à coruo excuri conſpexiſſet, protinusq; coruus ad ipſum aduolans, morſu tenaci, eius togam apprehendiſſet, adeo ut non niſi à ſeruis occiſus, eandem deſeruerit, paulò pòſt uitæ conceſſerit. hæc inquam, non tam caſu, quam diabolica uerſutia, quo homo alioqui parum credulus & ſuperſtitioſus, ſuperſtitionem ſibi induceret, accidiſſe credendũ eſt. Sunt & multa ſimilia apud Valerium & Ciceronem exempla. Verùm de aruſpicina iam ſatis. Somni-

In ſomniſpicum. ſpiciam, Epicurus, Metrodorus Chius, Xenophanes Colophonius, & apud Romanos M. T. Cicero, uniuerſam de medio ſuſtulerunt, quòd nimirum ridiculum putarent, rerum externarum ſimulacra, quæ per ſenſus temere interdiu concepta, temere quoque in ſomniis, animum ipſum pulſant, aliquid diuinitatis habere. Contrà, Orpheus, Socrates, Pythagoras, Plato, Chryſippus, Porphyrius, Platonici, & Stoici, multum eis tribuerunt; quanquàm magno ſententiarum diſcrimine. Stoici enim, cùm uniuerſa ſomnia aliquid portendere putarent, Academici, ea tantum, quæ à quodam animi & corporis præparatione prouenirent, à tenui nimirum cœna, à purgato cerebro, à certo ciborum delectu, diuina putabant. Vnde Socrates eos, qui frugali uictu ac potu, ſomno *Dialog. 9. de Rep.* ſeſe tradidiſſent, uiſa tranquilla atque ueracia cernere docebat: contrà uberiorem paſtum, animam ita opprimere, ut influxus ſuperiores non ſentiat. Nos, neque cum prioribus illis uniuerſam ſomniſpiciam abrogamus, neque cum his, omnia ſomnia ſtatui-*Triplex ſomniſpicia.* mus, ſed eam triplicem, pro triplici ſomniorum origine, eſſe credimus. Eſt enim ſomniſpicia, quæ in diuinorum ſomniorum, ideſt eorum, quæ diuinitus infunduntur, interpretatione uertatur, quæ non eſt aliud quàm pars prophetiæ. nam per ſomnia cum uiris *Iob. 33.* ſanctis, Deum nõnunquam congredi, ſcriptura docet. Per ſomnium, ait Iob, in uiſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit *Hiere. 23. Dan. 2.* aures uirorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina. Et in Hieremia. Qui habet ſom-*Dan. 7.* nium, narret ſomniũ; qui habet ſermonem loquatur ſermonẽ meum. Vereq; Daniel ac *Iol. 2. Matth. 2.* Nabuchdonoſor, ſomnia, quæ rerum futurarũ eſſent præſagia, ſomniaſſe dicũtur. Inter que Euangelicæ fœlicitatis partes cõputãtur; à Ioele, quòd ſenes, ſomnia ſint ſomniaturi, & iuuenes uiſiones uiſuri. Et demum ne uniuerſa quæ tum ueteris, tum noui teſtamenti hiſtoriis continentur, exempla huc proferamus, Ioſeph, ſacratiſsimæ Virg. ſponſus, in ſomniis admonetur, ut puerum & matrem eius Herodis crudelitati, fugiens in Aegyptum, præripiat: in qua ſomniſpiciæ parte, & Ioſeph in Aegypto, & Daniele in Babylonia floruiſſe legimus, non quòd eam humano ſtudio, ut quidam delirant acquiſiſſent, ſed quòd eam cum cæteris prophetiæ partibus diuinitus accepiſſent. De eadéq; *In Pyman.* Philo Iudæus, librum condidit, licèt quædam (ut moris habet,) ex Platonica philo-*Lib. de Diuin. per ſomnium.* ſophia confundat, de eaq; Hermes Triſmegiſtus, Deum probis & piis hominibus inquit, Nocte per ſomnium congredi. Auerroes etiam ab intelligentia ſeparata, prouenire ſomnia, quaſi prophetiæ partem credit: quod ſomno Pharaonis de quo Ioſeph inter-*Orph. libro de myſter. Aegy. c. 22.* rogauit comprobat. Apud Iamblichum etiam Orpheus, de eadem, ſomnij nimirum, ſpecie, loquens, mitti, ait, à diis ſomnia pro eorum arbitrio: quando & quomodo uolunt, ad futura portendenda. Neque uerò (quamuis hoc tamen frequentius acciderit) tantummodo iuſtis ac ſanctis hominibus, hoc genus ſomnia infundi credendum, ſed etiam iniuſtis ac peccatoribus, immo uerò & idololatris, quod præter Pharaonis & Nabuchdonoſoris hiſtorias, gentium quoque, quæ multa, non modo Quintus Fabius apud Cicer. lib. 1. de Diuinat. ſed alij complures coaceruant, monumenta teſtantur. Nam ut omittamus multa ſomnia, quæ quòd nullam diuinitatis excellentiam oſtendãt, eidem diuinitati nuncupare non cogimur; ſcimus Aſtyagem Medorum regem, ſomnio *Iuſtin. lib. 2.* uidiſſe urinam filiæ ſuæ totam Aſyam inundare, & ex genitalibus eiuſdem, uitem naſci, quæ ramis patulis diffuſa, eandem Aſyam obumbraret: quæ omnia, Cyri potentiſsimi principis fuiſſe præſagia, res ipſa monſtrauit. Cyri autem genituram, & delectionem *Iſa. 44.* prorſus diuinam fuiſſe, ſcriptura teſtatur, Qui dico, ait Dominus, Cyro, paſtor meus *Iſa. 45.* es, & omnem uoluntatem meam implebis. Et alibi. Hæc dicit Dominus, Chriſto meo Cyro, cuius appræhendi dexteram, ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum uertam &c. Atque hanc ſomniſpiciæ rationem Ariſtoteles omnino ſubſtulit, quòd omnino ſibi præter rationem uideretur, non optimis & prudentiſsimis quibuſque, ſed cuiuis populari diuinitus hæc ſomnia indulgeri. Eſt & alia ſomniſpiciæ ſpecies, quæ à natura deriuatur, quam poſt Democritũ, Ariſtotelem, lib. uno, & poſt Ariſtotelem, Themiſtium, ac Syneſium platonicum, ſingulis libris coluiſſe uidemus. quanquam Syneſius, *Lib. de Diuin. per ſomnium.* ad Platonicam diſciplinam cuius erat ſtudioſus, magis declinauerit. Quarundam, inquit Ariſtoteles, actionum, phantaſmata eſſe principia, non eſt abſque ratione: ut enim, qui quidpiam facturi ſunt, aut etiam qui faciunt uel qui iam fecerunt, iis per ſomnia rectam ad rem ipſam tendentia occurrunt, cauſa tamen quoniam à diurnis in-

choationibus,

choationibus, motus præparatus eſt, ſic contrà neceſſarium eſt, eos, qui in ſomno ſunt motus, eſſe ſæpe diurnarum operationum principia: quòd præparata ſit item in nocturnis phantaſmatibus, eorum intelligentia, & ita ſomniorum quædam ſigna & cauſas eſſe contingit. Plurima autem ſymptomatibus aſsimilantur, maximè autem omnia, quæ excedunt, & quorum non eſt in nobis principium, ut quæ de nauali bello & de iis, quæ procul à nobis diſtant, ſunt. De iis eo modo ſe habere ueriſimile eſt, ut cum memoranti de aliquo forte fortuna id accidat. Quid enim prohibet ne & ita in ſomniis accidat? immo longè magis in ſomniis. Quemadmodum igitur, huius memoria non eſt neque ſignum, neque cauſa quòd illud eueniat, ſic neque euentus uidenti inſomnium, ſed ita accidit. Hinc eſt quòd multa inſomnia non eueniunt, quæ enim accidunt, neque ſemper, neque frequenter eueniunt. Hæc Ariſtoteles. Quo loco, apertè uides ſomnia eſſe quædam Ariſtoteli, quæ rerum futurarum ſint ſigna, rerum inquam futurarum, non alienarum ſed propriarum, quæ, nimirum ad ipſiusmet ſomniantis corporis, aut animi, qui corporeis etiam affectibus quatitur, diſpoſitionem pertineant. Immo uerò neque iſta ulla neceſsitate, ſed temere etiam & contingenter euenire docet. Vnde protinus adiungit, Ij, quorum natura quaſi garrula eſt & melãcholica, uarias ſanè cernunt uiſiones. cum autem multiplicibus uariisq; moueantur motionibus, plerunque aſſequuntur, ut nonnulli contendentes rapiunt. Quemadmodum enim uulgo dicitur, ſi multa iacias aliàs aliud iacies, ita in iis iſtud accidit. Hactenus Ariſt. Eſt autem ſecunda hæc ſomniſpiciæ ratio, non cuiuſque partis philoſophiæ, ſed medicinæ portio. ex ea enim plerũque prudentis medici officio, & temperamenti ratio, & humorum incurſiones depræhẽduntur, quod Ariſtoteles apertè docet, dum inquit ſomniorum quædam ſymptomatibus aſſimilari, nihil enim frequentius quàm ſanguinem læta, melancholiam contrà triſtia, bilem pugnas, phlegma aquas & flumina, in ſomnis obiicere. Tertia tandem ſomniſpiciæ ſpecies eſt, quæ neque Deum, neque naturam, ſed ſolam phantaſiæ temeritatem principium habet, quæ ſcilicet non ſomniis, quæ diuinitus donantur, neque iis, quæ à corporis temperamento oriuntur, ſed quibuſque, abſque ullo diſcrimine, rationem uaticinij tribuit, quod genus Arthemidorum Epheſium, & Abrahamũ quendam coluiſſe docuimus; quãquam ante hos, Chryſippus, Antipater, Dionyſius Heracleotes, & Stoicorum plerique de ſomniis interpretandis commentarios edidiſſe referantur. Scripſit etiam de eadem re Andre. Catan. Imol. eo lib. quo de rerum mirabil. cauſis agit. Hæc prorſus cum neque Deo, neque naturæ, innitatur, non modò à Chriſtianis, ſed à prophanæ quoque ſincerioris philoſophiæ cultoribus, quaſi uana contemnitur. Nihil enim aliud, fundamentum habere uidetur quàm poëticam artem, quæ informandi monſtra quæque poteſtatem habet, Vnde Virgil. *Lib.6. Aeneid.*

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur,
Cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris,
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia Manes.

& ante Virgilium Homerus, *Odyſſ.19.*

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum una uocatur
Cornea, apud ſtygios pariter, ſed & altera eburna. *Rapha. Volater. li.30*
Hac penetrans ſomnus, uerba imperfecta reportat,
At quicunque uenit porta de limine prima
Vera refert, dulci correptus membra ſopore.

Hoc genus ſomniorum in quinque ſpecies Platonici diſtrahunt, in oraculum ſcilicet, uiſionem, ſomnium, inſomnium, & phantaſma. quanquàm eam diuiſionem ad diuina quoq; ſomnia Chriſtiani quidem Theologi aptauerunt, cum quibus & ſi fuerint uiri ſanctiſsimi & eruditiſſimi, in hac parte tamen, conſentire non poſſumus; neque enim facilè Platonicorum placita & inanes obſeruatiunculæ, cum Chriſtiana philoſophia conueniunt; præter hoc quòd ea ſomniorum uarietas, nimirum, quòd non à natura, aut temeraria phantaſmatum iactatione, ſed à diuina uoluntate, quæ regulas aut limites agendi non ſeruat, in ſomniis diuinis, quæ Chriſtiana theologia ueneratur, conſeruari non poſsit. Sed ad rem. Oraculum appellarunt Platonici, cùm in ſomniis parens uel aliqua ſancta grauiſque perſona, ſeu ſacerdos, uel etiam Deus rem aliquam uenturam, *Macrob. in ſomn. Scipi. Et Niceph. Greg. in expoſ. lib. Syne. de ſomn.* *Auguſt. aut ut putat Eraſmus, Hugo de S. Victo. libr. de Spi & ani. cap. 25.*

H aut non

aut non eventuram, faciendam aut euitandam in ſomniis denuntiat. Viſio, cùm id quod uidet quis, eo modo, quo apparuerit, re ipſa euenit. Somnium, eſt quod figuris tectum, ſine interpretatione non poteſt intelligi. Inſomnium, quando id, quod fatigauerat uigilantē, ſeſe dormienti quoq; ingeſſerit, ſicut ſunt cibi cura uel potus, uel aliqua ſtudia, uel artes uel infirmitates. Phantaſma eſt quando qui uix dormire cœpit, & adhuc ſe uigilare exiſtimat, aſpicere uidetur irruentes in ſe, uel paſsim uagantes formas diſcrepantes, quarum quædam lætæ, quædam uerò triſtes exiſtant.

Poſsidon. & Cratyp. apud Cice. Porphy. Hanc fabuloſam ſomniſpiciæ partem, fabuloſioribus rationibus, & quæ planè apud rectè philoſophantes totam cauſam prodāt perſuadere conantur. Primò quidem quòd animus ex ſeſe rerum futurarum noticiam habeat, ea tamen diurnarum motionum perturbetur occurſibus: & quòd mole corporis aggrauatus, ab eadem impediatur. deinde quòd circunſtans aër plenus ſit immortalium animorum, quos dæmones uocant, ad quos in ſomniis tanquam ad ſui generis ſimiles, animus egrediatur. Immo quòd dij ipſi cum dormientibus congrediantur, quod etiam iis, qui eſtrema patiūtur, anima iam penè à corpore ſoluta, contingere aiunt. Addit & Syneſius etiam ex Platonica ſententia quòd uniuerſarum rerum idola in phantaſtico ſpiritu quaſi in ſpeculo luceant.. Arbitrātur enim Platonici, à rebus uniuerſis ſiue præſentibus, ſiue præteritis, ſiue futuris, phantaſmata ac idola quædam iugiter emanare, quæ omnia phantaſticus ſpiritus, qui ſit animæ uehiculum, in ſeſe compræhendat. Verùm harum rationum ſi fundamenta inquiras, id eſt, quo pacto animus, ex ſeſe, cum ſit creatura & ſuopte genio ſcientias & noticias, ſenſuum miniſterio acquirat, eſſe poſsit omnium rerum noticia plenus, aut quo pacto aër circunſtans, ſit plenus dæmonibus, aut quo pacto dæmones nobiſcum, aut nos cum dæmonibus in totius animi ſopore, ac omnium potentiarum profundiſsima ligatione congredi poſsimus, aut quo pacto anima plus poſsit ſomno ſepulta, quàm uigilans, aut quo pacto à rerum futurarum, & quæ neque in ſe neque in cauſis neceſſariis exiſtunt, phantaſmata, in ſpiritum phantaſticum deriuentur: aut quo tandem pacto ſpiritus phantaſticus cùm nulla earum rerum ſenſatio præceſſerit, ea phantaſmata appræhendat, nihil aliud quàm meras Stoicorum, Academicorum, & Platonicorum, noluntates, ideſt, nugas ſuperſtitioſas, inuenies. Vniuerſa enim, quæ in ea principia, horum philoſophorum greges, ſunt commenti, à ueris & ſinceris philoſophis, fabuloſa putantur. Verùm de ſomniſpicio eiuſque poteſtate, quòd eiuſdē inſania ſit aperta, iam ſatis: *Lib. de opificio Dei.* præſertim cùm Lactantius Firmianus aliiq; docti uiri, de multiplici ſomniorū ſpecie, & quatenus ſomniſpiciæ ſit fides adhibēda, doctè, Chriſtianè & elegāter, multa tradiderint.

In Extiſpiciam. Extispicia cùm reliquæ ſuperſtitioſæ artes, ſecundum aliquam ſui partem cum natura cohæreant, nihil habet cum eadem, uel cum humano ratiocinio commune. Vnde præterquàm ab Stoicorum ſchola, cui quæcunque ſemper arriſerunt ſuperſtitionū portenta, nunquam habuit à philoſophia ſuffragium: niſi quòd Democritum ſolitum dicere ferunt, in animalium inteſtinis & extis, deos uoluntates ſuas & imperia deſcribere, *Hippocr. in epiſt. quadā ad Abderitas.* docetque Hippocrates Cous, eius artis ſtudioſum fuiſſe, quanquam id, non tam ad uaticinatoriam inteſtinorum & uiſcerum ſcrutationem, quàm ad Anatomicen, cuius homo Phyſicus erat ſtudioſiſsimus, referendum exiſtimo. Quæ ratio ut ea ocioſorū homunculorum inuentum, non item ars ulla diuinitatis potentia prædita putaretur, abundè eſſet, niſi fabuloſus quoque inuentor, & inſtitutor fabuloſam conuinceret. Ferunt enim Tagem quendam puerum, in agro Tarquinienſi, aratro erutum, eam artem Hætruſcos populos docuiſſe, qui eam Romanis, ut antea dicebamus, cum aliis ſuperſtitionibus tradiderint, de quo ſic aduerſus Stoicos agens Cicero quærit, Aut Tages ille, Deus quiſpiam erat, uel homo; ſi Deus, cur ſe contra naturam in terram abdiderat, ut bubulci patefactus aratro, è terra prodierit? Non'ne ex ſuperiori loco diſciplinam hominibus tradere potuit? Si homo, quo'nam modo oppreſſus uiuere potuit? uel unde potuit illa, quæ alios docebat, didiciſſe? Hactenus Cicero. Eodemque argumento, Lucanus eandem artem exſufflat,

Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages.

Arguit falſitatis eandem artem Cicero, & alia ratione, quòd res prædictæ uaticinio non reſponderent, Quota enim quæque res (inquit) euēnit, prædicta ab iis, aut ſi quippiam,

piam, quòd ab iis prædictum fuerat, euênit; quid afferri poteſt, cur non caſu id euenerit? Quod ſi huiuſce artis penitius exigamus principia, apertius apparebit, quanta fuerit eorum hominum inſania, qui eidem aliquid diuinitatis detulerunt. Quid enim diuerſo aut monſtroſo uiſcerum, aut inteſtinorum ſitui, qui naturam habet auctorem, cum ipſo rerum contingentium, & quæ à libera uoluntate proficiſcebantur, euentu? aut quam hæc habent inter ſe ſympathiam, aut conſenſionem? aut quanam ui ad immolantis fortunam exta ſeſe accommodant; ut in alium habitum ſe, colorem aut ſitum conuertant, & pecudis iecur nitidum ac plenum, horridum mox, marcidum & exile fiat? Præterea quî fieri poteſt, ut occiſarum animantium exta, infauſta aut læta pronunciarent, cùm eodem ſacrificio, ut apud Valerium & Plutarchum factum fuiſſe conſtat, quædam hoſtiæ fœliciter, quædam litatæ fuerint infauſtè? Nam ſi mala per infauſtam litationem portendebantur, ergo & bona perfauſtam. bona autem & mala eidem obuentura denunciari, quî fieri potuit? Rectè itaque in huiuſmodi uates, Cicero iactauit, Dum aruſpicinam ueram eſſe uultis, totam phyſiologiam peruertitis. Verùm de Extiſpiciæ aut aruſpicinæ (ſic enim à ueteribus etiam uocatur) ſapienter Euſebius, Pãphilus, pronuntiaſſe uidetur, nihil aliud eam eſſe quàm ſeductorum atq; improborum hominum impoſturam, ad turpes quæſtus excogitatam; quorum etiam fraudem, per diuerſa tormentorum genera à nonnullis, qui eam diſciplinam profitebantur, iudices quandoq; extorſiſſe aſſerit, quos deinde quaſi maleficos & impoſtores ultimo ſupplicio iuxta legum Romanorum rigorem, punierint. Nec tamen negauerint, multa eorum, quæ in extorum inſpectione ueteres gentium hiſtoriæ accidiſſe commemorant, diaboli malorumque ſpirituum opera, ad mortalium ſeductionem potuiſſe contingere, præſertim cùm illuc res deuenerit, ut etiam gentes quædam barbaræ in humanis uiſceribus idolorum uoluntates & imperia, crudeliſsimè inquirerent. Refert enim Strabo de Luſitanis loquens, ex inteſtinis quoque hominum maximè captiuorum, diuinationes captari, obſciſſaſque captiuorum dextras, diis offerri. Cuius ſimile & de Heluetiis populis quoque refert. Hominem, inquit, diuinatione deſtinatum in tergo ferientes, ex ipſo impatientiæ afflictandiq; modo, uaticinium capiebant. Et ſubinde, alia quoq; humanorum ſacrificiorum genera traduntur. quoſdam enim ſagittis configebant, & intra ſacras ædes patibulo ſubfigebant. Magnam etiam è fœno chorto ſtatuam apparantes, eique lignum iniectantes, pecoraque & magnas immittentes belluas, atque homines, holocauſtum faciebant. His igitur Satanicus ſpiritus, qui fortè Tages ille erat, qui in agro Tarquinienſi fuit olim exaratus, cum tam proſperè hanc hominum inſaniam ſibi cedere uideret, nonnunquam in uiſceribus animantium & inteſtinis, oſtenta, quæ malorum aut bonorum eſſent præſagia, apparere faciebat. Quod genus ſunt plura, quæ Quintus pro Stoicis apud Ciceronẽ ſcribit. Quale & illud quod Iulio Cæſari accidiſſe, eo die quo à coniuratis interfectus eſt, memoratur, quòd ſcilicet cor, bis, in opimis bobus defecerit. Aut quod de Sergio Galba Imperatore Romano etiam fertur, quòd priuſquam ab inimico occideretur, in Palatio, manè inter ſacrificandum, eundem Vmbricius aruſpex hortatus fuerit, ut caueret periculum, non longè enim percuſſores abeſſe: cuius caput cùm ille Vmbricio non geſsiſſet morem, eodem die per quendam gregarium militem inſerto per os pollice, Othoni inimico delatum eſt. Qualia etiam alia complura, quæ diuerſarum gentium & nationum hiſtoriæ memoriæ prodiderunt. Neq; hæc ſententia Ethnicorum Theologorum aduerſatur iudicio, unde Iamblichus, eſſe, inquit, hoc uel illo modo exta compoſita, opus eſt dæmonis: neque unius, ſed plurium; pro ratione diuerſitatis animalis oblati: ſingulis nanque ſpeciebus animalium ſunt dæmones diſtributi, proximam curam animalium præfecturamq; ſortiti. Doceq; deinde hanc artificioſam præſagij machinam, neque legitimi uaticinij nomine dignam eſſe, neque ſeriò pertractandam: neque utenti, quaſi ſit ueridicus, eſſe credendum. Sed de Extiſpicij uanitate hactenus.

Lib. 4. de Euangelica præparatione.

Geograph. lib. 3.

Li. de myſt. Aegyptiorũ ca. 31.

GEOMANTIAM, Hydromantiam, Aëromantiam, Pyromantiam, id eſt eas diſciplinas quæ ex terra, aqua, aëre, & igne, rerum futurarum uaticinia eliciunt, duplices conſiderare, ac conſtituere, & ipſa naturæ ratio, & hominum inuentio ac ſuperſtitio compellit. Eſt una harum diſciplinarum portio, quæ in præternaturalibus & raro contingentibus, horum quatuor elementorum ſcrutandis accidentibus occupatur: quæ, inquam, ter-

In Geoman. hydroman. Aeroman. et Pyromã.

-ræmotus, tempeſtates, uentorum procellas, cometarum elementariorum ſiderũ oſtenta, ſagaci naturæ obſeruatione rimatur. Quam, ne dum, non damnamus, uerũetiam potiſsimam ac difficillimam Phyſicæ diſciplinæ partem eſſe credimus, quam tum alibi, tum quatuor libris περὶ τῶν μετεώρων Ariſtoteles pertractauit. Ea ſcientia iuxta uaria elementorum prodigioſaque accidentia, non nunquam peſtilentias horribiles, nonnunquam imbrium defectus & ſterilitates, nou nunquam pluuiarum inundationes atque diluuia, non nũquam humanorum aut brutorum corporum ægritudines, immo uerò & plerunque animorum odia, rixas, diſſenſioues, bella, reliquaque, quæ his ac ſimilibus annexa ſunt, uon temere præſagit. Qui enim terræmotu, urbes concuti uiderit, augurari poterit, halitum illum aliquà irrupturum, qui cum ſit terreſtris, & intra terræ uiſcera corruptus, peſtem tabemque aëri inducet, qui etiam horridum ac ingentem cometam,

1. lib. Meteo.

multis diebus in ſuperna aëris parte, quæ ignis ab Ariſtotele uocatur, effulgere uiderit, cum conſtet cometarum materiam peſtilentem fore, & ſiccæ ac ſulfureæ eſſe naturæ, cœli ſterilitatem, humanorũq; animorum per bilioſos humores, quibus ex circunfuſo aëre, ſunt afficiendi, diſcordias, uõ temere uaticinari poterit. Idemq; de reliquis duobus elementis eſto iudicium. Immo uerò, ſi rectè res expendatur, Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, & Pyromantia, hoc pacto acceptæ; aut uou ſunt aliud quam medicina, nautica, & agricultura, aut ſunt partes earundem diſciplinarum. Ex eis enim medicus, nauta, & agricola, iuxta uarias obſeruationes, in ſuas artes, ſalubria & utilia pracepta, condiderunt: ſuntq; de eo uaticinij genere, tum à Phyſicis, tum à medicis & nautis, multi libri conſcripti, quibus ex uario elementorum habitu, uarias res naturales futuras præcognoſcendi, præcepta condidere. Atque de hoc genere Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, & Pyromantiæ, ſiue Auguſtinum, ſiue quòd potius puto Iſi-

26. q. 4. c. Igitur.

dorum apud Gratianum loquutum eſſe crediderim; cum inquit Varronem diuinationem in quatuor genera, terram, aquam, aërem, ignem, uude Geomantia, Hydromantia, Aeromantia & Pyromantia deriuentur, diſtraxiſſe. Loquitur enim Varro de eo prædicendi genere, quod nou hominum uanitate, ſed natura conſtat. Eſt & aliud genus harum diſciplinarum, quod non natura ipſa, aut rerum naturalium συμπάθεια, ſed hominum arbitrium ac uoluntas conſtituit, hominum inquam non quorumuis, ſed aſtrologorum; dum quaſdam ſibi figuras in terra, in cineribus, aquis, &c. certaque delineamenta pro ſiderum diſpoſitione, quibus eas lineas & figuras reſpondere dicunt, confinguut. Cuius artis ſtoliditas tanta eſt, ut cùm reliquæ uaticinatoriæ ſuperſtitiones, uel Stoicis Philoſophis approbatoribus, in gentium philoſophia non careant, hæc ſola nec Stoicos quidem, nec in tanto inſanientium numero, patronum aut cultorem habuerit, præter

Lib. ii. Minera. tract. 3. cap. 3.
Iul. Fir. lib. 9. de Fato. c. 38.

unum Albertum, qui nihil horum (neſcio tamen qua ratione, cum eſſet Chriſtianus ac theologus,) non coluit. Meritò igitur uiri quidam doctiſsimi, eam inſaniam Aegyptiorum ſacerdotum, qui in otio ex publico uictitabant, inuentum exiſtimant: quam tamen nec illi (nou enim tam uecordes erant) quaſi rem ſeriam ſed in iocos coluerint, quamq; poſtea perditi homines ad deceptionem & quæſtum malicioſè detorſerint. Eius autem artis, quemadmodum & in reliquis ſuperſtitionibus confutandis fecimus, ſuperſtitio & uanitas, non aliunde melius quàm ex eiuſdem præceptis depræhendetur. Docent Geomantæ, Hydromantæ &c. non quibuſuis, ſed certis temporibus ad huius generis uaticinia accedendum, quam primùm nimirum adeundi cogitatio animum ſubierit, quòd credant, tunc animum conſulentis cœleſti quadam uirtute, ad præcognitionem inſtigari: & eadem digitos Geomantis, ad fœliciter punctis aut lineis, terram, aquã, &c. feriẽdam dirigi. Docent deinde, in figendis punctis, nullam Geomantis præ meditationem futuram, ſed cæco caſu temereque iactandos. Ex quibus principiis ac proloquiis, quid quæſo aliud quàm eius artis temeritas colligi poteſt? Nam ſi nulla præmeditatione ad uatem eſt accedendum, temeraria igitur rei futuræ inquiſitio, cum temerè inquirendi animũ cogitatio inuaſerit. Deinde ſi uates temerè terrã, aërem, aquam &c. in figuras, ſimiles cœleſtibus imaginibus percutit. temeraria igitur percuſſio: ac ulterius, temerariæ igitur figuræ, quæ ex punctionibus aut iactationibus temerariis oriuntur, temerè igitur rei euentũ demonſtrant, & Geomantes temerè & fortuitò diuinãt. Et tãdem, tota igitur ars temeraria. Verùm in ea arte, quæ non modò principia & proloquia, ſed concluſiones quoque temerarias habet, forſan ſi plura uerba prodigamus, temerarij uidebimur.

Ad has

Ad has quoq; artes ea uaticinatoriæ ſuperſtitionis pars quoque ſpectare uidetur, quam in portentis & monſtris, interpretandis ueteres collocarunt. Sunt autem portenta aut oſtenta, ea quæ præter ſolitum & communem naturæ curſum, cum hominum horrore ac formidine ſolent accidere. *In oſtentorum interpretem.* Horum quædam pars, monſtra uocantur, quæ in rebus quæ generantur potiſsimè accidunt, dum uel naturalibus conditionibus deſtituuntur, uel debitæ quantitatis, propter defectum uel exceſſum, proportionem non ſeruant: quæ etiam tum naturæ peccata, tum errores, appellare ſolemus, quòd in eorum generatione natura peccare, & à priſtina illa & ſibi familiari agendi ratione, uideatur diſcedere. Oſtentorum uerò, portentorum, & monſtrorum exempla, multa Val. Max. multa Iul. obſequi uſque ad ſuam memoriam collegerunt, ſed multo plura maiorique diligentia, Conrad. Lycoſthen. prægrandi uolumine ex uariis Orbis hiſtoriis, noſtra memoria complexus eſt. Hæc igitur ac ſimilia rerum naturalium prodigia, adeo perſuaſum ueteres habuerunt, eſſe rerum aliquarum futurarum uaticinia, ut non alia ratione monſtra, portenta, aut oſtenta, appellata fuiſſe crediderint, quàm quod aliquid portenderent, monſtrarent, aut oſtenderent. Horum exemplum eſto, quòd de Tyberio Graccho pro Stoicis diſputans, Quintus Fab. Ciceronis frater in eiuſdem Ciceronis lib. priori de Diuinatione refert. Cum enim duobus anguibus domi comprehenſis aruſpices conuocaſſet, eiq; reſpódiſſent, ſi fœminam emiſiſſet, ſibi mortem imminere, ſi autem marem uxori breui tempore eſſe moriendum, eidemque Graccho cum conſuli & cenſori, tum uiro ſapientiſsimo & ſummo auguri, æquius uiſum fuiſſet, ſe maturam oppetere mortem, quàm Publij Afri. filiam adoleſcentem, fœminam emiſiſſet, ipſe paucis poſt diebus mortuus fuerit, aliaque ſimilia, quæ & Cicero & alij literis prodiderunt. Eam uerò artem cum reliquis omnibus uulgaribus ac Stoicis ſperſtitionibus, Cicero aliique tum prophani, tum eccleſiaſtici uiri, multis locis ualidisque rationibus confutarunt, nihil præſagij in rebus, quarum ratio in ipſa materiæ diſpoſitione inueniretur, eſſe omnino contendentes. Ego uerò duplicis generis portenta in hiſtoriis deprehendo, atque adeo duplicem huius diſciplinæ partem, ſtatuendam exiſtimo. Sunt enim monſtra quædam aut portenta, quorum origo in ipſa natura, & cauſarum naturalium poteſtate continetur, quales ſunt prodigioſi partus, ut quod in Marcello Plutarchus refert, natum eſſe infantem, elephantis capite &c. Quales etiam ſunt diuerſæ pluuiæ quibus modò ſanguis, modò ranæ, modò piſces, modò aliarum rerum diuerſæ formæ, decidiſſe leguntur. Quales ſunt demum ignium aut cometarum diuerſæ imagines, debitam tamen aut ſolitam figuram ſeruantes. Sunt & alia portenta aut monſtra, quæ non niſi diuinitus ædita, ratio ipſa & rerum humanarum ſtatus, cogitare permittit, qualia ſunt multa quæ Iſraëlitico populo, iamiam Hieroſolymitano excidio impendente accidiſſe, auctores memoriæ prodiderunt, ut quod Ioſephus refert, primùm per annum integrum ante aduentum Veſpaſiani cometam gladij figura Hieroſolymis imminentem, cóſpectum fuiſſe: *Ioſeph. libro 7.c.44.* die feſto azimorum hora noctis nona, circum aram, circumque templum, tantum lumen ſubito ad dimidium horæ effulſiſſe, ut dies clarus putaretur: quòd eodem die feſto azimorum, cùm bos ad hoſtiam duceretur, agnum in medio phani pepererit: quòd orientalis porta interioris templi, cùm eſſet ænea, atque grauiſsima, & ſub ueſperam uix à uiginti uiris clauderetur, ſeriſque ferro uinctis obſeraretur, peſſulosque altos haberet, in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, uiſa ſit noctis hora ſexta, idq; per aliquot noctes ſpóte pateſcere. Quòd poſt dies feſtos, elapſis paucis diebus, ante ſolis occaſum uiſio apparuerit in nubibus, curruum, & armatorum exercituũ quibus totius Iudææ regioniſque eius urbes incurſarentur. Quod feſto die Penthecoſtes, cùm noctu ſacerdotes intimum templum, more ſuo ad diuinas res celebrandas ingreſsi, primùm, quidem motum, quendamque ſtrepitum ſenſerint, poſtea uerò ſubitam uocem audierint, quæ diceret, Migremus hinc & ſimilia multa, quæ ante diuina flagella, & urbium, & gentiũ, propter ſua grauiſsima peccata, excidia, eueniſſe tum Græcæ, tum Latinæ antiquitatis monumenta teſtantur. Loquitur enim cum hominibus Deus, non modò humana lingua, per ſanctos prophetas, ſed plerunque, quò à peccatis reuocentur, ipſis elementis, angelico miniſterio, in formas & imagines diuerſas, ad eorundem terrorem formatis, qualia mõſtra & oſtenta, Chriſtus totius etiam mundi euerſionem extremamque peccatorum uindictam, præceſſura præmonuit. Erunt (inquit) ſigna in

 ſole

Luce 21. ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, &
fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient uni-
uerſo Orbi. Et alibi, Statim autem poſt tribulationem dierum illorum (loquitur au-
Matt. 24. tem de diebus quæ proximè iudicij diem præcedent) ſol obſcurabitur, & luna non da-
bit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & uirtutes cœlorum mouebuntur &c. In quæ
uerba Greg. Quia omnia conſummanda ſunt, ante conſummationē, omnia perturban-
tur, & quia in cunctis deliquimus, in cunctis punimur, ut impleatur quod dictum eſt,
Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos, omnia nanque, quæ ad uſum uitæ ac-
cepimus, ad uſum conuertimus culpæ. Et ſubinde, Notandum, ait, quod dicitur ter-
rores de cœlo, & tempeſtates; cùm tempeſtates hyemales uenire ſoleant, cur hoc loco
tempeſtates, uenire in perditionis ſigno prædicuntur, niſi quòd eas tempeſtates, uenire
dominus denuntiat, quæ nequaquam ordinem temporum ſeruant; quæ enim ordinatè
ueniunt, ſigna non ſunt; ſed tempeſtates in ſigno ſunt, quæ ipſa quoque temporum ſta-
tuta confundunt. Hactenus Grego. Iuxta uariam igitur ac diuerſam portentorum ra-
tionem & originem, uariam quoque hanc diſciplinam, quæ eorundem oſtentorum in-
terpretationem profitetur, oportet quoque eſſe. Erit enim una, quæ & peccatorum in
pœnitentiæ, & oſtentorum, inſuetæ & cum natura non cohærentis formæ habita ra-
tione, ea quæ prouidentia futura minitatur ex eiſdem portentis & oſtentis prænuntiet,
quæ nedum non eſt temeraria, ſed uiris ſanctiſsimis (quod modo ex uerbis Gregorij
patebat) familiaris. Vnde idem Gregorius iam ſuo ſæculo diem iudicij, ex Chriſti uer
bis quæ attulimus, propinquum eſſe credebat. Nam cùm omnia perituri mundi euan-
gelica ſigna explicaſſet, proximè ſubiungit, Ex quibus profectò omnibus, quædam
iam facta cernimus, alia ex proximo uentura formidamus, nam quòd terræmotus urbes
innumerabiles ſubruat, ex aliis mundi partibus ſcitis; quam frequenter audiuimus, pe-
ſtilentiā ſine ceſſatione patimur; ſigna in ſole luna & ſtellis, adhuc apertè non uidimus,
ſed quia hæc non longè ſint, ex ipſa aëris immutatione colligimus, quamuis priuſquàm
Italia gentili gladio ferienda traderetur igneas in cœlo acies uidimus, ipſumque qui po-
ſtea effuſus eſt humani generis ſanguinem corruſcantem. Hactenus Grego. in cuius uer-
bis, non modò uides oſtentorum, quæ ordinem naturæ non ſeruant, haberi rationem,
ſed etiam gentium ac prouinciarum ſupplicia, quaſi quaſdam diuinas præmonitiones, ea-
dem præcedere. Sunt etiam eadem oſtenta aliquando diuinorum beneficiorum indi-
cia, ut quod uiri docti tradiderunt, die Chriſti natali Virginem in cœlo, Romæ appa-
ruiſſe infantulum lactantem, quæ oſtenſa fuerit Auguſto, eo loco, qui nunc eſt Ara Cœli
nominatus: & quod etiam ferunt eodem die, in quadam domo eiuſdem urbis, oleum ex
fonte, per diem totum manaſſe &c. Eſt & altera huius diſciplinæ pars, quæ nullius alte-
rius habita ratione, quàm ipſius oſtenti, aut monſtri cuicunque ſine diſcrimine, etiamſi
cauſas habeat naturales, aut à caſu factū fuerit, diuinationem tribuit, ut quod de angui-
bus à Tyberio Graccho comprehenſis dicebamus, ut monſtrorum quorūdam editio, quæ
aut in ſeminis exceſſum, aut defectum prauamque matricis diſpoſitionem potius refe-
renda ſunt, quàm in ullam diuinitatem, ut mulæ partu, &c. quam, præter alios philo-
ſophos M. T. Cic. inter reliquas Stoicorum ſuperſtitiones, his uerbis irridet, Si quid-
quam non fit, quod fieri non poteſt, neque ſi id factum eſt, quod fieri potuit, porten-
tum debet uideri: tollenda ſunt igitur portenta. Quod ſi portentum putandum illud
eſt quod rarò fit, ſapientem eſſe; portentum erit: quòd ſæpius mula pepererit, quàm ſa-
Aug. li. 21. piens fuerit. De portentis autem & utraque huius artis parte ſic ait Auguſtinus in eo-
de ciuit. dei rundem interpretes inuehendo; Monſtra ſanè dicta perhibent à monſtrando; quòd ali-
ca. 8. quid ſignificando demonſtrent, & oſtenta ab oſtendendo, & portenta à portendendo id
eſt præoſtendendo, & prodigia; quòd porrò dicant, idest, futura prædicant. ſed uide-
rint eorum coniectores, quomodo ex eis ſiue fallantur, ſiue inſtinctu ſpirituū, quibus cu
ra eſt, tali pœna dignos animos hominum, noxiæ curioſitatis retibus implicari, etiam
uera prædicant, ſiue multa dicendo, aliquando in aliquid ueritatis incurrant. Nobis
tamen quæ uelut contra naturam fiunt, & contra naturam fieri dicuntur, quo more ho-
minum, loquutus eſt Apoſt. dicendo, contra naturam in olea inſitum oleaſtrum, factum
eſſe participem pinguedinis oleæ; & quæ monſtra, oſtenta, portenta, prodigia, nuncu-
pantur, hoc monſtrare debent, hoc oſtendere uel præoſtendere, hoc prædicere, quod fa-

ɛturus ſit Deus &c. Verùm de portentotum inſpectrice diſciplina hæc dixiſſe ſit ſatis.
INTER cæteras, quas uel humana dementia & ſuperſtitio, uel mali ſpiritus, artes di *In Sortilegium.*
uinandi excogitarunt, ſortilegium quoque à ucteribus ponitur: ſortilegium uerò à ſor-
tibus legendis, aut colligendis uocatum, ipſa ratio nominis abundè demonſtrat. Quid
uerò eſſct ſortilegium, niſi prius ſortium in medium multiplicitas prodeat, depræhendi
non poterit. non enim ab omnibus ſortibus legendis, cùm ſortes quædam bonæ eſſent,
ſortilegium uocatur. Erant igitur tria genera ſortium, Diuinum unum, quo diuinæ uo
luntatis imperium à uiris ſanctis, præuia oratione, in rebus non priuatis ſed publicis,
plerunque cognoſcitur, quale quod ab Apoſtolis uſurpatum ipſo prædicationis initio,
Lucas narrat: cum enim quis Iudæ loco eſſct apoſtolico muncri initiandus, neſciretur,
nec res illa publica, & quæ adeò totius eccleſiæ interetat, humano iudicio decerni poſſet,
(non enim Apoſtolum eligere, munus fuir apoſtolicum) totum electionis negocium per
ſortium conſultationem delegandum fuit Deo. Et ſtatueruut, inquit, duos, Ioſeph, qui
uocabatur Barnabas, qui cognominatus cſt iuſtus, & Mathiam, & orantes dixerunt, *Act. 1.*
tu domine, qui corda noſti omnium, oſtcnde quem elegeris ex iis duobus unum, acci-
pere locum miniſterij huius, & apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, ut abiret in
locum ſuum. & dcderunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & numeratus eſt
cum undecim Apoſtolis. Sorte etiam Zacharias apud eundem Euangcliſtam exiit, ut *Luc. 1.*
poneret incenſum coràm domino. Fuit uerò huius generis ſortis in ueteri reſtamento
frequentiſsimus uſus: nam etiam arietum, qui eſſent domino offerendi, ſortitio fiebat. *Leuit. 16.*
Ioſue ſortibus etiam terram promiſsionis Iſraëlitis diſtribuit. Et eiecit à facie eorum *Num. 33. Ioſue 18.*
gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Et rurſus, Er dediſti eis re- *Pſal. 77.*
gna, & partitus es eis ſortes. Peccata etiam quibus Achan & Ionatas in exercitum eiuſ- *Neem. 9.*
dem populi iram Dei irritauerat, ſorte deteguntur. Atque id genus ſortes, non aliud *Ioſue 7. 1. Reg.*
ſunt exiſtimandæ, quàm diuinæ quædam conſultationes; unde ſortes quoque conſulto- *cap. 14.*
riæ uocantur. Hoc enim ſortitionis genere, diuina uoluntas & arbitrium conſulitur.
Eſtque in euangelico ſtatu huiuſmodi ſortitionis genus in rebus grauiſsimis, quæ totam *Gratian. 24*
religionis & reipublicæ ſalutem ſpectarent, uſus non interdictus, ut quidam putarunt, *q. 4. c. Sors. & quidam*
ſed à Sanctis Patribus olim conſultus. Vnde Auguſtin. Si inrer Dei miniſtros, inquir, *alii.*
ſit diſceptatio, qui eorum tempore perſecutionis maneant, & qui eorum fugiant, ne fu-
ga omnium, & morte deſeratur Eccleſia, ſi hæc diſceptatio aliter non poterit termina-
ri, quantum mihi uidetur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte eligendi ſunt. Et alibi,
Omnes, inquit, æquè diligendi ſunt; ſed cum omnibus prodeſſe non poſsis, iis potiſsi-
mùm conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum per quarumlibet rerum opportu-
nitates conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte iunguntur; ſicut enim ſi tibi abundaret ali-
quid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet; ſi tibi occurre-
reut duo, quorum neuter alium uel indigentia uel erga te aliqua neceſsitudine ſupera-
ret, nihil iuſtius faceres quàm ut ſorte eligeres, cui dandum eſſet: quod dari utique non
poſſet. Huc uſque Auguſtinus. Et rurſus, in illa uerba pſalmi, In manibus tuis ſortes *Pſal. 30.*
meæ, Quæ ſunt iſtæ ſortes, inquit, & quare ſortes? Audito nomine ſortium, non de-
bemus ſortilegos quærere: ſors enim non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione hu-
mana, diuinam indicans uoluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli quando Iudas
tradito domino periit. Et ſicut de illo ſcriptum eſt, Abiit in locum ſuum. cœpit quæri,
quis in locum eius ordinaretur, Electi ſunt duo iudicio humano, & electus de duobus
unus iudicio diuino. De duobus conſultus eſt Deus, quemnam ipſorum eſſe uellet, &
cecidit ſors ſuper Mathiam.
De iis ſortibus ſcriptum eſt, Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.
Eſt ſecundum ſortitionis genus, quod diuiſorium uocarunt, quodque tum apud pro-
phanas reſpub. tum apud noſtras in dirimendis controuerſiis, diuidendis hæreditatibus,
eligendiſque magiſtratibus uſurpatum uidemus. Eo enim non modò Athenienſes, ſed
Romani quoque, iudiciorum quorundam magiſtratus ac iudices deligebant, quod ge-
nus electionis, nauis analogia Ariſtoteles improbat, quemadmodum enim in naui, non *1. Ethic.*
ſortione ſed peritia & induſtria, gubernatores deligi debent, ſic quoque in ciuitate non
ſortis temeritati & futuræ ludibrio, ſed probatæ prudentiæ & humanarum rerum uſui,
ſunt res committendæ. Quæ ratio tamen, quantum in politicis magiſtratibus ualeat,
modò

De ſortile. c. eccleſiaſt.

modò non perpendimus. nam ab eccleſiaſticis electionibus, Honorij III. Pont. Max. conſtitutione ſortes excluſas, ſat ſcimus. Fiebat etiam apud eoſdem Romanos prouinciarum ſortitio, quod in Liuio cæteriſque Romanæ gentis hiſtoricis legimus. Erant & militares prædarum ſortitiones, poſt urbium aut prouinciarum uictorias, Vnde Virg.

Si uerò capere Italiam ſceptriſque potiri
Contigerit, uictori & prædæ ducere ſortem.

Militare quoque aliud ſortitionis genus, non modò apud eundem Virg. apudque Homerum, ſed apud alios quoque poſteriorum ſæculorum auctores, depræhendimus, quo qui primi, qui ſecundi, qui tertij, &c. pugnaturi eſſent, ſorte decernebatur. Nam quod controuerſiæ uetuſtæque concertationes, quadam quaſi iuris ceſsione interueniente, & tunc & modò non fraudulenta, ſed quæ tota pendeat à fortunæ caſuſque temeritate, ſorte quandoque dirimantur, non eſt opus oſtendere. Fraudulentæ uerò ſortes uocantur in hoc genere, quando ſortientis induſtria aut fraus intercedit: quod olim à

Apud Iul. Sirenum. lib. 9. de fato.

Temeno quodam factitatum ferunt. Cum enim Chreſphôtes & Ariſtodemus lōgiſsimas, quas inter ſe habebant controuerſias ſortitioni cōmittere ſtatuiſſent, in hocq; ambo conueniſſent, ut aliquod ex luto glebæ, in urnā aqua plenā Temenus coniiceret, & ille cauſa caderet, cuius glebas aqua diluiſſet, Temenus Chreſphontis quidē, cui magis indulgebat, glebas igne, Ariſtodemi uerò, quo Chreſphontes uoti compos euaderet, ſole ſiccabat. Atq; hoc etiā ſecundum ſortitionis genus, non modò non eſt illicitum, ſed eſt ad multas ciuiles publicas & priuatas cōmoditates utiliſsimum, quòd plerunque, uti diximus, res etiam grauiſsimas cum utriuſq; partis concordia componat. Tertia demum ſortitionis ratio eſt, quam eò quòd in rerum futurarum aut occultarum uaticinio comparando, inſtituta fuerit, tum Theologi, tum iuriſprudentes diuinatoriam appellarunt; à quo ſortilegium deriuatum, uniuerſi conſentiunt. Sortilegium enim, non quancunque ſortitionem, ſed eam tantùm, quæ illicitam diuinationem adiunctam habeat, appellamus. quam profectò, primum & ſecundum genus ſortionis non habet. Vſurpamus autem hoc loco ſortilegium, non in ea ſignificationis extenſione ac latitudine, qua pro uniuerſa uaticinatoria ſuperſtitione, immo pro cunctarum malarum artium, ſiue in diuinatione, ſiue in maleficio conſiſtant aceruo, accipi ſolet (quæ ſignificatio iuriſprudentibus, ac quibuſdam Theologis, qui de ſortilegiis ſcribunt, fuit ſemper in uſu) ſed pro illiciti uaticinij genere, quod ſortium quarundam iactatione fiebat. Quod iuxta multiplicem quoque ſortium formam ac differentiam erat quoque multiplex. Erant enim ſortes Burenſes in Achaia, qua talis, & abaco fiebant, de quibus ita ſcribit Pauſanias,

Paul. Grillan. li. de ſortileg. Angel. claua Syluest. & cæteri.

Quà ad mare deſcenditur, Amnis Buraicus nomine. in proxima ſpelunca, non utique

Li. 7. de reb. Acha.

magnum Herculis ſignum: Buraico & ipſi cognomen, oraculis ſortes capiuntur ex tabula, per talos, qui conſultum uenêre, precatione ad ſignum peracta, uotiſq; nuncupatis, talos ex ea, quæ in promptu eſt, copia, iniiciunt quatuor ſuper menſa: in ſcripti ſunt certis notis tali ſinguli. earum illi notarum interpretationem, in tabulis ſimilitudinem ſequuti, requirunt. Hactenus Pauſanias. Erant & ſortes Prænestinæ, de quibus Cicero, Quotannis inquit, Kalend. Ianuarij, ex cauata columna, in qua reſeruabantur, ſortes eximebantur, illiſque quà eductæ erant, ſerie mutuò iunctis, integra reſponſa abſoluebantur. Scribit & Suetonius eaſdem Præneſtinas ſortes, Domitiano Cæſari interitum denuntiaſſe. Antianæ etiam ſortes apud eundem Suetonium, C. Caligulæ, quem antea ut à Caſsio caueret, præmonuerant, ſunt celebres. Erant & in agro Patauino, ſortes Aponenſes inſignes, per quas, ut idem Suetonius, & alij uiri docti aiunt,

Nicolaus Leonic. in dialog. Iul. Siren. lib. 1. de fato. Iſido. lib. 3. Ethic. & 26. q. 1. c. ſortileg. De ſortileg. c. ex tuarū.

iactis in Aponi fontibus ſub aquam talis, certiſsima conſulentibus reſponſa reddebantur. Sunt & modò apud Chriſtianos uariæ quoque ſortium formæ. Quidam enim ſub nomine fictæ religionis, per quaſdam, quas ſanctorum ſeu Apoſtolorum ſortes uocant, diuinationis ſcientiam profitentur: quidam, quarumcunq; etiam inſpectione ſcripturarum, futura promittunt: quidam ut uentura præſciant, aſtrolabium inſpiciunt: alij tot pſalmos aut miſſalis libri ſeu breuiarij lectiones, conſulunt: alij demum, alijs ſuperſtitionibus, quò futura præuideant, utuntur; quæ uniuerſa, aut ſunt diabolica figmenta, in hominum eluſionem excogitata, aut ſunt, ut Cicero, & Carneades, contra Stoicos docent, apertiſsimæ nugæ. Ex ſe ipſis enim nihil, ſiue illæ, quibus gentes utebantur, ſiue iſtæ, quibus apud nos fœminæ ſuperſtitioſæ delirant, quo futura demonſtrent

monſtrent, diuinitatis poſsident. Taxillorũ etenim iactus, temerarius, temerariaq; libri aut ſcripturæ inſpectio, niſi opera diaboli, nihil niſi temerariũ poſſunt parere: unde eodẽ iudicio de illis ſtatuendũ eſt, quo de Geomãtia, Hydromantia, &c. Quod uerò ſortium prædictiones, quibuſdam cõprobentur exemplis, haud aliam nobis credendi neceſsitatẽ intorquet, quàm in reliquis ſuperſtitionibus, quarum nullæ ſunt tã inanes, ac futiles quæ illis deſtituantur. Putandũ eſt enim, ut Cic. docet, ea nõ ſortium uirtute, ſed caſu quodam, atq; temeritate accidiſſe, niſi quòd earũ inuentio ſi nõ ſit fabuloſa, eaſdem potius opus fuiſſe diaboli, demonſtrare uidentur. Narrat Cic. Numerium quendam Suffutium, honeſtum uirũ, & nobilẽ, ſomniis crebris ad extremum etiã minitantibus, iuſſum, certo loco ſilicem cædere, perterritũq; uiſis; irridentibus ſuis ciuibus, id agere cœpiſſe, præfractoq; ſaxo ſortes erupiſſe in robore ſculptas, priſcarum literarũ notas, eumq; locum ſuo tẽpore religioſè ſeptum, cultum fuiſſe, propter Iouis pueri, qui lactẽs cũ Iunone, in gremio fortunæ ſedens, mamã appetens, caſtiſsimè colebatur à matribus; eodẽq; tempore, illo loco, ubi fortunæ ſita ædes erat, mel ex olea fluxiſſe, aruſpicesq; propterea dixiſſe, ſumma nobilitate eas ſortes futuras. Fuerunt igitur ſortes aut malorum ſpirituum inuentum, aut futiles fabulæ, quod ſecundum & Cicer. & Carneades magis putarunt.

Iam tandem ad omina ueniamus, quibus omnium maximè, humana ſuperſtitio & temeritas alitur. Eſt autem omen, rei futuræ ignoratæ, ſiue proſperæ ſiue aduerſæ, per uerba aut actiones præcedentes, caſuale præſagium, quale quod de Cæcilia Metelli narrat Cicero. Cum enim ſororis ſuæ filiam, in matrimonium locare uellet, & ominis captandi gratia, in ſacellum quoddam receſsiſſet, neque cum aliquandiu perſediſſet, aliqua uox audita fuiſſet, quæ propoſito deſeruiret, puellaque interim longa ſtandi mora defatigata, rogaſſet materteram, ut in eius ſella paululum requieſceret, illaque dixiſſet; Ego tibi meas ſedes libenter concedo, omen re ſequuta, ipſa breui mortua, uirginem in matrimonium Metellus duxerit. Quale illud etiam quod Lu. Paulo accidiſſe idem Cice. refert, nam cùm Paulo prius, uti bellum cum Rege Perſeo gereret obtigiſſet, deindeque ad ueſperam domum rediens, filiolam nomine Tertiam oſculatus, triſticulam animaduertiſſet, cauſamque triſtitiæ interrogaſſet, illaque reſpondiſſet, Perſa periit (deceſſerat autem Catella, quam puella in deliciis habuerat, nomine Perſa) tunc ille arctius puellam complexus, Accipio, inquit, omen ô filia; atque cum ex ipſo ita temere effutito uerbo, quaſi certam ſequuturæ uictoriæ clariſsimique futuri triumphi, ſpem & gloriam animo præſumpſiſſet, ipſo proſpero euentu puellare omen compenſauit. Qualia denique alia complura, quæ Valer. Max. tum ex Græcis, tum ex Romanis hiſtoriis ſcribit. Manſerunt & huiuſce inſaniæ in republica Chriſtiana non pauca ueſtigia, non modò in fœminis, ſed in quibuſdam ſuperſtitioſulis homunculis, præſertim nobilibus, qui ſi ſenſu deficiant, plus multo quàm fœminæ ſunt in ſuperſtitioſiſsimas quaſque uanitates procliues. Itaque ſunt qui uenatum abituri, ſi crucem, funus, religioſum, aut aliquid ſimile primo manè inſpexerint, nihil ſibi proſperè, ac fœliciter eo die ceſſurum apud ſe conſtituunt. Solent & mulierculæ, uirgines præſertim, ſancti Ioannis bap. nocte, iam appetente die, lecto ſurgere, feneſtras occupare, & quibuſdam murmuratis preculis, arrectis auribus primam uocem præſtolari, quam ſumma fide excipientes, in futurarum nuptiarum fauſta aut infauſta præſagia conſeruant. Venantur & hoc modo futurorum maritorum nomina, nam ſi prima quæ audiatur uox, Petrus fuerit, Petrum uocandum uirum ſibi certò ſuadent; idemque de cæteris nominibus facere ſolent. Quòd ſi lætum aliquod uerbum audierint, læta omnia: ſi triſte, triſtia ſibi cuncta obuentura denuntiant. Sunt & alia huiuſmodi uanitatis in uulgo plura genera, quæ ſingula exponere impoſsibile eſſet. Et quanquàm omnia, ubicunque & à quibuſcunq; rebus & uerbis captentur, erant tamen olim captandis ominibus loci etiã quidam peculiares dicati, ut quod de ominoſo Mercurio, apud Pharos Achaiæ, Pauſanias ſcribit, In foro, inquit, ſtabat Mercurij ſimulacrum, ante cuius pedes lapidea ſtabat ara, ad aramque hinc inde plumbo alligatæ æneæ lucernæ uiſebantur, conſulturus, ueſperi accenſis lucernis ad Deum accedebat thus in aræ medio incẽdebat, in dexteram ſimulacri manum numiſma quoddam loci illius patrium ex ære ponebat, inde ad ſimulacri aurem in ſuſurrabat, quid percunctari uolebat, obturatis deinde auribus, à foro rectà diſcedebat: foro egreſſus occluſas aures aperiebat, & uox quam primùm audiſſet, ueri ominis uice

In ominoſum uaticinium.

Lib.1.c.5.

conſtanter obſeruabatur. Hactenus Pauſanias. Petebantur etiam templa deorum, lo-
ca religioſa, & ſacra, ominis captandi gratia, quod in Cæciliæ Metelli omine oſtendi-
tur, erat enim in ſacello, cùm omen captaretur. Hanc uerò uniuerſam artem Carnea-
des & Cic. multis rationibus & argumentis, ſtultam conuincunt, miſerrimamque prorſus mortalium uitam exiſtimarunt, ſi omina ſint admittenda. Quando ait, Cic. omina
obſeruans, quieto & libero animo eſſe poteris, ut ad rem gerendam non ſuperſtitionem
habeas, ſed rationem ducem? Ita'ne ſi quis aliquid ex ſua re, atque ex ſuo ſermone
agens, & eius uerbum aliquod aptè ceciderit, ad id quod ages aut cogitabis, ea res tibi
aut timorem afferet, aut alacritatem? Probat deinde exemplo, eas res, quas omina
præceſſerunt, non ideò euenisse, quòd eaſdem quis fuerit ominatus, ſed prorſus teme-
rarie & à caſu. Cùm Marcus Craſs. inquit, exercitum Brunduſio imponeret, quidam in
portu caricas Cauno aduectas, Cauneas clamitabat: dicamus, ſi placet, monitum ab eo
Craſſum, caueret ne iret, non fuiſſe periturum, ſi paruiſſet: quæ ſi ſuſcipiamus pedis
offenſio nobis, & abruptio corrigiæ & ſternutamenta, erunt obſeruanda. Hæc Cicero,
aliaque multa in eandem ſententiam, quibus totum hoc ominoſum uaticinium conten-
dit euertere. Nos uerò, qui ſanctæ ſcripturæ religione tenemur, etſi ea omina, quæ fre-
quentia in humana conuerſatione, & conuictu ſolent ſiue uerbis ſiue factis accidere,
& quibus nullum adeſt diuinitatis ſuffragium, cum Carneade, ac Cicerone, cæteriſq;
ſinceré philoſophantibus, exiſtimemus inania: negare tamen non poſſumus, multa & di-
cta & facta eſſe, quæ rerum conſequentium euentus, non humano, ſed prorſus diuino
impulſu, ab auctoribus profecta eſſe, conuincant. Seruus Abrahæ, uxorem Iſaac de-
Gen. 24. lecturus, profectus in Meſopotamiam ad urbem Nachor cùm camelos feciſſet accumbe-
re extra oppidum, iuxta puteum, ueſpertino tempore, quo ſolebant mulieres egredi
ad hauriēdam aquam, orauit dominum dicens, Domine Deus, domini mei Abraham,
occurre mihi hodie, & fac miſericordiam cùm domino meo Abraham. Ecce ego ſto
prope fontem aquæ; & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam
aquam, igitur puella cui dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam, & illa dixerit bibe,
quin & camelis tuis potum tribuam: ipſa eſt quam præparauit Dominus filio domini
mei. Qui cum non dum intra ſe uerba compleſſet, ecce Rebeca egrediebatur filia Ba-
tuel, filij Melcha, uxoris Nachor fratris Abraham, puella decóra nimis uirgoque pul-
cherrima, & incognita uiro, à qua ad fontem deſcendente, cùm idem, hauſtum
aquæ petiiſſet, illaque protinus, non illi modò, ſed etiam camelis potum gratiſ-
ſimè obtuliſſet, iuxta ominis uaticinium, Iſaac uxor deligitur. Captauit etiam omen
1. Reg. 14. Ionatas Saulis filius, cum in caſtra Philiſtinorum pugnaturus deſcenderet: Ecce, in-
quit Ionas ad armigerum ſuum, nos tranſimus ad uiros iſtos, cumque apparuerimus
eis, ſi taliter loquuti fuerint ad nos, Manete donec ueniamus ad uos: ſtemus in loco
noſtro, ne aſcendamus ad eos. Si autem dixerint, Aſcendite, ad nos. aſcendamus ad
eos, quia tradidit eos dominus in manibus noſtris. Quæ res ita ut Ionatas pactus fuerat
cuênit. Caiphas deinde peſsimus Pontifex, ea ſententia, qua pronuntiauit, oportere
unum hominem mori, ne tota gens periret, Chriſti mortem prophetaſſe, Ioannes te-
Ioan. 11. ſtatur. pertinebat autem illud uaticinij genus, non ad prophetiam, quæ ſemper eſt de
re cognita & percepta, ſed ad ominoſam uaticinandi rationem, quæ (ut diximus) eius,
quod prædicitur, ignorantiam & dicti quandam temeritatem includit. Sunt & in ſan-
ctorum uitis & hiſtoriis, omina frequentiſsima. Narrat Paulinus Nolanus, Probum
In uita Ambro. iudicem, cùm Ambroſium in Lyguriam & Aemiliam gubernandas deſtinaret, eidem
dixiſſe, uade, & fac, non ut iudex, ſed ut Epiſc. quod omen poſtea ipſa totius populi
Mediolanenſis electio comprobauit. Idem etiam Ambroſius, eodem quoque Paulino
auctore, cum eſſet Romæ adoleſcens cum matre uidua ac ſorore, quæ uirginitatem iam
fuerat profeſſa, uideretque ab eiſdem ſacerdotum manus deoſculari, ipſe ludens, ma-
nus ſorori offerebat deoſculandas, dicens, ſe Epiſcopum aliquando futurum, à qua,
ominis futuram ueritatem neſciente, Ambroſius ſpernebatur, ſubditque Paulinus,
Loquebatur autem in illo Spiritus ſanctus. Ferunt beatum Auguſtinum cum eſſet cate-
chumenus, & quid potiſsimum ſequeretur, ambigeret, ex propinqua domo cantari au-
diſſe, hæc uerba, Accipe & lege, quibus cùm ſe moneri intelligeret, librumque epiſto-
larum Apoſtoli Pauli legendum accepiſſet, illud protinus occurriſſe, Non in commeſ-

ſationibus

ſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitiis, non in contentione &
æmulatione, ſed induimini Dominum IESVM Chriſtum: quo omine, cùm ſe ad Chri-
ſtum per baptiſmum induendum commonitum intellexiſſet, (omnes enim, qui in Chri-
ſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus) baptiſmum protinus ab Ambroſio poſtulaſſe. *Rom. 6.*
Simile etiam quid de ſanctiſsimis patribus Franciſco & Dominico, narratur. Nam cùm
uterque, pro ingenti, quo placendi Deo flagrabat deſiderio, eius uoluntatem & impe-
rium ſummis uotis inquireret, prior quidem ex ea euangelica Lucæ lectione, qua Do-
minus Apoſt. præcipit, ne portent ſacculum, aut peram, calceamenta, aut pecuniam, &c. *S. Bonauē.*
Secũdus, ex illis uerbis præfationis miſſæ beatæ Virginis, collaudare benedicere, & præ- *Luca 8.*
dicare, quaſi diuinis ominibus, ſuæ uitæ ſuæq; religionis inſtituendæ rationẽ elicuit. Nõ
itaque negandum, quaſdam eſſe in hoc genere uaticinij præſagitiones, quæ, ut docet
Auguſt. per Spiritus ſancti occultiſsimum inſtinctum, quem neſcientes humanæ mentes *Lib 2. ſ gen.*
patiantur, in eaſdem perueniant. Accidit autem id, potiſsimè, cùm tantùm honor *cap. 17.*
Dei, & animæ ſalus, multis precibus & intimo quodam cordis affectu conquiritur: non
item, cùm res temporariæ, aut quæ ſcire nihil ad ſalutem refert, uana curioſitate inue-
ſtigantur. Itaque hæc ſunt ex eorum numero, quæ cum in ſanctorum uirorum uitis,
cum ſumma quidem admiratione legantur, non tamen ſine grandi cordis temeritate in
uſum aſciſcuntur. Oporteret eum, qui hæc faceret, tanta eſſe fide, ſpe, cordiſque di-
lectione, apud Deum, quanta ſancti illi uiri in quorum hiſtoriis hæc modò admiramur,
extiterunt. Oporteret deinde quærendi finem tam purum eſſe, tamque à propriæ cupi-
ditatis aut curioſitatis ſcoria perpurgatum, quàm in illis erat. Oporteret demum tot
tamque calidis orationibus, ex ſoli Deo placendi deſiderio profectis, Deum prius ſolli-
citaſſe. Qui hæc nondum habet, pro diuina illuſtratione fortè Satanicas tenebras &
dolos reportabit. Rectè itaque Cicero, Carneades Peripatetici, ac reliqui omnes ſin-
ceriores philoſophi, uaniſsimam iudicarunt inſaniam, ex iis aut actionibus aut uerbis,
quæ in humano conuictu, ſæpe temere incidunt, eorum quæ nos cogitamus, deſide-
ramus, aut timemus, uaticinia proferre. Sed rectè etiam nos quoque per Spiritum
ſanctum ingenti animi ſanctitate, ac placendi Deo deſiderio præcedente, poſt oratio-
nes crebras & feruidas, diuinam nonnunquam uoluntatem, uiris ſanctis oſtendi, poſt
tot & ſcripturarum & ſanctorum uirorum exempla, docemus. Cætera uerò omina aut
cùm Cicerone & Carneade temeraria, aut à dæmonibus, inſpirata non inaniter credi-
mus: qualia ſunt ea exempla, quæ initio ſunt propoſita, qualiaque multa alia, quæ &
ueterum lectione, & uſu quotidiano cognoſcimus. Quanquàm ſcio in ea fuiſſe ſenten-
tia Auguſtinum, ut etiam ſine orationibus, ſine deſiderio placendi Deo, ſine ſanctitate,
immo uerò per luſum, quandoq; occultus quidam futurorum inſtinctus quibuſdam do-
netur. Quidam (inquit) iuuenes iocando ut fallerent, ubi peregrini iter agebant, *Lib. 12. in*
mathematicos ſe eſſe finxerunt, ignorantes omnino, utrum duodecim ſigna dicerentur, *gen. c. 22.*
qui cùm hoſpitem ſuum, mirari cernerent, quæ dicebant atteſtari eſſe ueriſsima, au-
dacius in plura progreſsi ſunt: at ille atteſtans, ad omnia mirabatur. Poſtremò ab eis
de filij ſalute quæſiuit, quem diu abſentem deſiderabat, & quòd inopinatè tardaret, ne
quid ei accidiſſet ſolicitus erat. At illi non curantes, quid poſt eorum receſſum ueri
cognoſceretur, dum tamen in præſentia lætum hominem redderent, mox profecturi,
reſponderunt, ſaluum ac appropinquàtem, & eo ipſo die, quo hæc loquebantur, eſſe uen-
turũ: neque enim metuebant, ne cùm dies peractus eſſet, eos ille redarguendos poſtri-
die ſequeretur. Quid multa dum iam abire diſponerent, ecce ſubitò adhuc eis illic po-
ſitis, uenit. Item alius ante ſymphoniacum ſaltabat, ubi erant multa idola per quan-
dam paganorum ſolennitatem, non aliquo ſpiritu arreptus, ſed imitatione ludicra arre-
ptos æmulatus, ſcientibus circunſtantibus: moris enim erat, ut ante prandium peractis
ſacrificiis, agitatiſque phanaticis, ſi adoleſcentes, poſt prandium uellent eo more lude-
re, nullus prohiberetur. Ille ergo inter ſaltandum facto ſibi ſilentio, iocabundus, & ri-
denti multitudine circumſeptus, ea nocte, quæ impendebat, in ea ſylua, quæ iuſta erat,
hominem à leone interemptum iri, dixit, ad cuius cadauer ſpectandũ, illuceſcente die,
confluxuram turbam prædixit. Et factum eſt, cùm ſatis cunctis qui aderant, in cun-
ctis eius motibus clatuiſſet, hoc eum ludendo & iocando, nuſquam perturbata uel alie-
nata mente dixiſſe, ipſo etiam tanto amplius mirante, quod accidit, quantò, magis noſ-

ſet, quo id animo atq; ore protulerit. Hactenus Auguſt. Fertur etiam de Thoma Card. qui poſtea fuit appellatus Nicolaus V. quod cum in Germaniam proficiſceretur legatus, Eugenij quarti mandato, dum Alpes traiiceret, in Aeneam Picolomineum Senenſem, Fœderici Imperatoris tertij oratorem, inciderit, atque ad communem hoſpitem, cum eo diuerterit, ubi cùm Aeneas parcius aliquâto quàm decebat, ageret, Thomas dixerit, Quid tantoperè uictui parcimus, cùm uterq; noſtrum ad ſummũ Pontificatum ſit aſcenſurus? Quod omen ipſa res ſubinde ſubſequuta, confirmauit. Thomas enim ſub Nicolai quinti, Aeneas ſub Pij ſecundi nomine, Pontificiam dignitatem obtinuit. Verùm hæc & ſimilia, non eſt cur aut à caſu non ſint prouenire dicenda, aut quædam eorum inſtinctu dæmonis prolata, ut ſecundum illud Auguſtini exemplum.

Atque hæc de ominoſo uaticinio, deque cæteris, ſuperſtitioſis artibus, dixiſſe ſit ſatis, præſertim cùm eas omnes, omnium rerum publicarũ conſenſus, non modò quaſi impias & ſuperſtitioſas, ſed tanquam uanas & ſtultas, iam dudum, ante euangelicæ legis aduentum damnatas, expulerit. Hoc genus, inquit Cicero, diuinationis, uita iam communis exploſit: dictumque extat à comico ante eadem euangelij tempora.

Ennius apud Cicer. lib. 2. de Diuin.

Non uicanos aruſpices, non de circo Aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomniorum.
Non enim ſunt ij aut ſcientia, aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi uates, impudentesque Arioli.
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri demonſtrant uiam,
Quibus diuitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt.

In dæmonica uaticinia.

VERUM iã ordo diſputationis initio inſtitutus monet, ut deinde, de eo uaticinandi genere, quod, quoniã quibuſdã ceremoniis ac ritibus exciperetur, artificioſum uocauimus pauca è multis, quæ de ea re auctores prodiderunt, loquamur: id autem duplex eſſe pro duplici uero, ac falſo numine, in præcedentibus diximus, dæmonicum unum, quod gentes oraculũ appellarunt, diuinum alterũ, quod Hæbrei, qui eo quòd uera religione fruerentur, potiſsimè claruerunt נבואה Nebuah, Græci uero προφητείαν, uocarunt: & ſi hoc nomen non nunquam in ſancta ſcriptura, falſis quoque prophetis attributum uidemus. Quanquam autem in his quæ de futurorum prænotione, toti huic ſuperſtitioſo congreſſui quaſi fundamentum præiecimus, quatenus dæmonici aut angelici intellectus acies, in rerum futurarum prænotionem poſsit conualeſcere oſtenderimus (oſtendimus enim neceſſariis rationibus, nec naturam, nec artem, nec ullam creati intellectus potentiam, ſed ſolum Deum, qui uocat ea quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt, res nullo pacto neque in ſe neque in ſuis cauſis neceſſariis exiſtentes, poſſe præcognoſcere) utile tamen fuerit eandem rem, doctrina & exemplis antiquitatis ob oculos ponere, ne Chriſtianus homo, in tanta uetuſtatis maieſtate & oraculorum multitudine, aliquid diuinitatis latuiſſe ſibi perſuadeat: Etſi hoc argumentum tam dextrè, non modo Chriſtiani auctores, quos primo lib. contra gentes decertaſſe cõmemorauimus, ſed Carneades apud Ciceronem pertractarit, ut nihil noui reliquiſſe uideatur, quod eidem tractationi poſsimus addere, præſertim cùm Cælius Calcagninus & Iul. Sirenius, uiri profectò citrà controuerſiam eruditi, nobis hanc operam noſtra memoria præoccuparint. Itaque uniuerſam illam uaticinij rationem, quæ dæmonico inſtinctu per idolorum reſponſa contingebat, uanam fuiſſe neque ullam rerum futurarum potuiſſe appræhendere, tum euentorum falſitas, tũ prædicendi ambigua ratio & in utranque partem flexibilis, non modo philoſophis, Cynicis & Epicureis, ſed Ciceroni quoque uberrimè perſuadet. Sed præſtat de iis duabus rebus uerba Ciceronis proponere, quibus non modo dæmones, nihil earum rerum quæ eos uaticinio prodidiſſe, commemorant, præſciſſe contendit, ſed nunquam aliquando oracula edidiſſe, ea quæ à ueteribus cõficta, omnino perſuadere nititur. O, inquit, ſancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum poſsides, unde ſuperſtitioſa primùm ſæua euaſit uox fera. tuis enim oraculis Chryſippus totum uolumen impleuit, partim falſis, ut ego opinor, partim caſu ueris, ut fit in omni ratione ſæpiſsimè, partim flexiloquis & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes, partim ambiguis, & quæ ad dialecticum referenda ſint. nam cũ ſors illa edita eſt opulentiſsimo Regi Aſiæ.

Hebr. 6.

Stoicorum, Epicureorũ, & Cic. ſententia.

Lib. 2. de Diuin.

Crœſus Halym penetrans magnam peruertet opum uim.

Hoſtium

Hoſtium uim, ſe peruerſurum putauit, peruertit autem ſuam. Vtrum igitur eorum accidiſſet, uerum oraculum fuiſſet. cur autem hoc credam editum Cræſo? aut Herodotum, cur ueraciorem credam Ennio? num ille minus potuit de Cræſo quàm de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim eſt qui credat Apollinis oraculo, Pyrrho eſſe reſponſum,

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

Primùm latinè Apollo nunquam loquutus eſt, deinde, iſta ſors inaudita Græcis eſt: præterea Pyrrhi temporibus, iam Apollo uerſus facere deſierat: poſtremò, quanquam ſemper fuit, ut apud Ennium eſt,

Stolidum genus Aeacidarum

Bellipotentes ſunt magis quàm ſapientipotentes.

Tamen hanc amphibologiam uerſus, intelligere potuiſſet, uincere te Romanos, nihilo magis in ſe quàm in Romanos ualere. Nam illa amphibologia, quæ Cræſum decepit, uel Chryſippum potuiſſet fallere, hæc uerò neque Epicurum quidem. Sed (quod caput eſt) cur iſto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modò noſtra ætate, ſed iam diu? Hoc loco cum urgentur, euanuiſſe aiunt, uetuſtate, uim loci illius, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata, oracula ederet. De uino aut ſalſamento putes loqui, quæ euaneſcunt uetuſtate. De ui loci agitur, neque ſolùm naturali ſed etiam diuina, quæ quo tandem modo euanuit? uetuſtate inquis, quæ uetuſtas eſt, quæ uim diuinam conficere poſsit? Quid tam diuinum, quàm afflatus ex terra mentem ita mouens, ut iam prouidam, rerum futurarum efficiat, ut eam non modò cernat multo ante, ſed etiam numero uerſuque pronunciet? Quando autem iſta uis euanuit? an poſtquam homines minus creduli eſſe cœperunt? Demoſthenes quidem, qui ab hinc annis trecentis fuit, iam tunc φιλιππίζειν Pythiam, id eſt, cùm Philippo facere, dicebat. Hoc autem eò ſpectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret. quo licet exiſtimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe. Sed neſcio quomodo iſti Philoſophi ſuperſticioſi & penè phanatici (loquitur autem de Stoicis) quiduis malle uidentur quàm ſe non ineptos. Euanuiſſe mauultis & extinctum eſſe, id quod ſi unquam fuit, certè æternũ eſſet, quàm ea quæ non ſunt credenda, credere. Hactenus integrum de dæmonicis oraculis Ciceronis iudicium, quo profectò, neque elegantius neque doctius, deſiderare potuiſſemus, niſi quòd eidem, quatenus nullum inter gentes oraculum fuiſſe contendit, non aſſentire, diuinæ ueritatis teſtimonio compellimur. Legimus enim in Regum Iſraëliticorum hiſtoria, quadringentos quinquaginta prophetas, Baal, Eleorumq; quadringentos, qui dæmonicis prædictionibus deciperent populum. Dicitur etiam Saul abſtuliſſe Magos & ariolos, & qui Pythones habebant, in uentre, quamuis ad mulierem Pythonem, habentem ſubinde diuerterit. Refert etiam Lucas, apud Philippos Macedoniæ urbem, Paulum apoſt. ſpiritum pythonicum à puella, quæ magnum quæſtum domino ſuo diuinando faciebat, expuliſſe: quæ res illi ingentes concitauit tumultus. Prohibetur demum acceſſus ad ariolos & diuinos, mortiſq; ſupplicio, qui accedunt mulctantur. Sunt quidam alij, qui etſi oracula illa, quæ apud gentes celebria habebãtur, uim uaticinij habuiſſe concedant, nihil tamen in eiſdem fuiſſe præter naturæ uirtutem ab halitibus quibuſdam procedentem, exiſtiment: quo alludere uolunt, quòd ea ſemper in ſpeluncis & antris, locisque cauernoſis captarentur. De Delphico enim Apollinis celeberrimo oraculo, ueteres, tum Græci, tum Latini conſentiunt, antrum quoddam fuiſſe, ex quo Pythonicus halitus, qui mentes alienaret, efflueret: unde Strabo, Auctores, inquit, certi memorant, diuinum ipſum domicilium, profundam & curuam ſpeluncam eſſe, non admodum lato patentem ore, atque hinc auram reddi ſacro efflante numine: excelſum autem oſtio, eminere tripodem, quem ſimul atque Pythia uates inſcendiſſet, hauſto diuinitatis ſpiritu, reſponſa edere, partim metro, partim oratione libera. Hactenus Strabo. Refertque Pauſanias, eo loco ante conditum templum, prius hiatum quendam extitiſſe, ad quem, ſi capra aliqua perueniſſet, atque uel caſu (ut fit) ingreſſa illuc fuiſſet, uel ſaltem cominus introſpexiſſet, miris modis protinus ſaltabat, atque exultabat, uocemque longè ab aliis capris omnibus diuerſam edebat, quam rem, cùm ſemel atque iterum caprarij animaduertiſſent, & ad eundem hiatum tanquam rem diligentius exploraturi acceſsiſſent, idem quod capram, caprarios quoque paſſos fuiſſe, atq; ea quæ tunc recens prodibat, exhalatione correptos, futuros euentus, dementes fu-

[Margin notes: 3. Reg. 18 — 1. Reg. 28 — Act. 16. — Leuit. 20. — Iulius Sir. lib. 9. de Fato. — Lib 9. Geograph. — Lib. 10.]

renteſque præſenſiſſe, re autem ſubinde diuulgata, ad locum uenientes complures, ad hiatumque illum proximè accedentes, idem quod capris ac caprariis euenerat accidiſſe. Cumanum etiam oraculum, antro ſolitum excipi, Virgilius hoc carmine oſtendit.

Aene. 6. *At pius Aeneas, arces quibus altus Apollo*
Præſidet, horrendaq; procul ſecreta Sybilla
Antrum immane petit, magnam cui mentem animumque
Delius inſpirat uates, aperitque futura.

Quòd uerò halitu quodam hauſto, naticinandi uis à Sibylla obtineretur, illa etiam referunt,

Ventum erat ad limen, cùm uirgo poſcere fata
Tempus, ait, Deus, ecce Deus, cui tali fanti,
Ante fores ſubitò non uultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque uideri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine, &c.
& poſt pauca
At Phœbi nondum patiens immanis in antro,
Bacchatur uates, magnum ſi pectore poſſit,
Excuſſiſſe Deum, tanto magis ille fatigat,
Os rabidum: fera corda domans, fingitque premendo.

Quibus uerbis, non aliud quàm inſaniam quandam, qua, hauſto halitu & antri tepore fuerat correpta Sibylla, exprimere Poëtam ſibi aliqui perſuadent. Trophonium, quod in Lebadia Beotiæ conſulebatur oraculum, halitus etiam furore ſolitum obtineri, hiſtorici teſtantur, eratque tam uehemens poſt receptum ex antro uaporem, furoris inuaſio, ut corpus conſulentis, reſupinatum, pedibus uſque ad genua, quinimmo ipſis etiam genibus, in intimiori quodam receſſu anguſtiorique excauata fouea iniectis, penè ipſa animi agitatione, uita excederet. Quæ res poſtquàm accidiſſet, conſulens ipſe, correptus manu à ſacerdotibus, tanquã cœcus & impotens, ducebatur, in exedraque requieturus collocabatur, quem deinde amici & cognati, cum proximam quandam ædiculam ſemianimum & ſtupidum, neque ſe tunc, neque alios planè dignoſcentem, aſportaſſent, ille (ut ferunt) extra ſe poſitus & inſanus, futuros aliquos euentus uidere & audire, ſiue alio quocunq; pacto præſagire ferebatur. In Colophonio etiam oraculo cuius ex Porphyrio meminit Iamblichus, aqua epota, quæ eundem furorem conciliaret, de futuris uates reſpondere ſolebant. Branchidico Dindimei Apollinis oraculo, quod fama & opibus Delphico non ceſſit, halitum ex aqua aſcendentem haurientes antiſtites uentura prædicebant. Volunt itaque iſti, per συμπάθειαν quandam, mentes conſulentium halitu illo terreſtri aut quibuſdam medicis potionibus, in furorem & mentis alienationem agitatas, quæ alienatio ſenſibus penè ſolutam animam in propheticas ecſtaſes protinus ſolueret: unde & diuinationem à Græcis μαντίαν id eſt μανίαν, interpoſito T. uocatam exiſtimant. Neque mirum eiſdem uidetur, ſi alienatæ mentes, in ea rerum futurarum uaticinia rogantur, quandoquidem melancholicus morbus ſimilia conciliet. Scribit enim Petrus Aponenſis, Patauij mulierem illiteratiſsimã, dum melãcholica ægritudine detineretur, latino ſermone quàm decentiſsimè loquutam, ſed & Michael Pſellus fuiſſe inquit, in Græcia, honeſtiſsimam quandam mulierem, ſenis cuiuſdam uxorem, quæ cum uix domum ſuam fuiſſet egreſſa, Armenica lingua expeditiſsimè loqueretur. Petrus Pomponacius narrat quoque, in urbe Mantuana, ſutoris cuiuſdam uxorem, quæ uix quoque urbe exierat, aliquando multa & diuerſa idiomata calluiſſe, ſimiliaque complura in eandem ſententiam proferuntur exempla. Verùm huic ſententiæ, duo mihi aduerſari uidentur; alterum quòd non ſatis intelligo, quo pacto phanaticus aut lymphaticus ille furor, halitu aut potione acceptus, poteſtatem prædicendi futura, ex ſe ipſo tantùm ſine dæmonis inſtinctu conciliare potuerit, præſertim cùm tanta auctoritas, quantam apud eas gentes oracula obtinuerunt, nõ niſi ueridicis prædictionibus conquiri potuerit. Nam quod de melancholicis morbis docent, perplexiorem habent quæſtionem, neque ſatis à ueteribus & recentioribus medicis explicatã. Alterum eſt quòd multa in gentium hiſtoriis legamus, quæ planè ad uapores illos & halitus terre-

Pauſan & Nico. Leonic. i dial. cui tit. Trophonius.

Iambli. de myſt. Aegy.

Strab. libro 14. & 17.

Sectione 30.

Lib. de Incantation. cap. 10.

ſtres,

ſtres, aut potiones referri nequeant. Quale quod de Ioue Ammone auctores memoriæ prodiderunt, in quo ſacerdotes reſponſa petituri, idolum aurato nauigio impoſitum, circumuectitabant, carmenque patrium accinebant, atque iis ritibus ueluti delinitum, nõ uoce ſed nutibus & ſignis ſubobſcuris, quæ uellet proferebat: quæ ſigna & nutus, ſacerdotes, iis poſtea, qui conſultum acceſſerant explicabant. Quale deinde Argolicum oraculum, ubi ſtatis diebus agni epoto ſanguine, mulier uirgo futuros præcinebat euentus. Quale etiam erat Dodonei Iouis oraculum, in Dodona ampliſsima urbe Moloſſidis in Epyro. apud Aetolos, Acarnanes, & Epyrotas frequentiſsimum, in quo uocales quercus creuiſſe, quæ accedentibus interrogaturis, ſponte cõmouerentur, atq; expreſſo reſponſo, quod dandũ erat, inſonarent, ueteres ſcriptores recenſent. Enimuerò neque ſanguis agni epotus, uaticinium conciliare poterat, neq; quercus ſuopte genio ſeſe ad conſulentis præſentiam commouere, niſi extrinſeca aliqua uirtus, quæ eiſdem quaſi ſymbolis uteretur, acceſſiſſet, atq; id, in Argolico quidẽ oraculo uirginitatis cõditio requiſita, in Dodoneo uerò ſtatua, quæ ibi ad conſulentis præſentiã æneos lebetes pulſabat, apertè manifeſtat. Quale quoq; illud, quod in Syriæ ciuitate Hyerapoli fuiſſe, Lucianus ſcribit. Apollo, inquit, uaticinaturus, primũ in ſede ſua mouebatur, ſacerdotes illico, illum in ſublimi attollebant, qui ſi non extuliſſent, exſudabat, ſublatum portabant, ille uerò, ſi quid nolebat, fletũ retrocedebat, contrà, ſi quid approbaret, impellebat geſtantes, aliquandoque etiam præſente Luciano, ipſe ſolus per aera in ſublime fuit eleuatus. Qualia etiam illa erant, quæ necromantica, id eſt mortuorum oracula, ueteres referunt, ut Cimmericum, cuius Homerus meminit ad Auernum Campaniæ lacum, quo Tyreſias uates ab Vlyſſe de reliquo itinere conſultus eſt. In Auerno, inquit, Strabo, maiores noſtri Homerica defunctorum uaticinia fuiſſe, fabulis edidere, ibique cum oraculum extitiſſet, traditum ſit Vlyſſem, eò nauigaſſe. hæc Strabo. ut Theſprotium in Epyro, quo Orpheus manibus cantu permulſis, Euridice coniugi ad ſuperos reditum impetraſſe, fuit creditus. Vnde illud Virgilij,

Si potuit manes, accerſere coniugis Orpheus,
Threïcia fretus cythara, fidibusque canoris:

Vt Eracleum præterea quod Pauſanias Spartiata, Cleonicæ uirginis manes placaturus acceſsit: ut demum alia multa, quæ uiri docti ac diligentes ex uaria hiſtoria collegere. In his profectò, nullam naturæ uirtutem interceſſiſſe ſed ſolam dæmonicam poteſtatem, quæ uel per ſe ipſam, uel per mortuorum hominum manes aut phantaſmata, reſponſa proferret, ipſa res indicat. Ergo in gentium hiſtoriis duo mihi oraculorum genera ſtatuenda uidentur; artificioſum unum, & quod nullo, loci, halitus, aut potionis ueneno conciliabatur, qualia erant uniuerſa illa quæ idolorum conſultatione, in templis aut ſtatuis reddebantur. Alterum partim artificioſum partim phyſicum, qualia ea quæ ex antris uapore concepto, aut lymphatico furore, aut demum aliis rationibus, atque cauſis naturalibus, quaſi prauis diſpoſitionibus, edebantur. tertium uerò quod ſit merè phyſicum, ac naturale omnino, non probo, quòd nimirum nulli humores in humano corpore excitati, tantam habeãt uirtutem, ut animam humanam in futura præſentienda & præcognoſcenda eleuare poſsint. Vtebantur autem dæmones, ea per halitus aut lymphaticas potiones, ſenſuum alienatione: quaſi ſymbolo quodam, non item quod ea alienatione animam, aut mentem, efficaciter per quoſcunque ſuſcitatos humores, ad futura præcognoſcenda, liberiorem & ſolutiorem redderent. Quemadmodum & omnibus iis artibus uaticinatoriis, quas in genere phyſico uaticinij contineri dicebamus Aſtrologia, Somniſpicia, Augurio, Aruſpicina, Pythagorica ſorte, Aleatoria, Geomantia, Hydromantia, Aëromantia, Pyromantia, oſtentorum interprete, omine, & ſi quæ ſunt aliæ, quaſi ſymbolis quibuſdam, quibus ſuam nequitiam occultent ſæpe numero utuntur. Vnde, ſi quæ ſunt earum omnium artium experimenta, niſi in caſum & temeritatem ſint reiicienda, in dæmones, qui hiſce artibus quaſi ſymbolis utantur reiicere oportet. Quatenus uerò dæmones aut creatæ cuiuſcunque ſubſtantiæ uirtus intelligendi, progredi poſsit, dictum eſt ſuprà. Nam ut quaſdam futurorum prædictiones, quæ nimirum à rerum naturalium ordine pendent, quæque in ſuis cauſis deliteſcunt, ut pluuiæ, grandinis, mortiſque naturalis, & ſimilium, quæ & uſu ipſo antiquiſsimo, & ingenij ſubtilitate, certius quàm ullus mortaliũ conſequuntur, dæmonibus concedimus, ita re-

Strabo. Geograph. lib. 17.

Strabo. Geograp. lib. 7.

Lib. de Syria dea.

Lib. 2. Odyſſ.

Lib. Geograph. 5.

Iul. Siren. lib. 9. de Fato. c. 11.

rum

rum fortuitarum, quæ ab humano arbitrio, & multo magis quæ à diuina prouidentia & uoluntate oriuntur, illis denegamus: loquimur uerò de uoluntariis abſolutis. Nam quæ alterius facti neceſsitatem ſequuntur, ideſt quæ ex altero facto naturali, aut uoluntaria colligatione conſequuntur, ut, quòd hic qui uenenum immedicabile ſuſcepit, ſit continuò moriturus, aut quòd hic, qui homicidium perpetrauit & eſt comprehenſus, ſit ultimo ſupplicio afficiendus, ut antea dicebamus, illis quoq; ſicut hominibus concedenda uidentur. In qua tamen parte, dum naturæ uelocitate de loco, in locum, & de prouincia in prouinciam, citius quàm homines commeare poſſunt, magnopere quoq; poſſunt neſcientibus cauſas præcedentes, imponere. Nam ſi ſciat Socratem læſæ Maieſtatis apud regem delatum, Socrates autem cum ſit innocens, eam delationem prorſus ignoret, rectè illi uaticinari uidebitur dæmon, ſi illum cito ultimo ſupplicio afficiendum prædiceret. Verùm hæc, cum ex iis, quæ antea de futurorum prænotione tradidimus, ſint manifeſta, amplioribus uerbis inculcare non licet, præſertim cùm de iis Ioan. Tritem. lib. 12. de dæmonicis artibus, aliiq; uiri doctiſsimi, multis tractatibus ac libris ſcripſerint. Haud igitur mirandum, ſi tot mendaciorum, tum à Cicerone & Carneade, tum ab eccleſiaſticis ſcriptoribus, arguantur, cùm res, quæ à naturæ cauſis non pendebant, conabātur prædicere, libereq; proinde fatetur Porphyrius, ab infimis dæmonibus, qui ſubdoli ſint & uerſatiles, oracula edita. Quin (ſi Ciceroni fides eſt adhibenda) ipſemet Apollo, de ſe ipſo cæteriſque dæmonibus ingenuè fatetur,

Quid fruſtrà petitis, non eſt noſtrum ſcire futura.

Concluditur hæc diſput. prædictiones chriſtian. religionis à ſolo Deo eſſe potuiſſe.

RESTAT UNA tandem, prophetica prædictio, quæ ut ſola non naturam ut ex uaticinatoriæ artes, quas phyſico genere contineri prædiximus, neque creati intellectus acumen, ut dæmonica uaticinia; ſed Dei ſpiritum habet auctorem; ita eam, non modò rerum naturalium, ſed earum, quas fortuitas uocamus, immo & earum, quas certis temporibus exhibendas, diuina prouidentia præordinat, conſciam, ipſarum earundem rerum exhibitarum, euidentia conuincit. Quæ profectò tantùm abeſt ut amphibologicis loquutionibus, ut de dæmonico uaticinio Cicero dicebat, futura prædiceret, ut potius (tanta erat ſpiritus prophetici certitudo) contra grammaticæ rationem, in edendis uaticiniis, ut ſuperius docuimus, uteretur præterito. Hanc enim uerò, non coniecturis, ut humana prudentia, non cœleſti aſtrorum ordini, ut aſtrologia, non humani corporis inſpectione, ut phyſiognomia ac eius partes, non eorum quæ igne, aëre, aqua, terraque contingunt, ut ſpeculatoria, non ex talorum iactu, ut aleatoria, non literarum aut numerorum exceſſu, ut ſors pythagorica; non ex uanis phantaſmatibus, ut ſomniſpicia, non auium motione, aut garritu, ut aruſpicina, non mentis emotione, ut mania aut furor, non ex ignorantiæ & dubitationis ambiguo, ut diuinatio, ſed diuina patefactione, modò per aperta uerba, modò per ſomniorum imagines, modò per externas ſpecies, modò per myſticas actiones, modò denum per illuſtrationes internas, non quæ ſtatim, aut cras, aut poſt menſem, aut poſt annum, ſed quæ poſt multas annorum myriadas, futura erant, cum certiſsimo rerum, quæ tamen uniuerſum naturæ ordinem tranſcendebant, euentu, prædixiſſe uidemus.

De ſanctarum ſcripturarum tum noui tum ueteris teſtamenti concordia, & conſenſu. Cap. II.

SEcunda noſtræ fidei certiſsima ratio, eſt ſanctarum ſcripturarum concordia, quæ in eis tanta eſt, ut nulla illarum pars, in uero & germano intellectu ab altera deſciſcat. neque enim in his, quæ ex ipſa uocabulorum ratione, perſpicuitatem non habent, qualia ſunt prima rationis naturalis principia, quas dignitates appellant, in quibus ſibi mutuò mortales conſentiunt, poſſibile eſt, eandem apud omnes eſſe mentis concordiam, & tantum conſenſum, ut nullus uel tantillum ab alio diſcedat; niſi ſint eodem lumine colluſtrati, & eodem genere cognitionis muniti. Videmus autem noſtræ fidei ſanctiſsima placita, tum primum ab ipſo mundi principio, diuerſis ſæculis, diuerſis regionibus, diuerſis hominibus, tanta concordia prædicata fuiſſe, ut neque in rebus leuiſsimis ſit

ulla diſſenſio; cùm tamen non ſint ſuoptè ingenio & natura euidentia, ſed merè arbitraria, & à diuina uel humana uoluntate pendentia. Non ergo ſunt humanæ inuentiones, aut alterius ullius creaturæ conſilia, ſed diuinam prorſus habent originem, & à Deo quaſi ab uno per cuncta ſæcula duranti principio, deriuata deſcendunt. Videas humanæ ſapientiæ candidatos, quos quaſi naturæ parentes ac numina ſuſpiciebat antiquitas, non modò in theorica diuinitatis ac naturæ cognitione, ſed in rebus quoque præcipuis, quæ ad rectè componendam uitam humanam (cuius tamen ſtrenui habebantur cultores) aſpiciunt, tantopere à ſe diſsitos ut uideri poſsint inter ſe coniurati, ne unquam id ipſum ſentirent. Diagoras, Melius, Theodorus Cyrenaicus, Euagoras, Dioge. Phrygius, nullum prorſus Deum eſſe dixerunt, Protagoras dubitare ſe dixit, qui uerò Deos eſſe dixerunt, in tanta, inquit Cicero, uarietate ac diſſenſione ſunt conſtituti, ut eorum moleſtum ſit annumerare ſententias, nam & de figuris Deorum, de locis atque ſedibus, & actione uitæ, multa dicuntur, deque his ſumma philoſophorum diſſenſione certatur. Xenocrates octo deos eſſe putat, Antiſthenes multos quidem Deos populares, ſed unum naturæ totius artificem, Hermes Triſmegiſtus, quem Ethnicæ ſapientiæ *Cic.lib.1, de nat.Deo.* uolunt eſſe parentem, mirum quàm factitios illos deos, quos abſque certo numero uenerabatur antiquitas, in ſuo illo Aeſculapio commendarit. Iam de diuinitatis eſſentia tractantes, Thales Mileſius, mentem, quæ ex aqua cuncta formaſſet, Anaximenes & Diogenes Appolloniates, aëra immenſum, & infinitum, Zeno, diuinam quandam naturalemque legem, Anaxagoras, infinitam mentem per ſe mobilem, Pythagoras, animum per naturam rerum intentum & commeantem, ex quo omnia uitam caperent, Alcmeon Crotoniates, Solem, animum, Lunam, cæteraque aſtra, Xenophanes, omne quod eſſet, Parmenides, continentium quendam lucis orbem, quem στεφάνην, hoc eſt, coronam appellabat, Deum credidit. Iam de Platonis inconſtantia longum eſt dicere, qui in Timæo patrem huius mũdi nominari negat poſſe, in legum autem libris, quid ſit omnino Deus, inquiri oportere non cenſet. Idem & in Timæo dicit, & in legibus, & mundum Deum eſſe, & cœlum, & aſtra, & terram, & animos, & eos, quos maiorum inſtitutis accepimus, atque etiam Xenophon paucioribus uerbis eadem ferè peccat. facit enim in his, quæ à Socrate dicta retulit, Socratem diſputantem, formam Dei, quæri non oportere, eundemque & ſolem & animum, Deum dicere, & modò unum, tum autem plures Deos. Nec multo ſecus Speuſippus, Platonem auunculum ſubſequens, & uim quandam dicens, qua omnia regantur, eamque animalem euellere ex animis conatur, cognitionem Deorum. Ariſtoteles quoque in tertio de philoſophia libro, multa turbat, à magiſtro Platone non diſſentiens, modò enim menti tribuit omnem diuinitatem, modò mundum ipſum Deum dicit eſſe, modò quendam alium præficit mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam motum regat atque tueatur, tum cœli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens cœlum mundi eſſe partem. Heraclides Ponticus, puerilibus fabulis refarcit libros, & tamen modò mundum, tum mentem diuinam eſſe putat, errantibus etiam ſtellis diuinitatem tribuit, ſenſuque Deum priuat, & eius formam mutabilem eſſe uult, rurſusque terram & cœlum refert in Deos. Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus, & in ſchola ſucceſſor, modò menti diuinum tribuit principatum, modò cœlo, tum autem ſignis, ſideribusque cœleſtibus. Strato phyſicus omnem uim diuinam in natura ſitam eſſe cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendi'ue habet, ſed careat omni ſenſu & figura. Ariſto. & Cleantes, Zenonis auditores, tum ipſum mundum, Deum eſſe dicunt, tum totius naturæ menti atque animo, hoc nomen tribuunt, tum ultimum & altiſsimum atque undique circumfuſum & extremum omnia cingentem, atque amplexum ardorem, qui æther nominetur, certiſsimum Deum iudicant. Idem quaſi delirans, rurſus fingit formam quandam, & ſpeciem Deorum, tum diuinitatem omnem tribuit aſtris, tum nihil ratione cenſet eſſe diuinius. Perſeus eiuſdem Zenonis auditor, eos dicit eſſe habitos Deos, à quibus magna utilitas ad uitæ cultum eſſet inuenta, ipſasque res utiles & ſalutares deorum eſſe uocabulis nuncupatas, ut ne hoc quidem diceret, illa inuenta eſſe Deorum, ſed ipſa diuina. Chryſippus, magnam turbam congregat ignotorum Deorum atque ita ignotorum, ut eos nec coniectura quidẽ informare poſsimus, cũ mens noſtra quiduis uideatur cogitatione poſſe depingere, ait enim uim diuinam in ratione eſſe poſitam, & uniuerſæ naturæ animo atque mente, ipſumq;

mundum, Deum dicit eſſe, & eius animi fuſionem uniuerſam, tum eius ipſius principatum, qui in mente & ratione uerſetur, communemque rerum naturam, uniuerſa atque omnia continentem, tum fatalem umbram, & neceſsitatem rerum futurarum: ignē præterea, & Deum, quem antea diximus æthera, tum ea, quæ natura fluerent, atque manarent, ut aquam, & terram, & aëra, Solem, Lunam, ſidera uniuerſitatemq; rerum, qua omnia continerentur, atq; homines etiam eos, qui immortalitatem eſſent conſequuti. Idemque docet, æthera eſſe eum, quem homines Iouem appellarunt, quique aër per maria manaret, eum eſſe Neptunum, terram, eam quæ Ceres diceretur, ſimilique ratione perſequitur uocabula reliquorum Deorum. Idemque etiam legis perpetuæ & eternæ uim, quæ quaſi dux uitæ & magiſtra officiorum ſit, Iouem dicit eſſe, eandemq; fatalem neceſsitatem appellat, ſempiternam rerum futurarum ueritatem. Iam de naturæ diuinæ æternitate, præter eos, quos modò recitauimus, genitos Deos, dicentes, Anaximandri opinio eſt, ut idem Cicero docet, non modò natiuos eſſe Deos, ſed longis interuallis orientes, occidentesque: quem poſtea ſequutus Anaximenes, Deum ſuum aëreum gigni docuit.

Lib. 1. de nat. Deo.

Iam uerò de Dei prouidentia & humanarum rerum cura, Deum immortalem, quanta diuerſitas? ſunt enim (inquit Cicero) & fuerunt, philoſophi, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos, ſunt autem alij, & ij quidem magni atque nobiles, qui Deorum mente atque ratione, omnem mundum adminiſtrari atque regi cenſeant, contra quos Carneades multa diſputat, ut excitaret homines ad ueri inueſtigationem. Itaque quidam omnino prouidentiam ſuſtulerunt, in quibus, Epicurus, Leucippus, Democritus, & quotquot aut Deos negarunt, aut mundum ex atomis compegerunt: quidam contrà, ut Stoici, omnium rerum, tum æternarum, tum caducarum, æternum quendam & imperturbabilem ordinem induxerunt, quem fatum, cauſarum complicationem, mundi nexum, & εἱρμὸν appellarunt. Qui medij ſunt, cum liberam prouidentiam flaccidis & eneruibus rationibus ſtatuerint, ita tamen ſunt inter ſe diuiſi, ut nullus cum alio ſentiat: Plato, inter Deum & dæmonas, rerum omnium prouidentiam partitus eſt, Ariſtoteles æternarum dumtaxat rerum, prouidentiam Deo tradidit, reliqua iuxta eorum ſententiam, qui rectè peripatetica dogmata ſe callere arbitrantur, temeritati permiſit.

Plutar. lib. de Fato. Nemeſ. lib. de na. hom. Proclus libro 6. Theolog. Plat. Chalcid. in Pla. Tim. Tacia. Syr. cōtra gētes. Theodor. in epitom. diuino. dogma.

De principiis rerum naturalium, quibus tamen potiſsima eorum ſapientiæ portio nitebatur, tanta lis, tantaque fuit inter philoſophos controuerſia, ut uix ueteres auctores uel ſectis ipſis enarrandis ac recenſendis, ſint ſatis. Thales Mileſius, primus ſapiens ab oraculo iudicatus, ex aqua omnia conſtare uoluit. Eius auditor & in ſchola ſucceſſor Anaximander, rerum principia dixit infinita: Illius diſcipulus Anaximenes aërem eſſe rerum principium aſtruxit, Hipparchus, Heraclitus Epheſius ignem, his ambobus quodammodò aſſentit Archelaus Athenienſis. Anaxagoras Clazomenius infinita principia, tanquam particulas minutas & confuſas, ſed diuina mente, poſtea in ordinem redactas, Xenophanes Colophonius, unum eſſe omnia, neq; id ipſum mobile: cui Meliſſus aſſentitur. Parmenides, licèt in unitate, cum iis conueniat, calidum tamen & frigidū, tanquam ignem qui moueat, terram quæ formetur, principia poſuit. Leucippus, Diodorus, & Democritus, plenum & uacuum, Diogenes libertus aërem, diuinæ tamen rationis compotem, Pythagoras Samius numerum ſtatuit rerum principium, quem ſequitur Alcmeon Crotoniates, Hippocrates Chius, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, id eſt quatuor elementa. Empedocles Agrigentinus, litem & amicitiam ac quatuor elementa. Epicurus Atomos & inane, Timæus Locrus, Socrates, ac Plato, Deum, ideas, materiam, ac numerorum proportiones, Zeno Stoicus Deum, materiam, & elementa, Ariſtoteles, materiam, formam, & priuationem, recentiores Peripatetici, cum priuationem rerum principiis adnumerandam, non putarent, motum quendam, materiam & formam cogentem, tertium principium poſuere: quòd tamen cùm ſit accidens, haud magis principij ſubſtantiarum rationem, quàm priuationem, quibuſdam habere poſſe uidetur. Laborioſum eſſet, tum aliorum multorum philoſophorum, tum Galeni ac multorum medicorum ſententias & ſectas uelle percenſere; præſertim, cum huic rei abūdè libellus ille elegantiſsimus Claudij Galeni de ſectis deſeruiat.

Ariſt. lib. 1 Phyſi. lib. 1 de genera. Plutar. lib. de Plac. philoſo. Galenus libr. de ſectis, Euſebius de præparat. Euāg. lib.

Haud minor eſt inter eos diſcordia, cum de mundo, qui tamen omnium, quæ ſub humana

mana ſapientia cadere poſſunt, eſt res potentiſsima, loquuntur, & diſputant. Thales Mileſius unum mundum cenſuit, illumque Dei facturam aſſerit: Empedocles Agrigentinus, ſimiliter unum, ſed uniuerſi tantùm exiguam eſſe particulam, Democritus, Epicurus, & Metrodorus Chius horum diſcipulus, innumeros eſſe mundos autumarunt, nec minus abſurdum eſſe cenſet, unum in uniuerſo eſſe mundum, quàm in agro unam duntaxat ſpicam.

De mundi æternitate, ſimilis eſt apud eos contradictio, Ariſtoteles, Plinius, Auerr. Cicero, & Xenophanes, illum æternum omniſq; corruptionis expertem dicunt. nam cũ non poſſent intelligere (ut Cenſorinus ait) oua'ne an aues, ante generatæ ſint, cum & ouum ſine aue, & auis ſine ouo, gigni non poſſet, hinc arbitrati ſunt, mundum hunc & uniuſcuiuſque geniti initium ſimul & finem perpetua reuolutione ſempiternum, Pythagoras & Stoici, à Deo genitum & aliquando, quantum ex ſui natura eſt, corrumpendũ: quibus cum ſentiunt Anaxagoras, Thales, Hierocles Alexandrinus, Alcmeon & Phylo Hebræus. Plato contrà, cum mundum à Deo fabricatum, apertè fateatur, nunquam tamen interiturum exiſtimat; In qua ſententia & Timæus Locrus ante eum fuerat. Epicurus & Democritus, cùm mundum genitum & interiturum credant, nunquam tamen, reparandum poſt interitum, docent. Empedocles & Heraclitus Epheſinus, non ſemel, ſed ſemper mundum generari & corrumpi aſſerunt.

In animæ ſubſtantia inquirenda, in cuius tamen cognitione non modò religionis, ſed uitæ quoque ciuilis momenta ſunt poſita, quàm magnis contradictionibus ac pugnis gẽtium ſapientes tumultuati fuerint, eorundem quæ nunc habemus, monumenta teſtantur. Crates Thebanus nullam eſſe animam, ait, ſed corpora ſic à natura moueri. Qui autem animam poſuerunt, plerique illam corpus tenuiſsimum opinati ſunt, huic craſſo corpori ſuffuſam; ſed illorum alij, illud eſſe igneum dixerunt, ut Hipparchus & Leucippus, quibus cum conſentire uidentur Stoici, dicentes animam eſſe ſpiritum feruidum, ac Democritus, dicens illam eſſe ſpiritum mobilem & ignitum atomis inſertum. alij dixerunt eſſe aërem, ut Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes Cynicus, & Crytias, quibus adſtipulatur Marcus Varro Romanus philoſophus, dicens, Anima eſt, aër conceptus, ore deferuefactus in pulmone, temperatus in corde, diffuſus in corpus. Alij aqueum humorem eſſe maluerunt, ut Hippias, Thales Mileſius. Alij terream ſubſtantiã ut Heſiodus, Pronopides & Anaximander, alij miſtũm ex igne & aëre ſpiritũ, ut Epicurus, & Boëtes, alij ex terra & aqua, ut Xenophon, alij ex terra & igne, ut Parmenides, alij ſanguineum humorem, ut, Empedocles, alij ſpiritum tenuem per corpus diffuſum, ut Hippocrates Chius, alij carnem ipſam cum ſenſuum exercitio, ut Aſclepiades medicus, alij non corpuſculum tenue, ſed quandam qualitatem aut temperamentum quoddam per corporis particulas ac membra diſperſam, animam putarunt, ut Zeno Citiæus, & Dicearchus, quis cum ſentiunt Cleantes, Antipater, & Poſsidonius, dicentes, illam eſſe calorem aut temperamentum, quibus & Galenus conſentire uidetur. Sunt & qui dixerunt, animam non eam eſſe qualitatem, ſeu temperamentum, ſed tanquam ad eius punctum aliquem, in alia certa corporis parte ut corde uel cerebro reſidentem & inde totũ corpus gubernantem, ut Chryſippus, Archelaus, & Heraclides Ponticus qui animam uocauit lucem. Sunt rurſus alij, qui adhuc liberius quoddam animam opinati ſunt, ut punctum, ſcilicet aliquem liberum, nulli parti corporis alligatum, ſed ab omni determinato ſitu ſeclũſum, & totum cuique corporis parti præſentem, quem ſiue tempe-ramentum genuerit, ſiue Deus creauerit, ex materiæ tamen gremio, ſit eductus, cuius ſententiæ Xenophanes Colophonius, Ariſtoxenus & Aſclepiades medicus fuiſſe dicũtur. Quam etiam probaſſe uidetur Critolaus Peripateticus, inquiens animam eſſe quintam eſſentiam, & Xenocrates, dicens eam eſſe mouentem numerum, Aegyptij ab Hermete Triſmegiſto, animam eſſe uolunt uim quandam, omnia corpora tranſmeantem, Chaldæi, eam uirtutem abſque determinata forma, omnia tamen externas ſuſcipientem, eſſe uolunt. Plato, Socrates, Timæus Locrus, & ante hos Zoroaſtes, Orpheus, Aglaophemus, & Pythagoras, animam eſſe docent, eſſentiam ſui motricem, intellectu præditam: quos ſecuti ſunt, Plotinus, Porphyrius, Eumenius, Syrianus, &c. Ariſtoteles animam eſſe docet corporis naturalis organici poteſtate uitam habentis entelechiam: cui nouo nomini, non modò à ueteribus Chriſtianis, ſed à prophanis quoque philoſophis, qui eun-

Ariſt. lib. i. de Anima, Grego. Nyſſenus lib. de Anima, Aurelius Caſſiodorus libro. de Aña, Hierony. in quadã Epiſto.

De entelechia Angelus Polit. Galen. Gre. Nyſſen. etc.

dem tempore conſequuti ſunt, planè contradicitur. Denique ij, qui proximè Euangelicam ueritatem, per totum Orbem ſplendeſcentem, tum in Latio, tum in Græcia ſapiētiæ nomine enituerunt, tot errorum ac pugnarum pertæſi, ſuam ignorantiam ac inſcitiam ingenuè confiteri maluerunt, quàm aliquid in ea re, quæ niſi diuinitus ſciri non poterat, determinatè decernere, qui omnium ſapientiſsimè feciſſe uidentur, in quorum numero maximè reponuntur Cicero ac Seneca, Romani quidem, ſed Græcis illis prioribus comparandi philoſophi.

Pla. in Phædone, Plotinus, &c.

De animae præterea duratione, quantum ſibi conſenſerint gentium ſapientes, iam audi. Pythagoras Samius, Plato Athenienſis, omnino immortalē, ſed corpore egreſſam, ad ſui generis cœleſtē naturam, deuolare contendunt. contrà Democritus & Epicurus, Lucretius, &c. unà cum corpore mortalem fatentur. Stoici tanquàm inter hos medij, animam corpus relicturam docent, ita ut quæ in hac uita, nullis ſublimata uirtutibus, fuerit infirmior, una cùm illo diſſolutionē ſubeat; ſinautem Heroicis formata uirtutibus fuerit, permanentibus illam naturis ſociari, & ad ſublimiores ſedes euadere putant.

Iuſti. Martyr, Grego. Nyſſenus, Grego. Nazianzenus, Alex. Aphr., Auicen.

Aristot. quāquam à quibuſdam recentioribus in animæ duratione declaranda uarius fuiſſe credatur, à quibuſdam etiam pro animæ immortalitate aſſerēda ſcripſiſſe feratur, ueteribus tamen philoſophis tum Chriſtianis tum prophânis, poſt corporis reſolutionem, interitum animarum credidiſſe ſemper fuit perſuaſum: præſertim ex ea, diffinitione, qua animam eſſe entelechiam, ſiue corporis organici perfectionem, pronuntiat. Sunt tamen, qui putent, apud eundem philoſophum, quaſdam animæ partes, quæ corporeas ſedes & organa habeant, ab illis eſſe inſeparabiles, unaque cùm illis interire, quas partes, ſenſum & intellectum paſsiuum Ariſt. uocat: intellectum autem, qui nullius ſit corporei organi, quemq; intellectum agentem idem philoſophus uocitare ſolet, ſicut in corpore materiæ non miſcetur, ita poſt ſeparationem, permanere ſuperſtitem. Verùm cùm is intellectus idem non ſit cum ipſa anima, ſed ſubſtantia diſtincta; inter Peripateticos philoſophos quid ſit, non eſt parua contentio. Sunt enim qui eam Deum ipſum; & ſunt qui inferiorem quandam intelligentiam, eſſe contendant, quæ ad notitiam & intellectionem formandam, non alio pacto quàm ſol ad formandam uiſionem, cum uiſu phantaſmata illuſtrando concurrat. Vnde ſicut intellectum paſsiuum per indiuidua ac ſingularia ſuppoſita, quòd forma ſit corporis, diuidi docent, ita intellectum agentem unum & eundem, ſicut unum & eundem ſolem, cum omnium mortalium oculis, cum omnibus intellectibus, in ſingulis hominibus intellectiones producere. Quæ ſententia recentioribus quibuſdam impoſuit, ut Auerroem crederent, unam & eandem animam in omnibus hominibus poſuiſſe, cùm tamen ille non de anima, quæ cum ſit forma corporis, cum eodem multiplicari debet, ſed de intellectu, non paſsiuo, qui pars eſt animæ apud eundem Ariſtotelem; ſed de actiuo, qui à paſsiuo tanquam æternum & perpetuum à corruptibili differt, fuerit loquutus. Neque enim alia fuit in hac parte Auerrois ſententia, ab ea, quam ante eum Alexander, Themiſtius, Simplicius & eius tempore Auicenna, Ariſtotelis fuiſſe crediderunt. Vniuerſi enim, cum plures intellectus paſſiuos, tot, inquam, quot ſunt indiuidua in hominibus collocent, intellectum tamen agentem, quem foris aduenire, cum Ariſtotele docent, unicum tantùm in omnibus hominibus, ad illuſtranda phantaſmata, ſicut unum ſolem, in omnibus animantibus ad illuſtrandos colores, concorditer conſtituunt.

Simon Portius, lib. de Mēte humana.

Lib. 2. de Anima. cap. 5.

Chryſtoph. Marcellus lib. de Aīa. Lud. Cælius Rhodig. libro 2. antiquarum lectionum.

Porro qui animam immortalem credidere, haud minus mutuò ſibi contradicunt, in eius immortalitatis aſsignanda ratione. Sunt enim plerique, qui animarum tranſmigrationem, quam παλιγγενεσίαν uocarūt, quaſ; à corpore in corpus animæ commigrarent, perſuaſam habent, cuius ſectæ principem Pythagoram fuiſſe commemorant. Docebat Pythagoras, rationales animas, ad rationis expertia corpora, & ad plantas uſque, tranſmeare per temporum quaſdam periodos, ac uiciſsitudines, ita ut qui modò eſſet Socrates, aliquando futurus eſſet Plato, aliquando equus, aliquando tandem planta. Cumque rerum, quæ animæ capaces ſunt, nunquàm certus numerus ſit aſſignandus, ſed indiuiduorum ac ſingularium ſit infinita multitudo, in eo numero ac multitudine percurrenda, æternitatem ac immortalitatem animabus donabant. Vnde Ouidius de Pythagora tranſmigrationis auctore, ſic canit.

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta

Sede,

Sede, nouis domibus uiuunt, habitantque receptæ.
Ipſe ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in aduerſo, grauis haſta minoris Atridæ.
Cognoui clypeum, leuæ geſtamina noſtræ,
Nuper ab Anteis, templo Iunonis in Argis.

Fuerunt & alij, qui cùm tranſmigrationem animarum comprobarent, non tamen eam animarum naturæ, ſed peccato conuenire, quaſi pœnam docebant. credebant enim animas aſtris, propter peccata decidentes, primò quidem in humana corpora uirilia, deinde, ſi malè uirili officio fungerentur, in fœminea deuolui. quòd ſi fœminæ officio rurſus malè fungerentur, in bruta corpora dari præcipites, ac ita per ſpecierum gradus uſque ad pulicem, & ſi quid eſt uilius, in uaria corpora demergi: rurſus per eaſdem ſpecies & animantium gradus, ad humanum corpus deduci, rectè peracto humano officio, purgatisque affectibus, in ſuas priſtinas ſedes & aſtra contendere. Cuius ſententiæ Plato dialogo de natura, eſſe uidetur, dum generationem fœminæ ac maſculi enarrat. Sunt & alij philoſophi, qui cùm animarum tranſmigrationes fateantur, nolunt tamen, ad corpora rationis expertia, neque ab illis item ad homines, ſed à brutis ad bruta, & ab hominibus ad homines, fieri tranſmigrationes. Sed de hac Pythagorica tranſmigratione animarum Timon Phliaſius, Ariſtoteles, Xenophanes Colophonius, Cratinus Comicus, Ariſtophon Hermicus comicus, Lucianus Samoſatenſis, & Diogenes Laërtius multa riſerunt.

Macrob. Plotin. Marſi. &c.

De hominis principio, ac prima in mundo emerſione, multa quoque rixantur Philoſophi, ſunt enim, qui omnino cum ipſo mundo æternas quoque hominum generationes fuiſſe ſibi perſuaſerint, ex quorum numero Ariſtoteles, & uniuerſi, qui mundi æternitatem comprobarunt. Contrà, ſunt, qui primos homines ſolis feruefactione, ex terra olerum more, natos fuiſſe crediderint. eo haud minus Poëtis ridiculi, qui homines quoſdam ſatiuos ex ſerpentum dentibus progerminaſſe fabulantur.

In tradenda uerò morum diſciplina, quam Ethicam uocant, ingentes eorũ pugnas & opinionum certamina nemo non nouit, nam principiò quidem, in aſsignanda hominis fœlicitate certoque ſcopo, in quem omnes actiones ſuas mortales dirigerent, tot fuerunt diſſenſiones & tumultus, ut uix integro uolumine eorum ſententias, uel tantum recenſere & enumerare poſsimus. Fuerunt qui eam in uoluptate collocarent, ut Epicurus, Ariſtippus, Eudoxus Gnidius, Philoxenus Cythereus, & Cyrenaici. Alij non in quacunque uoluptate, ſed in honeſta poſuerunt, ut Dinomacus, Calipho, alij in primogeniis naturæ, ut Carneades & Hieronymus Rhodius, alij in indolentia, ideſt in doloris priuatione, ut Epicurus & Diodorus, alij in uirtutibus, ut Pythagoras, Socrates, Ariſton, Empedocles, Democritus, Zeno Citieus, Cleantes, Hecaton, Poſsidonius, Dionyſius Babylonicus, Antiſthenes, & Stoici omnes, Herillus philoſophus, Alcidamus & Socratici multi, ſummum bonum putabant, ſcientiam, Bias Prienæus ſapientiam Bion Boriſthenites prudentiam ciuilem, Thales Mileſius, horum omnium congeriem. Tibareni populi Chalybibus uicini, quorum meminerunt Apollonius & Pomponius, ludum riſumque ſummam fœlicitatem dixerunt, Plato in idearum contemplatione, Platonici plerique ut Plotinus, Iamblichus, &c. in unione cum ſummo bono, non quidem qualem nos Chriſtiani per apertam Dei uiſionem ſperamus, ſed in quadam alia, quæ per ſummos gradus uirtutum, quos diuinos appellarunt, comparetur, collocarunt. Ariſtoteles in contemplatione quidem diuinitatis, ſed bonis iucundis, ideſt, uoluptate, bonis utilibus, ideſt, diuitiis ac cæteris fortunæ bonis, uallata, fœlicitatem poſuiſſe uidetur. Cicero horum omnium deliramentorum pertæſus, in omnium rerum uacatione, ſupremam fœlicitatem ſitam eſſe contendit. Tranſeo plebeios quoſdam Philoſophos, qui omnem fœlicitatem, ex ipſa rei natura ſuſtulerunt, ut Pirrho Elyenſis, Euricolus, Xenophantes &c. omitto quoſdam alios, qui ſummam fœlicitatem & ſupremam hominis beatitudinem, non uirtute aut animi actionibus, ſed rebus fortunæ, aut corporis metiebantur, qui, inquam, in gloria, in honore, potentia, ocio, diuitiis, ac ſimilibus eandem collocarunt, ut Periander Corinthius, Licophron, &c. Neq; enim animus eſt uniuerſas ſententias & opiniones eorum hominum, qui diuina reuelatione ac eruditione

Ariſt. lib. 1 & 10. Eth. Cice. lib. de fin. bonorũ et malorũ. Boethius Se uer. lib. 5. de conſolatione Philoſophiæ. Euſeb. Cæſarienſis de Præparat. euang. Aug. lib. de ciuitate. Lactãtius firm. &c.

Macrob. in Satur.

8.*lib. de ciuitate Dei.* deſtituebantur, in medium producere, præſertim cum iam ſuo tèmpore à Marco Varro
ne octo ſupra ducentas & octoginta collectas, Auguſtinus meminerit, præcipuas tantùm ac famoſiores recitaſſe ſufficiat.

Dsnvn in ipſa uirtute tradenda, & in eius materia ſignanda, ingens concertatio,
nam præter hoc quod De numero bonorum, quæ in humana uita ſint amplectenda,
prorſus diſſentiunt, nam cùm Ariſtoteles, triplicem bonorum rationem, utilis, iucundi
Ariſt. lib. 1 Ethicorum, Franc. Connanus li. 1. de Iuris prudentia. & honeſti, ſtatuat, Stoici, Cicero, Seneca, unum tantùm, honeſtum ſcilicet, bonum ěſſe
contendunt. fuerunt qui nihil ex natura iuſtum ac bonum putarent, ſed pro uario hominum, prouinciarum, temporum, uſu opinione aut neceſsitate, hoc aut illud bonum, non tantùm appellari, ſed eſſe crediderint, ut Pyrrho, Stilco Megarenſis & Theodorus Cyrenaicus. Denique aliter Academici, aliter Cyrenaici, aliter Eliaci, aliter Megarici, aliter Cynici, aliter Erotici, aliter Peripatetici, de uirtute, de Republ. de religione, & demum tota humana uita inſtituenda præcipiunt. Cumque quique de ſingulis diſputant, de nullis ſunt certi, cumque unaquæque ſecta ſua confirmat, nulli alteri ſapere, concedit. fuerunt tam oneroſi tamque graues ac pernitioſi rebus publicis philoſophi, ut in florentiſsimas ac prudentiſsimas quaſq; Reſp. aut non fuerint admiſsi, aut tandem ab illis, turbatis ciuitatibus fuerint protruſi. Athenięſes, Socratem philoſophiæ parentem, Anaxagoram & quoſdam alios, ultimo ſupplicio ſuſtulerunt; Lacones ac Meſſani, nec admiſerunt quidem, Romani, urbe eieciſſe memorantur, quin etiam ſub Domitiano Cæſare, urbe & tota Italia interdicti ſunt. Extat Antiochi regis decretum in adoleſcentes, qui auſi fuiſſent philoſophari, atque etiam in parentes, qui id liberis ſuis admitterent. Timon Phliaſius, opus nomine Syllos, in deriſionem philoſophorum, & Dion Pruſiæus, orationem contra philoſphos ſcripſerunt. Ariſtides etiam Sophiſta & Hortenſius Romanus, uir nobiliſsima familia & eloquentiſsimus, ualidiſsimis rationibus ſapientiam omnium philoſophorum impugnaſſe referuntur. Denique Lucianus Samoſateus, nunquam eos eorumque ſententias ac ſectas cachinnis non excipit. Contrà uideas à mũdi principio, uariis ſæculis, uariis ætatibus, à uariis hominibus, eadẽ omnino à noſtris ſine diſcordia doceri, & non modò in rebus magnis, & in quibus uarietas ſententiarum non impunè permittitur, ſed in paruiſsimis quibuſque rebus, eſſe concordes. Quod enim de Deo, de prouidentia, de ultimo fine, de bonis operibus, de mortuorum ἀνάστασις, de Chriſto futuro, apud eremum Arabiæ, Moſes docuit, hoc idem Iob Idumæus, antea docuerat, hoc idem poſt multa ſæcula, Samuel, Dauid, Iſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel, &c. & demum Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, Paulus, Petrus, Iacobus, Iudas, pariter docent. Ais uerò, hoc humanitus potuiſſe cõtingere, dum
Obiect. poſteriores Moſis, uel alterius, quem ſibi magiſtrum imitandum præfixerãt, quaſi ſectarij diſcipuli præcepta ſequuntur, quod olim apud Græcos fecerunt philoſophi, dum alius in uerba Pythagore, alius in Socratis, Platonis, Epicuri, aut Ariſtotelis iurat. Sed non tantus fuit inter ipſos diſcipulos philoſophorum conſenſus, ut non uel humanæ laudis am-
Dolut. bitione, aut quod ita ſentirent, à ſeipſis uel à magiſtris diſcederent. Neque enim Socrates Archelao per omnia conſenſit, neque Socrati Plato per omnia obediuit. Ariſtoteles longè aliam philoſophandi rationem quàm Plato magiſter inuenit, & ex Platonis Schola Antiſthenes & Ariſtippus emerſit, quorum prior Cynicæ paupertati dedit principium, alter uerò laxioris uitæ inſtituto, tempori & perſonis in ſeruiendum docebat. Immo ſi utranque philoſophorum familiam conſideres, Ionicam & Italicam, quarum hæc Pythagoram, illa uerò Thaletem magiſtrum coluit, uidebis profectò, quàm parum diſcipuli in magiſtrorum doctrina permanſerint, dum nullum leges cum altero in placitis philoſophiæ ſentire. Nam ſi apud hos diſcipulos nulla fuiſſet diſſenſio, duæ ergo eſſent tantummodò ingentium philoſophia opiniones, de rerum principio, Altera quæ ex numeris, altera quæ ex aqua, uniuerſa originem habuiſſe doceret. Nunc uerò quot ſint apud eos in hac parte opiniones, nullus ſatis explicuit. Nulla itaque ratione fieri potuit, ut abſque diuino numine, in his, quæ per ſeſe, non ſunt euidentia & aperta, conſentirent. Atque hoc eſt quod ad Corinthios, quos uariis opinionibus & ſententiis
1. Cor. 3. inter ſe diſtare audiebat, ſcribebat Apoſt. Obſecro uos per nomen Domini noſtri Iesv Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in uobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, in eademq; ſciẽtia. ſignificatum enim eſt mihi fratres de uobis, ab his qui

ſunt

ſunt Chloës quia contentiones ſunt inter uós, &c. Et ſubinde, Cum enim ſint inter uos, zelus & contentio, non'ne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Ergo hominum diuino ſpiritu uacantiũ eſt, uariis opinionibus & ſectis diſcindi, Dei autem opus multos in eandem opinionem & ſenſum coire. De hac uerò ſecunda cõſideratione & de uiris Apoſtolicis, primis Euangelij fundatoribus ita ſcribit Lactantius, Abfuit ab his fingendi uoluntas, quoniam rudes fuerunt, tum quia indocti, apta inter ſe & cohærentia fingere non poterant, tum quia philoſophorum doctiſsimi Plato, Ariſtoteles, Epicurus & Zenon, ipſi ſibi repugnantia dixerunt. hæc eſt enim mendociorum natura ut cohærere non poſsint, noſtrorum uerò dogmatum traditio, quia uera eſt, quadratundique ac ſibi tota conſentit, & ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt. hactenus Lactantius. Atque hoc tantum eſt argumentum, ut homini Chriſtiano ſatis eſſet, ad eludendas & conterendas diabolicas fraudes, non modò quas ex aliarum gentium & religionum, ſed etiam quas ex hæreticarum ſectarum conſideratione animis fidelium frequenter intorquet. uerùm de hæreticorum diſsidio poſtea libro 5. cum de notis ueræ ac falſæ doctrinæ agemus, multa ſumus dicturi.

De ſacrorum ſcriptorum tum noui, tum ueteris teſtamenti, auctoritate, ac ueracitate. Cap. III.

Tertiò, pro noſtræ fidei commendatione, grande momentum habet, ſcriptorum Canonicorum auctoritas, nihil enim magis ſcriptorem commendat quàm ueritas, nec tam conciliant auctoritatem pigmenta ſermonis & fuci eloquentiæ, quàm diligens ueritatis ſtudium, in magnis præſertim rebus, in quibus nunquam auctoritas perditur, ſine ingenti iactura. Noſtri autem ſcriptores, ſiue qui ſcriptis, ſiue qui traditionibus nobiſcũ egerunt, quanto ſtudio ueritatis flagrauerint, quamque infeſto animo ſint perſecuti mendacium, eorum prodit doctrina. non enim quamcunque pœnam mentienti, ſed æternam comminantur. Perdes (inquit unus ex illis Deum alloquens) omnes qui loquuntur mendacium. Et alibi, quærens quis ad eam fœlicitatis ſpeciem, quæ bonis Pſal. 5. huius uitæ actionibus, quaſi præmium proponitur, pertingeret, Domine, inquit, quis Pſal. 14. habitabit in tabernaculo tuo, aut requieſcet in monte ſancto tuo? cui quæſtioni Dei ſpiritu actus ipſemet reſpondet, Qui loquitur ueritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, quaſi æterno decreto cœleſtis habitationis ingreſſu, mendaces excluderet. Alius, Os, inquit, quod mentitur, occidit animam ſuam. Et'ne quis putaret Sapiẽ. 1. apud huius ſanctæ reip. inſtitutores, tantum grauiſsima quæque, quæ pernicioſa uocamus prohiberi mendacia, Noli, inquit alius, uelle mentiri omne mendacium. Enimuerò qui omne mendacium prohibet, neque leuia permittit. Alter uidens ſanctam Eccl. 7. illam ciuitatem Hieruſalem in ſpiritu deſcendentem de cœlo, angelico miniſterio docetur, qui tandem eſſent ab illa excludendi, Foris, inquit, canes & uenefici, & impudici & homicidæ, & omnis qui amat & facit mendacium. Ergo eo loco apud huius ſanctæ Apoc. 22. ſcripturæ auctores habentur, mendacia, quo, ueneficia, impudicitiæ, homicidia & demum Idolorum cultus, quæ damnarunt ſemper cordatæ reſpublicæ; Contra uerò, apud gentes, tanta eſt ſcripturarum diſcordia, ut nón minus inter ſe coniurati uideantur ne id ipſum de eadem re cenſerent, quàm grex philoſophorum, cuius diſcordias ac lites ſuperius delibauimus. Tam uaria & diuerſa, de eiſdem rebus tradunt hiſtorici, tamq; inter ſe diſſentiunt, cum tamen eas res deſcriberent, quæ ſummam fidem, conſonantiam, ſeriem, ueritatemque expoſcerent, ut impoſsibile ſit plurimos illorum non eſſe mendaciſsimos. Nam ut de Nini Regis Aſſyriorum & de Vrbe condita, à quibus duobus exordiis, tum Græci, tum Latini, ſeſe res geſtas ſcribere profitentur, in quibus tamen duobus nullus alteri conſentit, taceamus, in reliquorum temporum ac rerum deſcriptione, tantæ mihi lites, contradictiones, ac pugnæ eſſe uidentur, ut penè totius prophanæ hiſtoriæ auctoritas ſublata eſſe uideatur, & quod ait Ioſephus contra Appionem Alexandrinum, libris ſuis alterutros arguant, & ualde contraria conſcribant, Quantis, inquit ille, locis Hellanicus ab Ageſilao de genealogiis diſcrepat? in quantis

Herodotum

Herodotum corrigit Ageſilaus, & quomodo Ephorus quidem Hellanicum in plurimis oſtendit eſſe mendacem? Ephorum uerò, Timæus, Timæum, qui poſt eum fuere, Herodotum uerò, cuncti, ſed neque de ſingulis cum Antiocho & Philiſto aut Callia, Timæus concordare dignatus eſt, in multis etiam Thucydides tanquam fallax accuſatur, licèt ſcrupuloſiſsimam hiſtoriam conſcripſiſſe uideatur. hactenus Ioſephus. Et apud Herodotum hiſtoriæ parentem, apud Diodorum, apud Theopompum, ut ait Cicero, innumerabiles ſunt fabulæ, Ibi enim

Epota, Medo prandente, flumina, & uellicatum Athon,

Iuuenalis Satyr. 10.

Legimus,

Et quidquid Græcia mendax,
Audet in hiſtoria.

NEQVE uerò mirandum ſi gentium ſcriptores, eadem ubique, de eiſdem rebus non retulerint, nam plerique eorum, geſtorum, quæ deſcribebant, temporibus, locis, perſonis, non adfuerunt, neque ſpiritum reuelantem acceperunt, ſed ex aliorum relatu, populares ſermones, qui nunquam ſibi conſtant, colligentes, ſcripſerunt, quo uitio à Strabone taxantur Eratoſthenes Cyreneus, Metrodorus Sceptius, Poſsidonius, & Patrocles Geographus. Sunt alij, qui cùm partem quidem rerum uidiſſent, quaſi in tranſitu militari prouincias tranſcurrentes, conſcribere auſi ſunt hiſtorias, quos tamen, cùm diuino ſpiritu, qui orbem terrarum implet, & omnia ſcrutatur etiam profunda Dei, non agerentur, neceſſe erat mendacia pro ueritate poſteris obtrudere. in quibus ſunt Oneſicritus & Ariſtobolus, qui de India, & Italia mendaces hiſtorias ac fabulis refertas ſcripſiſſe referuntur. Sunt etiam plerique, qui delectationis gratia, rebus ueris mendacij nonnihil admiſcendum putarunt, in quorum numero Diodorum Siculum, Herodotum, & Cornelium Tacitum, Tertullianus & Oroſius reponunt, quibus etiam adnumerandus uidetur Philoſtratus, qui octo libris, quos de uita Apollonij ſcripſit, fabuloſa multa miſcuiſſe uidetur. Sunt & alij, qui res ueras ad fabulas omnino conuerterunt, quales Gnidius Hecatæus, & Cteſias, quorum primus, libros de Hyperborica hiſtoria, poſterior uerò de rebus Perſicis ſcripſiſſe refertur. Ij ſunt, qui ne uideantur quicquam ignoraſſe, aut aliquid ab aliis retuliſſe, dum de ignotis & inacceſsis prouinciis uerboſa nouitate ſcribere præſumunt, nil niſi elegantes nugas & monſtroſa mendacia poſteris tradiderunt, cuiuſmodi ſunt ea, quæ de Arimaſpis Gryphis, Pygmeis, Gruibus, Cynocephalis, Aſtromoris, Hippopodibus, Centauris, Phaniſiis, Troglodiris ac cæteris, quæ Plinius recenſet, tum deinde de mari congelato, de Torrida Zona, duobusq; terræ circulis inhabitabilibus quæ omnia gentium ſcriptoribus accepta referimus. Multi affectibus hominũ, potius quàm ueritati inſeruire maluerunt, ſic Græci hiſtorici de rerum inuentoribus ſcribentes, omnia ſibi ac ſuis uendicare uoluerunt, ſic multi, principum ſuorum ac gentis de qua ſcribunt natales, non modò ad antiquiſsimos reges, ſed ad immortales Deos, diuinamq́ue prorſus originem, conantur extendere: in quo genere tum Græcorum, tum Latinorum, multa peccant Poëtæ, quos tamen gentium prophetas Apoſtolus, uocat. ſic Homerus, Helenam in Iouem, Achillem in Thetim, Aeneam in Venerem, &c. Sic Orpheus, ſic Heſiodus, ſic Aeſchylus, ſic Virgilius, mortales homines, ipſa diuinitate oriundos, mendaciſsimè canunt. Quibus rebus factum eſt, ut uix humanis ſcriptoribus in ſuarum gentium & principum deſcriptione ac hiſtoria, ſit fides præſtanda. Quanquam & hæc ſcabies non iam Græcis ſcriptoribus propria, ſed Chriſtianis quoque hiſtoricis affricata uideatur, dum quiſque ſuorum geſta extollens, aliorum extenuat. Sunt demum multi, qui non tam eo animo hiſtorias ſcribunt ut, ueritatem, & quod geſtum eſt referant, quàm ut egregij principis imaginem, aut florentis Reip. ſpeciem effingant. Quod mendacij genus, Quintilianus in ſcribendo non reprobat, cum haud magni (ut ait) referat, præſertim cùm poſteris ſcribant, cuius nomine, quaue ſerie boni principis exempla proponantur in publicum; neque credunt eſſe uituperandum mendacium, quòd ad honeſtatis perſuaſionem conducit: in quo genere, haud dubium Xenophon Athenienſis, Socratis auditor, mihi eſſe uidetur, qui de Cyro non qualis eſſet, ſed qualis eſſe debuiſſet, tanquam optimi principis exemplar, & archetypum, ſcitam elegantemq́ue, ſed abſque ueritatis fide hiſtoriam deſcripſit. In quo genere etiam repononenda uidentur, ingentia illa ac multa

Sapien. 1.
1. Cor. 2.

Plutarc. in Alex. idem in parallelis c. 61.

Euſeb. cont. Hier. Alex. Aeneas Syluius deſcrip. Aſiæ. c. 10. Athenæus lib. 14. Pauſanias in Beoticis, Ioan. Stobæus in ſermo. de morbis, Plutarc. in Artaxerxe.

uolumina

uolumina Morganæ, Melluſinæ, Margolanæ, uirginis Theodoræ, Tyrantis, Conamori, Triſtani, Floriſelli Niquæi, Dietheri, Lanceloti, Amadiſi, tum Gaulenſis, tum Græci, Eſplandiani, Rogerij Græci, Ageſilai, Liſuartis, &c. quæ per Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, & Angliam, à noſtris in iuuentutis præſertim generoſæ inſtitutionem ſunt edita: quæ tamen, haud magis mihi reprehendenda uidentur, quàm Ariſtophanis, Sophoclis, Euripidis, Ennij, Plauti, aut Terentij tragœdiæ, aut comediæ, quas tamen, dum cuiuſque ætatis effectus, dumque rerum humanarum, exitus, lepidè ac quaſi per luſum animis iuuentutis inſtillant, non modò non reprehenſas, ſed ſummo fauore ab omnibus rebus publicis ac uiris probis & ſapientibus, ſuſceptas uidemus. Nam ſi res fictas legere, aut audire peccatum eſſet, profectò Aeſopi fabulas (quod tamen genus philoſophandi, ac uirtutis inſerendæ, uel à ſummis philoſophis, maximo ſtudio commendatur) legere aut audire peccatum quoque eſſet. Quin nec ſoli hiſtorici, aut rerum humanarum ſcriptores, in ſcribendo mendaciis uſi ſunt, uerum etiam ij, qui philoſophiæ titulo & excellentis cuiuſdam doctrinæ nomine diuini uocantur, quiq; totos ad inſtituendas reſpublicas & hominum ciuitates ſeſe contulerunt, non unquam uulgum anteuertendum mendacio docuerunt, apparetque ex eorum ſcriptis in hoc unum laboraſſe mundi ſapientes ut populos, quos moribus formabant, & legibus inſtituebant, mendacio deciperent. Vnde hic in Horomaſin, ille in Mercurium, alter in Iouem, alter in Saturnum, iſte in Appollinem, alius in Veſtam, alius in Aegeriam Nympham, quaſi in diuinos auctores retulerunt Reſpub. quò ſcilicet ſuis placitis ac legibus hoc quaſi in fundamento iacto mendacio auctoritatem conquirerent. Atque ex eadem radice quæcunque de futura retributione, de campis Elyſiis, de malorum cruciatibus, de furiis Herebi, de Cerbero, ac cæteris gentium terriculamentis, ac demum uniuerſa quæ de religione docebant, cum diuina reuelatione deſtituerentur, ſunt prodiiſſe credenda. Nam cùm manifeſta delicta uix legum à ſe latarum imperio, clandeſtina uerò ac occulta, nulla ratione coercere ualerent, ut in officio homines, quibus leges ferebant, continerent, ad numinum, quæ cuncta uidere, populis perſuaſum erat, uindictam aut præmia confugiendum putarunt. Non quòd ea ulla reuelatione accepiſſent, aut quòd ita ſibi perſuaſiſſent eorum cum plurimi, ſed quòd ea humana prudentia, ne in Reſpub. rectè ſemel conſtitutas, bonoſque mores homines delinquerent, docenda ſuaderet. Atque hinc illa Athei hominis, qui rectè horum ſapientum mentem calluerat, uox proceſsiſſe credenda eſt,

Primus in orbe Deos timor fecit. Lucret.

Hinc etiam apud Euripidem tragicum, Syſiphus occultam apud uulgum philoſophiam aperiens, fuiſſe, inquit, tempus cùm ſoluta erat mortalium uita, & belluina, uiolentiæque ad miniſtra, poſteaq;, ex legem uitam indutis, antiquatam eſſe legibus, poſt quæ, ubi manifeſtaria arcere delicta lex non poſſet, clam uerò multi delinquerent, quendam uirum mendaci adorſum oratione, ueritatem reſtringere, & ſuadere mortalibus, quòd Deus eſſet inſeneſcibili perennans uita, qui hæc, (ideſt peccata) audiret ac uideret, menteq; præpolleret. Quam ſententiam non tam ex Syſiphi quàm Euripidis ipſius mente pronunciatam, Plutarchus credit, niſi quòd Areopagi timore, Syſipho dicauit. Grande eſt ergo inter eos, qui Euangelicam fidem tradiderunt, & gentium ſcriptores, aut eos, qui apud eaſdem gentes condidere Reſp. autoritatis diſcrimen, cùm illi nihil magis ex animo oderint, quàm mendacium, hi contrà mendacium, non modò affectibus, perſonis, locis, temporibus, inſeruientes, in ſcripta ſua libenter admiſerint, ſed legum ac religionum, quas ſuis hominibus tradiderunt, fundamenta ſubſternunt. Nam & ſi quæ quidam eorum uera docebant, qualia erant Deum eſſe, & cuncta agi Dei prouidentia, iuſtos præmia, ſupplicia poſt hanc uitam mortalem malefacta manere, hæc tamen non quaſi uera crederent, ut noſtri, ſed quòd ita Rebuſp. credere expediret, doceri iubebant. Si ergo à tantæ auctoritatis auctoribus, quæ credidimus, explicito ſermone uel ſcripto, ſuſcepimus, cur non fugiant ab animo tentamenta Diaboli, quoties de fidei noſtræ & religionis ueritate, concutitur? At, ais, fuerunt illi quidem tales, qui Euangelicæ fidei fundamenta iecere, ſed hi libri, quos quaſi oracula colimus, non ſunt illorum. Quorum ergo, cùm eorum nomina præferant? aut cur non licebit Homeri poëmata, Ciceronis libros, Platonis & Ariſtotelis uolumina, eſſe illorum, eadem libertate inficiari?

De fictarū hiſtoriarū lectione an ſtoris iudicium.

Plat.

Euripi.

Lib. de Placitis philoſophorum.

Deinde, aut qui libros hos, quos nos ſacros uocamus, ſcripſerunt, fuerunt Chriſtiani,
aut non, ſed prophani; ſi Chriſtiani, ergo cùm quicunque Chriſtianus mendacium
æquè ac priores illi, quos ueraces fuiſſe donatur, uitare teneatur, quo pacto potuerunt
primis illis hominibus ſuos libros dicare? Si prophani, quî fieri potuit, ut contra pro-
priam religionem, contra proprios mores, contra propria inſtituta, in alterius religionis
fauorem, maximè quæ tanto odio apud omnes prophanos fuit olim excepta, hos libros
conſcriberēt, aut quo pacto, eos hominum maximè ueritatis amatorum non fuiſſe dica-
mus, in quibus huc uſque ſæuiſsimi hoſtes Chriſtianæ religionis, Porphyrius, Celſus, Lu
cianus, Auerroës, Iulianus Apoſtata, & ante hos Appion Alexandrinus &c. totis uiri-
bus laborantes, nullum mendacium aut repugnantiam potuerunt infligere? Ais deinde,
auctores eorum librorum & doctrinæ, fuiſſe deceptos non item mentitos. Sed quì (niſi
uerum dicat) non mentiatur, qui ſe uidiſſe Deum, & hæc aut illa uerba ab eo audiuiſſe,
1.cor.12.c. ſine ulla conditione aſſeueret? Audiui, inquit Paulus, in tertium cœlum raptus, arca-
Iſai.6.a. na uerba, quæ non licet homini loqui. & Iſaias, Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium
excelſum, & eleuatum &c. In his'ne non erit apertum mendacium, ſi non audiuit Pau-
2.cor.11.c. lus arcana uerba, aut ſanctus propheta Dominum non uidit? Ais rurſus, mentiti ſunt,
ſpe lucri, quod ex ea religione ſperabant: at, quod lucrum? an illud? In laboribus pluri-
mis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Iu-
dæis quinquies quadragenas, una minus accepi, ter uirgis cæſus ſum, ſemel lapidatus
ſum, ter naufragium feci; nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, peri-
culis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, pericu-
lis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in
labore, in ærumna, in uigiliis multis, in fame, in frigore, in nuditate, in ſiti, in ieiuniis
multis? Puto inquit alibi ſanctus Apoſtolus, quòd Deus nos Apoſtolos nouiſsimos oſten
1.Cor.4. dit, tanquàm morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis & homi
nibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, nos autem prudentes in Chriſto, nos infirmi, nos au
tem fortes, nos nobiles, nos autem ignobiles, uſque in hanc horam eſurimus & ſitimus,
& nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, laboramus operantes manibus
noſtris, maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus, blaſphe-
mamur, & obſecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium per-
ipſema uſq; ad huc. Iſaias impij regis imperio, ſerra per medium ſectus, Hieremias poſt
ueterem ciſternam, poſt famem, poſt graues catenas, apud Aegyptū lapidibus obrutus,
Daniel beſtiis obiectus, in lacu leonum ſqualore loci & fame cruciatur, & in ardentem
fornacem cum ſociis contruditur Ezechiel apud Babylonem indomitis equis diſtractus,
Oſeas, per tempora necte transfixus: & quem prophetarum mali homines non ſunt per-
ſecuti? Iam ex Apoſtolicis uiris, Paulus trucidatus, Petrus, Andreas, Simon & Philip-
pus crucifixi, Matthæus gladio confoſſus, Iacobus iugulatus, alter Iacobus è pinnaculo
templi deiectus, & fuſte percuſſus, Ioan. quaſi ſacrilegus in feruens oleo doliū coniectus;
nihilq; certius erat, poſt initum cum Chriſto conſortiū, quàm gladij, pectines ferrei, be-
ſtiæ, exilia, metalla, proſcriptio, crux, uerbera, catenæ, carceres, eculeus, lampades, &c.
Adeo ut in ſummo Chriſtianarum dignitatū faſtigio, Rom. inquam Pontificatu, à Chri-
ſto ad Silueſtr. nullus (quod ſciā) naturali morte aut abſq; tyrannica uexatione ex hac
uita migrarit: neque dubitandū, quòd idem in cæteris Eccleſiaſticis ſedibus, apud om-
nes mundi prouincias acciderit. Nihil profectò uerius, quàm quòd de his primis Eccle
Hebr.11. ſiaſticis fundatoribus inquit Apoſtolus, Ludibria & uerbera experti, inſuper uincula &
carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, cir-
cumierunt in melotis & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus
non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in mōtibus, in ſpeluncis, in cauernis terræ.
An pro hoc lucro quiſquam mortalium mentiatur? Rectè itaque huic obiectioni re-
ſpondit Lactantius, Non (inquit) quæſtus, & commodi gratia, religionem iſtam com-
menti ſunt, quippe qui, & præceptis & re ipſa eam uitam ſecuti ſunt, quæ & uoluptati-
bus caret, & omnia quæ habentur in bonis, ſpernit, & qui non tantùm pro fide mortem
ſubierint, ſed etiam morituros eſſe ſe ſcierint, & prædixerint, & poſtea uniuerſos, qui
eorum diſciplinam ſecuti eſſent, acerba & nefanda paſſuros. Hactenus Lactan. Erant igi-
tur, certa ac diuina reuelatione commoniti, certa eſſe, quæ docebant. Nam ſi non erāt
certi,

certi, quî fieri potuiſſet ut tanta animorum conſtantia, in tormentis gauderent, & lucrum
putarent, pro his, quæ docebant, gladiis Tyrannorum uitam exponere, qua nihil ho-
mini charius? Itaque rectè Paulus contra quoſdam dicebat, ſi reſurrectio mortuorum *1 cor. 15. c.*
non eſt, neque Chriſtus reſurrexit, ſi autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædica-
tio noſtra, inanis eſt fides ueſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes, quoniam diximus ad-
uerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit. Quibus uerbis, ter-
tiam hanc noſtram conſiderationem perſtringit Apoſtolus, docens, quantum à primis
illis Euangelicæ fidei denuntiatoribus abfuerit mentiendi uoluntas, & quo loco habea-
tur, apud eos, qui Deo, quod non fecit, impingat, nempe eo quo falſus teſtis, qui in lege
ultimo ſupplicio conficitur. Et ut affectati lucri omnem ſuſpitionem excluderet, ſi in *ibidem.*
hac uita, tantum, inquit, ſumus ſperantes in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus ho-
minibus. Vt quid, inquit Ambroſius, ieiunia, uigiliæ, iuſtitia, munda uita, miſericor- *In Cõmen.*
dia, mors, ſi pro his nulla merces erit in futuro? Quid nos periclitamur omni hora, in- *eius loci.*
quit idem Apoſtolus, ſi mortui non reſurgunt? Sperabant igitur maiores noſtri, ac re-
ligionis noſtræ propagatores, certum aliquid, poſt huius mortalis uitæ functionem, alio-
qui non erant tam excordes, ut non cum cæteris hominibus, qui ſpem non habebant, *1. cor. 15. c.*
dum uiuerent, dicerent, Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.

Ad auctoritatem quoque doctrinæ, quantum faciant doctoris compoſiti mores, ex
ipſa communi conuerſatione docemur. Nihil certius profectò, quàm quòd, cuius uita *Grego.*
deſpicitur, eius prædicatio contemnatur, unde Ariſtoteles ſapienter, Sermones, inquit,
de affectibus & actibus, minus creduntur, quàm opera: cum igitur ab his diſcrepant, quæ *10. Ethic.*
ſenſu percipiũtur, tunc ſpreti ueritatem etiam ipſam interimunt: qui nanque uolupta- *c. 1.*
tem uituperat, is, ſi uiſus fuerit eam affectare, ad ipſam inclinari uidetur. Sermones
igitur ueri creduntur, cum ſunt operibus conſentanei. Nunc iam compone Draconis,
Solonis, Minois, Rhadamanthi, Lycurgi, Charondæ, Phileæ, Zamolxidis, Demetrij,
Numæ, & aliorum, ſi qui ſunt ſimiles, qui condidere reſpublicas, aut eorum, qui præ-
cepta uiuendi tradidere, uitas & mores, cum Moſe, Samuele, Dauide, Iſaia, Hiere-
mia, Ezechiele, Daniele, &c. cum Petro, Paulo, Iacobo, Ioanne, Andrea, Philippo,
Matthæo, & reliquis, qui nobis rationem uiuendi Chriſtianam tradidere. Ab illis pro-
fectò quantumcunque laudatis, ambitio, faſtus, tyrannis, diuitiarum amor, aut certa
& inexhauſta quædam humanæ gloriæ cupiditas, quam illorum optimi quique, quaſi
ſuorum beneficiorum præmium expetebant, præter alia occultiora uicia, non aberant:
in iſtis contrà ſummam integritatem inuenias. Nam ut ex multis pauca afferamus, &
tantùm illuſtriorum illuſtriſsima uitia, & quæ cunctorum aliorum facinorum, quæ ex-
cogitari poſſunt, ſunt certiſsima indicia, notemus, profectò Minos ille Cretenſis legiſ-
lator, Theſeum Athenienſem, ut Zenis apud Athenæum eſt auctor, adamauit, Rhada- *Athe. li. 13.*
mantum, legum atque humanæ uitæ maximum quoq; inſtitutorem, quemq; ob eximiam *cap. 27.*
iuſtitiam, inferorum eſſe iudicem poëtæ fabulantur, Talum puerum deperiiſſe Libycus *Apud Ath.*
teſtatur. Demetrius Phaleræus grauiſsimus quoque legislator, quanta uirtute, quan- *eod. loco.*
taque pudicitia, eis, quibus leges ferebat præſtiterit, hiſce uerbis oſtendit Athenæus, *Apud At.*
de eo loquens, Aderant, inquit, & taciti ad mulieres congreſſus, & nocturni adole- *eod. loco.*
ſcentum amores, atque Demetrius, qui aliis leges imponebat, uitæque rationem aliis
coordinabat, uitam ſibi ipſi maximè illegitimam conſtituit, pueros liberos iniuria affi- *Lib. 12.*
ciebat, nobiliorumque mulieres, zelotypia proſequebantur omnes pueri, catamitum *cap. 10.*
illius Theognim: atque tanti erat ad Demetrium accedere, ut uel ipſo poſt prandium
ambulante, ad locum apud Tripodes, diebus ſequentibus, pulcherrimi quique pueri
accerſerentur. Hactenus Athenæus. Periander Corinthius, qui in ſapientum Græco-
rum numerum relatus eſt (proh nefas) cum Meliſſæ cadauere miſtus fuiſſe traditur.
Et ut ad philoſophos ueniamus, qui tamen bonorũ morum inſtitutores eſſe credebãtur,
ille oraculo Delphico ſapientiſsimus declaratus, & totius Græciæ ac Latij teſtimonio ſan
ctiſsimus, Socrates, quanta fuerit animi continentia, quamque uerè eam quam uerbis,
hominibus perſuadere conabatur, uirtutem, moribus & uita expreſſerit, quæ de eo tum
Græcorum, tum Latinorum teſtimonia literis prodita ſunt, non obſcurè docent. Li-
cet enim Plato & Alcibiades, & ex Latinis Aemilius Probus, Socraticos amores excuſa- *In uita*
re, & neſcio in quas animi pulchritudines retorquere contenderint, eos tamen, obſcœ- *Alcibia.*

nos fuiſſe Lucianus Samoſaten. non obſcurè oſtendit; Auſus eſt, inquit, & illud addere, Bogoas, multò magis idoneum eſſe Eunuchum, cui adoleſcentes erudiendi credantur, quòd ab hoc nulla in illos calumnia poſsit hærere, neque Socraticum illud crimen in hunc competat, quòd adoleſcentulos corrumpat. Sed & inter ea crimina etiam, quæ illi ab Anito obiecta ſunt, erat etiam pæderaſtia. Sunt itaque qui eundem Archelao phyſico, Alcibiadi & aliis compluribus meritoriis, conſueuiſſe narrent, unde Iuuenalis cùm philoſophis Satyrica licentia, nonnulla uicia exprobaret, inquit, *Caſtigas, cum ſis,*

In Eunuc.

Inter Socraticos notiſsima foſſa cinædos.

Neque eius turpem amorem celare permittit ea zelotypia, qua adoleſcentulos ab aliorum hominum conſuetudine amouebat, nimirum, ut ipſis ſolus potiretur, & ad libidines ſuas abuteretur. Platonem illum diuinum, ut eius de hac re præcepta omittamus, de quibus poſtea, Apuleius eius ſectator, & apud Diogenem Laërtium Ariſtippus Aſtera, aut latinè, Stellam adoleſcentulum, qui cum eodem aſtrologiæ dabat operam, adamaſſe teſtes ſunt. Impingit & illi Lucianus Phædri amores; & ſunt qui eundem in Dionem, Agathonem, & Alexim, adoleſcentes amore flagraſſe crediderint: quorum omnium eius in illos amatoria epigrāmata, & carmina conſcripta, ſunt certiſsimi teſtes. apertè enim non Socraticos illos, quos obnubendo ſceleri, prætexebant Græci philoſophi, ideſt, ut illi uolebant animorum amores, ſed laſciuas libidines, ſpirare uidentur. Quod ut lector de homine, alioqui omnium literarum monumentis commendato, apertè intelligat, Latina carmina hic nobis ſunt inſerenda; nam Græca qui legere cupiat, apud Laërtium & Apuleium inueniet. In Stellam itaque, ſic ſcribit Plato,

Apule. in apolog.

In uariis amoribus.

O utinam cælum fierem, cùm ſidera cernis
Mi Stella, ut multis in te oculis tuerer.
Iam dudum uiuis lucebas Lucifer, at nunc
Extinctus luces, Heſperus Elyſiis.

in Dionem uerò,

Et lacrymas Hecubæ, & Troianis fata puellis
Decreuere recens ex genitrice ſatis.
At tibi poſt partos, præclaro Marte triumphos,
Spes reliqua eſt, nullis clare Dion ſuperis.
Te patria ampla fouet, cumulat te ciuis honore,
Quo mihi nunc mentem perdis amore Dion.

in Alexim uerò & Phædrum,

Nunc quoniam nihil eſt, quoquo ſe uerterit omnis,
Solùm quòd pulcher uiſus Alexis ait,
Quid mi animæ os canibus prodis, mox inde moleſtus
Detrectatas, Phædrum ſiccine perdidimus?

Gell. li. 19. cap. 2.

In Agathonem demum apud Gellium, diſticon Græcum reperire licet, laſciuia pleniſſimum, quod quidam eiuſdem Gelliamicus lyrico carmine in hunc modum interpretatus eſt.

Dum ſemihulco ſuauio
Meum puellum ſuauior,
Dulcemque florem ſpiritus
Duco ex aperto tramite,
Anima tunc ægra & ſaucia,
Cucurrit ad labias mihi,
Oriſque rictu peruium
Et labra pueri mollia,
Rimata itineri tranſitus
Vt tranſiliret nititur.
Tum ſi mora quid pluſculæ,
Fuiſſet in coitu oſculi,
Amoris igni percita,
Tranſiret, & me linqueret,
Et mira prorſum res foret,

Vt ad me ſi erem mortuus,
Ad puerum intus ut uiuerem.

Quibus carminibus, quis, per Deum immortalem, non uideat, tantam oſculorum
ſuauitatem, immo tantam animi molliciem, efflari, ut cum Platonico illo ac Socrati-
co uirtutis & animorum amore conuenire nequeat? Fuit ergo Plato neque tam mun-
dus, neque tanta morum grauitate, quanta uideri apud uulgus contendebat. Ariſtote-
lem, in pellicem tanto amore inflammatum ferunt, ut illi, non aliter ac Eleuſinæ Cere-
ri fieri ſolebat, ſacra conficere non uereretur. Quin & eundem turpes libidines coluiſ-
ſe, eius in Phaſelitam diſcipulum amores, manifeſto ſunt argumento. Pythagoram il-
lum Samium Italicæ philoſophiæ parentem Periclis tyranni concubinum fuiſſe, Lucianus *Lucian. in*
teſtatur. Ariſtippum Socraticum, qui cùm in Græciam philoſophandi gratia proficiſce- *Gallo.*
retur, ſeruos iuſsit, ut ad iter capeſſendum facilius expedirentur, aurum proiicere, me- *Cariſtius apud Ath.*
retriculam Laida, publico amore, ſummopere proſequutum, memoriæ proditum eſt. *lib. 13. c. 5.*
Phædonem Elidenſem Socratis diſcipulum, cuius nomini dialogum de immortalit. ani-
morum Plato conſecrauit, turpi quæſtu publicè meruiſſe multi ſcribunt. Zeno, Stoici ſu- *Gell. lib. 2. cap. 18. &*
percilij inuentor, quique totam hominis fœlicitatem in ſolo uirtutis uſu ſitam eſſe do- *Laer. in ui*
cebat, adeo ſceleratæ libidinis maſculæ exarſit incendio, ut nunquã eum fœmina uſum *ta Socr.*
nonnulli teſtentur. Ciceronem latinæ philoſophiæ & eloquentiæ fontem, hoc infando
ſcelere utraque libidine laboraſſe, & ſuo ſæculo famoſum fuiſſe, quidam literis manda-
runt. An uero Marce tulli (inquit in eum Salluſtius) facta ac dicta tua obſcura ſunt? An
non ita à pueritia uixiſti, ut nihil flagitioſum corpori tuo putares, quod alteri collibuiſ-
ſet? Et certè, Ciceronem eundem Cinædum à Verre uocatum, Plutarchus in apophteg-
matis Romanorum inſinuat. conqueritur & idem Cicero amatorio, & laſciuo epi- *Apud Plin.*
grammate, Tyronem libertum ſuum, quem deperibat, ſibi nocturno tempore debita *iun. lib. 6.*
ſuauia ſubtraxiſſe. Lucius Apuleius Platonicus philoſophus, pueros Scribonij amici ſui, *epiſt. in epi ſto. ad Pon*
ut ipſemet teſtatur, ſub Carini & Critiæ nominibus, carmine laudauit amatorio. Et de- *tium.*
mum ne ſingulorum philoſophorum ſcelera retexamus, ſi Diogeni Laërtio, qui eorum *Apuleius*
uitas & hiſtorias monumentis prodidit, credendum eſt, nemo eorum præter alia ſacri- *in Apol.*
lega facinora, quæ cum pallio, barba, uitta, ac illa, quæ ſemper his familiaris fuit,
garrulitatæ naſcebantur, hoc nefando ſcelere non occultè tantùm, ſed etiam publicè
laborauit. in ſingulorum enim philoſophorum ferè moribus deſcribendis, eos puero-
rum amore & maſcula cupidine, ac uenere conflagraſſe ſignificat. Iam uerò illuſtrium
illorum poëtarum (qui tamen numine pleni, & ut Paulus docet Prophetæ putabantur,
quique theologiam, cœlitus mortalibus deportaſſe ferebantur) quanta fuerit uitæ ac mo
rum inhoneſtas, & turpitudo, quamque liberè uicia ac publica peccata coluerint, eo-
rum tum græca, tum latina opera teſtantur. Quotus enim quiſque amaſiis pueris, aut
libros aut carmina laſciua non cum publica morum bonorum ſtrage conſecrauit? Or-
pheum illũ θηλυγέρων, immanem apud Thraces inueniſſe libidinem, auctor eſt Ouidius
his carminibus,

Ille etiam Thr acum populis fuit auctor, amorem *Metamor.*
In teneros transferre mares, citraque iuuentam *lib. 10.*
Aetatis breue uer, & primos carpere flores.

Pindarus Thebanus in gremio pueri amaſij ſceleratam animam expiraſſe dicitur. Theo *Val. Max.*
critus, tam procaci libidine in amatos pueros carmina & epigrammata conſcribit, ut *lib. 9. c. 12.*
uel à parum honeſto uiro, aut legi aut recitari, ſine rubore nequeant. Apertè enim fœ-
dos concubitus commemorat. Virgilium Maronem latinæ poëſeos facilè principem,
Alexim, aut amici ſui Pollionis puerum, aut Mœcenatis, aut Cæſaris Auguſti ſeruum,
nomine Corydonis, adamaſſe & eius carmina oſtendunt, & Lucius Apuleius, & Martia- *Apule. in*
lis ſcribunt. Tibullus Marathum deperiit, Horatius Flaccus in Lyciſcum & alios pue- *apolog.*
ros Poëtico more exarſit, quod eius carmina produnt. Martialis demum (ne ſingulo- *Mart. li- bro 8. epi-*
rum uitas referamus) turpiſsimos & impudentiſsimos amores, cùm ille eos tertio quo- *gram.*
que uerbo procaciſsimè, in eorum ſæculorum, quæ eos homines ferrent, certiſsimam *Epod.*
infamiam celebret, haud referre opus eſt. Taceo Lucanos, Perſios, Iuuenales, &c. quo- *Hod. 11.*
rum uita qualis fuerit ex iis, quæ diximus & ex eorum temporum licentia deprehendi
poterit. Hoc de uniuerſis gentium ſapientibus, non modò poëtis ſed philoſophis ſtatutũ,

Homer. Iliad. 20. Pla. dial 1. de leg. Plutarc. in lib. An bru tis rat. ſit. Ouid. li. 10 Metamor. Theocritus, Idyllio 13. Gale. lib. 9. de compoſ pharma. Hierony. Magius Anglarē-ſis.

firmumque ſit, eos non modò ſceleraros fuiſſe, ſed etiam peccata ſua, pernicioſa quadam ratione, ne à uirrutis, quam prædicabant inani nomine deciderent, ſacrorum numinum uſu atque auctoritate conſecraſſe. Inde enim Ganymedem à Ioue, Cypariſſum, & Hyacinthum Amyclidem ab Apolline, Hylam ab Hercule, Crocum à Mercurio, raptos fuiſſe fabulanrur. In quibus tamen Homerus, Heſiodus, Lynus, Orpheus & ueterrimi quique Poërarum Græcorum, quos maximè antiquitas admirara eſt, in primis numerantur, quorum opera factum eſt (quod Plurarchus in probl. ſcripſir) ut, non modò ſcelerati amores legibus non coërcerentur, ſed etiam ſeruis & cæteris pueris, uenuſta forma inſignibus, abuti minimè turpe putaretur. Verùm de ſapientum prophanorum ſceleſta uita ac moribus, hæc, quæ diximus aliaque multa elegantiſsimè Hieronymus Magius Anglarenſis, uir meo quidem iudicio præter integram pietarem, rum utriuſque iuris conſultiſsimus, rum torius antiquitatis & cæterarnm bonarum diſciplinarum theſauro ditiſsimus, in his commentariis, quæ ad legem *Cum uir nubit. C. ad l. Iul. de adulter.* conſcripſit, proſequirur: ad quæ lector remittendus uidetur.

A T Q V E hactenus quidem, de prophanæ ſapientiæ cultorum uita ac moribus loquuti ſumus; nunc cum his, obſecro, eorum ſanctorum uirorum, quos antea diximus quique aut euangelicæ uitæ rationem, nobis tradiderunt, aut poſtea in eius progreſſu, eccleſiaſtica doctrina claruerunr, ut aurea dicebamus uitas & mores confer. Enimuerò in iis, tantùm abeſt ut ea ſacrilega ſcelera, quæ etiã brutorũ ac beſtiarum natura damnar, reperire liceat, ut plures eorum aut perpetua uirginitate, aut perpetua carnis continentia, mundo fuerint ſplendidi. Neque enim quicquam, non modò horum ſcelerum, ſed etiam minutiorum peccatorum, in eis, uel hoſtium hiſtoriæ notare potuerunt. Sed contrà uitam incorruptam, mores integerrimos, mundi ac carnis contemptum, Dei amorem, & zelum, ingentem proximi charitatem, pro quibus, diuitias, honores, uoluptates, filios, uxores, parentes, amicos, uitam, denique ſeipſos, carceribus, tormentis, cruciatibus beſtiis, quotidie exponebant. Quod ſi illos, qui rationem uiuendi humanam gentes docuerunt, tot tantiſque peccatis abundaſſe nolis,

Vbi tamen, obſecro, quemquam ex illis legis, tanta animi conſtantia, quanta Apoſtolicos uiros uirtuti dicatum? Qui, cùm, ut ait Auguſtinus, in his locis prædicarent Chriſti nomen, ubi non ſolùm improbabatur (iacent autem ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur) uerùm etiam ſummæ deteſtationi habebatur, tenentes quod audierant à magiſtro eodemque medico mentium, Si quis me negauerit coram hominibus, negabo ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. inter grauiſsimas perſecutiones, atroceſque pœnas, non ſunt deterriti à prædicatione ſalutis humanæ, tanto fremitu offenſionis humanæ. Neque uerò id ad ſuam gloriam retulerunt, quod haud dubium fecerunt Scæuolæ, Currij, Decij, Fabij, Catones, Reguli, & apud Græcos Socrates, Platones, Diogenes, Phociones, & ſimiles, ſed in Dei tantùm honorem, quem in omnibus actionibus apud homines commendare appetebanr. Abſuiſſet earum uirtutum, quas exercebant, apud ſuos pretium, & commendatio, abſuiſſet laudis & humanæ gloriæ præmium, abſuiſſet humanus applauſus, abſuiſſet humanis actionibus propoſita nobilitas, & imagines, neque uidiſſes Mutios, neque Regulos, neque Clœlias, immo neque Diogenes, neque Socrates, neque Antiſthenes. Hæc tamen uniuerſa Chriſtianis actionibus aberant, erant enim non tantùm odio, ſed ſummo ludibrio & infamiæ, uniuerſis mortalibus, & tamen ab eiſdem uirtutum actionibus Apoſtolicos uiros, neque tribulatio, neque anguſtia, neque perſecutio, neque fames, neque nuditas, neque periculum, neque gladius, neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterat ſeparare, à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto I E S V. Vbi tanta uirtutis conſtantia? ubi tantus religionis amor? ubi charitatis fraternæ tam magnum incendium? Certè in Gentium hiſtoriis nunquam legiſti quenquam tanta uirtutis puritate commendari, ut neque utile, neque iucundum, neque aliquid eorum, quæ integram uirtutis rationem ſolent dererrere, cum uirtute coniunxerit. Hi uerò præter admirandam animi puritatem (ſcelus enim eſt etiam apud Chriſtianos praua cogitatio) ex qua puræ & omnibus ſuis numeris integræ, & quales gentium ſapientes garrire, non edere ſolebant, uirtutes naſcebantur: rationem quoque illis religio-

nis

nis indebant; qua extra hnmanam rationem illas educentes, non iam humanarum uirtutum, ſed diuinarum, utpote quæ ex diuina quadam ratione, non item humaua naſcerentur, induebant naturam. Non enim Paulus amore tantùm honeſtatis uoluptates, aut diuitias ſpernebat, ſed inſuper Dei amore, & ipſa religionis motione, quæ, cum inter uniuerſas uirtutes ſit eminentior, ſuam quoque perfectionem omnibus illis infundebat actionibus: quamuis ſpurcus Auerroës uoluerit Chriſtianum hominem, ueram uirtutem ſortiri non poſſe, quòd non honeſti affectione ſed gloriæ cœleſtis cupiditate, aut inferni pauore, cuncta exequatur. Sed mentitur homo impius neque adeo philoſophus ut quidam exiſtimant. Chriſtianus enim homo, non tam futuri cruciatus horrore, aut cœleſtis beatitudinis præmio dncitur, in operanda nirtute, quàm Dei amore: quæ motio tantùm abeſt apud tectam philoſophandi rationem, ut uirtutem deterat, ut potius, ex humana ac cinili uirtute, diuinam efficiat. Quod uerò hanc animi religioſam motionem, quæ dilectio uocatur, horror cruciatus futuri, ſi malè quis uixerit, aut creditæ fœlicitatis cupido, comitentur, nihil obeſt, niſi obſint quoque, quo ueræ habeantur uirtutes, in rebus publicis peccatorum ſupplicia & uirtutum præmia, quæ quò homines contineantur in officio uirtutis, qnotidie ſanciuntur. itaque Auerrois ſententia, nullibi mortalium ueram ac puram uirtutem reperire licebit, quoniam non eſt inter eos, gens tam effrenis & barbara, quæ non legibus uiuat, quæ malis, cruciatus, & bonis, præmia non conſtituat.

lib. de Platon. Rep.

Iam, ſi uirtutum integritatem conſideres, quæ non eſt aliud, quàm integer earum aceruus, quem Plato & Ariſtoteles iuſtitiam appellant, ſine quo perfecta uirtus inueniri non poteſt, lucidius apparebit, quantum ab euangelicis uiris, hi qui apud gentes commendantur, ſint ſuperati. Deum immortalem, quantum eſſet difficile & arduum, uel unum apud gentes, qui omnibus uirtutibus polleret, & qui ſibi iuſtitiã illam aut (ut uocat etiam Plato) totam uirtutem acquiſiuiſſet, oſtendere? Videas, quos pro patria nõ pigebat uitam impendere; at in carnis delitias procliues erant; erant altioris animi uiri, qui cunctas corporis uoluptates ſpernerent. at ambitione & auaritia nihil erat illis iuſtitia; reperias & iuſtos, qui nulli uiolentiam inferrent, immo, qui cuncta ſcirent ſpernere, uerum hos, ſi rectè conſideres, latenti quodam animi faſtu turgidos uideas. Non erat enimnerò inter eos, qui uenditabanr uirtutis ſpeciem poſtremus, cui Platonis faſtum calcanti, Plato reſpondit, calcas faſtum ſed alio faſtu. At apoſtolici uiri, ſic uniuerſas uirtutes in ſeſe copularunt, ut omnes, non humana, ſed heroica, immo (quæ maior eſt) chriſtiana ratione poſsiderent.

Dialog. 1. de repu. 5. Ethi. c. 1.

Diogenes Cynicus apud Laertium.

I nunc & quære apud reliquos mortales, eam fortitudinis excellentiam, cui pro religione, pro Dei amicitia, mori ſit lucrum. Pro focis, pro aris, pro patria mori, cõmunis eſt munus fortitudinis, at pro ptoximo, pro ſingulari ciue, apoſtolicæ tantùm. Dare ex facultatibus munera, ſecundum prudentiæ ciuilis menſurã, officium eſt eius liberalitatis, quam ad miraculum gentium ſapientes commendant: at uniuerſa pro Chriſto dimiſſa, nulla proprij ſumptus, aut uictus ratione habita, dare pauperibus; tantùm apoſtolicæ, qua profectò nullus eorum, qui nobis hanc chriſtianam uiuendi rationem tradidere, fuit deſtitutus; ſed eam, quaſi apoſtolicæ perfectionis, quam profitebantur cuncti fundamentum iecere. Magnificus, apud mundi ſapientes uocatur, qui magna diſtribuit, quis uerò maiora dedit, quàm qui nihil ſibi reliquit? Taceo ingentes theſauros, qui à primis illis Chriſtianis in pauperes fuerunt profuſi, quos ſi quis inter gentes tribuiſſet, magnificentiſsimus haberetur. Temperantiam, non quocunque pacto coluerunt, ſed quam ad ea uſque ſæcula mundus neſciuit, perpetuam corporis & animi continentiam: immo illibatam integritatem, æmulantes angelorum naturam. Dic mihi, quis apud gentes unquam, aliam temperantiam agnouit quàm alienam non tangere? alienam inquam, nxorem: nam liberos coitus nemo uetabat. quòd ſi fuit unus aut alter Xenocrates Athenienſis, qui colludente meretrice, uenereis non tangeretur affectibus; agedum laſciuas cogitationes uitabat? macerabatur ieiuniis? domabat carnẽ? caſtigabat corpus? quòd ſi hæc faciebat, uirgo erat? ideſt nec in carnales delectationes conſenſum præſtiterat. Enimuerò in his qui apud gentes ſummates habentur, Socr. ſcilicet Plat. Ariſt. &c. ut paulò ante diximus, ſolam tẽperantiæ deſcriptionẽ, non ipſam tẽperantiam inuenias. Quod ſi ita eſt, quid erit expectandum de uulgo, quid de his, qui nec uirtutis amore,

Laertius.

nec

nec ſapientiæ grauitate, nec Dei notitia pollebant? quid de his, qui etiam, ſi feciſſent, non erant conciuibus aut mundo futuri admirabiles? De iuſtitia qualis fuerit in noſtris, quibus tantum aberat ut aliena affectarent, ut etiam propria profunderent, diſputare non libet. hoc tantùm ſit dictum, iniuſtitiæ apud apoſtolicam uitam locum non eſſe. Quomodo enim iniuſtus eſſet, qui propria donabat? qui ſibi illatam iniuriam grande lucrum putabat? qui percutienti maxillam, alteram percutiendam præbebat? qui peteti
Matth.5. & 6. & Luc.6. tunicam dabat & pallium? qui cum angariante mille paſſus, ibat & alios mille? qui ſi mutuum dabat, nihil inde ſperabat? qui omnia huius ſæculi lucra arbitrabatur ſtercora? qui demum proprios inimicos & qui res aut uitam ipſam auferre conabantur, iubebatur diligere? Eia age laudatiſsimos apud gentes uiros circunſpice, & uide an à mundo condito in quoquam, talem iuſtitiæ rationem inuenias? An tales erant Orphei illi, quos Plato ſexto de republica libro magnopere laudat? An talis ille Locrenſis Zeleucus,
Val. Max. lib.6.c.5. quem referunt, poſtulantibus ciuibus, ut filio in adulterio deprehenſo, ac propterea ambabus oculis priuando, multa remitteretur, noluiſſe acquieſcere; ſed & legum rigori & ciuium deſiderio morem geſturum ſibi unum, alterum filio lumen eruiſſe? An his con
Ioan. Stobæus. ferri poſſunt Rhamnuſij illi, uel ſapientes, uel populi, quorum iuſtitiam commendant hiſtoriæ? An tales Pythaci, Ariſtides, Fabricij, & ſi qui ſunt ſimiles? Sed hi ut ſummum iuſti commendantur, quòd conciues non læſerint, quòd cum impunè propter potentiam potuiſſent ſemel aut iterum aliena uſurpare, noluerunt, noſtri uerò euangelij miniſtri, hoc genus iuſtitiæ imperfectionem putabant. Deum immortalem, quanto illa erat excellentior iuſtitia, quòd cùm iure prædicationis Paulus potuiſſet, uictus ſaltem & ueſti-
1.Cor.9. tus ſtipendium repetere, ſine ſumptu tamen euangelium ponebat? Si ſpiritualia ſeminabat, non erat magnum, ſi carnalia meteret, An'non operabatur in ſacrario? Quare ergo non licuiſſet de ſacrario uiuere? An non erat ex illis bobus, quos ad huius mundi aream, quò à paleis, euangelicæ prædicationis tribulo, grana, id eſt, iuſti, ab iniuſtis, & peccatoribus diſcernerentur, Chriſtus direxerat? Et tamen laborabat manibus ſuis, ne
1.The.2. quenquam grauaret; Quis hoc apud eos, quos diximus iuſtitiæ titulis præſignes, uiros feciſſet? Quin ſi gentium hiſtorias attentè conſideres, plures reperias, qui inter alios iuſtitiam componerent, quàm qui perſonalem iuſtitiam colerent, in proximorum conuictu. Tales enim erant Rhadamanti, Minoës, Oſyrides, Hercules Theſei, & ſi qui ſunt tales, quos celebrauit antiquitas. Animi magnitudine, quam magnanimitatem appellant non puto uniuerſos mortales in unum collatos, quantumuis reges, quantumuis potentes, quantumuis ſapientes, cum noſtris poſſe conferri, quantumuis pauperculis, quantumuis abiectis, immo nec cum noſtris fœminis, quæ ſupra quàm dici poſsit tranſcenſo
4.Ethic. ſexu fragili, mundo ſtupori fuerunt. Magnanimos uocat Ariſtoteles, qui cum magnis ſint digni, dignos ſe magnis exiſtimant, at quis mortalium ad cœleſtia bona, quæ nec
1.Cor.2. oculus uidit nec auris audiuit, neq; in cor hominis aſcēderunt, animū præter apoſtolicos uiros erexit? quis ad ea, oibus, quæ uidentur tranſcenſis, aſpirauit? deficiunt hic Cyri, Alexandri deficiunt, Pōpeij, Auguſti, quos magnos uocarunt, immo & his magis magnanimi, qui etiā res fortunæ ſciebant contemnere, Diogenes dico, Socrates, Phociones, etc. qui licet præ animi magnitudine, indignum iudicarent, ſe rerum tēporalium, poſt habito ſtudio ſapientiæ, cura diſtringi, ac propterea tenuiſsimo earū uſu contenti, gauderent, tñ ad inueſtigabiles illas diuitias, ad cœleſtes theſauros, ad angelicas ſocietates, rebus ac uoluptatibus mundi contemptis, quaſi ſe indignis, non ſuſpirarunt. Et quidam hanc ani-
Lud. Viues lib. de Corruptis diſciplinis. mi magnitudinem, quam docet Ariſtoteles, non ſine rationum uigore, quaſi euangelio & uirtutis naturæ contrariam, reprehendunt, nos tum Græcorum, tum Latinorum, immo communem uſum, & nominis uim in ſignificando attendentes, magnanimos uocamus, qui magnos animos ſunt à natura ſortiti: eſt autem magnus animus, non qui ſibi, qui-
Quis uerè magnanimus dicatur. bus eſt dignus attribuit, nam hic potius faſtus eſſe uidetur, ſed qui nec proſperis & amica fortuna molleſcit, nec laboribus frangitur, nec aduerſis proſternitur: quem nec gaudium diſſoluit, nec ſpes effert, nec timor comprimit, nec dolor alienat, qui denique cunctis affectibus maior exiſtit, ſicut puſillanimos, iuxta eandem nominis proprietatem, uocamus, qui puſillos animos continent, ideſt, quos ij affectus tyrannicè calcant. Nunc ſcrutare diligenter, ueterum ciuitatum hiſtorias, apud quas, diſpeream ſi unum talem oſtenderis. Nam quos non poterat libido ſubigere, hos auaritia tranſuerſos

agebat,

agebat, quos nec libido, nec auaritia deiecerat, hos ambitio tyrannico uexabat im-
perio, & quos minutiora uitia, quæ grandia pectora pertentare non ſolent, non-
dum appreſſerant, hos immenſus gloriæ appetitus, qui eſt maiorum animorum cer-
tiſsima caries, & qui ſuperato mortis terrore, nondum comprimitur, quaſi ſeruos cru-
ciabat. Iam noſtrorum maiorum; immo etiam quæ inter eos fuerunt fœminarum, hi-
ſtorias attende, & uidebis, illam animi magnitudinem, quam ſolùm garrire, non item
præſtare potuerunt, mundi ſapientes, non quauis, ſed heroica ratione, in eis uiguiſſe:
neque enim hos Nerones, Domitiani, Commodi, Diocletiani, & ſi qui fuerunt alij Sa-
tanæ miniſtri, cruciatibus, in quibus exquirendis, magis ipſi cruciabantur à uirtute
auerterunt, ſed neque uitæ huius honoris, imperij uoluptatis ue, quæ quotidie offere-
bantur diabolica fraude, dulcedine allecti, religioni, quam profitebantur, terga uertê-
re; ſed immobiles, & in ſancto uitæ, quod diuinitus acceperant inſtituto quadrati,
per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & *2.Corin.6.*
bonam famam, ſemper de his reportabant triumphos. illam ego animi magnitudinem
uoco, quod alioqui plebij homines ac ſi ſacrilegi, ad ſacerdotum, qui in eos deſæuie-
bant magiſtratus adducti, & imperati, ne amplius in nomine IESV loquerentur, conti- *Act.5.*
nuò reſpondent; Oportet obedire Deo magis quàm hominibus, & quod rantum aberat,
ut eos hoſtiles minæ & inflicta flagella à ueritate retraherent, ut irent gaudentes à con-
ſpectu concilij, quod digni fuiſſent habiti, pro nomine IESV contumeliam pati. Illam
ego ueram animi magnitudinem uoco, quam nec crepitantium lapidum turbo potue-
rit à ueritate reprimere, ſed inter ipſos mortiferos ictus, triumphabunda dicebat, Do-
mine IESV accipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum; quia neſciunt quid *Act.7.*
faciunt. ſed horum factorum nihil locupletius apoſtolica hiſtoria. Vel hoc enim ad apo-
ſtolicam animi magnitudinem cognoſcendam ſat erit, quòd uitam ipſam pro religionis
& uirtutis tutela obtulerunt, nihili beſtias, cruces, tormenta carceres, faſces, magiſtra
tus, reges, imperatores, uitæ huius illecebras, uoluptates, facientes. Vides ergo
integram iuſtitiam aut totam uirtutem, quæ non eſt aliud quàm cunctarum uirtutum
cumulus, ſine qua docet philoſophia, nullam perfectam reperiri uirtutem, tantùm in
noſtris inueniri, non in quouis gradu, ſed in heroico & diuino, quem, ut diximus
philoſophi gentium, tantùm uerbis adumbrare, & uerboſa ſapientia, potuerunt
depingere, ac perinde, eas uirtutes, quibus erant Orbi commendabiles, non ueras & *Virtus inte*
ſinceras fuiſſe uirtutes, ſed potius uirtutum fucos, & umbras. Sed age, demus apud eos *gra & ab-*
fuiſſe, qui ſibi obtinuerint totam iſtam iuſtitiam & uirtutum cateruam, quod nimirum *ſoluta, tan-*
quidam iuſtitia, fortitudine, tẽperantia, magnanimitate, & cæteris quæ circa cõponendos *tum in chri*
mores uerſantur uirtutes, fuerint inſignes, non moror, ſed hi, ſi qui tales fuerunt, ſola pru- *ſtiano.*
dentia qua mor habitus conſeruntur, eas ſibi inuicẽ adnectebant uirtutes, imo nec pruden
tia quidẽ, ex quorundã ſentẽtia. Noſtri fortiſsimo charitatis ligamine, eas ſic aſtrinxerũt, *Scotus.3.*
ut nulla rõne potuerint diuelli, Vt multi, inquit Grego. arboris rami, ex una radice pro- *ſenten.diſt.*
deunt, ſic multæ uirtutes ex una charitate generãtur, nec habet aliquid uiriditatis ramus *37.*
boni operis, ſi non mãſerit in radice charitatis. Et Paulus, Charitas patiẽs eſt, benigna eſt,
non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, *1.Cor.13.*
non irritatur, non cogitat malum, nõ gaudet ſuper iniquitate, congaudet aũt ueritati, oĩa *in quadam*
ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Quaſi uellet Apoſt. uniuerſas uirtutes *homil.*
nobis cõpendio charitatis cõtradere. Quaprópter & alibi eandem charitatem, uinculum
perfectionis appellat, quòd ea perfectiſsimo uinculo in unũ faſcem colligentur uirtutes. *Colo.3.*
Hoc uinculi genus neſcierunt Gentiles, hoc penitus ignorarunt mũdi ſapientes, atq; adeo
eorũ uirtutes quaſi ſine muro & inermes, uitiis contrariis conculcandæ iacebant. Sola.n.
in rectè operando honeſtate agebantur, cũ præter eã, noſtri diuino amore ex cœleſtis præ
mij & diuinorum operũ conſideratione ſuccenſo, utrãq; uirtutis partẽ, própri præſtarent,
neq; uerò hic quis me putet in ea eſſe ſententia, quòd ſtudio ſine fide iudicẽ: impoſsibile
dari moralẽ uirtutẽ quod quidã dixerũt, ſed quod credã, gẽtes facto ipſo, quod natura po
terãt, nõ præſtitiſſe. aliud.n. eſt poſſe, aliud uero quod eſt poſsibile, factis quoq; exhibere.

FVERVNT itaque, qui nobis hanc rationem uiuendi Chriſtianam tradidere, quando
ex ueritatis ſtudio & morum compoſitione, conciliatur auctoritas, ſummæ inter uni-
uerſos mortales autoritatis, ſicut & ſummam coluerunt uirtutem. Vnde qui hanc reli-

gionis ſpeciem non ſuſcipit, neque aliam ex his, quas homines, alioqui parum puri & ueri, (gentiles dico) inſtituerunt, ſuſciplet. eſt enim unica recipiendæ religionis ratio, 11. De ciui tati Dei. in rebus religionis, huiuſmodi hominibus credere. Vnde Auguſtinus, Sicut ergo de uiſibilibus, quæ non uidimus, eis credimus, qui uiderunt, atque ita de cæteris, quæ ad ſuum quenque ſenſum corporis pertinent, ita de his, quæ animo ac mente ſentiuntur, quia & ipſe rectiſsimè dicitur ſenſus, unde & ſententia uocabulum accepit, hoc eſt de inuiſibilibus, quæ à noſtro interiore ſenſu remota ſunt. Iis nos oportet credere, qui hæc illo in corporeo lumine diſpoſita, didicerunt uel manentia contuentur.

De maiorum noſtrorum primorumq; Chriſtianorum, in admittenda Chriſtiana religione diligentia. Cap. IIII.

QVartum, quòd dignè conſideratum, & diligenter expenſum, magnopere ad catholicæ fidei aſſenſum conducit, eſt noſtrorum maiorum qui primitus Chriſtianam rationem uiuendi accepere, in his, quæ habemus ſuſcipiendis dogmatibus, uigilantiſsima diligentia: Eſt enim ita natura ipſa comparatum hominibus, ut in religione ſuſcipienda, niſi cum ratione pugnarent, patriis ſtatutis & parentibus, fidant. unde conſulentibus Athenienſibus Apollinem Pythium, quam potiſsimum religionem eligerent, oraculo Cice. lib. 2. de natura Deo. accepto, patriam religionem, & eam, quæ eſſet in more maiorum, amplecti ſunt iuſsi. Phocylides. Hoc eſt etiam, quod rerum publicarum inſtitutores præcipiunt, patrios deos patriis ritibus, eſſe colendos: & quod Dei populus, Sæpe uel Deum patrum ſuorum inuocare præcipitur, aut ab eo receſsiſſe arguitur. Docet etiam Cicero in ſacris ceremoniiſque, ſapientis eſſe maiorum inſtituta ſectari. Quòd ſi ita fieri oportet in cæteris rebus publicis, quæ dum res temporariæ & in quibus dominatur fortuna, ſecundæ fluerent, parui, futura & ſpiritalia bona, faciebant, quanto potius in ea, quæ tantùm æternorum bonorum deſiderio caleſcens, temporalia ſpernebat? Nam cæteræ quidem reſpublicæ, quas ubique terrarum humanitus conſtitutas accepimus, perſe quidem temporale commodum, per accidens uerò & huius melius conſeruandi aut acquirendi gratia, religionem curabant. Ergo apud eas reipublicæ formas, quas gentes inſtituerunt, non precipuè religio ſed quaſi finis quidem ciuilis Societatis, quæ uirtute continetur intenditur. religio uerò quaſi medium conſeruandæ uirtutis proponitur. In noſtra uerò Chriſtiana republica, contrà religio perſe, leges uerò quæ mores componunt, religionis ratione conſtituuntur, de quo, ſecundo libro de præcepto & diſputatione, multa diximus. Hinc iam apparet, quanto maiori ratione noſtræ fidei Chriſtiani homines debeamus aſſenſum, quàm cæteri mortales, eis, quas à patribus acceperunt religionibus, tanto ſcilicet, quanto cœleſtium bonorum, quæ religio reſpicit, maiorem habuerunt noſtri rationem, parum temporalia curantes. Profectò quæ homines præcipuè curamus, omni quo poſſumus ſtudio diſquirimus, quæ uerò ex accidenti, parum attendimus, ita gentium legiſlatores, magnopere in ciuili uirtute conſeruanda laborarunt, religionem uerò non tam, quæ uera eſſet, quàm quæ ciuium animis ſuperſtitionem inſereret, quæ ad retinendam uirtutem ſatis eſſe credebatur, curarunt. Noſtri uerò cùm religionem potiſsimam haberent reipublicæ partem, in ea ſcrutanda & diſquirenda, magis quàm in legibus forenſibus ſanciendis, ſudarunt. Nulla ergo fuit inter uniuerſos mortales communitas, quæ per ſe & precipuè religionem attenderet, præter Chriſtianam, atque adeo nulli in recipienda religione maior præſtanda fides.

IAM quid credis maiores tuos, abiurata olim idololatria, Iudaiſmo, aut alia quacunque religionis ſpecie, in hanc pertraxiſſe? An honorem temporarium? an theſauros? an principum fauorem, aut alia huiuſmodi, quibus plerunque homines à ueritate declinant? non profectò, niſi honor ſit cunctis hominibus eos ludibrio haberi, haberi ſacrilegos, haberi magos, & earum legum, quæ olim in hos fuerant ſtatutæ rigorem, omnium publica acclamatione, experiri. Quis non legit quanta libidine ac ſæuitia olim Romani principes, Chriſtianos homines in ſectarentur, ſurgentemque religionem comprimerent? Nam præter eas leges, quæ in religionis deſertores, aut nouatores, an-

tiqua

tiqua reipublicæ conſtitutione tendebant, ſæuiſsimis aliis excogitatis decretis atque edictis, non abſtinuerunt, quo tam propenſam & egregiam animi conſtantiam ſi poſſent, perfringerent, ac præter hæc, conuitiis ac maledictis Chriſtianos, uulgò, exagirarent. Sarmentarios ridiculoſo nomine appellantes, quòd ad ſtipitem dimidij aſsis reuincti, *Tertul. in* ſarmentis additis, publicè arderent. Appellabant & ſemiſsios, quaſi dimidij aſsis ui- *apolo. Euſe.* liſsimos homines, quòd nihili haberentur apud omnes mortales: appellabant & aſinarios, *Auguſt.* quòd eandem cum Iudæis religionem colere uiderentur, quos caput aſininum, diuinis *Corne. Ta-* honoribus proſequi, apud omnes gentes fuit perſuaſum. Theſauri, qui pro ea religio- *cit. lib. 17.* ne donabantur, forſan erant, omnium bonorum publicatio, quam huius religionis cultores incidebant per leges: quod ſtatim quamuis nobiles, quamuis fœminæ fragiles, ac delicatæ, publico præconio poſt carceres, catenas, ſordes, equuleos, flagella, infamias, poſt indigniſsimas alapas, & colaphos, ſi non uiui cõburebantur, aut alio infami genere mortis perirent, quod erat frequentius, quaſi hominum conſortio indigni, extra urbes fiebant, in ſiluas, montes, eremos, ubi niſi cœleſti paſcerentur prouidentia, aut fame aut certè ſiri uitæ concederent. Quis unquam ſanctorum martyrum ſtrages, & nobiliſsimarum fœminarum ludibria, & genera tormenrorũ, quæ in illis primis penè quadringentis annis, quibus Satanæ furor Eccleſiã malè accepit, in homines chriſtianos, apud omnes urbes & prouincias expenſa, ſatis ſcripſit? Sed hoc ais, illis contigit, poſt religionem ſuſceptam, cum antea apoſtolica prædicatione ſeducti, regna, urbes, diuitias, theſauros, fauores, & delitias, ſperarent, nam & noſtra memoria, ſic habet quorundam ſtultitia, ut Eccleſiaſtica traditione contempta, in quaſdam nouitates declinent, uel quò ſibi inde diuitias aut fauores prouenturos exiſtiment, aut ſaltem quia liberioris uitæ ſpem, dum reiiciunt quæ ſibi onerosa uidentur concipiunt, cùm poſtea tamen, quam abditiſsimam putabant, coniuratione retecta, dent pœnas infames. At quî hoc fieri poterat in maioribus tuis, qui huius, quam ſuſcipiebant religionis, fundatores, nulla uidebant præpollere potentia, nullo Imperatoris aut principum fauore, nullis diuitiis ſplẽdeſcere? Sed his cõtrarijs, ſummo totius Orbis odio, ſũma infirmitate, ſumma paupertate, ita ut omnium mortalium eſſent nouiſsimi. Quid, quæſo, uiderunt in Apoſtolo Paulo, niſi flagella, niſi uirgas, niſi lapides, niſi naufragia, niſi itinera, niſi pericula fluminum, maris, &c. niſi frigus, niſi nuditatem, niſi ærumnas, niſi uigilias, niſi famem, niſi ſitim, niſi opprobria, niſi urgentiſsimas tribulationes, quibus ſupra modũ grauatus erat, *1. Cor. 11.* ita ut eum huius uitæ tederet? Quid in cæteris apoſtolicis uiris, niſi præter hæc uniuerſa, *2. Corin. 1.* cruces, & reliqua (ſi qua erant) genera mortis ludibrioſa & infamia, quam tamen infamiam & honoris detrimentum, pluſquàm mortem ipſam homines perhorreſcere ſolent? Ergo nullo pacto potuerunt ab eiſdem ſeduci, præter hoc quod euangelica traditione didiſcerant, ſtatim ipſo religionis initio, ſi uellent eſſe Chriſti diſcipuli, abnegan- *Luca. 8.* dos ſemetipſos, quotidie, tollendam crucem, odio proſequendum patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, ſorores, & demum ſemetipſos rradendos in conciliis, & ſynagogis flagellandos, & ad præſides regesq́ue, quaſi patriæ religionis ſacrilegos uiolatores, *Luca. 21.* deducendos: tradendum fratrem à fratre in mortem, inſurrecturos filios in parentes ut morte eos afficerent, & demum futuros odio cunctis hominibus propter Chriſti teſtimonium & nomen. An uerò carnales delitiæ, quæ ex huius religionis cultu ſpondebantur, eoſdem ſeduxerunt? Sed hi quemadmodum ſuſcepta religione Chriſtiana, mundi ac diaboli ſeſe hoſtes prodebant, ita ſe carnis delitias, quaſi uetiſsima animarũ aconita, & uiperina uenena, uitaturos iurabant, adeò ut apud eam primam chriſtianorum ætatem, matrimoniis renuntiarent, quòd omnes æmularentur apoſtolicam uitam: ſciebant *Math. 19.* enim beatos eſſe, qui ſe propter cœlorum regnum caſtraſſent. Itaque omnes tantùm quæ domini erant, cogitare uolebant, ut ſancti mente & corpore inuenirentur in Chri- *1. Corin. 7.* ſto. An carnis delitias apud eam religionem quis quærat, cui ſacrilegum erat non modò alienam tangere, ſed eandem cordis deſiderio, immo ſola uoluntaria cogitatione concipere? An apud eam religionem carnis delitias quis quærat, quæ nihil magis colit quàm ieiunia, uigilias, abſtinentiam, aſperitatem, pauperiem, quæ in nullo hoſte uehementius inuehitur quàm in propriam carnem propriumq́ue corpus? Caſtigo (dicebat apoſtolus, innumeris aliis laboribus attritus) corpus meum, & in ſeruitutem *1. Corin. 9.* redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Ergo nec temporali commo-

do, nec principum fauori, nec carnis delitiis, locus erat eo ſæculo apud Chriſtianam religionem. Ergo nihil temporarium, nihil caducum, nihil ad fluxam & terrenam fœlicitatem conducens, maiores illos tuos ad Chriſtianam hanc rationem uiuendi pellexit, ſed potius diuinum aliquid, quod in primis illis huius religionis propagatoribus aduerterunt. nec enim tam erant ſtulti & amentes, ut nulla ratione ſeſe, famam, honorem, ac omnia ſua temerariè peſſundarent. Quod ſi libet, ex tuis maioribus unum quid eum Chriſtianam religionem ſuſcipere impulerit audire, iam audi Iuſtinum nō quemuis è ple be cui ſuperſtitio potuiſſet imponere, ſed ſummum philoſophum. Nam & ego, inquit, *In apolo. 1. pro chriſtian.* ſectis Platonicis inſtitutus, audiens infamari Chriſtianos, & uidens eos impauidos ad ſuſcipiendam mortem atque omne ſupplicium tolerandum; conſiderabam quòd impoſſibile eſſet in malitia eos & in libidine conuerſari. Quis enim aliquando uoluptuoſis & luxuriis deditus, & qui humanis carnibus ueſci delitias putet (quæ uitia tum temporis falsò, Chriſtianis hominibus obiectabantur) mortem libenter amplectatur, quo ſcilicet ipſa confeſtim careat, pro qua infamari uoluit uoluptate? Quin immo uiuere perpetuò ſi liceret, & latere iudicia, in hoc magis operam daret ne ſemetipſum ſtatutæ morti ſtuderet offerre. hæc ille. Grande itaque aliquid, profectò fuiſſe oportet, quo homines, qui alioqui, ſicut cæteri mortales, humanis affectibus tangebātur, legi ac religioni Chriſtianæ, quæ carni & ſanguini bellum indicit, contra eā, quam à ſuis progenitoribus acceperant, rationem uiuendi, contra patrias leges, contra principum imperia, contra cognatorum ſuaſiones, contra uxorum, filiorum ac parentum lacrymas, nomina dederunt. Magnum ſtudium fuiſſe oportet, quod huius religionis dogmatibus examinandis impendêre, quando nihil aliud ex immenſis, quos ſecum hæc religio labores afferebat, ſperabant, quàm eam, quam illa pollicebantur, uitam futuram: magnum ſtudium ac diligentiam fuiſſe oportet, qua dogmata, quæ neque humanæ rationi, neque uitæ huius illecebris applaudebant, quæ præſentia pro futuris, corporalia pro ſpiritualibus commutare iubebant, quaſi cœlitus data diuina reſponſa, quibus eſſet deinceps per omnia obediendum, reciperentur: adde quòd non ui aut armis, coacti, ſed ſpontanei, immo contra uim, & arma, in ea iurabant. Hinc uigilantiſſima illa cura examinandi & probandi huius religionis libros, ac ſacra uolumina, deriuata eſt, tum quidem quòd nullum eis, in uitæ huius laboribus leniendis, remedium præſentius haberent (in his enim quaſi Socratico ſpeculo, interioris hominis maculas depræhendentes, ad primam illam pulcritudinem, ſe ſe reformantes, in lege domini meditabantur die ac nocte) tum quòd ingenti ſiti contenderet Satanas, pro ueris dogmatibus ac cœleſti doctrina, ſuas fraudes obtrudere, quò eos, quos huius uitæ illecebris demulcere non poterat, ſaltem in pecca tum, falſa credulitate pelliceret. Vnde uaria uolumina, quæ apoſtolico titulo ac nomine fucauerat, & uariis auctoritatibus, titulis in ſpeciem credibilia reddiderat, ingenti ſpiritus ſagacitate eluſerunt, iis tantum receptis, quæ ſancto Spiritu, quem receperant, de *Diſt. 15. c. Sancta.* libata uidebanr. Legimus ſub nominibus Thomæ, Barnabæ, Thadæi, Bartholomæi, Andreæ etc. uulgata illo ſæculo fuiſſe Euangelia; nec tamen à maioribus noſtris recepta. Legimus apoſtolicorum geſtorum hiſtorias ſub nomine Petri, Andreæ, Philippi, & Thomæ; ſolam tamen eam auctoritatis uidemus accepiſſe uigorem, quam Lucas ſcribit: ſicut, tantùm ea Euangelia approbauere, quæ Matthæus, Ioannes, Marcus, & Lucas condidere. Quare? An non dignitate & apoſtolico faſtigio ſublimes erant, Andreas, Bartholomæus, & Barnabas, cùm contrà Lucas & Marcus Pauli & Petri tantùm eſſent diſcipuli? Quòniam ſcilicet ueri indices rerum, & non dignitatum, non tam perſonam aut titulos, quàm ſancti Spiritus afflatum in ſcriptura quærebant, diſcernebant ſagaciſſimi uiri ingenti ſolertia, ſpiritus utrùm ex Deo eſſent, & quaſi lapidi Lydio, ſancto ſpiritui, quem intus illapſum ſuſceperant, ſcripta affricantes, & allidentes, aureo plerumque fuco detrito, plumbea ferrea, aut lignea offendebant. Eandemque diligentiam, *1. Corin. 3.* in ueteri in illo populo Deo pro nobis ita faciente, erga diuina uolumina uidere licebit: neque enim cuncta receperunt in canonem, ſed tantum illa, quæ ad Euangelicum negotium faciebant, ſpiritu ſancto intus adhortante, aut certè cogente, ſacroſancta fe- *3. De ciuit. c. 41.* cerunt. Gens illa, inquit Auguſtinus, populus ille, ciuitas illa, illa reſpublica, illi Iſraelitæ, quibus credita ſunt eloquia Dei, nullo modo Pſeudoprophetas, cum ueris prophetis, pari licentia confuderunt, ſed concordes inter ſe, atque in nullo diſſentientes,

ſacrarum

ſacrarum literarum ueraces,ab eis agnoſcebantur, & cognoſcebantur auctores. Hæc ille.
Iam, te quæſo, ubi aut quando, apud gentes, eius doctrinæ, quæ ad religionem ſpe-
ctabat, tam exactam diſquiſitionem fieri uidiſti? Plato ſecundo & decimo de republica
libro, de Heſiodi & Homeri nugis, quòd magnopere nocuerint reipublicæ, multum
conqueritur: idque fecerunt apud eos prudentiſsimi quique, quanquam contrà, Ho- *Geograph. lib. 1.*
merum Strabo defendat. Neq; tamē reipublicæ magiſtratus, magnopere laborarūt, ut re-
cta de Diis, mortales ſenrirent. conrrà noſtri, nihil habuerunt prius, quàm ſcripta, quæ
ad religionem pertinebant, ad ſanctæ ſcripturæ & cœleſtis oraculi menſuram exigere.
Itaque, ut ſemel dicamus, ita nobiſcum quoties fidei tentatione uexamur, argumen-
tari licebit, Aut ulli eſt in re contingenti, & quæ non eſt naturali neceſsitate conſpicua, *Scotus in 2. q. prolog.*
credendum; aut in rebus huiuſmodi tantùm ſunt quæ uidemus, credenda. ſecundum
ſtultum eſt. neque enim iam Romam aut locum alium, in quo non fuiſti, aut quem non
uidiſti crederes eſſe, immo neque hunc eſſe ruum patrem aut hanc eſſe tuam matrem,
quoniam neutrum te generantem uidiſti, quæ res omnino humanam rationem uiuendi
peſſundaret. Si ergo alicui de ea re, quam non uidimus credere oportet, poriſsimùm er-
go toti reipublicæ, cuius ſumus partes quædam, fides eſt adhibenda, maximè Chriſtia-
næ. noſtræ inquam, ideſt, quam noſtri parentes fide ſuſcepta genuerunt, quæ inrer omnes
mortales, tanta morū honeſtate, ac diſciplina, & tanto ueritaris ſtudio, ſemper enituit.

Quòd euangelicorum dogmatum rationabilitas magno ſit argumento, Chriſtianam & Eccleſiaſticam fidem ueram eſſe. Cap. V.

QVinto loco, magnopere fidei languorem exterminat, alta earum rerum aut
dogmatum, quæ docet euangelica fides expenſio. qui enim fidei noſtræ
ſingula myſteria, digna conſideratione perpenderet, & aliarum religionū
errores profunda cogitatione libraret, nihil illa rationabilius, nihil his
contrà, magis irrationabile aduerteret. atque hæc eſt uera illa totieſque
apud patres commendata contemplatio, qua fides in animo miro quodam
modo pingueſcit, & altas radices agens, turbine tentationū non quatitur. Duo potiſ- *A duobus, omnis recta cognitio tū theorica tum practica deriuatur.*
ſima ſunt in humana ſapientia, in quibus humanæ uitæ cardo conuertirur, alrerum quale
fuerit huius, quem cernimus mundi principium, alterum, an poſt eam, qua dum uiui-
mus fruimur uitam, alia uita ſuperſit, ab illius recto ſenſu prouidentia cognoſcitur, ab
huius uera cognitione, religio deriuatur, ab utriuſque ſimul uera notitia, honeſti mores
& recta uitæ inſtitutio. Qui enim genitum mundum exiſtimat conſequentia rationis,
ut inquit Philo, Prouidentiam ſtatuit: qui prouidentia, res humanas geri ſibi ſuadet, *Lib. de monarchia.*
facile ad numinis uoluntatem uitam componit. Qui poſt eam qua fruitur, aliam ſuper
eſſe uitam exiſtimat, in qua ſit malefactorum & benefactorum reddenda ratio, qui re-
ctas actiones, præmia, contrà, prauas, credit manere ſupplicia, ſtultus erit, niſi rectè
uixerit & tum cum ciuibus, tum ſecum uirtutem coërceat. Contrà, qui mundum æter-
num, & ingenitum credit, nullam artificis curam, ſuper eum uigilare concedet. Quid
enim Deo cum mundo, ſi non eſt eius factura? Atque adeo omnes illi mundi ſapientes,
qui ab Orbe prouidentiam excluſerunt, non ab uno artifice, ſed ex atomis aut alia ra-
tione mundum temerario concurſu coagmentatum, dixerunt. Qui prouidentiam non
credit, qua ratione rectè uitam inſtituet, cum benefactorum & malefactorum unam cre
dat eſſe menſuram? Rarum eſt profectò, ſolo honeſtatis amore uirtutem excolere, &
ſemper apud eos, qui prouidentiam crediderunt, honeſtiſsimos mores. contrà uerò
apud illos, quos temerarij regiminis inuaſit opinio, peſsimos & corruptiſsimos obſer-
uauimus. Magnum eſt ſibi hominē perſuadere, quòd agat coram oculis cuncta cernen- *Seneca lib. de pro. Boethius lib. 5. conſol.*
tis, neque, quantum attinet ad humanas actiones, quippiam intereſt, inter eos, qui
nullam colunt religionem, & eos, qui colunt, quidem, ſed res humanas nulla prouiden
tia gubernari exiſtimant. Nā & hoſce diuinæ uindictæ terrore nō compeſci propheta do-
cet, dum inquit, Vſquequo peccatores domine, uſquequo peccatores gloriabuntur, ef- *Pſal. 93.*
fabuntur & loquentur iniquitatem, omnes qui operantur iniuſtitiam? Populum tuum
domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam uexauerunt: Viduam, & aduenam inter-

fecerunt, & pupillos occiderunt, Et unde mala hæc orirentur oſtendens, Et dixerunt (inquit) non uidebit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Hæc duo humanæ ſapientiæ principia, chriſtiana philoſophia in primis ſtatuit: docens non tantùm mundum genitum fuiſſe, ut Plato & cæteri Græci, uno excepto Ariſtotele, docent, ſed & certa temporis conditione à Deo productum, & his quas in ſe continet creaturis ornatum. De immortalitate animorũ & al a uira, nõ quæ Græcorum quidam futili ac ciuili ratiocinio docuerunt, ſed quæ cùm diuinitus ſint reuelata, cum ipſa quoque ratione ſint coniunctiſſima, ſuggerit. Tale eſt quod docet Deum omnium rerum à ſe conditarum, ſecundum ipſarum rationem eſſe ultimum finem, ac proinde ſupremam hominis fœlicitatem in aperta diuinitatis appræhenſione conſtitui, cum animæ ratio ſit ſpiritualis, & ad diuinã uiſionem & fruitionem idonea. Tale eſt, quod Deum unicum eſſentia, trinum uerò perſonis fatetur, quod & nobiles olim philoſophos olfeciſſe docemur. Tale eſt & ſanctũ incarnationis myſterium, quod cùm diuinæ naturæ non deroget, maximè diuinam, in nos dilectionem commendat. Talia ſunt & diuina ſacramenta, quibus quaſi ſpiritualibus pharmacis, rectiſsimo ac ſapientiſsimo quodam ordine, à peccatis purgamur: Baptiſmo abluimur, Confirmatione, ſpiritus incrementa ſuſcipimus, Euchariſtia reficimur, Pœnitentia, reparamur, Matrimonio corporaliter, Ordine ſpiritualiter multiplicamur & gignimur, Extrema unctione, quaſi cum morte & aëris poteſtatibus, in extremo hiatu, ubi magnum eſt ſpiritalis uitæ diſcrimen, luctaturi, perungimur. Vitæ inſtituendæ dogmata, nulla reſpublica, neque breuiora neque lucidiora, neq; rationabiliora
Matth.23. habuit. Hæc ſunt ſub breuiſsima epitome, Deum diligere, & proximum, ſicut nos
Matth.7. metipſos. Aut apertius, Non facere quicquam proximo, quod nobis fieri nollemus. Talia ſunt demum, &c. quæcunque in chriſtiana republica & religione particularia continentur præcepta. neque enim eſt ullum, quod non ſummè cum ratione cohæreat; in
2.De ciuit. quo oſtendendo non infœliciter laborarunt eccleſiaſtici uiri. Nihil, ait Auguſtinus,
c.28. turpe, ac flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, ubi ueri Dei præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur, in quibus tota ſancta ſcriptura & euangelica fides expenditur.

Contra uerò, in his duobus ac reliquis, quæ his annectuntur præceptis, ſiue quæ ad mentem informandam, ſiue quæ ad humanam uitam rectè inſtituendam ſpectant, turpiſsimos in cæteris rebus publicis & religionibus, errores depræhendere liceat. Idololatræ magnos greges Deorum, contra omnem rationem religionis conſtituunt. Nam, ut omittamus illos, quorum apud omnes gentes erat celebre nomen, Iouem, Iunonem, Neptunum, Plutonem, Veſtam, Proſerpinam, Apollinem, Mercurium, Palladem, Mineruam, Venerem, Thetim, Martem, Herculem, Cererem, Bacchum, &c. qui dij maiores appellabantur; quantum erat plebeiorum Deorum agmen apud Romanos? adeo ut nihil propè inueniretur in officiis mortalium, quin ad aliquod numen retulerint. In his erat, in humanæ uitæ educatione, Fabulinus, Vagitanus, Pilunnus, Picunus, Cunina, Leuana, Rumina, Edulica, Potina, Carna, Starilinus, & Statanus, quòd eo tẽpore, ut inquit Marcus Varro, pueris præſideant, cùm ſtandi & conſiſtendi, poteſtatem habent, Fabulinus, & Vagitinus, cùm fandi ac uagiendi foret auſpicium, Cunina, cunis præſidebat Rumina, quæ exſugentibus opem ferret, Edulica, atque Potina, quòd eſcam atque potiones exhibeant, Carna, quòd iam adulta ætate humanis utilitatibus prouideret, cui ſacrum apud Cælium montem Romani fecerunt. Ad hominum officia Adeona, Albeona, Volumna, Volumnus, Vacuna, Feſſonia, propter uacantes & feſſos, Pellonia ad pellendos hoſtes, Agenoream, Strenuam, Stimulam, quod ad agendum, ſtimulos adderet. Numeriam, ad numeros. Quietam, & Mureidam propter quietem, & deſidiam, cuius erat apud Auentinum celebre templum. Morbis etiam numina conſecrabant, in quibus erat Febris, cuius ædes in Palatio collocabatur, præter hanc Orbona, Proſa, Poſtuerta, quibus templa conſtituerunt. Sentiam, ſententiis dicendis ſicut Conſum, conſiliis præfecerunt. Viruinus & Sentinus, ad uitam & ſenſus. In coniugiis quoque, menſtruis, partui, & funeribus, Deos præfecerunt, in his erat Syluanus, Deuerra, Inrercido, Domiducus, quod domum duceret, Domitius, Manturna, Virginenſis, Subigus, Prema, Partunda, Populonia, Mena, Telumon, Ruſo, Orcus, quem etiam Quietalem dixere, Nænia, cuius templum erat extra portam Viminalem.

Ad

Ad frumenta & ſegetes, Segetia, Seia, Tutulina, Proſerpina, Nodina, Velutina, Patelena, Hoſtilina, Flora, Lactucina, Matura, Runcina, Rubigus, Auerruncus, Spinenſis, Segetia, quæ in ipſa ſatione, ſementi recondita ferret opem. Proſerpina germinantibus, Nodina geniculis opitulabatur, Volutina cùm ſpicæ iam proditura herbaceo cõtinentur inuolucro, Patelena cum paterent ſpicæ, earum ſuſpiciebat tutelam. Hoſtilina cùm ſegetes nouis ariſtis coæquantur, quoniam ueteres hoſtire, & hoſtimentum pro. exæquatione dicebant, Flora, Lactucina, Matura, quòd floribus, lactentibus, matureſcentibus eſſent præſidio, Tutulina, collectis ac inhorreo reconditis præerat. Rubigus uel ut natis frugibus, ut Gellius docet, præſidio foret, uel ne ut alij uolunt, in horreo iam condita contraherent grana rubiginem, uetabat. Ad hos etiam pertinebat Auerruncus, ne auetruncari ulla tempeſtate, aut turbine ſegetes poſſent. Colebãt Runcinam, ad runcationes, Spinenſem propter ſpinas, & uepres, Pomonam, propter poma, quam magna religione coluerunt, unde Pomonales Flamines, & ſacra in pontificum commẽtariis tradita: Fructeſam propter fructus; Aeſculanum & Argentinum propter æs & argentum. Quæritur Auguſtinus, & meritò, cur non propter aurum omnium metallorũ potiſsimum, Aurinum adiecerint. Ad agros, & latifundia, Rurinam deam ruri tribuerunt. Collinam præfecerunt collibus Valloniam uallibus, Iugatinum montium iugis, Forulum foribus, Cardani cardinibus, Limentium liminibus, Terminum terminis, unde terminalia ſacra, in pontificum feſtis relata. Panem paſtoribus, Empiadã Paganis, Arculum arcis & capſulis, Lauernam furibus, Fornacem fornacibus, unde fornacalia ſacra, farris torrendi gratia colebant. Præterea Nundinam, Tanagram, Allocutinm, Anteuortam, Matutam, quæ & Leuchotea dicebatur. Lartendam, Monetam, Februm, Furinam, Fidium, Larentiam, Mutinam, Alburnum, Innuum, ſeu Panem, cum ſua Canna. Maieſtatem, Cloaciniam, quæ cloacis præerat. Veniliam, Maniam, Opem, Vertunnum, qui Hetruriæ Deus exiſtimabatur. Proſeqnebantur etiam diuinis honoribus honeſtiores illos, quos humanis affectibus conſecrarant, deos, mentem, uirtutem, honorem, fidem, uictoriam, pietatem, concordiam, metum, ſpem, pallorem, & reliquam Romanorum Deorum colluuionem, in qua ut ſcitè, inquit Arnobius, agnoſcebantur urbani, ruſtici, militares, agreſtes, patricij, opifices, funerarij, coniugales, deſidioſi, ac frumentarij, quos uniuerſos ennmerauit Varro in libris de rebus diuinis ad C. Cæſarem, quos ingenti ſanna notarunt Auguſtinus, Lactantius, Tertullianus, Arnobius, Athanaſius, &c. Quòd ſi inter hos quidam, princeps quoddam numen ſtatuant, non tamen ab eo creatum hunc mundum, ſed à Diis illis minoribus inani ratiocinio deblacterant in eoſque, hominis creationem reieciunt, qua uel ſola ratione, nec eſſent audiendi, ut pote qui, indignißimè de hominis natura ſentirent. Indæorum uniuerſæ ceremoniæ, niſi qua ratione Chriſtum aut Euangelicæ fidei myſteria, præſignabant, præter hoc, quod erant intolerabiles, profectò reliquis mortalibus; qui earundem intus deliteſcentia myſteria neſciebant, riſum mouerunt, Sarracenorum ſpurciſsima ſecta, præter quædam, quæ ex euangelio & Moſe furata eſt, nihil non habetim mundum, nihil non turpe, præcedentibus ſæculis, omnium mortalium iudicio ac ſapientia damnatum, Hæretici uniuerſi, nihil niſi deliria, quæ uel Deo repugnarent, uel eſſent indecentiſsima, induxerunt. Præter hoc, quod aperto ſanctæ ſcripturæ, & uniuerſalis eccleſiæ teſtimonio, damnantur. Plures eorum duo principia, alterum malum alterum bonum, contra omnem philoſophandi rationem, conſtituunt. Quidam adulteria, quidam promiſcuas ueneres, contra omnem honeſtatem docent. Quidam duplicem in Chriſto naturam, diuinam & humanam, quod tamen natura non patitur, in unam tertiam commiſcent. Sed non eſt opus uniuerſa eorum, quod poſtea auctore Deo facturi ſumus, deliramenta retexere, ſatis eſt hæreticorum aduertiſſe diſsidia. neque enim in tanta dogmatum repugnantia, uerum quis ſe reperturum ſperet.

Arnob. li. 4 con. gen.

Plato. in Tim.

Iam ſi poſt Ethnicorum reſpublicas publicoſq; errores, ſuorum ſapientum dogmata ſcrutari libeat, & ea cum noſtræ religionis placitis conferre uelis, apertius deprahendes quantum utraque interſit. Platonem illum diuinioris philoſophiæ patrem, promiſcuam libidinem, ideſt uxorum communicationem, induxiſſe, cum maxima naturæ iniuria, nemo eſt qni non nouerit. Idem etiam quanquàm dialogo octauo de legib. infamiæ etiam pœna conſtituta, maſculam uenerem à republica excluſerit, de eadem dogmate

in Timæo.

In ſympoſio & dialog.3. de legib.

mate non nihil ſuſpectus uidetur. commendat enim puerorum amores, non tam, ut quidam non ſine ſolidis rationibus putarunt, quod id ad reipublicæ commoda attinere arbitraretur, quàm ut ſuos, quos antea diximus, maſculos amores, philoſophiæ pallio occuleret. Quorum ſententiæ, earum rationum profectò imbecilitas, quas in hoc inducit, quæ meo iudicio apertè produnt ſe, non tam ab intellectus Platonici acumine, quàm à corrupto uoluntatis affectu, deriuari, luculenter applaudit. Quod enim Plato ideo uelit puerorum amores in republica permittendos, quòd Harmodij & Ariſtogitonis amor Hypparchum ryrannum regno ſpoliauerit, debile uidetur, nam quod aliquando caſu utile eſt, tanquam utile propter ſe ſit (ut rectè docet Ariſtoriles) ſumi non debet. Neq; uerò grauiſsima peccata perpetranda recta ratio docet, ne alia quæ forſan quantumcunq; grauia, minora tamen eranr quàm ut cum eo horrendo ſcelere conferrentur irruerent. Deinde quãquã forſan amari potuiſſet incorrupra illa animi puerilis pulchritudo, & futurarum uirtutum indoles: ut ille contendir, difficile tamen eſt (quidquid Plaronis aduocati deblacterent) eam amoris puritatem & ſinceritatem in progreſſu, præſertim cum tanta licentia, quantam Plato indulgebat amatoribus, conſeruare, & non potius ad corporis decorem, qui ſenſibus deprehenditur quàm ad animi pulchritudinem, quæ non uidetur, & quæ plerũq; non tanta eſt quanta corporis, deſiderium declinare. Itaq; non minus eleganter quàm facetè Lucianus Samoſaten Platonicas & aliorum quorundã philoſophaſtorum impudicas ratiunculas his uerbis contriuiſſe uidetur, Cur, inquit, ſi animorum pulchritudinem diligunt, deformes pueros, ſimos & exoletos, iuſtos tamen moribus & prudentes non diligunt? cur ſenes, qui canos uirtutis teſtes habuere, non amarunt, aut amandos docuerunt? Quin nec modò puerarios amores probaſſe Platonem, ſed etiam puerorum oſcula, eorum, qui pro patria egregiè decertaſſent, quaſi uirtutis præmia, conceſsiſſe, eius ſcripta teſtantur. Atque inquit (de eo qui ſtrenuè ſe in militia geſsiſſet loquens) huic legi addondum exiſtimo, ut quo ad in ea expeditione fuerint, nemini renuere liceat, quemcunque oſculari ipſe deſiderauerit, ut ſiquis alicuius amore captus fuerit uel maris uel fœmine, acrior ſit ad uictoriam conſequendam. Quo loco profectò Plato (ut Plurarchus neſcio quo pacto literis prodidit) oſculi locum frontem nõ aſsignarit; nulla enim hîc frontis ſit mentio. Sed de hac re multa noſter Hieronymus Magius Anglarenſis in libris illis quorum antea meminimus.

2. rhetori. c.44.

Beſſarion. in apolog. Plato.

Marſilius Ficinus in ſympo.

In dialo. 5. de republ.

Lib. de educan. puer.

Hieronymus Magius.

Et ut ut Plato, hoc dogmate non fuerit infamis, certò ſcimus Xenophontem Socratis quoque diſcipulum, neque apud Græcos, minoris nominis quàm Platonem, maſculam uenerem inter cætera philoſophiæ documenta, cuius quoque celeberrimus magiſter habebatur, comprobaſſe. Ariſtoteles deinde ille, quem unum ab omnibus philoſophiæ fontem appellari uideo, maſculæ ueneri aut applauſiſſe, aut cõniuiſſe à quibuſdam exiſtimatur. Nam cum de Cretenſi repub. & eius inſtitutore loqueretur, Multa inquit, & legislator ſapienter & ſtudioſè conſtituit, de mulierum diuortiis, ſi quidem ne ſuperfluam parerent multitudinem proſpexit, alio introducto uſu. Quibus uerbis ſunt, qui eundem ſodomiticam immaniratem probaſſe crediderint. Quam ſententiam non nihil fouent eius quos ſuperius diximus in Phaſelitam diſcipulum amores. Illud tamen apud Athenæum perſpicuum eſt, Hieronymum Peripateticum, marium amores ea ratione celebraſſe, quòd eorum cauſa multæ tyrannides è medio ſublatæ fuerint. Diogenes Cynicus quanta fuerit impudentia, ipſum nomen oſtendit. Theodori Cyrenaici ſunt illa ſacrilega ac ſcelerata præcepta, Furto, adulterio, ſacrilegio, cum tempeſtiuum fuerit dabit operam ſapiens, nihil quippe horum turpe narura eſt, ſed ſi auferatur ex iis, quæ ſtultorum imperitorumque plebecula conflata eſt uulgaris opinio, ſapiens publicè abſq; rubore ſcorto congredietur. Iã hæc uiuendi præcepta, obſecro cum illa apoſtolica Parænesi confer. Chariſsimi, obſecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere uos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem ueſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de uobis, ex bonis operibus uos conſiderantes, glorificent Deum, in diem uiſitationis, &c. aut cum illa, Vos autem fratres curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide ueſtra, uirtutem, in uirtute autẽ ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinẽtia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem, aut cum illa, Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus

2. politic. ca.8.

S. Thom.

Athe. li.17.

Athe. li.13. c.23.

1. Petr.2.

2. Petr.1.

Tit.2.

nibus erudiens, nos ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè uiuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni DEI, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Confer, inquam, cum uniuerſa prophetica euangelica, Apoſtolica & Eccleſiaſtica doctrina, & uidebis ſicut illa, ab humano, ita hanc non niſi à diuino ſpiritu potuiſſe deriuari, ſed de his ſatis.

De Euangelicæ fidei ac Religionis conſtantia & ſtabilitate. Cap. VI.

SExto loco, uehementer eſt homini meditanda Chriſtianæ religionis ac Eccleſiaſticæ fidei ſtabilitas & conſtantia, non enim fruſtrà dictum extat à Gamaliele in Apoſtolica hiſtoria, cum ad noſtræ religionis interitum cuncti infeſtiſsimis animis conuenirent, Si ex hominibus conſilium hoc eſt, aut opus, diſſoluetur; ſi uerò ex Deo, non poteritis illud diſſoluere, quaſi nulla uiuendi ratio, nullaq; humanæ inuentionis religio præſertim inter aduerſarias poteſtates, niſi Deo auctore, poſsit conſiſtere. In quã ſententiã & illud Chriſti dictũ eſt accipiendum, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur, quòd nimirũ omnis humana cogitatio & inuentio, cœleſtis agricolæ cura deſtituta, marceſcat, & ſole deinde perſecutionis exuſta, langueſcat, & tandẽ intereat. Atque hoc præter ueterum hiſtoriarum monumenta, quæ gentium acta deſcribunt, idem uir ſapiens ex ſua republica productis exemplis, manifeſtè demonſtrat, Viri (inquit) Iſraëlitæ, attendite uobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis, ante hos enim dies extitit Theudas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus uirorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt, & omnes qui credebant ei, diſsipati ſunt & redacti ad nihilum. Poſt hunc extitit Iudas Galilæus in diebus profeſsionis, & auertit populum poſt ſe, & ipſe periit & omnes quotquot conſenſerunt ei diſperſi ſunt. Videmus quaſcũque rationes uiuendi humanitus excogitatas, apud eas reſpublicas, quas omnium prudentiſsimas coluit antiquitas, funditus corruiſſe, nec ullum earum ſupereſſe ueſtigium; Vbi enim nũc ſunt Sicionij? ubi Aſſyrij? ubi Lacedæmonij? ubi Athenienſes ubi Macedones? ubi Carthago? ubi gentiũ illa domitrix Romana reſpublica? in quibus ſtruendis tota humana prudentia uidetur expenſa? Perierunt profectò, quoniam nõ diuino ſed humano conſilio conſtiterant, ac proinde tantum humanæ ſapientiæ fouerentur auxilio. Habet autem ſuas humana prudentia periodos, uerbum autem domini manet in æternum. Videas florentiſsimas & ſolidiſsimas quaſque reſpublicas, uel externis bellis, uel ſeditionibus internis abolitas, cum tamen contrà, nulla perſecutionum tempeſtas, nullus tentationis turbo nulla calamitatum procella, eccleſiaſticam fidem & religionem demerſerit. non Tyranni, non publicæ infamiæ, non carceres, non proſcriptiones, non ludibria, non fames, non ſitis, non equulei, non pectines ferrei, non illecebræ, non concupiſcentiæ, non hæreſes, non uaria mortis genera, nouam iſtam religionem ſurgentem potuerunt opprimere; ſed quantò uehementius diabolicæ & mundanæ tentationes ingraueſcebant, tantò magis nouo germine pullulabat Eccleſia. nimirum, quòd eſſet fundata ſupra firmam petram, atque adeò inferorum portæ aduerſus eam præualere non poſſent, Ego, inquit Hieronymus, portas inferi uitia reor atque peccata, uel certè, hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Et Rabanus, Portæ quoque inferi, & tormenta & blandimenta ſunt perſecutorum, ſed & praua infidelium opera ineptaque colloquia, portæ ſunt inferi, quia iter perditionis oſtendunt. ſpiritales quoque nequitiæ, Origene auctore, inferi portæ dicuntur. Portæ itaque inferorum tres illi ualidiſsimi humani generis hoſtes, dicuntur, Mundus, Caro, Diabolus, de quibus omnibus, cum adhuc eſſet paruula, nec ubera propter ætatis infantiam haberet Eccleſia, glorioſè triumphauit. Habebat diabolus uarias nocendi formas, habebat & mundus Phariſæorum auctoritatem, ſacerdotum dignitatum, habebat Reges, habebat armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, uirgas, ſecures, equuleos, exilia, mortes, & quidquid terrorem conſtantibus animis ſolet incutere. Habebat

[Margin notes: Act. 5. — Matth. 15. — Iſai. 40. — Matth. 16. — Cant. 8.]

N cato

cato ex aduerſò, uoluptates, honores, dignitates, & quicquid animos, quamlibet in corruptos ſolet emollire, nec tamen ſanctæ huius chriſtianæ reipublicæ ſoliditatem, potuerunt peruertere, quin inter ipſas tentationum & perſecutionum procellas, in immenſum increuerit. Portæ inferi, ſunt diaboli fraudes, machinæ, munitiones, artes, robur, minæ, mundi ſapientia, potentia, diuitiæ, &c. quorum potentiſsimos impetus continuo ſæculorum decurſu, tolerauit Eccleſia, Quare hoc? nimirum quòd eſſet firmamentum & columna ueritatis immobilis, non humano artificio, ſed prorſus diuino erecta, quòd eſſet cœleſtis illa domus, quam diuina ſapientia, non humana prudentia, excîſis, quo firmior eſſet, ſeptem columnis, ſibi conſtruxit. Sapientis domus, inquit Hieronymus, Eccleſia Chriſti eſt, ex lapidibus uiuis, hoc eſt ſanctis, in tabernaculum ſibi conſtructa; columnæ, autem, eccleſiæ ſanctæ doctores, ſeptiformi ſpiritu pleni, quales fuere Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui apoſtolico teſtimonio, columnæ uocantur. Aut (quod ego magis iudico) ſeptem columnæ, ſeptiformis ipſe ſpiritus dicitur, quo, ut narrant apoſtolicæ hiſtoriæ, ſancta Chriſti eccleſia firmamentum accepit; ſpiritus nimirum ſapientiæ, ſpiritus intellectus, ſpiritus conſilij, ſpiritus fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, ſpiritus pietatis, & ſpiritus timoris domini, quibus quaſi ſolidiſsimis ſeptem columnis Eccleſiaſticum ædificium innixum, diabolico impetu ſæuiente, non corruit. hoc eſt illud cœleſte profectò ædificium, cuius fundamenta, non in carnalis illecebræ cœno, non in arena humanæ ſapientiæ, ſed in montibus ſanctis, & ſolida petra, id eſt diuino ſermone iacta ſunt, atque adeo, quanuis pluuia deſcenderit, aut flumina intumuerint & flauerint uenti; & in eum irruerint, hoc eſt, impetus perſecutionum, & carnalium uoluptatum ingruerint, non tamen euertetur. Contrà uerò ædificia, quæ non diuina, ſed humana ſapientia, quaſi fundamento conſurgunt, aut illecebræ pluuia molleſcunt, aut ambitionis torrente labaſcunt, aut uento perſecutionis funditus diuelluntur & corruunt. Aſsyrios Medus, Medos Perſicus, Perſas Græcus, duce Alexandro, Græcos Romanus deleuit exercitus: qui cum ſummum Orbis obtineret imperium, Gothis, Herulis, Vandalis, Hunnis, Longobardis, Arabibus, Thurcis, Alanis, Francis, rurſus Orbis ſummam inuitus conceſsit. In ſanctam uerò eccleſiam, quæ Ioan. Apoſt. cœleſti uiſione, ciuitas eſt in quadro fundata, quòd id genus figuræ, ſolidiores & firmiores habeantur, non Medi, non Perſæ, non Græci, non Rom. nõ Arabes, non Gothi, non Alani, non Vandali, non Hunni, non Iudæi tantùm, aut alterius gentis ſingularis exercitus, ſed uniuerſus Orbis, una animi conſpiratione, ſurrexit; nec tamen eandem, ſuo loco mouere potuerunt. Age iã, tecum conſidera, quæ earum rationum uiuendi, quas tantùm, humana prudentia conſtituit, eum torrentem perſecutionum, quẽ Eccleſia ſubſtinuit, inuicta pertulerit. An fuerunt aliquando atroces illæ pœnæ, in Spartanæ, Athenienſis, Carthagin. Romanæ, &c. religionis, aut reipublicæ (uoco autem rẽpublicam leges uiuendi) ſectatores ſtatutæ, quas adhuc tenera, tolerauit Eccleſia? Quæ harum, ſæua illa principum reſcripta, quæ à ſummis mundi principibus, contra Chriſtianos edebantur, quæ Domitius Iureconſ. ſub titulo de officio proconſulis, ſeptem libris digeſsit, ſubſtinuiſſet infracta? Quorum iuſsione, ut inquit Lactantius,

Funditur ater ubique cruor, crudelis ubique,
Luctus, ubique pauor & plurima mortis imago.

Et illæ quidem uiuendi rationes, unico hoſtili exercitu corruerunt, noſtra uerò religio, nec domeſtica, quæ grauior eſt quàm hoſtilis, dum pater filium, filius patrem, uxor uirum, uir uxorem, in mortem tradebat, perſecutio deleuit. Paucíſsimi breuíſsimo temporis ſpatio, Romani imperatores chriſtiani, uniuerſam idololatriam, Orbe excluſerunt, non quidem propoſitis pœnis, ſed Chriſtiana ratione uiuendi permiſſa. Contrà uerò, longiſsimis ſæculis; nec maximorum Imperatorum fauores, nec grauiſsima ſupplicia, nec ſæuæ leges, nec infamiæ notæ, nec certæ proſcriptiones, nec cætera id genus, quæ in Chriſtianos, quaſi in ſacrilegos exerceri ſolebant, chriſtianam religionem labefactarunt, ſed inter has perſecutiones, à Solis ortu (ut inquit Lactantius) uſque ad occaſum, lex diuina ſuſcepta eſt, & omnis ſexus, omnis ætas, & gens, & regio, unitis ac paribus animis, Chriſto ſeruiebant, eadem ubique patientia, eodem mortis contemptu, famulabantur. Præclarè itaque Iuſtinus Martyr cum Tryphone decertans & ex Chriſtiana dignitate dixiſſe uidetur, Quòd autem nos in IESVM credentes nemo terrere

aut

Marginal notes: 1. ad Thimo. 3. — Prouer. 9. — Galat. 2. — Iſa. 11. — Pſal. 86. — Matth. 7. — Apoca. 21. — Lact. lib. 5. diui. inſtit. — Matt. 13. — Lib. 5.

aut domare ualeat, apparet quotidie. Cum enim obtrumcemur, crucifigamur, abiiciamur beſtiis, & aliis tormentis tradamur, tamen à confeſsione non diſcedimus, ſed quanto magis in nos ſæuitur, tanto plures pietatem fidemque per nomen IESV profitentur, haud ſecus, quàm ſiquis uitem putatione prouocet ad ubertatem, nam uitis à Deo & Chriſto plantata, eſt eius populus. Hactenus Iuſtinus. Apud nooſtram Hiſpaniam, unica catholicorum Regum Ferdinandi & Iſabellæ, Sartacenorum & Iudæorum proſcriptio: ſine ullis tormentis, eoſdem auita uiuendi ratione abiurata, deleuit, ita ut poſt eam nemo aut Iudaicam aut Mahometicam ſuperſtitionem profiteri ſit auſus primi illi, contrà, inuitis Imperatoribus, inuitis magiſtratibus, inuitis procunſulibus, inuitis tribunis, Chriſtianos ſeſe profitebantur, nec ab hac profeſsione, ſenatuſconſulta, plebiſcita, Imperatorum reſcripta, magiſtratuum edicta, qnibus non ſolùm proſcriptio, ſed publicæ infamiæ, damnationes ad beſtias, bonorum publicationes, atrocia mortis ſupplicia continebantur, uiros, fœminas fragiles, ac teneras puellas, pueros, &c. quo minus Chriſtum publicè faterentur, potuerunt compeſcere. Nec minus nunc ſperandum eſt, quòd tot hæreſibus, tot ciuilibus bellis, tot infidelium perſecutionibus, Eccleſia laceſsita, inuicta permaneat: non enim eſt abbreuiata manus domini ut ſaluare nequeat, immo hæc eſt chriſtianæ uitæ ratio, ut ait Saluianus, ut inter ipſas perſecutiones, & hoſtilia bella, incrementum ſuſcipiat, inter proſpera uerò & ſecunda marceſcat. cuius uerba quia ſunt Apoſtolico zelo plenìſsima, ſunt hîc inſerenda, quibus ſic eccleſiam alloquitur, Abiit quippe egregia ac ſupereminens dudum primitiuæ tuæ plebis beatitudo, qua omnes Chriſtum agnoſcentes, caducas rerum mundialium facultates, in ſempiternas cœleſtium poſſeſsionum ſpes, conferebant, multantes ſe uſu præſentium, præclaram ſpem futurorum, immortales diuitias, præſenti paupertatis ambitu, ementes.

Saluianus Maſulien. epiſcopus in Timotheo.

Ecce qualis erat tempore perſecutionis ſtatus Eccleſiæ, qualis uerò chriſtianæ uitæ ſecuta ſit facies, tempore proſperitatis, ſubiungit. At nunc, pro his omnibus, auaritia, cupiditas, rapina, quæque his ſocia, & quaſi germana unitate coniuncta ſunt, inuidiæ, inimicitiæ, crudelitates, luxuriæ, impudicitiæ, proditiones, quia ſuperiora illa, iſtorum uſibus militant, ſuceſſere, ac ſic, neſcio quo modo, pugnante, contra temetipſam, tua fœlicitate, quantum tibi auctum eſt populorum, tantum penè uiciorum, quantum tibi copiæ acceſsit, tantum diſciplinæ receſsit. & proſperitas uenit quæſtuum cum magno fænore detrimentorum. Multiplicatis fidei populis, fides imminuta eſt, & creſcentibus filiis ſuis, mater ægrotat, factaque eſt eccleſia profectu fœcunditatis inferior, atque acceſſu relabens, & quaſi uiribus minus ualida. Hæc ille & alia plura in eandem ſententiã, quibus nõ tam eccleſiam perſecutorum tentationibus impulſionibusq; concuti, quam arridente fortuna & omnibus ex uoto ſuccedentibus afferri, ac labefactari demonſtrat. Tertulianus etiã ad Scapulam Carthaginẽſem præfectum, Nec tamẽ, inquit, hæc ſecta deficiet, quam, tunc magis ædificari ſcias, cùm cædi uidetur. hactenus Tertullia. Et ita certè eſt ut in quibus adoleuimus, his potiſsimè alamur, & ea nos potiſsimùm à languoribus uẽdicent. Adoleuit eccleſia, non in croceis, nõ in delitiis, non in honoribus, nõ in diuitiis, nõ in uoluptatibus, ſed in ſũma paupertate, in doloribus, in infamia, in cruciaribus, in his conſeruatur, in his pingueſcit, in his reficitur, cætera, quæ uel mundus, uel aſtuta fraude diabolus offert, quaſi ſibi inſuetos cibos reſpuit, nec illis delectatur, ſed potius marceſcit, quemadmodum illis pueris eueniſſe ſacra docet hiſtoria, qui cùm regio cibo, cui non erant aſſueti, aut quo propter religionem, uti nolebant, macreſcerent, ad conſueta legumina reducti, pingueſcebant. Ita de Chriſti Eccleſia ſperandum, ut potius inter tot domeſticas & hoſtiles perſecutiones, refloreat, quàm uirtute ſuperata labeſcat. Videmus uniuerſas hæreſes, cum ſuis auctoribus, in infernum detruſas, & uix ſola portentoſa inuentorum nomina apud nos remanſiſſe, ubi enim nunc Simon, Menander, Saturnius, Baſilides, Iſidorus, Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Valentinus, Secundus, Marcus, Aſcodrytæ, Archontici, Colobarſij, Barbeliotæ, Sethiani, Caiani, Antitactæ, Monimi, Hermogenes, Seuerus, Bandeſanes, Hierax, & cæteri illius prioris Eccleſiaſtici ſæculi, ſanctæ Eccleſiæ domeſtici hoſtes? ubi nunc illi, Hebion, Cerinthus, Artemon, Theodotus, Paulus Samoſatenus, Sabellius, Marcellus, Photinus; ubi magnates illi, qui Romanam quoque Monarchiam adiutricem habuiſſe leguntur, quorunq; uirus, & Orientem, & Occidentem peruaſiſſe legitur, Donatus, Arius, Eudoxus, Eu-

Tertul.

Daniel. 1.

nomius, Actius, Macedonius, Appollinaris, Neſtorius, Eutiches, &c. aut quotus
quiſque nunc quæ nam fuerunt iſtorum inſaniæ ſeſatis cognouiſſe iurabit? Extermi-
nati profectò ſunt, cum idolis ſuis, ideſt hæreticis ſententiis, quas idolorum loco co-
Baruch. 3. lebant, & ad infernum deſcenderunt, & quanuis alij loco eorum exurgant, ipſi quoque
peribunt, Eccleſia Chriſti permanebit. Deiecti ſunt dum alleuiarentur hæretici, facti
Pſal. 101. ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam, uelut ſo-
Pſal. 72. mnium ſurgentium imaginem ipſorũ in ciuitate ſua, quæ eſt ſancta Eccleſia, ad nihilum
redegit Dominus. Hoc uidimus & hoc uidemus (ait de ſuis conſortibus quidam eo-
Luthe. in 5. Pſal. rum) omnibus Hæreticis contigiſſe, nt primò quidem hominibus placuerint, ſed poſtea
Pſal. 13. diſsipata ſunt oſſa eorum ſecus infernum, confuſi ſunt quoniam Dominus ſpreuit eos.
& alibi. Quanuis (inquit) plantentur hæreſes & nõnihil floreant, tamen non ferunt
Luthe. in 3. c. Ione. fructum. Itaque ſanctæ Eccleſiæ ſingulari ſtabilitate perpenſa, non dubitemus eius Ec-
cleſiæ credere gremio, quæ uſque ad conſummationem generis humani ab Apoſtolica
Auguſt. ſede per ſucceſsiones Epiſcoporum fruſtrà infidelibus, & hæreticis circumlatrantibus,
& partim ipſius iudicio plebis, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculo-
rum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit.

Quòd Chriſtianæ religionis miracula eandem comprobent eſſe ue-ram. Cap. VII.

SEptimò, omninm maximè ſunt animo Chriſtiano uerſanda diuina mira-
cula, quæ ſingulari prouidentia, in Chriſtianæ Religionis atteſtationem,
Heb. 2. ſunt edita, Q uo enim negligemus ſalutem, quæ cùm initium accepiſſet
enarrandi per Dominũ, ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt conte
ſtante Deo ſignis & portentis, & uariis uirtutibus & ſpiritus ſancti diſtri-
2. Corin. 2. butionibus? Signa inquit, idem, Apoſtolus Paulus ad Corinthios ſcri-
bens, apoſtolatus mei, facta ſnnt apud uos, in omni patienria, & ſignis, & prodigiis,
& uirtutibus, quaſi hac parte cæteris Apoſtolicis uiris, quos Euangelium & cœleſtem do
ctrinam prædicaſſe cõſtabat, ſe non eſſe inferiorem oſtenderet. Chriſtus etiam, cum cœ
leſtia illa Paradoxa, quæ mundo incredibilia uidebantur, denunciaret hominibus, non
alio, qnàm ad opera, quæ in eorum atteſtationem fuerunt cœlitus patrata, remittit, Si
mihi, inquit, non uultis credere, operibus credite, ut agnoſcatis & credatis, quia Pa-
ter in me eſt, & ego in patre. & alibi ad Apoſtolos de patre quærentes, Non creditis,
Ioan. 10. Ioan. 14. inquit, quia ego in patre & pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite. Iudaicæ
etiam incredulitatis excuſationem ſubmouens, Si opera, inquit, non feciſſem, in eis quæ
Ioan. 15. nemo alius fecit, peccatum non haberent, quaſi cœleſtia prodigia, quæ in prædicario-
nis excurſu, ſupra ipſam naturam, diuino quodam imperio patrarat, Euangelio ſuſci-
piendo, ſat eſſent: nec immeritò quidem, cùm nihil ſit in rebus humanis compertius,
quàm naturæ ordinem ſemel ſtatutũ, à nullo alio quàm à Deo poſſe peruerti, qui ita na-
turam diſpoſuiſſe credendus eſt, ut cùm uelit, eandem poſsit, pro uoluntate mutare.
Itaque, hanc per miracula & prodigia, ſuadendi rationem, quaſi mortalibus magis fa-
miliarem, & propriam diuina elegiſſe prouidentia uidetur, quòd ea uberiores fructus ex
euangelica prædicatione ſe meſſuram ſperaret. Vnde eiuſdem euangelicæ prædicationis
initio, hac ſola miraculorum potentia, & ſancta quadam ſimplicitate, non item mundi
ſapientia, & eloquentia inſtructos euangelicos prædicatores, orbem uniuerſnm expu-
Math. 10. gnaturos emiſit, Ecce, ego, inquit, mitto uos ſicut oues in medio Luporum, nolite por
tare ſacculum, neque peram, & neminem per uiam ſalutaueritis, &c. quibus uerbis, uni-
uerſum, humanæ opitulationis auxilium, excluſit. Vt autem propria fidei ab homini-
bus eliciendæ inſtrumenta oſtenderet, poſt iſta ſubiungit, Ecce dedi uobis poteſtatem
calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem uirtutem inimici, & nihil, uo-
bis nocebit. In ipſo præterea euangelici belli procinctu, Euntes, inquit, in mundum
Mar. 16. uniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. Ecce Orbis expugnandi mandatum,
quibus uerò telis in eo eſſet obtinendum imperium, ſubiungit, Eos autem, qui credi-
derint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſer-

pentes

pentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Quam dextrè uerò hoc genere teli corda peccatorum apoſtolicæ dextræ confecerint, ipſa docet apoſtolica hiſtoria, quæ ipſo primo euangelicæ expeditionis monumento, propter uarias linguas, quibus, cœleſti miraculo fuerant donati, tria millia animarum, ex eo populo, cui alioqui fuerant maximè inuiſi, apoſtolis *Act. 2.* addita fuiſſe, recenſet. Per manus etiam apoſtolorum, fiebant ſigna, & prodigia multa, in plebe. quis uerò fructus ex his ſequeretur, ſubiungitur, Magis autem augebatur credentium in domino multitudo uirorum ac mulierum, ita ut in plateas eiicerent infirmos, & *Act. 5.* ponerent in lectulis, ac grabatis, ut ueniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis. Quãtam etiam apud gentes eadem apoſtolica prædicatio, propter diuina miracula nacta ſit gratiam, eadem refert apoſtolica hiſtoria, Multò, inquit, tempore demorati ſunt fiducialiter agentes, domino teſtimonium perhibente uerbo gratiæ ſuæ dante ſigna & prodigia fieri, per manus eorum. Neque enim auitam gentium religionem demoliri, toto animi conatu niten- *Act. 14.* tes fiducialiter, uel uno momento egiſſent, niſi cœleſtibus miraculis, & diuinis operationibus, ſeſe uera docere comprobarent. Itaq; ingens eſt diuinorum miraculorum, uel primitus in fide generanda, uel poſt eius generationem, in eadem fouenda & reficienda, poteſtas, magnopere quam in religione firmatur animus, cum eam uidet, eius, qui ſolus potens eſt, in naturam, teſtimonio firmari.

Sed huic conſiderationi infidelium & prophanorum, hominum ſuccurrit obie- *Infidelium & atheorũ hominum obiectiones.* ctio, negantium, ulla in huius fidei plantatione fuiſſe miracula, quòd noſtris hiſtoricis fidem non adhibeant, & quæ gentium monumenta non referant, quaſi falſa ſupplodant; Sunt & alij qui quanuis Chriſtum hæc quæ narrantur prodigia, feciſſe non abnuant, negant tamen, illa opera diuinitatem arguere, quòd ſimilia apud gentium hiſtorias extitiſſe legantur. aut quòd ſecretiori quadam magia, ſint edita. aut demum quòd naturæ quodam temperamento, in cæteras corporeas creaturas, Chriſtus obtinuerit Imperium. In quos, cùm Euangelicæ fidei propugnatores multa loquantur, nos pauca dicemus, *Eliduntur prophanorum obiectiones.* ſed quæ ſufficiant ad eorum detegenda deliria. Ita in priores Auguſtinus inuehitur. At dicet aliquis, iſta falſa eſſe miracula, nec fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta. Quiſquis hoc dicit, ſi de his rebus negat omnino ullis literis eſſe credendum, poteſt etiam *10. De ciui. ca. 8.* dicere, nec Deos ullos curare mortalia; non enim, ſe aliter colendos eſſe perſuaſerunt, niſi mirabilibus operum effectibus, quorum & hiſtoria gentium teſtis eſt, quorum dij ſe oſtentare mirabiles potius quàm utiles oſtendere potuerunt. Et ſubinde, Porrò autem, ſi multorum deorum cultores, qualeſcunque Deos ſuos eſſe arbitrentur, ab eis facta eſſe miracula, uel ciuilium rerum hiſtoriæ uel libris magicis, ſiue quod honeſtius putant, Theurgicis, credant, quid cauſæ eſt, cur illis uelint credere, iſta facta eſſe, quibus tanto maior debetur fides, quanto ſuper omnes eſt magnus, cui uni ſoli ſacrificandum præcipiunt. hactenus ille. Itaque ab iſtis hominibus licebit exquirere, an'ne quæ gentium libris continentur miracula, credant, qualia ſunt, quòd Nauius Augur, ad poſtulationem Sexti Tarquinij, cotem nouacula ſciderit, quòd Caſtor & Pollux, bello Latino apud lacum Laturnæ, equorum ſudorem abluentes ſint uiſi, cùm ædes eorum, quæ iuncta ponti erat, ſua ſponte patuiſſet, quòd iidem bello Macedonico, equis item albis inſidentes, Publio Vatinio Romam uenienti, ſeſe obtuliſſe dicantur, nunciantes, eo die Regem Macedonum Perſem, bello ſuperatum; quod paucis poſt diebus, literæ conſulis Pauli uerum fuiſſe nũciarunt; quòd ſimulachrum fortunæ muliebris, non ſemel locutum dicatur, quòd Iunonis Monetæ, cum captis Veiis, unus ex militibus ad eam transferendam miſſus, alea ludens, ac iocabundus inquireret utrum'ne Romam migrare uellet, ſe uelle reſpondiſſe, feratur; quòd claudia Romana, quæ impudica ſemper credita fuerat, nauim qua ex Sibyllinorum librorum imperio, Idæam matrem Romam portabat, in uado Tyberini fluminis hærentem, Deæ inuocato numine, ut ſi ſe caſtam iudicaret ſequeretur ſe, ſuo cingulo traxerit: quòd uirgo Veſtalis, de cuius corruptione quæſtio erat, aqua impleto cribro, abſtulerit controueſiam; quòd Aeſculapius Epidauro accitus, urbem Romam diuturna peſtilentia liberarit; quòd appius Claudius cenſor, cum aduerſus reſponſum, ad ſeruos ſacra Herculis tranſtuliſſet, ambobus luminibus fuerit orbatus; quòd Fuluius item cenſor, cùm ex Iunonis Laciniæ templo mar-

moreas tegulas abſtuliſſet, quibus ædem fortunæ equeſtris, quam Romæ fecerat, tegeret, & mente captus fuerit, & tandem in ſummo animi mœrore conſumptus, duos filios in Illyrico militantes amiſerit; quòd Turullius M. Antonij præfectus, cum apud Conſſ. euerſo Aeſculapij luco, claſſem feciſſet, eodem poſtea luco, à militibus Cæſaris, ſit interfectus: quòd Pyrrhus, qui ſublata ex theſauro Locrenſis Proſerpinæ pecunia, naufragium fecerit, ac uicinis Deæ littoribus fuerit illiſus, & nihil præter eam pecuniam, fuerit incolumæ. Quòd cũ ab Alexandro Mileſia ciuitas capta eſſet, ac milites Cereris ædẽ ſpoliandam irrupiſſent, omnium oculos, obiectus repente fulgor extinxerit; quòd cùm Auguſtus, bello ciuili Brutiano, implicitus morbo, abſtinere prælio ſtatuiſſet, medico eius Artorio, Mineruæ ſpecies obuerſata ſit, monens ne propter corporis imbecillitatem, Cæſar caſtris ſe contineret, atque ita in aciem lactica per latus Bruti caſtra profuderit: quòd Brennus Gallorum dux Delphis, Appollinis ſpoliaturus templum ingreſſus, Dei uoluntate, ſibi manus iniecerit; quòd Appollo Carthagine à Romanis oppreſſa, ueſte aurea nudatus, id egerit, ut ſacrilegæ manus, inter fragmenta eius abſciſſa inuenirentur, & ſimilia, quæ Cicero, Valerius, Liuius, Dionyſius, Iulius Obſequens &c. ſcribunt? An hæc ſunt credenda, quæ noſtris uerò auctoribus continentur non item? Quare hoc? cum, (ut antea docuimus), inter uniuerſos mortales, nulli magis ueritatem quàm noſtri ſcriptores coluerint? Sed cur ais inter tot gentium hiſtoricos, qui minima quæque ſuorum ſæculorum memoriæ mandarunt, iſtorum miraculorum nullus meminit? reſpondeo, primùm quidem id agente Diabolo, quò futuris ſæculis infirmis Chriſtianis ſcrupos iniiceret, deinde, quòd homines impij, & chriſtianæ religionis hoſtes eius, quam infeſtis animis perſequebantur, futuris temporibus relinquere fundamenta non uellent. Quis præterea noſtræ religionis prodigia deſcriberet, cum uideret quotidie eius cultores, haberi ſacrilegos, & quaſi impios ultimo ſuplicio damnari, niſi prius apud ſe decreuiſſet, pro ea ultimo mortis diſcrimini caput obiicere? Quis quæſo te, potuiſſet eo tempore ſine uiolatæ religionis ſuſpitione, Chriſtiana referre miracula? Ergo qui hoc audebant, iam erant chriſtiani; præter hoc quod uno infidelium conſenſu, magi putabantur Chriſtiani, atq; adeo non diuinitus patrata miracula, opera illa, ſed magicæ artis putabantur effectus. Ethnici homines, uel quòd occæcante Deo, non intelligerent, uel quòd inueteráto Chriſtianorum odio, nollent aduertere, diuinorum miraculorum ueritatem, non tanti faciebant, ut in hiſtorias referenda putarent: cum autem ueram eorum rationem, Deo donante, callebant, ſtatim ad fidem conuerſi, diuinorum operum effecti patroni & aduocati, eorum hiſtorias texentes, præſentis uitæ timore poſt poſito, pro fide certabant. Nam quòd prophani inficiari non poſſent, plura quotidie à Chriſtianis hominibus patrari miracula, in his libris aut epiſtolis, quæ à noſtris, ad eos pro chriſtiana religione mittuntur, apertè depræhendimus. Septimius Tertullianus ad Scapulam Carthaginis præfectum Chriſtianis ultima minitantem, ni Chriſtum eiurarent; ſcribens, poſt quorundam præfectorum, qui cum Chriſtianis humanè egerant, exempla producta, Hæc omnia, inquit, tibi de officio, ſuggeri poſſunt, & ab eiſdem aduocatis, qui & ipſi beneficia habent, chriſtianorum, licèt adclament quæ uolunt; nam cuiuſdam notarius, cum à dæmone præcipitaretur, liberatus eſt, & quorundam propinquus, & puerulus: & quanti honeſti uiri (de uulgaribus enim non dicimus) aut à dæmonibus aut à ualetudinibus, remediati ſunt? Et ſubinde Marcus quoque Aurelius, in Germanica expeditione, Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres, in ſiti illa impetrauit. Quando non geniculationibus, & ieiunationibus noſtris, etiam ſiccitates ſunt depulſæ? hactenus ibi. Libro deinde contra gentes, cum multis in earum ſuperſtitionem, & falſa miracula debacchatus fuiſſet, Hactenus, inquit, uerba, iam hîc demonſtratio rei ipſius, qua oſtendemus, unam eſſe utriuſque nominis, qualitatem, Edatur hic aliquis ſub tribunalibus ueſtris, quem dæmone agi conſtet, iuſſus à quolibet chriſtiano loqui ſpiritus ille, iam ſe dæmonem confitebitur de uero, quàm alibi Deum de falſo. Aequè producatur aliquis, eorum qui de Deo pati exiſtimantur, qui à ueris, maleficum numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, anhelando profantur, iſta ipſa uox cœleſtis pluuiarum pollicitatrix, iſte ipſe Aeſculapius medicinarum demonſtrator, alia de morituris ſocordia & Donatio & Aſcelepiodoto ſubminiſtratur, niſi ſe dæmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem, illius Chriſtiani pro-

Quare chriſtiana miracula, à prophanis ſcriptoribus non fuerunt memoriæ prodita.

ni procacisſimi ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius? quid hac probatione fidelius? ſimplicitas ueritatis in medio eſt, uirtus *illi* ſua aſsiſtit, nihil ſuſpicari licebit magia aut alia huiuſmodi fallacia fieri, dictis non ſtetis, ſi oculi ueſtri & aures permiſſerint uobis. Quid autem immitti poteſt aduerſus id, quod oſtenditur nuda ſinceritate? Si altera parte ueri Dei ſunt, cur ſe dæmonia mentiuntur? an ut nobis obſequantur? atqui omnis hæc noſtra in illos dominatio & poteſtas, dominatione Chriſti, ualet & de comminatione eorum, quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum, imminentia expectant, Chriſtum timentes, in Deo, & Deum in Chriſto, ſubiiciuntur ſeruis Dei & Chriſti, ita de contactu, deque afflatu noſtro, contemplatione, & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus, noſtro imperio excedunt inuiti & dolentes, & nobis præſentibus & erubeſcentibus, hæc ille. quæ niſi ita ſe haberent, infidelibus populis, in quos hæc dicebantur, tam audacter fuiſſent obiecta.

Libet autem miraculum cœleſtis pluuiæ, quod Marco Aurelio, diuinitus tributum *Eccleſiaſtica hiſtoria. lib.5.c.5.* Tertullianus refert, ex Euſebio deſcribere, Igitur Antonini temporibus, quibus hæc geſta referuntur, Marcum Aurelium fratrem eius Cæſarem, bella inferentem Germanis ac Sarmatis, tradunt hiſtoriæ, cùm ſiti eius periclitaretur exercitus, æſtuantem, & quærentem quid facto opus eſſet, reperiſſe in legione quadam milites Chriſtianos, quibus (ſicut & noſtris mos eſt) flexis genibus obſecrantibus, exaudiſſe Deum ſupplicationes eorum, & ſubitò contra omnium ſpem, largisſimis imbribus profuſis, exercitus quidem periclitantis, pro quo orauerant Chriſtiani, ſitim ſedatam, hoſtes uerò, qui iam exitialiter imminebant, fulminibus crebris & cœlitus prolapſis ignibus, effugatos. Quod factum refertur quidem ab hiſtoricis gentilium, ſed quòd noſtrorum id orationibus impetratum ſit, non refertur, quippe apud quos etiam cætera miracula, quæ à noſtris geſta ſunt, non habent fidem. Noſtrorum uerò & Tertullianus hæc memorat, & apud Græcos Apollinaris, qui etiam ipſam legionem, pro inſigni facti miraculo, mutato nomine, uocitatam dicit ab Imperatore Fulmineam. Tertullianus uerò Marci Imp. epiſtolas etiam nunc haberi dicit, quibus de his apertius indicatur. Hactenus Euſebius. Quod tamẽ illuſtisſimum miraculum, ut hîc Euſebius innuit, quidam in Iulianum Chaldæum, quidam in Arnuphim philoſophum Aegyptium, quidam in Marci Aurelij cum Diis amicitiam, ne Chriſtianos eius auctores faterentur, ut poſtea dicemus prophani retulerunt. Non ergo mirandum, quòd noſtræ religionis miracula, ſcriptores prophani non mandarint memoriæ, ſed potius mirandum, cur tot apologeticis libris, quibus ex miraculis, eiuſdẽ auctoritas ſuadetur, immo tot in eaſdẽ gentes inuectiuis, ab Eccleſiaſticis uiris ſcriptis, præter Porphyrium Celſum & Proclũ Lycium, qui frigidis næniis, in Chriſtianos debacchantur, nulli penè reſponderint: ſi tamen dignum aliquid habebant, quod noſtrorum auctoritatem detereret. *Vide infra c.9.* Itaque ſapienter mea quidem ſententia Auguſtinus, hoc genus hominum, qui noſtra miracula negant, hoc dilemmate aggreditur, Aut per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, reſurrectionem atque aſcenſionem, prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non creditis, aut ita ſe habere nobiſcum non itis inficias, ſi poſterius, quid oberit, cur non nobiſcum quoque credatis? Si prius, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quòd ea terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit. An non eſt multo maius miraculum (ut idem ait) paucos *Augu. 22. de ciui. dei. c.5.* quoſdam ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino, quantum ad gentium diſciplinas attinebat impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica fultos, ſed piſcatores abiectos, cum retibus fidei ad mare huius mundi miſſos, ex omni genere, tam multos piſces, & tanto mirabiliores quanto rariores, etiam ipſos philoſophos, euangelicæ prædicationis, quæ mundo erat ſtultitia, gentibus uerò ſcandalum, hamo cepiſſe? maius profectò apud omnem philoſophiam habetur hominis arbitrium & uoluntatem, ſine ſufficienti ratiocinio pellicere, quàm claudum aut aridum reddito uigore reſtaurare. nam ſicut in hoc lex & ordo naturæ peruertitur, ita & in illo eſt uoluntatis natura, non quocunque pacto, ſed poſt efficax ratiocinium, aſſenſum præbere, ſicut eſt febris natura, non imperio, ſed medicina recedere. Quemadmodum uerò languoris natura peruertitur, dum ſimplici oratione aut imperio fugatur, quòd tantum ſubiacet diuinæ potentiæ, ita uoluntatis natura, & genuinus ordo confunditur, dum ſine conſueto & naturali medio, quod eſt ratiocinium, his, quæ mundus

ſtulta

ſtulta iudicat, præbet aſſenſum. Et quemadmodum illud, ideo eſt miraculum, quòd id
Pſal. 11. naturæ uires præſtare non poſsint, ita hoc, quia ſolus eſt Deus, qui poteſt inclinare cor
Hierr. 31. noſtrum in teſtimonia ſua, & qui poteſt legem ſuam, cordibus noſtris inſcribere, &
Hierr. 24. Exod. 18 qui dat cor, ut ſciamus illum, quia ipſe eſt dominus, ſicut è conuerſo, peccatis exi-
& 9. gentibus, ipſe eſt qui nonnunquam cor aggrauat, excæcat, & indurat, ut uidentes non
Iſai. 6. uideamus, & intelligẽtes non intelligamus. Immo uerò corporales languores, ſicut ple-
runque Deo permittente à Satana infliguntur, ita eorum ſubitaneæ, medelæ, nonnun-
quàm ſuſpitione non carent, quia & quaſdam earum ſagaciſsimi ſcrutatores naturæ dæ-
Exod. 7. mones, poſsint tribuere, ſicut alia quædam admiranda facinora præter naturæ ordinem,
in ſacra hiſtoria præſtitiſſe uidemus, uoluntatis uerò imperium, nullus dæmon obtinuit,
præſertim in his, in quæ pars noſtra corporea, quæ quorundam ſententia, philtris ad
amorem mouetur, procliuis non eſſet, qualia ſunt religionis negocia. Eſt igitur euiden-
tius miraculum, legi euangelicæ, quæ præter hoc quòd irrequieto bello cum carne pu-
gnabat, parum humanæ ſapientiæ iudicio applaudebat, ſine miraculis conſenſum præ-
bere, quàm languidorum præſtitæ ſanitates, quàm curatæ paralyſes, quàm cæcitates
excluſæ, & reliqua, quæ inuita natura, in euangelicæ prædicationis ſeminio à Chriſti
miniſtris patrata docemur. Sed iam age, te quæſo, qui fieri potuiſſet, ut Chriſti reſur-
rectionem, & noſtram poſt conuerſionem in pulueres, eiuſdem Chriſti in cœlum aſcen-
ſionem, Dei incarnationem, natiuitatem, uitam, mortem, flagella, famem, ſitim exi-
lia, obedientiam, cunam, crepudia, &c. diuinæ diſpenſationis & noſtræ religionis my-
ſteria, pauci infirmi, abiecti, rudes, denique mundi huius peripſemata, multis nobi-
1. Corin. 1. libus, ſublimibus, magnatibus, principibus, ducibus, regibus (& qui his ſunt potio-
& 4. res) ipſis mundi ſapientibus, immo uniuerſo Orbi, ſine miraculis, aut alia ſupernatu-
li ratione, auita & patria religione eiurata & deſerta, nihil obſtantibus tormentis,
cruciatibus, infamia, & bonorum publicatione, proſcriptione, igne, ferro, aqua, &c.
ſuaderent ſine cœleſti argumento, & cui uniuerſa natura non poſſet reſiſtere? omitta-
mus plebem, inter quos etiam potentes numero, an credibile eſt Paulum Apoſtolum,
non tantùm Hebraica, ſed Græca ſapientia & literatura præſignem, qui prius adeò ſan-
guinem chriſtianorum ſitiebat, ut ei non ſatis eſſet, ſi unum aut duos lapides in ſtepha-
num iaceret, niſi omnium lapidantium ueſtes, quaſi in omnibus lapidaturus aſſeruaret,
chriſtianæ religioni, ſine cœleſti miraculo nomen dediſſe? Quî fieri potuit ut homo
2. Cor. 11. chriſtiani ſanguinis auidus, qui ſibi hoc laboris delegauerat, impetratis à pontificio & Iu
Act. 9. daico ſenatu epiſtolis, ut ſi quos apud Damaſcum, huius uiæ uiros ac mulieres in-
ueniret, Hieroſolymam uinctos, ultimo ſupplicio quaſi in patriam religionem ſacrile-
gos, plectendos perduceret, ſine cœleſti prodigio, ſubitò, non tantùm reddere-
tur Chriſtianus, ſed omnium euangelicus prædicator maximè ſtrenuus? Quid tu pu-
ras Dionyſium illum Areopago ſubmotum, in Chriſtianas ſcholas adduxiſſe, niſi ad
Paulinæ prædicationis confirmationem, diuinitus data admiranda prodigia? Quis cre-
Hierony. dat Ariſtidem, Iuſtinum, immo, ut quorundam non inanis tulit opinio, Senecam ipſum;
non diuinis miraculis, ad fidem adductos, cùm apud hos, qui Athenis, immo in uniuer-
ſo Orbe celebres habebantur humana ſapientia, parum, ſola uerba ualerent? An per-
ſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, in ſublimitate ſermonis his annuntiatus eſt Chri-
1. Corin. 2. ſtus, & non potius in oſtẽſione ſpiritus & ueritatis? an fuit apud hos, & ſimiles, qui mul
ti in apoſtolica expeditione Chriſto manus dederunt, euangelium, in ſermone tantùm,
1. Theſſ. 2. & non potius in uirtute miraculorum & Spiritu ſancto, & plenitudine multa? Cypria-
num illum magum, quis tandem Chriſti Epiſcopum, & poſtea fortiſsimum Martyrem
præter miracula reddidit? Iam uerò ex noſtris, quos à paruulis beneficio parentum,
Chriſtiana diſciplina delibutos accepimus, quis ſapientior Origene, quis eloquentior
Cypriano Carthaginenſi? quis doctior Tertulliano, Athenagora, Theophilo, Clemen-
te utroque, & infinitis huiuſmodi, quos illa perſecutionis pruina decoxit? an quòd ab
infantia chriſtano lacte alerentur, non potuiſſent ab hoc genere uitæ recedere, ſi non di-
uinis operationibus, quas à Chriſtianis exerceri uidebant, fuiſſent in chriſtiana diſci-
plina retenti. An forſan quominus ſemel receptam religionem peſſundarent, metus
magiſtratus detinebat? An uerò bonorũ perdẽdorum formido? ſed nihil magis erat in
notis magiſtratibus, quàm Chriſtianos à ſemel ſuſcepta religione pertrahere. Vidi ego,

ait

ait Lactantius, in Bithynia Præſidem gaudio mirabili datum, quanquam barbatorum gentem aliquam ſubegiſſet, quòd unus, qui per biennium magna uirtute reſtiterat, poſtremò uiſus ſit cedere. Ergo tantum aberat, ut ob deſertam religionem, uiri illi ſi ſemel chriſtianam religionem deſererent, punirentur, ut maximis muneribus, quod cum quibuſdam factitatum legimus, fuiſſent affecti. quid ergo aliud ſanctiſsimos ac ſapientiſsimos uiros, in Chriſtianæ religionis, quam inuiſam eſſe mundo ſciebant, detineret officio, quàm talia argumenta, quibus humana ratione reſiſti non poſſet? hæc profectò nihil aliud erant quàm diuina miracula, quibus omnis cedit humana ſapientia.

Lib. 5. diu. inſtit.

Sed hæc apertiora ſunt, quàm ut plura dicamus. Eorum uerò ſententiam, qui quòd prodigia quædam cœlitus edita, in prophanarum gentium monumentis inueniant, ſufficientia noſtræ religionis argumenta, non credunt, quæcunque à noſtris in eius confirmationem ſunt patrata miracula, uariis rationibus eccleſiaſtici elidunt, nobis tantùm ſunt principiò rogandi quando in antiquis ueterum hiſtoriarum annalibus, ſcriptum inuenerint, in religionum aliarum, quas gentes colebant, confirmationem, ad hominum inuocationem, & uota, ſanatos claudos, illuminatos cæcos, leproſos mundatos; dæmones humanis corporibus fugatos, & talia quæcunque in chriſtianæ legis plantatione fiebant? Sint uera quæcunque parum antea prodigia retulimus, & quæcunque Arthemidorus Epheſius lib. de auguriis, & Cicero libro priori de diuinatione recenſet: ſint uera, quæcunque uariis temporibus, & apud uarias gentes earum hiſtoriæ accidiſſe memorant, nulla in illis interceſſerit Magia, quæ Philoſtratus octo libris, & Diocles Alexandrinus de Apollonio narrant, nil moror: abſuerint diabolicæ fraudes, quarum ſcimus in ea omnia, quæ gentium hiſtoriæ narrant: poteſtatem extendi. Sed ubi humano imperio & inuocatione, in eius ſuperſtitionis, quæ tunc à gentibus colebatur, comprobationem facta eſſe legiſti? Fierent illa, ſi ita credere libet, at qua uirtute? an uoto & humano imperio? nequaquam, ſed in uirtute religionis, quàm utcunque, diuinam prouidentiam conſeruare decebat, commendationem; quo nimirum mortales, in numinis timore contenti, paulatim ueræ religioni aſſueſcerent, & ne quod eſt ſummum malum, procaciter dicerent, Non eſt Deus. unde corrupti, & abominabiles fierent, minus enim à ſalute abeſt, qui à uero Deo, falſorum Deorũ ſuperſtitione recedit, quàm qui numinis penitus exuit notitiam, & quem nulla ſaltem ſuperſtitio coërcet. Sunt & alia inter ea, quæ recenſuimus prodigia, quæ ad quorundam oſtendendam innocentiam, diuinitas uera edidit, quale illud de Claudia Romana, quod cingulo nauim arena Tyberis hærẽtem attraxit: aut illud, quod de altera Veſtali uirgine, quæ aquam, in ſignum item pudicitiæ, ab eodem flumine cribro hauſiſſe refertur: intereſt enim diuinæ prouidentiæ, potiſsimè apud eos, qui potius ignorantia quàm malitia à uera religione recedebant, quales erant hæ fœminæ, innocentiam fouere. Non itaque in illius, quæ tunc apud gentes uigebat, ſuperſtitionis atteſtationem, hæc prodigia fiebant, ſed tantùm in diuinitatis & prouidentiæ teſtimonium, nimirum ut ſcirent gentes eſſe Deum, cui eſſent curæ mortalium actiones; quique ſanctos mores, & iuſtitiam probaret, contrà, uerò pro delictis ſupplicia rependeret. Hoc enim etiam apud gentes oſtendere, ſtuduiſſe Deum, Sibyllarum uaticinia, quæ in medio prophanarum nationũ edidit, apertè demonſtrant; hæ enim non diabolico ſpiritu, ſed ut Eccleſiaſtici uoluerunt, diuino, non obſcurè, ſe plerunque apertius, quàm ſancti Prophetæ, ueri Dei myſteria, ut poſtea dicemus prædixere, non ob aliud, quàm quòd uellet Deus, ueri numinis cognitionem, quacunque ratione apud gentes ſeruari. Neque putandum eſt, eas omnes, quas prophetico ſpiritu polluiſſe, ueteres hiſtoriæ prodiderunt, ueri Dei cognitione præditas: fuerunt enim quædam earum idolorum miniſtræ, ut ea, quam Delphicam uocant, & quam apud Cumas, celebrem fuiſſe Maro decantat. Idemque de cæteris credendum exiſtimo, ſi non Erithræam forſan excipias, de quo tamen poſtea. Balaam etiam, qui ſanctæ ſcripturæ teſtimonio, prophetico ſpiritu claruiſſe refertur, Idololatram fuiſſe, & tamen gentibus diuina denuntiaſſe myſteria, liber Numerorum oſtendit. Nihil enim aliud puto eſſe, quòd ipſe Ariolus & eius prophetia uocetur augurium, quàm quòd cum dæmonibus, qui ſibi futura denuntiarent, haberet conſortium. Sicut itaque per falſæ religionis cultores Deus plerunque futura prænuntiabat myſteria, ita per falſam religionem, uera nonnunquam proferebat miracula, non in eius quidem atteſtationem, ſed

In ſecundã prophanorum obiectionem.

Pſal. 13.

Quæ rõne apud gẽtes idololatras miracula diuinitus ederentur.

6. lib. Aen.

Num. 22. & 23.

quò mortales in religionis officio contineret, & diuinitatis quandam notitiam pau-
larim infunderet, ſed rem urgeamus. quando quæſo in prophanarum hiſtoriarum
monumentis reperias, oculos cæcorum reſtitutos? quando mortuos ſuſcitatos, &
talia noſtræ religionis auguſtiora miracula, in quæ dæmonum poteſtatem aut rerum
naturalium uirtutem, certum ſit non extendi? Nauij cotem diabolo agente, no-
uacula potuiſſe diſcindi, quis dubitat? Pollucis & Caſtoris formis indutis, Publio
Varinio Romam uenienti, malos ſpiritus potuiſſe obuiare, & uictoriam Macedo-
nicam denuntiare, quis ambigat? fortunæ muliebris & Iunonis ſtatuis, dæmones in-
cluſos, potuiſſe loqui, non eſt impoſsibile; Claudiam dæmonis adiutorio traxiſſe nauim,
quid impedit? Aeſculapium Epidauro accitum, ideſt diabolum eius ſtatua concluſum,
peſtilentia, quam Deo permittente diffuderat, Romam liberaſſe, quid uetat? Idemque
iudicium eſto de cæteris. nullum enim eorum, quæ ex gentium hiſtoriis parum antea
retulimus, creaturæ, præſertim Angelicæ, poteſtatem excellit: nam uel in corporum
locali motione, uel in languorum curatione, uel in ſubita punitione quorundam, uel,
quod erat omnium difficilimum, in futurorum denuntiatione, conſiſtunt: quæ omnia
diabolicam poteſtatem non ſuperant. Nam ea futura denuntiare, quæ diuinæ ſapientiæ
theſauros reſpiciunt, qualia ſunt, quæ theologi uocant futura contingentia, quæ à ſola
diuina uoluntate dependent, quòd ſibi ut antea dicebamus eſſent impoſsibilia, nunquã
gentium Idola ſunt aggreſſa. Immo neque ea, quæ à rerum humanarum diſpoſitione
pendebant, & in quibus nonnunquam hominum ſagax prudentia, locum habet, quales
ſunt de hoſtibus uictoriæ & triumphi, ſub aperta uerborum forma ſunt auſi prædicere;
ſed, ut antea diximus, amphibologico ſententiarum inuolucro, ne mendacia depræhẽſa,
opinionem diuinitatis eleuarent. Itaque nihil in gentium religione reperias, ſiue prodi-
gia ſiue rerum futurarum prædictiones expendas, quod manifeſtam, diuinitatem arguat,
Omnia ſunt talia, quæ à creatura, præſertim angelica potuerint præſtari. Apud noſtram
uerò religionem, non tantum à Chriſto eius fundatore, ſed ab his, qui poſtea Euange-
licæ doctrinæ prædicatores egere, cæcos uiſui reſtitutos, aridos, quos uniuerſa rerum
natura, aut dæmones, per naturalium rerum applicationẽ (ita enim medentur) reſtau-
rare non poſſent, immo mortuos, quod omnem uirtutem creatam & poteſtatem tran-
Io.9.c. ſcendit, ſuſcitatos & uitæ priſtinæ reſtitutos inuenias. A' ſæculo (inquit ille apud Ioan-
nem) non eſt auditum, quòd quis aperuerit oculos cæci nati, nec tamen illi ſapientes,
qui coram ſtabant, cum grauiſsimas Chriſti miraculis inſidias ſtruerent, & nihil ma-
gis optarent, quàm eundem hominibus magum oſtendere, potuerunt mutire. Quæ
uerò natura quæuis creata, in fœtidum ex quatriduana ſepultura cadauer, animam ab
inferis reuocatam, iterata uita, potuiſſet infundere? Vnde quandiu Phariſaica malicia,
miraculis à Chriſto in corporum ſanitate patratis, potuerunt detrahere, cauſantes Bel-
zebub adiutorium, nunquam ita procaciter de tollendo Chriſto deliberarunt, cùm ue-
rò ipſa rei euidentia, Iudaici populi mentes urgente, in nullam magiam, in nullam dia-
boli aut magiæ poteſtatem, Lazari ſuſcitationem, quæ cæteris fuit illuſtrior, potue-
runt refundere, ſtatim uirus conceptum, coacto concilio, obſtinatis animis, quo pacto
Ioan.11. eſſet è uita tollendus, deliberant: quaſi iam amplius, nulla fucata ratione, nulloq; men-
dacio, dæmones, qui nihil tale præſtare queant, poſſent prætẽdere. Scio Platonem de-
cimo de republica libro memoriæ prodidiſſe Aerũ genere Pamphylium, qui decem dies
ante, prælio occubuerat, integrum incorruptoque corpore repertum, domum delatum,
in rogumque coniectum, ſubitò reſumpto ſpiritu reuixiſſe, & quæ interim uiderat, re-
tuliſſe. Memini etiam apud Plinium me legiſſe, bello ciuili Pompeiano, cùm Pompei iuſ-
ſu inciſa ceruice, inter occiſorum aceruos, totum diem iacuiſſet, Gabienum Cæſaris
fortiſsimum & clariſsimum militem, emerſiſſe, & nuntiis à ſexto Pompeio ad ſe miſsis,
dixiſſe, ſe cum mortuus iaceret, rurſus in uitam à Diis reuocatum, ut illi renuntiaret,
ne ulla clade terreretur; uictoriam enim apud ſe futuram, quoniam eius cauſa, inferis
Diis iuſtior uideretur, inde euentum quem optaret futurum, hoc ſe à Diis immortali-
bus nuntiare præceptum, argumentumque fore ueritatis, quod peractis mandatis rur-
ſus animam poneret; quod ſtatim euẽnit. Scio deinde Auilam uirum conſularem, in
rogum coniectum, reuixiſſe, & quoniam ſubueniri non poterat, præualente flamma, ui-
Lib.7.c.52 uum combuſtum. Varro quoque auctor eſt uiginti uiris agros diuidentibus, Capuæ,

quendam,

quendam, qui efferretur feretro, domum remeaſſe pedibus, quod & Aquini accidiſſe
Plinius refert. C. Aelium Tuberonem à rogo relatum, cum ſubitò reuixiſſet & Romæ
prætura functum, ex M. Meſſala Rufo idem ſcribit. Quibus illud eſt maius, quod eo-
dem auctore, integro uolumine Heraclides narrat, ſeptem diebus exanimem fœminam,
ad uitam rediiſſe. Tale eſt etiam quod duobus fratribus Romæ accidiſſe memoratur,
nam cùm maior Corfidius etiam nomine, expiraſſe uideretur, apertoque teſtamen-
to recitatus hæres natu minor, funeri more Romano inſtiſſet, interim is, qui uidebatur
extinctus, ſubitò reuiuiſcens, plaudendo denuntiat, ſe à fratre miſſum cōmendatamq;,
ſibi filiam ab eo, oſtenditque ubi pecuniam defodiſſet, quo loquente domeſtici fratres
denuntiant, ſubitò fratrem natu minorem extinctum, & aurum ubi dictum erat à Corfi-
dio, repertum. Minos Rex Cretæ, iam tumulatus, fracto ſepulchro, ſurrexiſſe ad uitam
refertur. Vnde Claudianus de uictoria Stiliconis contra Alaricum,

Cretaque ſi uerax narratur fabula, uidit
Minoum, rupto puerum prodire, ſepulchro.

Sunt etiam ex Græcis, qui Aeſopum illum à Phrygia fabulatorem, reuixiſſe recen-
ſeant; quod ipſum de Tindareo & Hercule traditum ſcimus. Aeſchylus ſcribit, Pali-
cos Iouis & Thaliæ filios, mortuos ad uitam reuocatos; quod etiam Macobrius in Sa- *Lib. 5.*
turnalibus refert. Memini demum, ni fallor, me legiſſe apud Philoſtratum libro ſexto
de uita Apollonij, præſente Domiciano Cæſare, eundem Apollonium, mortuam puel-
lam feretro iam in ſepulturam ſublatam, ad uitam reuocaſſe.

Verùm hæ ſuſcitationes uel ſunt fabuloſæ, quòd ſemper apud earundē gentium ſapien- *Reſpōdetur*
tes eſt creditum, uel non ſunt ueræ ſuſcitationes, quæ ueram mortē, ideſt, ueram animæ *omnibus,*
& corporis ſolutionē ſupponunt; quod utrunq; ſuadebimus. Et quidem Plat. exēplum, *quæ ex gen-*
à prudētia politica, qua futura de bene & male actis iudicia, ſuis hominibus ſuadere con *tium hiſto-*
tendit, ortum fuiſſe, illud mihi facit probabile, quod ſimilibus exēplis, quæ apud uulgus, *riis produ-*
ipſa ſola narrantium auctoritate uigorē obtineant, uti ſoleat plerunq;, quo homines uel *cta ſunt mi-*
uulgari opinione, in officio contineat, atq; id ita eſſe Iuſtinus philoſophus Platonicus, *raculorum*
& Chriſti Martyr, in oratione parænetica ad gentes, his uerbis de Platone loquens, poſt *exempla.*
quam eiuſdem de reſurrectione ſententiam, ex primo libro de republica oſtendiſſet, de-
monſtrare uidetur. In decimo, inquit, libro de republica, clare & apertè quæ à prophe *Iuſtinus.*
tis, de iudicio didiciſſet, ſcribit, & ſi ea non quemadmodum acceperat, Græcorum in-
uidia deterritus, ſed ut à quodam, ſicuti ei fingere uiſum eſt, qui in prælio interfectus
fuiſſet, duodecimoq; à morte die ſepulturæ mandatus fuiſſet, & in rogū coniectus, reui-
xiſſet, quæq; illic audiuiſſet, narraſſet, ſcripſit. Hactenus Iuſtinus. Subindeq; totam Plat.
narrationem deſcribit. Docet ergo Iuſtin. Platonem Moſaicā de mortuorū anaſtaſi ſiue
reſurrectione, ſub eius, quæ ſibi arridebat, fabulæ, ſpecie, ſuæ reip. inducere uoluiſſe,
ſententiam; quod palàm quemadmodum è ſacris libris acceperat, ob inuidiam Græco-
rum, non fuerit auſus. Nam quod fabulam Iuſtinus credat, non item hiſtoriam, quem-
admodum illi (quod ita forſan, uirum ſanctiſsimum uoluiſſent ſentire) quidam im-
pingunt, haud obſcurè illa uerba demonſtrant, quibus inquit, non ea tradidiſſe, quem- *Mar. Ficin.*
admodum acceperat, quòd id inuidia Græcorum prohiberet, ſed ut ſibi fingere uiſum *in arg. 10.*
eſt, ſub cuiuſdam narratione &c. Atque idem ea, quæ ibi ſuſcitatus ille, ſe uidiſſe narrat, *dia. de leg.*
quæ omnia ſunt apertè Platonica, oſtendunt. Quòd uerò Plato aſſerit, ſe non apolo-
gum narrare, ſed ueram hiſtoriam, nihil obeſt, quominus eam narrationem commen-
titiam credamus, id enim auctoritatis conciliandæ gratia, non item quòd ita ſentiret,
eſt feciſſe credendus. ipſe eſt enim, qui nōnunquam, utili mendacio populum decipere, *4. de repu.*
ſtudioſum exiſtimat. Gabieni, uerò hiſtoriam, propter Plinij auctoritatem recipimus,
uerùm eam, non demortui reſurrectionem, ſed Satanicam faſcinationem, qui intra ca-
dauer loqueretur, & hominis exterius ſpeciem offunderet, tria, apertè declarant. Pri-
mum quidem, quòd penè inciſa ceruice, nec uiuere, nec loqui poſsit quiſpiam mor-
talium, illi uerò Sexti Pompeij uſione caput penè fuerat abſciſſum, nec tamen per uitæ
reſumptionem fuit uulnus curatum. Satanas igitur, non homo, qui egeat inſtru-
mentis uocalibus, dabat reſponſa. Secundum eſt, quòd uera mortui ſuſcitatio-
ne, ne uideatur phantaſtica, non uno temporis momento, ſed notabili ſpatio, uita
donatur, quod in Euangelicis reſurrectionibus, licet attendere. Gabienus uerò pere-

ctis mandatis, uitam repoſuit. Tertium, quòd quæ de futura apud Pompeium uictoria, ſe à Diis nuntiare præceptum aſſeruit, præualente Cæſare poſtea quàm eſſent falſa,
Ioan. 8. ſeſe prodiderunt. diuinus ſpiritus profectò non fallitur, Satanas uerò mendax eſt ab initio, erant ergo uerba illa & reſponſa, à Diabolo in corpore non uiuo, ſed uita defuncto formata, quò bellis ciuilibus Romanam rempublicam, Deo ita permittente, contereret, dum alij ſuis uiribus & applauſu fortunæ, alij potiundæ uictoriæ promiſsioni cœleſti innixi, uſque ad patriæ coſtractionem, infœſto Marte confligunt. Neque grandis eſſet iactura, ſuſpicari, non uerè geſtam hiſtoriam, ſed potius prudentia bellica, excogitatum ſtratagema fuiſſe, ad militarem uirtutem, quæ in Pompeij exercitu, ex tot ſuſceptis cladibus, iam penè conciderat, erigendam, & ad hoſtiles animos oſtento frangendos, cuius ſimilia exempla, in bellorum hiſtoriis multa reperias. Neque enim Plinius in hac parte quod uidit, ſcribit, ſed quod uulgari opinione iactatum audiuit. Cætera quæcunque uel ex Plinio uel ex aliis auctoribus excerpta pro duximus, inter quæ & Platonis Aerum, ſi fuerit hiſtoria rei geſtæ, numero, excepto uno Appollonij mèdacio, de quo tamen poſtea, unam habent dilutionem, quòd cùm non ueræ mortes præceſſerint, neque ueræ reſurrectiones extiterint. Erant enim uniuerſi illi aut apoplectici, quem morbum quidam, ſyderationem, quòd ſubitò inuadat, quidam uerò attonitum uocant, quòd
Tetra. Serm. 2, cap. 2. ut Aetius ex Archigene docet, qui hanc paſsionem inciderunt, cum totius ſenſus mortificatione & priuatione, ſola uita ſeruata, ſubitò concidant: in hac enim paſsione, cerebro cõmuni omnium neruorum principio, patiente, uniuerſæ corporis partes, ſubitaneam totius ſenſus & motus, qui per neruos in totum corpus diffunduntur, iacturam incurrunt. Aut erant καρῳ correpti, qui morbus, ut idem ex Poſsidonio docet, non eſt aliud quàm capitis ſubita quædam perculſio, cum debili febre, humidis humoribus inuadentibus cerebrum, ex quo totius corporis immobilitas; & ſtupor conſequitur, cum principalium actionum læſione, in quo morbo, profundiſsimo ſomno correptus homo, oculis clauſis in ſpeciem demortui, per maximum tempus iacet immobilis. Aut erant ſyncoptici ideſt ſyncopi affecti, quod genus morbi græci ἀποψυχίαν, hoc eſt, animi deliquiũ, uocarunt. In quo, plerunque morbo, non tantùm totius corporis & uniuerſorum ſenſuum ſtupor incurritur, ſed etiam pulſus motus amittitur, ita ut nihil à mortuo, differre uideatur homo, quandiu eo morbo obſidetur. Nam cum in reliquis humani corporis morbis, pulſus remaneat, unde uitæ colliguntur indicia, in hoc nec pulſus quidem qui, indicet hominem uiuere, permanet, unde non tantùm uulgo, ſed etiam ſapientibus, qui hoc morbo laborat, defunctus apparet. Prouenit autem pulſus amiſsio, ex cordis frigiditate; quoniam & pulſus ipſe ad cordialis caloris euentationem & refrigerationem fuerit à natura repertus, unde ex praua affectione & præternaturali frigiditate, cor frigidum euentatione non indiget, atque adeo pulſus ſubmouetur naturalis neceſſitas. Durat autem hæc paſsio, tantùm, quantum eſt humorum præternaturalium ſymptoma & inſultus. Contingit autem plerunque, ut & uentriculus uiſcoſis & indigeſtis humoribus, tunicis, ex quibus conſtat, intertextis, ſcateat, unde appetitus quoque comedendi proſternitur, & naturalis caloris tota uirtus (ſi qua eſt) in his cõcoquendis occupata, flacceſcat, unde ſine cibo, poſſet homo conſiſtere multo tempore. Quod
Lib. de puella germanica. fieri poſſe præter Albertum Ratiſponenſem, peculiari libello, noſtra memoria Simon Portius, Philoſophus oſtendit. Cùm ergo ambo iſti morbi, qui ex ſua radice uidentur affines, hominem inuadunt, ex animi quidem deliquio, ſenſus motus & pulſus amiſsio, ex uentriculi uerò languore, caloris naturalis hebetudo, appetitus proſtratio, & demum prauorum humorum ſaturitas quædam, qua homo cibo non egeat, incurritur, ſicque iacet homo tantum tempus, quantum dominantur crudi & rebelles humores, quaſi mortuus ſine ulla, quæ exterius appareat, uitæ operatione, unde plerunque uiuos hoc languore correptos, ſepeliri contingit, quod Ioanni Scoto doctori ſubtili, contigiſſe narrant, dum apud quoſdam ruſticos euangelij prædicandi gratia uerſatur. Sunt & in fœminis paſsiones, quas Græci hiſtericas, ideſt uterales appellant, quibus etiam mira quadam ratione, multum tempus quaſi mortuæ iacent. Interdum hic morbus ſic
Lib. 4. c. 2. exanimat, inquit Cornelius Celſus; ut tanquam comitiali morbo proſternat, niſi quòd nec oculi uertuntur, nec nerui diſtenduntur, nec ſpumæ perfluunt, quæ in cæteris ſigna ſolent eſſe uitæ permanentis. Agit uterus affectus, in ſuum conſenſum, fœmi-

nei

nei corporis principes partes, carotidas arterias, cor, cerebri membranas &c. ex quibus & animales ſpiritus deriuantur in corpus. Vteri, inquit Aetius, ſtrangulatio, ab *Tetrab. Serm. 4. cap. 6.* utero quidem infernè oritur, uerùm ſupernæ partes & principales, per conſenſum afficiuntur. Nam ad cor per arterias, ad cerebrum per ſpinæ membranas ac neruos, ad hepar per uenas affectio tranſit, uideturq́; uterus uelut ad ſupernas partes aſcendiſſe. Conſequitur affectas, conſequente exacerbatione, mentis languor, pigritia ad agendum, debilitas crurum, pallor faciei, triſtis aſpectus. inſtante uerò ſtrangulatione ſopor grauis, ac profundus, mentis ac ſenſuum appræhenſio, cum uocis interceptione. pulſus autem parui ac debiles & aliquando penitus intercipiuntur. quibuſdam autem nec reſpiratio ſenſilis permanet. Et ſubinde, poſtea quàm explorandæ reſpirationis remedia, quæ quidam inuenere, ad ſcrutandum an adhuc in affecta muliere reſpiratio ſubſiſtat, nimirum, lanæ carptæ naribus admotionem, & poculi aqua pleni uentris ori applicationem propoſuit, ut neque his quidem uitam deprehendi (tantus eſt languor) oſtenderet, ſtatim ſubiungit, Et profectò utrique ignorant, aliquando ſublata penitus ori ac narium reſpiratione, ſupereſſe adhuc eam, quæ in toto corpore ab arteriis perficitur, quemadmodum, in reptilibus uenenatis contingere uidemus. hæc enim per totam hyemem mortuis ſimillima, in cauernis latitant, per arterias tantùm totius corporis reſpirantia. Sic etiam in uteri ſtrangulatione fieri poteſt, ut toto corpore frigefacto, oris ac narium reſpiratio intercidat, ſuperſit autem ea, quæ ab arteriis fit. Profundiſsimo itaque ſopore hæ mulieres corripiuntur, uoce, ſenſu, ac motu, interceptis. Hactenus Aetius, ubi uides, non tantùm ab indoctis, ſed & plerunque ſapientibus medicis, harum fœminarum uitam ignorari, cum uniuerſa uitæ ſigna uox, motus, ſenſus, pulſus, color, reſpiratio, receſſerint. Plato etiam libro de natura, Vulua quoque matrixque in fœminis, (ait) animal auidum generandi, quando procul à fœtu per ætatis florem aut ultrà diutius arcetur, ægrefert moram, ac plurimùm indignatur, paſsimque per corpus aberrans, meatus ſpiritus intercludit, & reſpirare non ſinit, extremis uexat anguſtiis. Hactenus Plato. Tanta eſt humani profectò plerunque uis morbi, ut nullo ſigno quoſdam à mortuis diſtare quis indicet, atque adeo in ſepulturam ſublatos ſubitò humoris conſumpta grauedine, in uitam regreſſos, etiam ſapientes exiſtiment. Vnde Cornelius, cùm cer- *Lib. 2. c. 7.* tæ mortis ſigna deſcriberet, Illud, inquit, interrogari me poſſe ab aliquo ſcio, ſi certa futuræ mortis indicia ſint, quomodo interdum deſerti à medicis conualeſcant, quoſdamque fama prodiderit, in ipſis funeribus reuixiſſe. Quin etiam uir iure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem uitæ, certas notas eſſe propoſuit, quibus medici crediſſent, adeo illud non reliquit, ut certa aliqua ſigna futuræ mortis eſſent. Hactenus Celſus. ponitque ſtatim exemplum, quo Aſclepiades funeri obuius, intellexiſſe narratur, eum non eſſe uita defunctum qui efferebatur. Xantus etiam hiſtoricus apud Plinium eſt auctor, occiſum draconis catulum, herba, quæ Bali uocatur, reuocatum ad uitam, eademque Thilonem, quem draco occiderat, reſtitutum ſaluti. Narrat & apud eundem Iuba, hominem in Arabia, herba quadam reuocatum ad uitam, idemque de Glauco quodam memoratur, qui cùm omnium iudicio mortuus haberetur, ſubitò, pharmaco ſumpto, conualuit, unde promanauit adagium Glaucus poto melle reuixit. quo- *Eras. in parœm.* ties aliquis uulgari rumore, creditus mortuus, denuò prodit in publicum, & quaſi rediuiuus apparet his, quibus perſuaſum erat eum uita defunctum. Quanto uerò temporis ſpatio in hiſce morbis poſsit homo perdurare, non eſt diffinitum. Nam quòd Ara- *Hali Abb.* bes quidam, ſeptuaginta duas horas, quæ tres dies naturales conſtituunt, expectent, quòd, ut uolunt, eo tempore omnis naturalis humor etiam melancholicus, qui cæteris eſt tardior & pertinacior, eueniatur, & propria peracta periodo, reſoluatur, non eſt uſque adeo certum, ut ex aliis rationibus non poſsit amplius durare. Eſt enim doctiſsimorum medicorum uſu compertum, nonnunquam in quartum, nonnunquam in ſeptimum diem, huiuſmodi languidos, quos quòd uoce deſtituantur ἀφώνους uocant, durare. Neque ſi rem exactè diſpicias, aliquid obſtat, quo minus ampliori temporis ſpatio quàm ſeptem diebus quis perduret; præſertim in ſyncopi, & hiſtericis paſsionibus, quibus unà cum motu, & reſpiratione, ſenſus & pulſus, extinguuntur. Nam in attonito morbo, quem apoplexiam uocant, ubi manente cordis calore, non poteſt ſine reſpiratione conſiſtere, aliud eſſet iudicium. In his itaque morbis, quibus propter cordis frigidam

affectionem, quòd non ſit neceſſaria, reſpiratio intercluditur, qualis eſt ſyncopis aut animi deliquium, quando, ut antea dicebamus, uentriculi frigida affectio, qua uniuerſus cibi & potus appetitus proſternitur, ſimul concurrit, ratione quidem ſyncopis, ſine motu, pulſu, & reſpiratione, ratione uerò prauæ affectionis ſtomachi, ſiue ullo edendi aut bibendi appetitu, uiuus permanebit ægrotus, nec ad alendos artus & corporis membra, alio cibali humido, quàm eo uiſcoſo & rebelli, qui uillis eſt interclusus, egebit. non enim eſt nouũ, menſibus tribus & amplius, hominem integrum, ſine cibo manere, quòd rebelliſsimo & uiſcoſiſsimo humore digerendo, calor naturalis diſtrictus, in humidum naturale, cuius uaſtationem humidum cibale impediebat, non agat. Atque hæc eſt una ex his rationibus, cur animalia quædam, certa quadam anni parte latentia, ſine cibo & ſine reſpiratione permaneant; ſine cibo quidem, quòd, craſsiſsimis humoribus con-
Galen. in ſi. ſeptum Apho. cõm. 5. & in Aphor. 15. coquendis, calor naturalis tũc exilis occupetur, ſine reſpiratione uerò, quòd cor propter frigidam affectionẽ euentatione non egeat, aut quòd ſecreta illa reſpirandi ratione, per poros, quam Aetius docebat, uitalia reficiant. Non itaque huiuſcemodi languoribus aphonis, eſt certum tempus à natura præfixum, ſed pro uaria humoris ratione uarium. Ergo ut ad ea, quæ ex gentium hiſtoriis petebamus exempla, poſt longam digreſsionem reuertamur, nemo eorum eſt à mortuis reuixiſſe dicendus, ſed conſumpto humore, & peracta morbi periodo, conualuiſſe illos aut uehementia tranſmutationis à morbo excitatos reſpõdebimus, qualis Auiola aut Aelius Tubero, qui ſunt uehementia ignis, à morbo, quo tenebantur ſoluti. Nã mulierem illam, quæ ſeptem diebus exanimis manſit, matricis ſtrangulatione fuiſſe correptam, nec uita defunctam; idẽ Plin. ibidem, uidetur innuere, Fœminarũ, inquit, ſexus huic malo uidetur maximè opportunus, conuerſione uuluæ, quæ ſi corrigatur, ſpiritus reſtituitur. Cætera cũcta, ex his quæ annotauimus, facilè corruunt, niſi quòd hoc apertius in ſuſcitatione puellæ, quã ab Apollonio Thyaneo
Euſeb. lib. contra Hieroclem. Alex. ſuſcitatam, Philoſtratus inquit, ex ipſamet Philoſtrati narratione, apertius deprædenditur: apparet enim eam hiſterica, aut ſyncoptica paſsione correptam, humoris ſymptomate euaneſcente, reuocatam ad ſenſum. ſed præſtat Euſebij Cæſarienſis in Hieroclem Alexandrinum philoſophũ Apollonij patronum, uerba referre, Nam quod ad puellam, inquit, ſpectat, ab inferis reuocatam; ſiue ad ſemianimen potius, quod Philoſtratus ſentit, quæ cùm ſopitam ſpiritus ſcintillam dum efferretur in ſe haberet, irrorante mox pluuia excitatam, totum ſanè eſt, ſicut & antea dixi; de miraculis eius amouendum, non enim tam grande facinus, ſi modò uerũ fuiſſet, ita preſſum ſilencio euanuiſſet, cum præſertim Romæ, ubi tunc Imperator agebat, factum dicatur, Hactenus Euſeb. Itaque aut ea puellæ ſuſcitatio fabuloſa eſt, ut Euſebius credit, aut ſi contigit, non uerè fuit ſuſcitatio, cum mors non præceſsiſſet, ſed ſenſus receptio.

Quod uerò quæ à Chriſto uel apoſtolicis uiris ſunt factæ, mortuorum uerè ſuſcitationes fuerint, quas, inquã, ueræ animæ & corporis ſolutiones præceſſerint, uel inimicorum Phariſæorum in hac parte ſilentium, apertè demonſtrat. Cur enim non apoplecticos, aut ſubeticos, aut ſyncopticos, aut alio ex his, quos enarrauimus, morbis correptos, clamaſſent, niſi ſciſſent, ſe quaſi mendaces & procaces ſycophantas, qui rem manifeſtam calũniarentur, ridendos, à populo? An qui in Belzebub dæmonia fugare, & rem cum diabolo habere quotidie dicebant, in mortuorũ ſuſcitatione ſi potuiſſent naturales morbos, non fuiſſent cauſaturi? Sed quos naturales morbos in fœtido Lazaro prætendere poterant? Naturali enim languore correptus dũ adhuc anima manet in corpore, corrũpi non poteſt. Lazarus autẽ præ cadaueris fœtore uix adiri poterat. In Archiſynagogi etiã filiæ ſuſcitatione, tanta erat mortis euidentia, ut eo dicente non eſſe mortuam, ſed dor-
Luc. 8. mire puellam, quaſi delirum riderent. Idemque dicendum de cæteris, uel quos per ſe Chriſtus euocauit, uel quos uiuificauit apoſtolica manus in Chriſti nomine ac uirtute. Adde quòd eſt omnium potiſsimum, & quod naturalis morbi omnino ſuſpitionem excludit, noſtras mortuorum ſuſcitationes, non ſponte ſed ad Chriſti uel apoſtolorum imperia patratas in Euangelicæ prædicationis teſtimonium fuiſſe. Nec enim non eſſet
Ioan. 11. impudentiſsimum dicere, naturali uirtute Lazarum, filium uiduæ, aut Archiſynagogi
Luc. 7. puellam, humore conſumpto, rediiſſe, cum non ſua ſponte, ſed Chriſti imperio, redierint. In illis profectò quos ex gentium hiſtoriis parum antea produximus, naturalis morbi peracta inuaſione, quando inquam, qui ſtuporem illum cauſabant, humores, uel mo-

dico

dico pharmaco inſtillato, uel ipſa ſponte naturæ reſoluti, decedebant, ſalus & uitæ actiones, ad nullius imperium prouocatæ, redibant. In noſtris uerò poſt uota, & ſanctas inuocationes in Chriſti & Euangelicæ legis honorem & teſtimonium, uoluntario imperio, uita dabatur, niſi quis credat Chriſtum aut Euangelicos uiros, cum morbis & humoribus pactos, ut tempus, quo eſſent diſceſſuri indicarent, atque adeo non prius illorum hominum ſuſcitationem aggreſſos, quàm conſumptos humores, qui languores effecerant apertè cognoſcerent: ſed & hoc non paruum eſſet diuinitatis indicium, ſcire inquam, exactè, quando eſſet terminus morbi, & quanta eſſet humorum periodus, præſertim in his, qui non uarias Orbis plagas adiſcendæ medicinæ ratione, peregrini percurrerant.

NVNC in tertium genus hoſtium orationem conuertamus, qui uniuerſa chriſtianæ religionis miracula, non in diuinitatem, ſed in magiam, aut naturam, refundunt. contra priores uerò, quòd eos multiplici ratione eccleſiaſtici patres, in his libris, quos aduerſus gentes ſcripſerunt, protriuerint, non multa dicemus, & quòd hîc præſertim, non Ethnicis, ſed noſtris chriſtianis hominibus ſcribamus, qui quàm longè Magia & cæteræ diabolicæ artes à chriſtiana ratione uiuendi, recedant, optimè norunt. Diluit eam calumniam, cum adhuc inter mortales ageret, Chriſtus, cum ob cœcum & mutum à Dæmone liberatũ, Belzebub principis dæmoniorum ab improbis Phariſæis obiiceretur conſortium, Omne inquit regnum in ſe diuiſum, deſolabitur, & omnis ciuitas uel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit; etſi Satanas, Satanam eiicit, aduerſus ſe diuiſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum eius? Quibus uerbis efficaci ratione, ſe nullam cum dæmonibus habere ſocietatem demonſtrat, quòd nullo pacto fieri queat, ut qui cum altero fœdus percuſſit, omnia in eius perniciem & exitium procuret: quod non tantùm per ſe ipſum, ſed per omnes ſuos ſectatores Chriſtus præſtabat, dum mundum uniuerſum apoſtolica expeditione, ab eius poteſtate ſubduxit. Obiiciebatur itaque noſtris olim in operandis miraculis magia, tam uerè quàm infanticidia, de quibus Tertullianus in Apologetico, Dicimur, inquit ſceleratiſsimi de ſacramento infanticidij & pabulo Iudæ, & poſt conuiuium inceſtu, quòd euerſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum & libidinum impiarũ, inuerecundiam procurent. Sunt autem hæc, quæ chriſtianis hominibus impingebantur à gentibus, quòd infantulum recens natum, in ſacris ſuis iugularent, & illius ſanguine panem imbuerent, quo ueſcerentur, ac deinde candelabris & lucernis, per canes euerſis, quos in hunc uſum domi nutritos & inſtructos haberent, cum matribus & ſorotibus, inceſtum committerent. Quod ſacrilegium quam longè fuerit ab eccleſiaſticis moribus, nemo non uidet; licèt Aurelio Auguſtino auctore, Cataphryges hæretici, apud Africam, ſanguine infantis Euchariſtiam inficerent. Obiiciebatur tam uerè magia Chriſtianis, quàm adoratio capitis aſinini, quæ prius quidem Iudæis, à Cornelio tacito hiſtoriarum auctore, Molone, & Appione grammatico Alexandrino, fuerat obiecta, quòd, ut mentiebantur, ſiti in uaſtis eremis, extrema patientibus Iudæis, grex ſilueſtrium aſinorum occurrerit, qui in rupem nemore opacam conſcendens, fontem oſtenderit, atque adeo ſub aſinina forma, ea poſtea gens numen coluerit, deinde uerò chriſtianis, quòd ab ea gente religionem acceperint, idem mos inoleuerit, adeo ut Deum noſtrum infando picturæ genere, populo exponerent, ut ſcilicet is foret auribus aſininis, pede altero inungulatus, librum geſtans, & togatus. cui flagitio ut ſcelus adderent, tali titulo Chriſti effigiem de honeſtarunt. DEVS CHRISTIANORVM ΟΝΟΧΗΤΟΣ. qua in re uel ipſe Tertullianus, uix riſu abſtinuit. Erat, inquit ille, auribus aſininis altero pede ungulatus, librum geſtans & togatus, riſimus & nomen & formam. Erant & apud gentes, qui Solis adorationẽ Chriſtianis impingerent: erant & qui ἀθέους, ideſt ſine religione uocarent, ut refert. M. Aureli. Antoninus in Epiſtola pro chriſtianis ad ſenatum romanum. Quæ quis non uidet falſiſsima eſſe & ridicula, nihilq́; à Chriſtiana, immo & Iudaica religione ſemotius? ſed gentes cùm uera crimina chriſtianis intentare non poſſent, obiiciebant falſa. Nam quod falsò illis infanticidia impingerentur, ſic efficaciſsima ratione Tertullianus demonſtrat, Cum odio ſui, inquit, incœpit ueritas, ſimul atque apparuit, inimica eſſe, tot hoſtes eius, quot extranei, & quidem proprij ex æmulatione, Iudæi, ex concuſſione, milites, ex natura, ipſi etiam domeſticis noſtris quotidie obſidemur, quotidie prodimur, in ipſis quotidie cœtibus & congregatio-

Iudæi, qui magiæ miracula tribuunt.

Math. 12.

c. 7.

Euſeb. eccleſiaſtica hiſto. lib. 4. c. 7.

Lib. de hæres.

c. 16. contra gen.

gregationibus noſtris opprimimur. Quis unquam taliter uagienti infanti ſuperuênit? quis cruenta ut inuenerat, cyclopum & Sirenarum ora, iûdicio reſerauît? quis in uxore aliqua, immunda ueſtigia deprahendit? quis talia facinora cùm inueniſſet, celauit, aut uendidit, ipſos trahens homines? Si ſemper latemus quando proditum eſt, quod admittimus, immo à quibus prodi potuit? ab ipſis enim reis non utique, cum uel ex forma omnibus myſteriis, ſilentij fides adhibeatur. Samothracia & Eleuſina reticentur, quanto magis, quæ prodita, magis animaduerſionem prouocabunt, quàm diuina ſeruantur? Si ergo non ipſi proditores ſui, ſequitur ut extranei, & unde extraneis notitia, cum ſæpe etiam prophanæ initiationes, arceant prophanos? Hactenus ille, quibus haud dubium, uerbis gentium procaces calumnias ineluctabili argumẽto confutat. Obiiciebantur quidem olim Chriſtianis hominibus ſceleta & crimina, ſed quæ nunquam ueris argumentis probarentur, quod utinam nobis contingeret. Sed ad rem, demus Chriſtum & apoſtolicos uiros, & qui poſtea, in eccleſia miracula ediderunt, magos fuiſſe, omnemque magiam, apprimè calluiſſe, an hæc ad ſubitò, ſolo uerborum imperio, ſanandos ægrotos, claudos erigendos, illuminandos cæcos, ſuſcitandos mortuos, ſatis erant?

Cõtrouertitur, an magica artes effectus habeat, an tã tùm præſtigioſos.

Prima ſententia de magicis effectibus.

Et quidem de magicæ artis uirtute, & quo tandem eius progrediatur poteſtas, nariè ſapientes ſenſerunt. Sunt enim qui uniuerſa magicæ artis effecta, oculorum faſcinationes & præſtigias exiſtiment: unde Plato undecimo libro de legibus, corporibus lædi corpora, ex natura ipſa eſſe dicit, ſed ueneficiis quibuſdam & magicis incantamentis, uinculis quoque (ut uocant) his quidem qnibus nocere tentant, perſuaſum eſſe, id ſe poſſe, & aliis lædi ſe quoque poſſe, natura uerò quemadmodum iſta ſe habeant, non facilè credit cognoſci nec uulgo ſuadere: Quo circa de magicis incantationibus ita lege lata conſtituit, Quiſquis aliquem læſerit, ſi non lethaliter, nec eum ipſum nec quemquam de eius familia, ſed uel pecus uel aluearia, ſeu neci dederit, ſeu aliter affecerit quàm morte, ſi medicus ſit & ueneficij fuerit conuictus, extremo ſupplicio, pœnam luito; ſin inſcius ſit iudices quid ipſum aut pati, aut ſoluere par ſit, æſtimanto. Si quis uerò uinculis, aut illectamentis, uel incantationibus aut huiuſmodi quibuſcunq; ueneficiis nocenti ſimilis iudicatus fuerit, ſi uates ſit, aut prodigiorum conſultus, morte plectitor, ſin earum artiũ expers, & ueneficium feciſſe pronuntiatum ſit, & de hoc quoque conſilium iudicũ, qua pœna uel mulcta afficiendus ſit, cenſeto. Hactenus Plato. Qua lege maleficos quidem punit, quòd horum ſcelus fuerit apertum, dum cibo aut potione humanis corporibus lædendis, aut interimendis aconita miſcent; Incantatores uerò, qui ſola uerbali læſione ſe credunt nocere, non ideo punit quòd credat ex ipſa natura incantamenta nocere, ſed quòd ſimiles ſint nocentibus, & quantum ad ipſos attinet, uerum animum habuerint nocendi, & demum, quòd ſaltem ex humana ſuperſtitione, hominibus noceant. Iuſtinus quanuis Chriſti Martyr, Platonicæ philoſophiæ ſectator, in his quæſtionibus, quas gentium nomine Chriſtianis proponit, dum inter Aegyptiorum magorum & Moſis miracula differentiam conſtituit, ea inquit miracula, quæ à Moſe edita ſunt, mutatione naturæ, quæ proponebatur, in naturam eius, quod efficiebatur, extiterunt, ea autem quæ magi ediderunt, dæmonum opera edita ſunt, qui faciebat, ut oculi eorum, qui cernebant ſerpentem, ſanguinem, & ranas, quæ non erant, uidere uiderentur. Idemque in eodem libro cùm de Saulica pythoniſſa ſermonem faceret, Quæ à diuinatrice, inquit, facta ſunt, dæmonis opera facta ſunt omnia, qui perfecit ut oculi eorum, qui uidebant, Samuelem uidere uiderentur, ſed ueritas uerborum à Deo extitit, cuius conceſſu, Samuelis habitu & figura, diuinitatrici uideretur, doceretque rei futuræ iterpretationem. Hactenus Iuſtinus, quibus nullum uerum effectum magiæ attribuit, ſed meras præſtigias. C. Plinius nunquã de magicis operationibus, ſine riſu loquitur, quòd eam artẽ, omnium humanorum ſtudiorum fallaciſſimam credat, idque non futili coniectura, quòd ſcilicet ſi ij, qui de illa circunferuntur ſermones, ueri eſſent, Nero Imperator experientia comprobaſſet, ſed eius uerba libet proferre, Species inquit, magiæ, plures ſunt, namque & ex aqua, & ex ſphæris, & ex aëre, & ſtellis, & lucernis ac peluibus, ſecuribuſque, & multis aliis modis diuina promittit, præterea umbrarum inferorumque colloquia, quæ omnia ætate noſtra Nerò falſa uanaque eſſe comperit, quippe non citharæ, tragiciq; cantus libido illi maior fuit, fortuna

Lib. 12. naturalis hiſtoriæ. c. 1.

rerum

rerum humanarum ſumma geſtiente, in profundis animi uiciis, primumque imperare Diis concupiuit, nec quicquam generoſius noluit. nemo unquam ulli artium ualidius fauit, ad hæc non opes ei defuere, non uires, non diſcendi ingenium, aliaque non patiente mundo. Et ſubinde, Indubitatum exemplum eſt falſæ artis, quam dereliquit Nero, & poſt alia. Nihil ait membris defuit, nam dies eligere certos, liberum erat, pecudes uerò, quibus non niſi ater colos eſſet facilè, nam hominem immolare, etiam gratiſsimum. Magus ad eum Tyridates Armeniorum rex uenerat; Armeniacum de ſe triumphum afferens, & ideo prouinciis grauis, magos ſecum adduxerat, magicis eum ſcenis initiauerat, non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere potuit artem. Quibus adductus rationibus, de uniuerſa magia ſic tandem ſtatuit, Proinde itaque perſuaſum ſit inteſtabilem, irritam, inanem eſſe, habentem tamen quaſdam ueritatis umbras, ſed in his ueneficas artes pollere non magiam. Hactenus Plinius. ſimiliaque de Iuliano apoſtata hiſtorici tradunt. Quæ profectò, non multum ſuperſtitioſis ingeniis, ad uniuerſam magiam eludendam ſat eſſent, quî enim fieri potuiſſet, ut homines acris ingenij, eius artis diſcendæ auidiſsimi, in ſumma rerum humanarum fortuna, nullo Dei timore deterriti, ſi ea ars, quæ magnificè promittit, poſſet præſtare, non eius ueros effectus opere comprobaſſent? Idemque de cæteris principibus, præſertim infidelibus, eſto iudicium. Quo uerò pacto credibile eſt, plebeios aut tenuioris fortunæ homines, quod principes, nec diſcendi auiditate, neque minores ingenio, non potuerunt, adeptos fuiſſe? Porphyrius in eadem uidetur fuiſſe ſententia, dicens, à prauis dæmonibus, non ſolùm uulgus eſſe deceptum, ſed philoſophos quoque eruditos & diſertos, qui eloquentia ſua multos alios in errorem pertraxerunt. Violenti, inquit, ſunt dæmones & fallaces, ſimulatores, diſsimulatoreſque, cultumque deorum ad ſe ipſos transferre ſtudent, nam nullum eſt malorum genus, quo non delectentur, & Deorum inducta perſona, in errorem ac ſtultitiam impuliſſe nos, gaudent. Tales ſunt & animæ mortuorum, quæ uiciis oppletæ, à corpore migrarunt, afflictant ut enim adhuc uitæ ac concupiſcentiæ perturbationibus, & in naturam conuerſæ dæmonum, ſimiles illorum redduntur, noxiæ & turbulentæ, in uarias quoque ſeſe uertunt formas, ac modò conſpicuas ſe oculis præbent, modò recondunt, ita eludunt aciem, tum intuentium, tum etiam cogitantium. Hæc Porphyrius, eandemque ſententiam probare uidetur in epiſtola ad Anebutem ſacerdotem Aegyptium, cuius ſummam Aurelius Auguſtin. libro decimo de ciuitate Dei refert. Miratur ibi, quo pacto ſit credibile, ut ad hominum imperia, dæmones qui ſint altioris naturæ & ordinis, hos effectus producant. Et multa ſibi alioqui profectò homines cogitatione confingunt, quæ ſibi uidere uidentur, cum tamen re ipſa nihil uiderint, idque phantaſmate aliquo oblato, tam facile eſt, ut nihil crebrius uideamus contingere. Illudunt ſæpe oculis noſtris, nec eſt mirum diabolicam poteſtatem, noſtrorum oculorum aciem & obtutum præſtringere, cùm à circulatoribus, nobis plerunque ſic imponatur, ut niſi à tali hominum genere, prodire non poſſe, perſuaſum haberemus, certiſsima crederemus eſſe miracula, uix enim acumen ingenij, rationem illorum operum, quæ ab iſtis geruntur conſequitur, & ſunt qui credant, ſine dæmonica uirtute huiuſmodi opera exhiberi non poſſe, cum tamen re uera ſint artis exercitatiſsimæ, quæ celerrimo tractu atque agitatione, defixum in res obtutum, præſtigiis fruſtratur, naturales effectus. Itaq; qui edit panem, ſpuere à cunctis iudicatur farinam ſiccisſimã, qui bibit uinum, per frontem aut etiam per iugulum idem uinum remittere uidetur. Ingenti deinde ſpectatorum metu & admiratione, gladij uorantur, & ingens uis euomitur acuum zonularum, nummorũ &c. Videas ſubitò apparere conuiuas omnes truncos, aut aſininis capitibus, extendi media bruma per triclinium uuis onuſtam ingentem uitem, quorum tamen rationem, plurimi norunt, non à dæmonibus, ſed ab arte profectam, extant enim de his rebus non pauca uolumina. Quod ſi hæc præſtare poſsit humana ſapientia, quid de dæmonibus, qui nobis & rerum naturalium peritia, & uiribus & ſubtilitate præſtant, erit dicendum? Quid mirum quod magica incantationes,

ſidera primum
Præcipiti deducta polo, phebeque ſerena, Lucan. lib. 6.
Non aliter diris, uerborum obſeſſa uenenis
Palluit, & nigris terreniſque ignibus arſit,
Quàm ſi fraterna prohiberet imagine tellus,

Amianus Marcellinus. Aurelius uict. Paulus diac. Procop. etc.

Lib. 2. de abſtinen. anima.

Infereretque ſuas, flammis cæleſtibus umbras,
Et patitur tantos cantu depreſſa labores,
Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.

Quid mirum quod de maga apud Vergilium, dicatur,

Aen. 4. *Hac, ſe carminibus promittit ſoluere mentes,*
Quas uelit, aſt aliis duras immittere curas,
Siſtere aquam fluuiis, & uertere ſidera retro,
Nocturnosque ciere manes, mugire uidebis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.

Quid mirum quòd apud Ouidium de Medæa dicatur,

Illa reluctantem curſu deducere Lunam
Nititur, & tenebras addere ſolis equis.

Hoc enim erat perſuaſum, illis magicis incantamentis detrahi cœlo lunam, ſicut ait Vergilius in Pharmacentria,

Carmine uel cælo poſſum deducere Lunam.

Idcirco nutrix illa apud Senecam in Hippolyto, cùm Lunam ueneratur, ad hunc loquitur modum,

Sic te lucidi uultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas,
Sic te gerentem frena nocturni equitis,
Detrahere nunquam Theſſali cantus queant.

Credunt itaque iſti, magicas artes non ueros habere effectus, ſed in earum exercitio ſenſus humanos ludificari, atque ita credunt accipiendum, quod de ſociis Diomedis, quos Varro narrat in aues conuerſos; & quod de ſociis Vlyſsis, quos Circes ueneficio, in beſtias mutatos, uulgo circunfertur. Quoniam quis alioqui credat magicis incantationibus uerè ac re ipſa, fluuiorum aquas aut ſidera retro cõuerti, cùm eorum curſus ſit neceſſarius? Quis credat ornos montibus ſola uerborum excantatione deduci? Quis credat Lunam cœlo detrahi, aut ſolo uerborum carmine ſiſti? Ergo magicæ artis non ſunt ueri ac reales effectus, ſed meræ præſtigiæ, quæ diabolica ſubtilitate, intuentium obtutum decipiant. Quòd ſi horum ſit imitanda ſententia; qui tamen maximi nominis apud gentes habentur, iam quàm longè à magicis artibus, Chriſti aut apoſtolorum miracula ſteterint, quorum effectus non phantaſtici, ſed re ipſa multo tempore probatiſsimi fuerint, nemo non uidet. Neque enim ita paralyticum integra corporis ac membrorum functione donabat, ut aſpicientium oculos tantùm præſtringeret, ipſe uerò adhuc antiqua paralyſi reſolutus maneret, ſed ita ut toti populo, multo poſt tempore ægroti ſalus, cognita fieret, & qui fuerat ab eo ſanatus, integro corporis exercitio frueretur. Sed neque ita Lazarum ſuſcitauit à mortuis, ut phantaſtica tantùm ſpecies humanis oculis fuiſſet offuſa, ſed ita ut ipſe tam uerè uiueret, quàm ante mortem, nondum ablata uita uiuebat, & altera corporali morte, quemadmodum cæteri mortales eſſet ſoluendus. Vnde nihil aliud habentes, quo celebris miraculi gloria obſoleſceret, principes ſacerdotum & Hebraicus Senatus, Lazarum è medio tollere ſtatuunt, quaſi rurſus illata morte non fuiſſe uerè reuocatum à mortuis, ſuaſuros ſe crederent. Claudi etiam ſanitas, quam apud portam templi Petrus impertiit, non oculorum præſtrictione fefellit, ſed uerè ac realiter, uidit omnis populus deambulantem, & laudantem Deum, quem antea ad eandem portam humi iacentem quotidie conſpexerat. Atque ita de cæteris, quæ Chriſtus aut apoſtolici uiri miracula ediderunt, eſt per omnia ſentiendum.

Probatur Euãgelica miracula non magia ulla ſed diuina uirtute facta fuiſſe. — *Luca 5.* — *Ioan. 12.* — *Actu 3.*

De effectibus magicis 2. Sententia.

SVNT alij tum apud gentes, tum apud noſtros, qui quanuis in Magica diſciplina multa credant uitio tractantium, & nimia mortalium credulitate, ac ſuperſtitione confingi, non tamen uniuerſam artem, quaſi perſtigioſam, & tanquam, quæ nullos habeat ueros effectus, damnandam exiſtiment. Multa enim in quauis arte peccantur, quæ non tamen arti ſed artis profeſſoribus ſunt imputanda, ut in medicina &c. quas humana neceſsitas aut uſus inuenit. In his, in primis eſt, Iamblichus homo initiatus, & ut ipſe de ſe putat religioſior, qui poſt huius artis apologiam, ne in ea mali dæmones nobis imponant, hoc diſcrimine dæmones bonos & malos dignoſcendos exiſtimat, quòd boni nunquam, mali uerò ſemper iactantia ducantur. Huic ſententiæ, ut omittamus prophanos, non pauci ex noſtris, nec ſapientiæ, nec titulo ſanctitatis obſcuri, accedũt, docentes, non

emper magicis artibus ſenſus deludi, ſed quandoque ueros effectus, ex ea arte ſaltem diabolica poteſtate produci: in quibus profertur Auguſtinus multis in locis, qui ueros ſerpentes à magis Pharaonis, beneficio magiæ credit effectos: quod ex ipſa ſanctæ hiſtoriæ narratione colligi cenſet, quæ poſtquàm Aaronis uirgam in ſerpentem conuertiſſe retulit, ſtatim ſubiūgit, quòd malefici ſimiliter fecerint, & quòd uirgas ſimiliter iacientes, in dracones conuerterint. Idem etiam opinatur Origenes; quos duos ſcholaſti eorum turba conſequitur. Accedit horum auctoritati, quòd multis, tum diuini, tum humani Iuris locis, acceſſus ad magos grauiſsima pœna uetetur: quod magnum eſt argumentum, non eſſe omnino uanas magicas artes. Deinde ſunt Phyltrorum amatoriorum, quæ carminibus uel poculis homines inuitos in amores alliciant experimenta ab auctoribus celebrata non pauca, quibus omnino contradicere, ſanum non putant, ut quod Anneus Lucanus de Theſſalis mulieribus ſcribit,

3. de trin. ca. 7. 8. & libr. 33. q. q. 79. Exo. 7.

Carmine Theſſalidum dura in præcordia fluxit,
Non fatis adductus amor, flammiſque ſeueri
Illicitis arſere ignes, nec noxia tantum
Pocula proficiunt, aut cum turgentia ſucco
Frontis amaturæ ſubducunt pignora fœtæ.

& Propertius in lenam quandam,

Conſuluit ſtriges, noſtro de ſanguine, & in me
Hippomanes, fœtæ ſemina legit equæ.

Eſt autem Hippomanes inter amatoria ueneficia, Ariſtotelis, Plinij, & Columellæ teſtimonio, caruncula quædam, quæ pulli equini fronte conſurgit, quam in puluerem uerſam, ad amores conciliandos efficaciſsimam dicunt. Vnde Virgilius,

Quæritur & naſcentis equi, de fronte reuulſus,
Et matri præreptus, amor.

& Tibullus

Et quot ubi indomitis gregibus, Venus afflat amores,
Hippomanes; cupidæ diſtillat ab inguine equæ.

Huc etiam alludit, quod Dido apud Virgilium de maga inquit,

Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes,
Quas uelit, aſt aliis duras immittere curas.

Narrat apud Lucianum Samoſatenum, eo dialogo, qui Philopſeudos uocatur, Cleodemus Peripateticus philoſophus, Chriſidem mulierē ui magica in amorem pertractam. apud Apuleium, Pamphila mulier magicæ artis perita, ubi ſpectabilis formæ iuuenem uidit; eundem ad ſe incantamentorum uiolentia pertraxit. ſunt & in iure ciuili conſtitutiones non paucæ, quæ non leui ſunt argumento, non eſſe uanas omnino magicas artes. Quorſum enim tam ſeueris legibus fuiſſent prohibitæ? Immo quorſum, tanta earum ratio apud iureconſultos fieret? Neque enim de arte Chymica quòd à ſapientioribus uana putetur, ſtatutæ ſunt leges. Apud Italas gentes magiæ ſupplicia in duodecim tabulis contra illos qui fruges excantaſſent, aut malum carmen incantaſſent; magno ſunt argumento, aliquā eſſe magiæ uirtutem. Eſt & illud Hiero. in uita Hilarionis teſtimonio cōprobatum, iuuenem quendā ubi uirginem ſacram iocis, nutibus, muneribus & cæteris, quæ ſolēt perituræ uirginis eſſe principia, in turpes amores non potuit pellicere, ad magicas artes cōuerſum, quas apud Memphim Aegypti didicerat, eò amoris uirginē traxiſſe, ut abiecto amictu capitis, crinē totaret, ſtrideret dētibus, nomen adoleſcentis, quem antea contēpſerat, perpetuò inclamaret. Sunt & in hanc rē multa exēpla, quæ Iacob. Sprenger, uir huiuſce rei peritiſsimus, lib. de Strigibus, quē Malleum maleficarum uocauit, coacernat. Eſt & apud plures doctiſs. uiros, ualde ſuiſum has ſtriges (de quibus Paulus Grillandus, & Ponzinibius, Iureconſulti; Picus & alij, multa literis prodiderunt) non ſola imaginatione, ſed uerè ac realiter, neſcio quibus unctionibus & carminibus, breui temporis ſpatio, in ſemotiſsimos campos, ubi magnis delitiis, cum amatoribus & Diabolo Capri ſpecie ocientur proficiſci. quòd ſi nulla eſſet magicæ artis uirtus, ſed tantùm eſſet ſenſus deluſio, nequaquam fieret: Quin, quod magis urget, Chriſtus eccleſiaſticas tentationes, quæ Antichriſti ſæculo ſunt futuræ, prænuntians, Surgent, inquit, pſeudoChriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia,

Lib. 2. de aſino aureo.
C. de maleſi. Leonī, & Lcōſtantinus. Acurſi. in authē. quom. opor. Epiſc. & cler.
Alberic in rub. de here Matthæ. de afflict. in conſtit. Sici. & aliis locis, Hippolytus in l. Eiuſdem ff. ſicariis etc.
Alphon. Caſtr. lib. de hæretic. puni.
Matth. 24.

ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Simonem magum , præter ea
quæ Iuſtinus Martyr in appologetico & Clemens Romanus Pont. ſcribunt , quod multis
miraculis, quæ magicis incantationibus præſtitit , à Romano populo publicam ſtatuam
acceperit , cum inſcriptione , SIMONI DEO MAGNO , Apoſtolica hiſtoria, eiſdẽ ar-
tibus , ingentes apud Samaritas honores accepiſſe recenſet , adeo ut à minimo uſque ad
Act.8. maximum , de illo diceretur , Hæc eſt uirtus Dei , quæ uocatur magna . Refertur & in
eadem hiſtoria Elimas magus, qui Paulinæ prædicationi, apud Sergium Paulum, Cypri.
Act.13. Proconſulem , obſtitit , quem idẽ Paulus , quòd illi eſſet impedimento , diris deuouerit .
Quæ etiam in apoſtolorũ hiſtoriis , à magis factitata leguntur , adeò erant admiranda,
Abdias babylon. ut eorum auctores, cum apoſtolicis miraculis certamen inirent . Apollonius Tyaneus,
tantum ualuit magicis artibus , ut Hierocles illũ , edito aduerſus Chriſtianos libro, cum
Chriſto cõtulerit. Præſente Domitiano Cæſare ac ſenatu,diſparuiſſe deſcribitur : miſero
uerò adoleſcenti Menippo , lamiæ cuiuſdam amoribus capto , in ipſa nuptiarum hora ,
lamiæ , quam ducebat animum retexit , quæ ſcilicet molliebatur , poſteà quàm in pul-
Philoſtr. lib.8. chro iuuene libidinem ſuam exſatiaſſet , cum per delicias reddidiſſet obeſiorem, eius ſan
guine exſucto carnibus eius ueſci ; quòd ut ait Apollonius , humanis carnibus ſummo-
pere huiſmodi ſtryges delectentur . Sed neque minus eſt admirabile quòd eadem lamia
ad ineundos cum Menippo amores , quo propter pulchritudinis ſpeciem cupiebat poti-
ri, eidem Cenchræas proficiſcenti , in phantaſmate apparuit , ſe genere Phœnyſſam , & in
urbis ſuburbano Corinthico habitare denuntians, rogansque , ut ueſperi ad ſe ueni-
ret, & eius pulchritudine , ac optimo uino , quale nunquam bibiſſet frueretur . Quod
cùm factum fuiſſet , apparatis iam nuptiis, ingenti diuitiarum ſpecie , opiparumque
conuiuium, quod magna ſeruorum turba , ſummisque deliciis fuerat appoſitum , Apol-
lonius fuiſſet ingreſſus , quæſiſſetque à miſero iuuene , cuius eſſent argentum illud & au-
rum , & precioſa illa ornamenta , reſpondiſſetque , non ſua , qui pauper eſſet , ſed ſponſæ
eſſe omnia , ad inuitatos dixiſſe , Tantali hortos uidetis conuiuæ , qui , ſicut ab Homero
ſcribitur , apparent aliquid eſſe cum non ſint , nec tamen in infernum deſcendiſtis , ta-
lem hunc ornatum exiſtimetis oportet : neque enim , quæ apparet materia , ulla ſubeſt ,
ſed materiæ duntaxat ſimulacrum eſt & imago . Vt autem uerum eſſe ſciatis , quod di-
co, bona hæc ſponſa , una ex numero lamiarum eſt, quas aliqui laruas , aliqui lemures
appellant, ſunt autem ad amorem & uenerem pronæ, & humanas carnes uehementer ex-
petunt, & uenereorũ cupidine alliciunt , quos deuorare cupiunt . Quibus uerbis in phi-
loſophorum libertatem inuecta mulier , cùm malè habuiſſet , ſubitò uniuerſum illum ma
gnificum apparatum ab Apollonio increpitum , euanuiſſe . Cumq; mulier lacrymabun-
da Apollonium rogaret , ne quæ eſſet fateri cogeretur , illeq; acrius inſtaret , neq; ſe , ſi
non prius fateretur , eam dimiſſurũ , minitaretur , tandem ſe lamiam confeſſam dixiſſe ,
uoluiſſe Menippum uoluptatibus explere , & tãdem corpus eius deuorare , quòd pulchris
& iuuenibus hominum corporibus ueſci aſſueuiſſet . Hactenus Philoſtrati hiſtoria . Quã
tamen rem , ideò ſe referre inquit , quòd fuerit in uniuerſa Græcia notiſſima . Eſt & ad-
mirabile , quòd cùm Nerone catharro languente , uniuerſus populus Romanus , in deo-
rum delubris , pro Imperatoris ſalute , ſacrificaret , atque neſcio quibus uerbis , in eo-
rum ſuperſtitioſum delyrium , fuiſſet Apollonius inuectus , die ſibi à Tigillino accuſato-
re dicto, in quo, quæ aduerſus Imperatoriam maieſtatem locutus fuiſſet, eſſet excuſatu-
rus , acceptis in iudicio ſyngraphis , quibus Apollonij blaſphemiæ continebantur , ſubi-
tò nullum literarum ueſtigium apparuit , quod & poſtea , cum iterum fuiſſet coram Do-
mitiano accuſatus , idem contigiſſe , docet idem Philoſtr. Sunt in eadem hiſtoria innu-
mera huius generis prodigia , quæ quòd non fuerint diuinitus præſtita , neceſſariò cogi-
mur in magiam referre . Taliaque ſunt in ueteris hiſtoriæ monumentis complura,quibus
horum auctorum iudicio non prorſus inanis & uana , ſed ueros effectu producens , ma-
gia probetur . Ratio uerò , qua magicæ artis uirtute ſubiti , hi & mirabiles effectus
producantur, eſt Auguſtino,quòd rationes ſeminariæ , in materia deliteſcentes , quas &
ingenij ſubtilitate & rerum naturalium peritia,optimè norunt, dæmones ſubitò undique
adducant , & quòd eadem ſeminali uirtute , ſenſim ac paulatim natura producit , illi bre
Componitur controuerſia. ui temporis ſpatio , ſubiecto diſpoſito præſtent .

In hoc uerò ſententiarum diſsidio componendo , uideo doctiſsimos quoſque , dupli-

cem

cem magiam deprehendere, alteram ceremonialem, ac tum malorum, tum bonorum ſpirituum, ſociatam conſortio; alteram naturalem, quæ non ſit aliud, quàm naturalis philoſophiæ apex, quæque, in rerum naturalium & earum penitiorum & occultiorum uirium contemplatione, uerſetur. Priorem illam, duplicem peritiores diſtinguunt, unam omnium mortalium iudicio damnatam, quæ Græcis κακουργία ſiue γοητεία uocetur; de qua concinnati ſunt & profluxerunt omnes libri illi, quos improbatæ lectionis Vlpianus appellat, & quos Liuius, cùm de Bacchanalibus loquitur, narrat olim ex ſenatusconſulto conquiſitos, ſiue ueneficia, ſiue uaticinandi artem continerent, ut traderentur incendio: in quibus modò numerantur, liber Zabuli, Barnabæ Cyprij, Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Pauli, Honorij, Cypriani Magi, Hierony. Alberti, Thomæ, Eboracenſis cuiuſdã, Alphonſi Regis, Roberti Anglici, Bachonis, Petri Aponenſis, quos omnes à Raziole & Raphaële, Adami & Thobiæ Angelis, traditos mentiuntur. In qua etiam Magia illuſtres fuiſſe memorantur, Circe, Medea, Pythoniſſa Saulica, Simon magus, &c. Alteram honeſtiorem, quæ in bonorum angelorum, quos Deos quoque ueteres uocarunt, religione uerſetur, ad quam magica illa duodecim uolumina, quæ Numa Pompilius Romanæ religionis inſtitutor & parens, partim Græcè, partim Latinè condidiſſe, & poſtea in ſepulchro ſecũ, ne uulgò, quæ arcana ac ſacra erant, propalàm fierent, abdidiſſe fertur, pertinuiſſe creduntur: quod nimirum magiam, ideſt, Deorum notitiam & legitimos cultus, quibus iam ore tenus ſacerdotes imbuerat, continerent. Goëtiæ aut Necromantiæ eſt, nefariis ritibus, illicitis carminibus, & deprecamentis, immundorum ſpirituum auſpicari commertia. Ij ſunt enim, qui defunctorum animas uiolenter inclamant, qui excantant pueros & in eloquium oraculi pelliciunt, qui dæmonas paredros ſecum circumferunt, quale quiddam, tum apud Platonem, tum apud Lucium Apuleium, tum apud alios, de Socrate legimus. Ij ſunt qui malos ſpiritus, per quos ſe prophetare mentiuntur, in uitro concluſos paſcere ſeſe iactant, & demum hæc eſt,

Duplex magia.

ff. de iniur. l. ad Labeonem.

Necromantia munus.

Gens inuiſa Diis, maculandi callida cœli,
Quam genuit natura mali, qui ſidera mundi,
Iuraque fixarum poſſunt peruertere rerum,
Nam nunc ſtare polos, & fulmina mittere norunt,
Aethera ſub terras adigunt, monteſque reuellunt.

Hi uerò, in agendo cum dæmonibus duplici ratione ducuntur, nam alij diuinorum nominum uirtute, adiuratos aduocare & cogere ſtudent, quippe cùm omnis creatura timeat & reuereatur nomẽ illius, qui fecit eam: non mirum ſi Goëtici & Necromantici, ſiue Iudæi, ſiue Sarraceni, ſiue Pagani, ſiue cuiuſcunque alterius prophanæ ſectæ homines, diuini nominis inuocatione, dæmonia, ad id quod uolunt præſtandum, uel inuita compellant. Differt autem ab hac Goëtiæ ſpecie, Chriſtiana exorcizandi ratio, quòd ea, licèt diuini nominis auctoritate dæmonibus imperitet, non tamen in malum, ſed in bonum id dirigat. Sunt alij his multo nequiores qui deteſtando, & incredibili ſcelere, certo pacto ac fœdere percuſſo, ſe dæmonibus deuouent, illiſque ſacrificant idololatræ effecti: atque hi, non per diuinorum nominum uirtutem compellunt, ſed in id, quod cupiunt uoluntarios pelliciunt. Theurgiæ uerò munus eſt, certis ritibus cœleſtes, & per illas, diuinas uirtutes, ſuis cultoribus conciliare, & attrahere, de quibus multis regulis antiqui magi, præſertim uerò Iamblichus Porphyrius, Michaël Pſellus, Macrobius, &c. diffuſiſsimè tractant. Omnium autem ceremoniarum pars maxima in munditia, tum animæ, tum corporis, & eorum, quæ circa corpus ſunt, ut cutis, ueſtium habitaculorum, uaſorum, utenſilium, oblationum, hoſtiarum, ſacrificiorum, &c. conſeruanda, conſiſtit. putant enim immunditia, quæ aërem frequenter & hominem inficit, mundiſsimum illum cœleſtium, & diuinorum influxum perturbari, & mundos Dei ſpiritus, ſpurcitiis offendi; putantque, hac theurgica purificatione, animam hominis ad uidendos Deos, ad ſuſceptionem ſpirituum, aut angelorum, conualeſcere poſſe: quanquam in ipſam diuinitatis naturam theurgicæ purificationes acceſſum non præſtent, quod is, omnẽ naturæ ordinem excellentia & potentiã tranſcedat. Purificationem autem animorum, cum ſacrificiis ac ritibus, tum ſummis illis gradibus uirtutum, quas diuinas appellãt, de quibus multa Platonici docent, accipi putant. diuidunt enim uirtutum gradus & ſtatus, in humanos, heroicos, purgatiuos, perfectiuos, &c. Huius autem

Duplex Goëtia aut Necromantia.

Theurgia.

Iãblichus lib. de myſteriis Aegyptiorum. Porph. tum lib. de abſtinentia, ſũ in epiſt. ad Nebutem, &c.

Macrob. Platon. &c.

S.Tho.&c. Theurgici cultus partes ſunt, ars notoria, de qua ſcholaſtici multa, ars Almadel, ars Paulina, ars reuelationum, &c. in quibus tamen, utinam Platonici tantùm & non multi ex noſtris nunc quoque delinquerent. *Naturalis magia.* Poſteriorem ſiue naturalem magiam, quam (ut diximus) non aliud putant, quàm naturalium ſcientiarum ſummam poteſtatem, & quæ naturalis philoſophiæ ſit practica portio, quæ naturalium uirtutum adminiculo, ex mutua earũdem applicatione, opera edit, ſupra omnem admirationis captum, maximè omnium, apud Indos, Aethiopes, Chaldæos, atq; Perſas, apud quos herbarum & lapidum cæterorumq́ue, ad id ſpectantium facultas ſuppetebat, uiguiſſe commemorãt, hacq́ue magia, multos, non ſolùm homines, ſed nationes illuſtriſsimas fuiſſe uolũt: in quibus numerant, Teſpionem, apud Gymnoſophiſtas, Hiarcham, apud Brachmanas, Buddam, apud Babylonios, Abbarim apud Hyperboreos, Zoroaſtem Horomaſi filium, apud Perſas, Zamolxidem apud Thracas, &c. Deq́ue hac, quæ non eſt aliud, ut Porphyrius & Apuleius exiſtimant, quàm ipſa ſapientia, Poſsidonium accipi uolunt apud Strabonem, cum docet apud Parthos, Scythiæ populos duplex eſſe concilium, συγγενῶν ideſt nobilium unum, alterum uerò Magorum, ex quorum utroque reges eligere Parthi conſueuerint. Ad eandem magiæ rationem, Zoroaſtis magia apud Alcibiadem Platonis pertinet, quam ille nihil aliud credit, quàm tum naturæ, tum diuinorum ſcientiã, qua imbuerentur Perſarum Regum filij, ut ad mundanæ Reipu. imaginem atque formam, ſuã & ipſi Rempub. adminiſtrarent. *Lib.1 de diuin.* Erat nanque Perſarum lege cautum, ut Cicero docet; neminem regio potiri faſtigio, qui magiam, ideſt, totius naturæ & religionis notitiam prius non imbibiſſet: niſi quòd hoc Perſarum ſtatutum, non modò magiam naturalem, ſed etiam Theurgiam, de qua loquuti ſumus, cõtinuiſſe uidetur. Hæc uerò magiæ ratio, tantum abeſt ut cum dæmonibus habeat conſortium, uel legum apud ullam gentem aut nationem poteſtate damnetur, ut potius eam, fœſto applauſu atque animo, ſapientiſsimus quiſq; ueneretur & colat, ut quæ altior ſit ſanctiorq́; philoſophia, ex qua inſignis deſcendat & deriuetur naturæ peritia. Hanc acquirendi gratia Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem, Apollonium, & ut quidam nolunt, Anaxagoram Clazomenium, longinquam nauigationem obiiſſe, & penè totum luſtraſſe Orbem, conſtanti opinione iactatur. *Magia naturalis fundamentum.* Atque hæc quidem magiæ ſpecies, fundamentum ac principium haber uniuerſorum rerum συμπάθειαν & affinitatem quandam, per quam ſint alterutrum ad agendum & patiendum idoneæ: rimatur enim hæc interſparſas mundo ac rerum naturalium ſanctuariis, uires mirabiles, & arte eaſdem exterius educens, hominibus incognitos & admirandos effectus exhibet. Nam magi, ut naturæ accuratiſsimi exploratores, adſumentes ea, quæ à natura præparata ſunt, applicanteſque actiua paſsiuis, quæ inter ſe hanc συμπάθειαν habent, ſepiſsimè ante tempus à natura ordinatum, effectus producunt, quæ uulgus putat eſſe miracula, cum tamen naturalia opera ſint, & naturæ uiribus, arte miniſtrante producta. ſunt enim qui mẽſe Februario aut Ianuario roſas producant, ſunt qui maturas uuas, ſatas fabas aut petroſelinum, inter paucas horas ſtupentibus omnibus in perfectam plantam excreſcere faciant. ſunt (ut aiunt) qui pluuias, nubes, tonitrua, diuerſorum generum animalia, & rerum alias quàm plurimas trãſmutationes, cum omnium mortalium admiratione, proferant, quales multas Rogerius Bachon præſtitiſſe ſe iactat. Coluerunt hanc diſciplinam, Zoroaſtes Horomaſi filius, quingẽtis annis ante bellum Troianum, ſub Nino Rege Aſſyriorũ, tum libris quatuor de natura, tum libro uno de lapidibus precioſis, *Suidas, & Lilius Gyraldus, de poetis.* Euax rex Arabum, libro uno de uiribus lapidum pretioſorũ ad Tyberium Neronem, Hermes Aegyptius Platonis diſcipulus, tum libro uno de confectionibus ad capiendum animalia ſylueſtria, tum altero de triginta ſex, tum altero de duodecim herbis, duodecim ſignis cœleſtibus attributis, tum alio de ſeptem herbis, ſeptem planetis dicatis: Zacharias Babylonius, qui auctor eſſe fertur eius libelli, qui magica oracula magorum à Zoroaſte, uerſibus exametris, circumfertur, Ioſeph Hebræus, Bochus quidam, ex quo multa ſe Plinius in ſextum decimum librum naturalis hiſtoriæ tranſtuliſſe fatetur, Aathon, Zenotenus, Thetel, Alchindus, Abel, Ptolemæus, Geber, Zahel, Nazabarub, Aſtaphon, Triphon Capriclius, Tebith, Berith, Salomon, Hipparchus Nicenſis, Alcmeon Crotoniata, Apollonius Thyanæus &c. quorũ libri aut circũferuntur, aut eos, tum Plinius, tum Conſtãtinus, tum Athenæus, tũ alij recentiores frequentiſsimè allegant. Ex noſtris eandem coluerunt, Albertus Ratiſponen-

ſis

ſis epiſcopus, Arnoldus de Villanoua, epiſtola de Alchimia, ad Regem Neapolitanum, libro etiam de ligaturis phyſicis, in Roſario philoſophorum, &c. Raimundus Lullius tum libris tribus de Alchimia, tum in apertorio magiæ naturalis, tum libris de quinta eſſentia, de ſecretis naturæ, de lillio intelligentiæ, de lapide philoſophorum, &c. Petrus Apo nenſis medicus. librum de eadem arte ſcripſiſſe memoratur, Io. Bapt. Porta Neapolitanus libris quatuor de natali magia, ſiue de naturæ miraculis: ad eademq; referri poſſunt. Ferdinandi Ponzeti Cardin. & Ardoini Piſautienſis medici ſtudia, quorum prior tres, ſecundus octo libros, de uenenis compoſuit. Hac demum naturalis magiæ profeſſione, euangelicos magos crediderunt quidam uocatos, quòd nimirum in ſincera rerum naturalium contemplatione manerent, ex qua in Dei ſubinde cognitionem ſurgentes, Euangelico myſterio primi omnium gentium digni ſint habiti: per ea enim quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempiterna Dei uirtus & diuinitas. Teſtatur C. Plinius ad Ve- *Roma. 1.* ſpaſianum Cæſarem, Dardanum egregiè in hac arte uerſatum, libroſq; à ſe conſcriptos, ſecum in ſepulcro cōdidiſſe, quos Democritus Abderites, uir ſagacis ingenij, in perſcrutandis naturæ uiribus, diligentiſsimè, conquiſitos & inuentos commentariis illuſtrarit, indeque ingentem theſaurum illum diſciplinæ ſuſceperit.

Hæc uerò magia in mathematicam, & phyſicam, & (ut aſtrologi cupiunt) in Aſtronomicam, quaſi in partes diſtinguitur: ſuntque qui eidem quaſi partem intrudant eam, quam Caballiſticam magiam Hebræi uocant, quæ in nominum tantùm contẽplatione uerſatur. Phyſica ea eſt, quæ in eius naturæ parte, quæ phyſicæ actionis & paſsionis eſt capax, tantummodò diſtringitur, retinetque generalem nomenclaturam. Mathematicam, eam magiæ naturalis partem uocarũt, quæ abſque naturalibus actionibus & paſſionibus, ex ſolis mathematicis diſciplinis, earum quæ uicaria Sympathia, ſeſe naturæ operum ſimilia, quamuis non uera, producere poſſe pollicetur. Hac arte olim Architas, ſiue *Phauorinus apud Gelliū libro 10. Cap. 12.* Tarentinus, ſiue alius quidam, ex quo multa Plinius mutuat, columbam ligneam, quæ uolaret, & ſtatuam Mercurij quæ loqueretur, effeciſſe memoriæ prodiderunt. eadem etiã Albertus Ratiſponenſis epiſc. caput æneum, quod cum omnium admiratione loqueretur, fabricaſſe refertur: eademque Manlius Boëthius Seuerinus, uir maximi ingenij, & multiplicis eruditionis, ſtupendos effectus exhibuiſſe memoratur, Tibi inquit, ſiue *In epiſtola quadam.* Caſsiodorus, ſiue Theodoricus, ſcribens ad eundem, perardua cognoſcere & miracula monſtrare propoſitum eſt, tuæ artis ingenio metalla mugiunt, Diomedes in aëre grauis buccinatur, aëneus anguis inſibilat, aues ſimulatæ ſunt, & quæ uocem propriam neſciũt, habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere, parua de illo referimus, cui cœlum imitari fas eſt: quæ omnia Boëthiũ ea arte, quæ à Græcis θαυματουργικὴ, quæ Chirurgica, altera, ſecundum Heronem, Pappumque Mechanicæ parte, continetur, facta eſſe non *Politianus in Iſag. in Mechan. Ariſt.* dubitamus; qua etiam nonnulli uaſa conficiunt, quæ indidem merum, mox dilutum uinum, mox aquam calidam, mox frigidam copioſam tenuemque reddunt: item pilas ſponte ſaltantes, lucernas, ſuas producentes ſtupas, & animalia, quæ à ſtructore dum ſecantur in menſa, bibunt interim uinum, crepituque ſuo & uoce, ſitientium repræſentant imaginem, aliaq; αὐτόματα, quæ breuitatis gratia miſſa facimus, Stupenda ſunt deinde quæ de Archimede Syracuſano Mathematico ab auctoribus mandata ſunt memoriæ. Ea quæ demum ars iſta eſſe uidetur, quam Plato inquit, datam eſſe mortalibus, ut ea res quaſdam generarent, non quidem ueritatis & diuinitatis participes ſed ſimulacra quædam.

Astronomicam Magiam uocant, artem quandam fabricandi anulos & imagines *Aſtronomica magia.* quaſdam, per quas aut in quibus cœleſtes influxus ſuſcipiantur, & ſuſcepti miros præſtent effectus: quam artem olim Hermes ſiue Hermas Aegyptius Platonis diſcipulus coluiſſe uidetur, tum libro de imaginibus ſiue præſtigiis, tum libris de anulis, de characteribus, de ſigillis, de Sole, de imaginibus Martis, de imaginibus Iouis, de imaginibus Saturni, &c. Coluerunt & eandem Rogerius Bachon, Arnoldus Villanouanus, & quidam alij, tum ueteres, tum recentiores, præſertim Arabes, qui in eam uanitatem ut ſemper uera eruditione deſtituuntur, ſunt propenſiores. Caballam, ſeu caballicam *Caballica magia.* magiam, ſcientiam quandam in monte Sina Moſi traditam, deindeque ore tenus, tantùm apud Hebræos per ſucceſsiones manentem, eſſe uolunt, de qua Cainm Plinium loquutum intelligunt, cùm inquit. Eſt & alia Magices factio à Moiſe etiamnum & Lato- *Lib. 30. naturalis hiſt.*

pea

pea Iudæis pendens, &c. Vocatur autem Caballa à uerbo Hebraico כבל ideſt recipio, quòd, ut olim Pytagorica dogmata ab Archippo & Lyſiade, qui in Græcia Thebis ſcholas habuere, in quibus diſcipuli, doctorum præcepta tenentes, ingenio & memoria pro libris utebantur, ſolo uerbo recipiatur. Hanc uerò Caballam duplicem docent, unam, quam uocant ברשת bereſith, ideſt coſmologiam, quod libro Geneſeos, qui ſic apud eos uocatur, tota rerum naturalium genitura tradatur, quamque uniuerſarum rerum tum naturalium, tum cœleſtium uires, per ipſa nomina explicare credunt: alteram legis bibliorumque ſacrorum, germanum ſenſum philoſophicis rationibus explicantem, de qua multa Reuclinus & Sebaſtianus Munſterus. Priorem illam, duplicem diſtinguunt, unam, quæ de ſublimioribus diuinarum angelicarumque uirtutum, ac ſacrorum nominum & ſignaculorum, contemplationibus ſymbolicè tractet, in qua literæ, numeri, figuræ, res, & nomina, elementorum, apices, lineæ, puncta, accentus, ſpiritus, & ſi quid eſt aliud minutius, profundiſsimam quandam ac ingentium rerum figuratiuam ſignificationem importet: quam rurſus in arithmeticam, quæ de angelicis uirtutibus, nominibus, ſignaculis, de dæmonum ac animarum conditionibus, agat, & in theomantiam, quæ in diuinæ maieſtatis myſteriis, emanationibus, & nominibus, ſpeculandis diſtringitur, conſequenter diſcerpunt. Hanc magiam qui habeat, admirandis eum pollere uirtutibus & effectibus docent, futuraque omnia præſcire, uniuerſitatique rerum creatarum imperare, conſtantiſsimè affirmant. Ea putant Moſem uirgam in colubrum, aquas in ſanguinem conuertiſſe, ranas, muſcas, locuſtas, bruchos, ueſicas, grandinem, ignem, tabem, Aegyptiis immiſiſſe, primogenitum omne ab homine uſque ad pecus intereniſſe, Iudæosque deducentem, mare aperuiſſe, fontem de petra, coturnices de cœlo, produxiſſe, aquas amaras dulcoraſſe, fulgura & nubes per diem, columnam ignis per noctem, ſuis præmiſiſſe, uocem Dei uiuentis è cœlis deuocaſſe, arrogantes igne, murmurantes lepra, percuſsiſſe, malè merentes ſubito ſupplicio affeciſſe, alios terra hiantis abſorptu peremiſſe, populum cœleſti cibo pauiſſe, ſerpentes placaſſe, uenenatos curaſſe, numeroſam turbam ab infirmitate, ueſtes eorum à corroſione conſeruaſſe, contraque hoſtes uictores reddidiſſe. Eadem, uniuerſa miracula, quæ uel Ioſue, uel Elias, uel Eliſæus, uel Daniel, immò uerò quæ Chriſtum & Apoſtolicos uiros præſtitiſſe, utriuſq; teſtamenti hiſtoria commemorat, perfidi Iudæi & deliri Rabini, facta eſſe contendunt. Quaſi uerò puerilem hanc & inanem ſuperſtitionem & uerè Iudaicum inuentum, ulli unquam ſint intorſuri, ſed de hoc poſtea.

Vniversam autem naturalem Magiam, antequam in has ſpecies & partes diſtrahatur, immò & eam, quam Goëtiam aut Theurgiam, non ab effectuum diuerſitate, ſed à malorum & bonorum ſpirituũ conſortio ac reuelatione uocarunt, non ſecundũ ſubiecti, ſed officij rationem, in ueneficam, proficuam, & præſtigioſam diſtinguunt, ita ut phyſicæ mathematicæ & caballiſticæ magiæ, quædam portio ſit uenefica, quædam non uenefica, ſed hominibus proficua, quædam tandem præſtigioſa, quæ tantummodò in oculorum deluſione uerſetur. Nam hæc ſcientia, ſecundum ſuas omnes partes & ſpecies, per rerum omnium naturas uagata, quibuſdam, uitæ humanæ adiutrices & conſeruatrices uires ineſſe comperit, quaſdam contrà, humanis corporibus corruptiuam quandam ſolutionem inducere: alias demum, quæ cum neque officiant neque proficiant, fallendo tamen oculorum obtutui, & aliorum ſenſuum naturalibus ac ueris ſenſationibus, impediendis deſeruiunt. Ex primis medicina conficitur, nihil enim aliud eſt medicina, quàm rerum naturalium, quæ humano corpori opitulantur cognitio, ex poſtremis præſtigioſa magia deriuatur, ex mediis ueneficia coaptãtur, in quo genere latiſsimè patent uenena & amatoria phyltra, quorum priora humano corpori diſcraſiam aut certè interitum inducant, poſteriora uerò, illæſo quidem corpore animis paſsiones & effectus commoueant. In qua parte nondum, quemadmodum de aliis quoque effectibus magicis dicebamus, controuerſiæ ceſſarunt, inquit enim Poëta,

Fallitur, Aemonias quiſquis decurrit ad artes,
Datque quod à teneri, fronte reuellit eq[illegible]
Non faciunt ut uiuat amor, Medeides h[illegible]
Miſtaque cum magis, Marſa uenena ſonis.

Et poſtea,

Duplex caballa.

Magia triplex.

Ouidius de arte amandi.

Phaſias, Aeſonidem Circe tenuiſſet Vlyſſem,
Si modò ſeruari carmine poſſet amor,
Nec data profuerint, pallentia phyltra puellis,
Phyltra nocent animis, uimque furoris habent.

Et alibi.

Sic potius nos tanget amor quàm fortibus herbis,
Quas maga terribili ſubſecat arte manus.
Nec uos graminibus, nec miſto credite ſucco, De medica. facti.
Nec tentate nocens uirus amantis æque,
Nec media Marſis funduntur cantibus ungues.
Nec redit in fontes, unda ſupina ſuos.

Sed ad tertiam magiæ naturalis portionem regrediamur. Præſtigiatricem magiam uocarunt, eam magiæ naturalis partem, quæ, ut diximus, in fallendis ſenſibus, præſertim uerò oculorum obtutu, per phantaſticos & non ueros & permanentes effectus, tota occupatur, quæ ſtatim in opticam ſiue perſpectiuam, & pharmaticam abit, quòd eius una pars, quæ mathematica dicitur, ſola perſpectiuæ praxi, altera uerò pharmacis, naturales ac ueras ſenſationes impediat. Perſpectiua magia luminibus, anulis imaginibus, ſpeculis & eius ea pars quæ [illegible] dicitur, manuum agilitate, pharmatica uerò collyriis, ſuffumigationibus, alligationibus, &c. utitur. ad hanc magiæ præſtigiatricis rationem pertinent, quæcunque de hominum metamorphoſibus ac transformationibus, tum apud Poëtas, tum apud utranque diuinam & prophanam hiſtoriam lectione depræhendimus, quale eſt quod Nabucodonoſor Rex Babylonius, diuina id poſtulante iuſtitia, à ſuis in beſtiam conuerſus, fœnum ut bos multis annis commediſſe ſcribitur, & quod in Hilarionis hiſtoria de muliere quadam à Hieronymo memoratur, quæ cùm omnibus iumentum uideretur, ad eundem Hilarionem à parentibus perducta, non iumentum ſed mulier ut erat, uidebatur. Neque enim aut Nabucodonoſor uir, aut mulier illa, mulier eſſe deſiit, ſed oculorum præſtigiis & faſcinatione, tales eſſe uidebantur. Contingit autem aliquando, ut faſcinatio, ſit in oculis aut phantaſia uidentis, aliquando uerò in re ipſa quæ uidetur: unde dnplicis faſcinationis generalis & particularis, partitio deriuatur: quando enim in oculis eſt faſcinatio, particularis eſt ſenſationis error, unde non omnibus ſed faſcinato tantùm, ideſt, ei qui collyrium, ſuſpenſionem alicuius rei, ſuffumigationem, &c. habet, res ſic uidetur: quando uerò præſtigium aut faſcinatio eſt in re ipſa, quæ uidetur, non huic tantùm aut illi, ſed omnibus in uniuerſum ſenſationes falluntur, quæ res & Nabnchdonoſori & Hilarionis puellæ, & ſi res geſta eſt & non fabula, Luciano & Lucio Apuleio in aſinos conuerſis, accidiſſe uidetur. Ferunt ea arte olim, & Numam Pompilium Romanorum Regem, & Pythagoram Italicæ philoſophiæ parentem, maximè delectatos, ſolitumque Pythagoram id ridiculum aliquando facere, ut qnæ collibuiſſet ſanguine perſcriberet in ſpeculo, quo ad plenæ luminis lunæ orbem obuerſo, ſtatim à tergo, res exaratas in diſco lunæ commonſtraret. In ea arte colenda maximè olim Hermetem Aegyptium Platonis diſcipulum, & Simonem Samaritanum, cognomento Magum, laboraſſe ferunt. Atque hæ ſunt in uniuerſum magiæ naturalis partes & ſpecies, de quibus omnibus & earum uirtute ac potentia, multa nobis eſſent dicenda, niſi lectori tædio futuros nos eſſe timeremus, & in ampliſsimos tractatus hoc opus abiret. ea tamen quæ propoſitæ quæſtionis & controuerſiæ neceſsitas poſtulat, non ſunt omittenda. Quod ſi quis copioſiora deſiderat, habet præter alia multa opus inſigne Ioan. Tritemij Abbatis in 12. lib. digeſtum, quibns tum de dæmonibus, tum de artibns prophanis & maleficis, tum de diabolicis artibus ac uaframentis copioſiſſimè diſputat.

Ergo ut noſtrum iam iudicium in præſenti controuerſia, qua de magicis effectis quæritur, an ueri ſint & reales, an uerò tantummodò præſtigiæ oculorum, reliquorumque ſenſuum deluſiones, interponamus, ſic mihi primò omnium ſtatuendum uidetur, ut pro Magicarum artinm diuerſitate [illegible]erſæ illæ, quas retulimus ſententiæ & opiniones ſint ueræ. Verùm eſt enim, neque [illegible]uam cum ratione negare poteſt, quoſdam eſſe mirabiles effectus à magia productos, quos cum non tantùm in ipſo fieri, ſed poſtea permaneant; præſtigioſos & falſos, appellare cùm ratione non poſſumus. Ergo ut me-

dicæ aut ueneficæ magiæ, ſiue ea Goëtia ſit, ſiue Theurgica, ſiue Phyſica, ſiue Aſtronomica, ueros & reales condonamus effectus: ita præſtigiatrici, ſiue Goëticæ, id eſt, quæ à dæmonibus exercetur, ſiue Theurgicæ, ſiue Phyſicæ, ſiue Mathematicæ nullo pacto ueros & reales opera conſequenter tribuimus. hæc enim ut rectè Iamblichus inquit, præter phantaſiæ & imaginatricis illuſionem, nullum habet effectum.

VERVM, qui effectus, medicæ ac ueneficæ magiæ ſint tribuendi, ut medicam & ueneficam, à præſtigiatrice & faſcinatrice magia diſcernamus, iam eſt aduertendum: quæ quæſtio, ex his, quæ in Magiæ naturalis definitione tradidimus, facilè ſoluitur. Magiam enim naturalem, id eſt, quæ in natura fundamentum habet, eſſe diximus, ſcientiam & artem quandam, quæ non quaſcunque, ſed naturales tantùm res, & intus deliteſcentes uirtutes applicando, actione ac paſsione uera ac phyſica, accelerata tamen, aut diſciplinæ mathematicæ peritia, admiranda producat: eos igitur illi tantummodo tribuemus effectus, quos alioqui ars & naturæ potentia potuiſſent producere, non item eos, quos ars aut natura non capit. Atque id etiam de eadem magia, quando diabolico miniſterio tractatur, id eſt, quando eſt Goëtica, eſt omnino dicendum, neq; enim dæmonica uirtus ad aliud quicquam in ordine naturæ corporalis extenditur, quàm ad actiua naturalia, phyſicis quoq; paſsiuis copulanda, ex quibus quantùuis mirabiles, non tamé *Olaus Magnus, in hiſtor. ſeptentrional. libr. 18. c. 32 & 33.* miraculoſi & ſupernaturales, oriuntur effectus. Neq; enim ſiue dæmones, ſiue homines, magiæ uirtute, ut rectè docebat Aug. aliud poſſunt producere, quàm id, quod antea, in utero naturæ per ſeminales rationes delituit: unde uniuerſæ, uel hominũ, uel aliorũ animaliũ, ueræ ac eſſentiales tráſformationes, cũ nullo pacto naturæ poteſtati ſubiaceant, perfectarum etiam animantiũ, & quæ ſpontanea generatione nõ pullulant, qualis homo, equus, &c. genituras nullo pacto, magicæ, ſiue humanæ, ſiue dæmonicæ uirtuti ſubduntur, unde quæ de hominibus in lupos conuerſis quidam ſcribunt, fabuloſum putandũ.

DE phyltrorum uerò amatoriorum, ad animorum paſsiones & turbines commouendos, potentia, ut aliquid loquamur, ſcio à naturæ prudentibus, quaſdam in rebus uirtes obſeruatas, quas credant carnalis concupiſcentiæ flammas incendere, de quibus *Phyltra quid in animos poſsint* multa Plinius, Dioſcorides, Theophraſtus, Galenus, Ariſtoteles, Paulus, & cæteri, qui eam medicinæ portionem, quæ in ſimplicium contemplatione uerſatur, tractarunt. Quòd uerò ſuapte natura, in hanc, non illam amandam inclinent, difficile eſt credere, niſi quòd plerunque, quaſi diabolicæ tentationis ſymbola, quibuſdam propinentur, ut earum quidem naturali uirtute, ad libidinem inflammetur, qui ſumit, ex fœdere uerò, quod ueneficus cùm dæmonio percuſsit, malis cogitationibus quatiatur, & in huius aut illius amorem, uel inuitus pertrahatur. Itaq; feruor libidinis in communi, ad herbam aut lapidem, in hanc uerò aut illam à dæmonis ſuggeſtione deſcendit, qui ueneſici imperio & præſcripto, ad illius, quem uult amari intenſam cogitationem inflammat. Atque idem de carminibus eſt futurum iudicium, non enim ſuapte uirtute, ullum inferunt amoris incentiuum, ſed ex pacto, quod inter ueneficum & dæmones decretum eſt, ut illum tentationibus urgeant, in quem carmen ueneficum fuerit iactatum. Intereſt tamen inter ea ueneficia, quæ à uerbis, & ea quæ à potionibus aut à rebus deſcendunt, quòd ille minus ſunt periculoſæ, utpote quæ tantùm diabolica ſuggeſtione & imaginatione perturbent, hæc uerò præter hanc & corporali œſtro libidinis uexent, in quibus plerunque ad inſaniam uenitur. Vaniſsima ſunt autem, quæ Andr. Cathaneus Imolẽ. *Lib de mirabilium eff. cauſis.* ex Auicenna, de huiuſmodi incantationibus & carminibus profert, docens incantatores intenſæ imaginationis uirtute, incantatum commouere, quaſi operationis internæ & nobilitate quadam, eius animo cuius ſunt imaginationis, aut operationis, res externas transmutent, quòd quàm ſit à lienum à ratione & recta philoſophia, oſtendetur ſtatim.

ATQVE hæc de ea quæſtione, quæ de magicorum effectuum ueritate controuertitur, dixiſſe ſufficiat. nunc autem ad eorum obiectionem diluendã, qui Euangelicæ doctrinæ miracula, magicis artibus nuncupabant, reuertamur oportet: nam ſi ita eſt, quòd magia naturæ poteſtatem non tranſcendit, apertum eſt, eadem non magiæ, ſed altiori cuidam poteſtati dicanda. neque enim cæcum illuminari, aut mortuum ab inferis reuocatum reſurgere, debilem & claudum iam aridis membris reſtaurari, quòd Apoſtolici uiri præſtiterunt, magiæ beneficio eſt poſsibile, quando iſta in rerum naturalium ſeminali ratione, non deliteſcunt. Aut enim anima immortalis, aut mortalis creditur; ſi

mortalis,

mortalis, iam per ſui à corpore ſeparationem, quemadmodum cæteræ corruptibiles formæ, in nihilum ſoluta diſparuit. quòd uerò ſemel periit, idem numero redire, auctore Ariſtotele, natura non patitur. Si immortalis, iam agentium naturalium imperio, à phyſicis accidentibus ſeparata, non ſubditur: non ergo etſi agat uniuerſa natura cùm ſit iam extra naturæ ordinē, immò cum nihil ſit illi iam cum natura, eandem poterit in corpus reducere. Cætera deinde miracula, quales erant ſanitates, & ſimilia, quamuis forſan rerum naturalium applicatione, quantum ad ſubſtantiam, potuiſſent præſtari, ex ipſa tamen operandi ratione, non ullius magiæ patrocinio, ſed prorſus diuinitus edita fuiſſe, ipſa ratio demonſtrat. fiebant enim, non dæmonum, qui ſubitò res naturales, in quibus medicina deliteſceret, undique conquiſitas proferrent, ſed Dei ueri, aut Chriſti, in religionis, quæ docebatur, atteſtationem, inuocatione. Vnde non immeritò doctiſsimi quidam, nihil magis Chriſti diuinitatem oſtendere docuerunt, quàm magiam, ex cuius perfecta cognitione, quo tandem uires naturæ progrediantur, ac proinde miracula Chriſti, quæ in eius diuinitatis teſtimonium fiebant, ex ipſa ſubſtantia uel ex modo, ſupra omnem naturam eſſe, perfectè cognoſcitur.

2. de gene.

Ioan. Picus Merand. in apo.

Itaqve, ut quæ latiori ſermone, pro quæſtionis difficultate & ſententiarum uarietate, ſumus locuti, in compendium redigamus, duplicem apud auctores eſſe de magia opinionem dicimus, unam, quæ uniuerſam magiam in ſenſuum ludificatione tantùm uerſari aſſeuerat, quæ cùm Chriſti & chriſtianæ religionis miracula, ueri ac reales effectus fuerint, à magia prodiiſſe, rationis proinde conſequio non dicet. Altera è regione, quæ magiam, ueros ac reales effectus præſtare contendit, quæ tamen, cum non alio pacto (ſiue dæmonum adiutorio ſiue ſola humana ratione id fiat,) quàm rerum naturalium applicatione ſua opera exequatur, nihil lædit noſtræ religionis miracula, quæ ad uirtutem ſupranaturalem ſpectant.

Duabus uerò illis fictitiis magiæ ſpeciebus cabaliſticæ & aſtronomicæ, neque ueros neque præſtigioſos effectus concedimus, prior enim nihil aliud uel ſtupidiſsimis hominibus, eſſe uidetur, quàm, ut antea diximus, inſulſum & Iudaicum inuentum. Primò enim, eorum fundamentum uaniſsimum eſt, quo docent Hebraicis nominibus, quæ ab ipſo Deo aut ab Adamo, immortalitatis & ſapientiæ dotibus prædito, rebus fuerunt impoſita, earum omnium ſubſtantias, qualitates, conditiones, & proprietates, exprimi, unde confeſtim iiſdem nominibus appellanti, ſubdantur, & eius imperio ſe totas proſtituant, cùm res inanimatæ & ſenſu carentes, eius appellationis uirtutem non capiant, immo neque bruta, quæ, ſi ſint mitia, quocunque nomine uocentur, obedient, ſin uerò fera, non parebunt, niſi id Deo ipſo agente, quod & illo fœlici ſtatu futurum erat; & in quorundam ſanctorum commendationem factitatum uidemus. Sed quid? an quòd ego, qui rationem participo, nomen, quod totam meam eſſentiam mihi ob oculos conſtiruet, audiam, ſtatim uelim, nolim ſum obtemperaturus? Demus ergo Solem, Lunam, aſtra, elementa, lapides, arbores, ægritudines, flumina, &c. eam uirtutem, quæ nominibus Hebraicis deliteſcat, perfectiſsimè capere, an ideò imperanti Moſi, Ioſuæ, Heliæ, Heliſæo, Danieli, &c. cum totius naturæ peruerſione, erant obtemperatura? Sed quid ſi Hebraica lingua non ſit prima lingua, ſed Aramea, quod doctiſsimis placet? ſed quid ſi Hebraici characteres, quos modò habemus, Hebraicæ linguæ germani ac proprij non ſint characteres, quod eſt conſtitutiſsimum? quid deinde ſi ratio punctuandi, in qua tamen mirè philoſophantur Cabaliſtici Sophi, duo millia annorum Moſem ſecuta fuerit?

Cabaliſtica magia.

Præterea, falſum eſt, Hebraicis nominibus, omnes omnium rerum proprietates exprimi, multa enim & nomina & uerba, in Græco idiomatæ, elegantius, quàm in Hebraico, rerum aut actionum proprietates important. Immo uerò, in una quaque lingua, unicuique rei, pro proprietatum diuerſa conditione, diuerſa ſunt nomina: quædam enim ab ipſa rerum quidditate ac eſſentia, quædam à proprietatibus imponuntur, & illa quidem, quædam ab uniuerſali ratione, quædam à genere, quædam à ſpecie, quædam ab indiuiduali proprietate, ut ſubſtantia, anima, homo, Socrates, quædam deinde ab accidentibus, quæ totam ſpeciem, conſequuntur, quædam uerò ab is quæ indiuiduo ſunt propria. Omnis ergo lingua, ſua habet nomina, quibus non modò, quæ ad accidentia rerum pertinent, ſed, quæ penitiſsimas quaſque earundem ſubſtantias & quidditates

Vnde nomina rebus imponuntur.

denotent. Nam unum nomen quod uniuerſas proprietates, uel accidentarias uel ſubſtantiales, genericas, ſpecificas, & indiuiduales inſinuet, nec in lingua Hebraica, neque in ullo mortalium, idiomatæ dabitur. Et profectò (quanquàm multos, ex noſtris ſciam in Rabiniſmum propenſos & pluſquam decet Chriſtianos, in uaniſsimorum Iudæorum ſcrupuloſis myſteriis inquirendis diſtrictos,) ego nullum maius myſterium, in Hebraicis nominibus, quàm in aliis cuiuſcunque idiomatis reperio, niſi quòd quidam ingentia uolumina de nomine יהוה tetragrammato ediderunt, quæ an potius ſint rabinica inuenta, quàm Theologici & chriſtiani laboris fructus, non modò diffinio. Satis tamen ſcio eam nominum Hebraicorum ſcrupuloſam tractationem, ad Germanum ſenſum ſcripturæ non facere, cum eum eiuſdem ſcripturæ ueteres tractatores contempſerint, ſed de his forte aliâs. Demum ſi cabaliſticæ magiæ tanta eſt uirtus, ut ea naturæ, ad tantos tanque ad mirandos effectus, quantos qualesque Moſes, Ioſue, Helias, Eliſæus, Daniel, & poſtea Chriſtus & Apoſtolici uiri præſtiterunt, exhibendos, poſsit ordo peruerti, cur Cabaliſticiſsimi Rabinuli, qui etiam minutiſsimos apices legis ſcire ſe iactant, cœlis non imperitant, maria non diuidunt, flumina ad terrorem earum gentium, quatum ſeruitute, ante quingentos poſt mille annos detinentur, in ſanguinem non conuertunt, mortuos non ſuſcitant? Cur ranas, pulices, locuſtas, bruchos, ueſicas, reliquasque omnes, quas Moſes Aegyptiis calamitares inuexit, gentibus, à quibus derinentur, non inferunt? Cur Soli & Lunæ, cæteriſque ſideribus pro cabaliſtica uirtute, non mandant? Cur mortuos non ſuſcitant, & eas quaſcunque ſancti prophetæ, Chriſtus aut Apoſtolici uiri, uirtutes ediderunt, non præſtant, an uerò cum Moſe aut cum Ioſue ea cabaliſtica magia ſepulta euanuit? Sed quis eam poſtea, Heliam & Eliſæum docuit? Quis eam Danieli, & ſociis quo ignis ardorem declinarent, inſinuauit? Quis demum Chriſto & uiris Apoſtolicis, qui tamen parum in lege Rabini erant, tradidit? Succeſsione aiunt, ore tenus, ut Pythagorica dogmata. Sed cur Iudæi illi quoque, qui adeo erant cabaliſtæ, ut Eliam, Eliſæum, Danielem & Chriſtum caballam docerent, miracula iſta & prodigia, ſtupenda, quæ cabaliſtica magia tam magnificè promittit, non exhibuerunt? Cur non in totam rerum uniuerſitatem, in naturam, in dæmones, in angelos, & ſi quid eſt aliud (nam in Deum quoque, Cabaliſtæ ſibi poteſtatem faciunt) ius obtinuerunt? Verùm de cabaliſtica inſania iam ſatis, præſertim cum eandem Thomas Vualdēſis aduerſus Vuiclefum digno marte confregerit. Illud autem non eſt ſilentio tegendum, libros illos, quorum computatis preciis, inuenta eſt pecunia denariorum quinquaginta quinque millium Epheſi, ad Pauli & Barnabæ prædicationem arſerunt, quorundam ſententia, Cabaliſticas uanitates & inſanias continuiſſe, niſi eos ad Goëticæ magiæ artem quoque quis referat, quod alij crediderunt.

Act. 19.

Aſtrologica magia.

Astronomica magia, quæ ſub certo ſitu & aſtrorum concurſu, anulis, imaginibus & ſtatuis fabricandis inſiſtit, an uirtutem habeat operandi mira, quæ de his iactant aſtrologi, poſtremo loco dicamus. Et quidem non ignoro, id eſſe poſsibile, multis uerbis ab Alexandro Aphrodiſieo contendi, primò quidem, quòd cœleſtia corpora, licèt non actu, uirtute tamen, omnium elementorum, & quæ ab his compinguntur miſtorum uires ac uirtutes contineant. Tum deinde, quòd multarum cauſarum concurſu, multa poſsint præſtari, quæ ab una tantùm cauſa exhiberi non poſſunt. Ex quibus duabus rationibus colligit, nihil contra rectam philoſophandi rationem peccari, ſi rerum naturalium tranſmutationes, quas cauſas naturales efficere poſſunt, influxu cœleſti præſtari dicamus. Scio deinde Damidem Apollonij ſocium, apud Philoſtratum ſcribere, ſapientem Indorum principem Iarcham, anulos ſeptem compegiſſe, qui & planetarum ſeptem nominibus eſſent præſignes, quos dono acceptos conſeruandæ inuentæ cauſa Apollonius ſingulos, ſingulis diebus, iuxta planetarum nomina geſtauerit, cum eidem prius aſſeruiſſet Iarchas, auum ſuum philoſophiæ quoque myſteriis initiatum, annum centeſimum triceſimumque uiuendo attigiſſe: quibus & ipſe Apollonius nitorem iuuentæ, poſt centeſimum annum uiuendo prætulerit. Sunt & Eudami philoſophi anuli celebres, quorum uires eſſent miræ aduerſus faſcinationem, dæmonia, ſerpentium morſus, & alia uenena. Eſt & apud Platonem & Ciceronem anulus Gygis, magorum artificio conflatus, quem, cum Gyges geſtaret, pro uoluntatis arbitrio lateret, qua ratione cum non uiſus, Lydorum regiam penetraſſet, regem ipſum cœpiſſe fertur, ſeque

regem

regem conſtituiſſe, & ſimilia alia, quæ in Græcorum & Latinorum hiſtoria, frequentiſsima inuenies.

VERVM enimuerò neque rationes illæ ſunt tantæ, ut nos ab ea, quam antea, cum de Aſtrologicis effectibus & planetaribus influxibus loqueremur, probauimus, ſententia re- *inf. c.2.* moueant, neque huiuſmodi exemplis, aſtrologia, ut eam, aut diligamus, aut certè ueracem credamus, faſcinare poterit. quanquam nihil aliud de uenerabili aſtrologia ſperandum erat, quam ut, quæ omnium diſciplinarum corruptrix traducebatur, magiæ quoque, nunc ſed uaniſsimæ & ſuperſtitioſiſsimæ rea inſimularetur. Nam cùm cœleſtia corpora, ſi ullam in terras, præter ſolem & lunā, actionem habent, ea ſit futura uniuerſalis, nequaquam in ſolis imaginibus, quæ ad quorundam nebulonum arbitrium fabricantur, recipi poterit. Nam quod Aſtrologi aiunt, actiones quidem & influxus, ratione ſimilitudinis, in particulari recipi, id minus eſt uerum, quàm quod in diuerſis corporis partibus manibus ſcilicet, pedibus, pollice, indice, &c. ut chiromantici nugantur, iidem recipiantur: quod tamen falſiſsimum eſſe, & toti naturæ & philoſophiæ contrarium in præcedentibus diximus. Hîc enimuerò, nulla eſt cum aſtro ſimilitudo aut ſympathia, neque enim imago eſt frigida, calida, humida, aut ſicca, neq; ſanguinea, phlegmatica, cholerica, melancholica, aut miſta, niſi fortè aſtrologis placeat, figuræ, aut alterius cuiuſcunque (quæ tamen ad figuram, uelint nolint, reduci debet) qualitatis ratione, ſympathiam aut ſimilitudinem eſſe, uerum tunc oporteret cunctas aſtronomicas imagines ſphæricas eſſe, quòd corpora cœleſtia, & ſenſu ipſo, & omnium philoſophorum conſenſu iudicentur ſphærica. Quòd ſi Aſtrologi cauſentur ſphærico corpore, nihil poſſe contineri, caldaria & ampliſsima aena, & ſi quæ ſunt alia uaſa, quæ rotunda (quæ figura, ſphæricæ proxima eſt) officia habeant, quibus cœleſtis uirtus recipiatur, libentiſsimè dabimus. Apparet igitur, ſi qua harum aſtronomicarum imaginum uirtus eſt, (neque enim ullam eſſe puto) eandem nón à magia naturali, ut aſtrologi garriunt, ſed à Goëtia aut Necromantia, aut apertius, à Satanica uirtute deſcendere. Nam quod priori ratione contenditur, miſtorum uires aut elementorum poteſtates, cœleſtibus corporibus, *Soluuntur rationes Alex.* uirtute contineri, ut uerum ſit, nihil inde magicæ aſtrologicæ patrocinij deſcendit. Primò enim elementorum & miſtorum uires, in corporibus cœleſtibus uirtute contineri, non eſt aliud, quàm eadem actione corporum cœleſtium poſſe produci, non quidem ratione influentiæ, quam nulla ratio uniuerſitatis conuincit, ſed uirtute caloris, & luminis quæ & ratio & ſenſus ſine fuco concludunt, unde ad uirturem corporum cœleſtium, id eſt calorem recipiendum, non eſt opus imagine. Deinde, etſi gratis donemus aſtrologis, occultos illos planetares aut ſiderales influxus, cùm aſtra non uoluntariè, & ex propoſito, ſed naturaliter agant, cumque aſtra maiora ſint imaginibus, & plura eorum, ut aſtrologi & philoſophi docent, toto orbe terrarum, præſertim cùm nulla ſimilitudo aut phyſica aut mathematica ſidus aut ſignum cœleſte cum imagine copulet, ſideris aut ſigni cœleſtis, quod multis ſideribus conſtat, non in imagine tantùm, ſed in cæteris, non in imagine magis quàm in cæteris, immo in cæteris quibuſcunq;, quæ aut figura, aut phyſica qualitate cum aſtro conueniunt, magis uirtus recipiatur oportet. Secunda uerò ratio multo eſt debilior, (neq; enim pro aſtrologica cauſa, aliæ quàm huiuſmodi rationes poſſunt proferri) nam quod ait, multarum cauſarum concurſu, multa, quæ ab una tantum cauſa nequeunt poſſe præſtari, quis neget. nam neque hominem ſolus pater, aut ſola mater, ſed ambo ſimul, poſſunt progignere, ſimileque in reliquis rebus naturalibus eſto iudicium. Sed unde uigor aſtronomicæ imagini? Nam quòd multa aſtra per mutuos aſpectus concurrant, quid ad rem, ſi ea nullam actionem, aut ſi ullam, tantum luminis, in inferioribus habent? Deinde quomodo aſtronomicarum imaginum uirtutes probantur, ſi non in eas tantummodò influxus cœleſtes & planetares uirtutes, aut in eas potius quàm in alia quæcunque, probentur deſcendere? Demum quod de anulis Iarchæ, aut Damis ut Philoſtratus refert, tale eſſe quale reliqua, quæ de remotiſsimis prouinciis mendacia confinxit, non eſt dubitandum. Cæterùm Eudemi philoſophi anuli, qui præſtigias excluderent, aut lapidis alicuius alteriuſue rei intus incluſæ, id uirtute præſtitiſſe, non eſt cur negemus. anulus denique Gygis aut eſt fabuloſus, aut ad magiam præſtigiatricem, non item ad aſtronomicam, pertinuiſſe dicendus. Sed de his ſatis.

In eos qui in naturā Christi miracula referunt.

NVNC iam de his, qui Chriſtianæ religionis miracula, quaſi inſufficientia diuinatis argu-

argumenta traducunt, dicamus. ſunt autem hi, qui naturæ uirtute ſimilia exhiberi, potuiſſe contendunt; qui pro triſaria, qua mouentur ratione, ſunt in triplici ordine. Quidam enim ex perfecta quadam compoſitionis temperie, qua Chtiſtus polluerit, ei uniuerſam rerum corruptibilium ſphæram & quidquid ea continetur ſubdita fuiſſe, illique pro uoluntatis imperio obtemperaſſe, deblacterant: quidam ſolius imaginatricis potentiæ uirtute, uniuerſa illa prodigia, exhiberi potuiſſe, non dubitant. quidam demum, in aſtrorum ſitus & aſpectus, quorum eſſet Chriſtus peritiſsimus, eadem reiiciunt. In priori ſententia, noſtra memoria ſunt quidam apoſtatæ. In ſecunda ſunt Arabes quidam, de quibus poſtea. In tertia Ioannes Indagine & reliqui Aſtrologi iudiciarij, quos omnes digno rationum flagello, libet ordine aggredi. Ergo primò in priores illos temperamentarios, qui tamen de occulta philoſophia libros excudunt, dirigamus ſtylum, breuiſsimè tamen, quòd eam inſaniam, uel imperitis hominibus expoſuiſſe ſufficiat, niſi quòd noſtra memoria ſunt quædam ingenia, quibus citius ſuadeas huiuſmodi paradoxa, quæ catholicæ religionis, quam iam faſtidiunt, fundamenta peſſundent, quàm ueram & apoſtolicam doctrinam, etiam ſi ualidiſsimis demonſtrationibus, quæ Ariſtoteli & Platoni uiolentiam intuliſſent, confirmata uiderent: nimirum quòd non ſit illis
Acta.2. 1. Ioan.2. pars in ſermone iſto, eo quòd quanuis ex nobis prodierint, non ſint tamen ex nobis. Ergo, quò horum apertius retegamus inſaniam, quæ communiori ſententia, de rerum naturalium, quæ elementis conſtant, temperamento, à medicinæ peritis circumferan-
Quid ſit temperamentum. tur, exponamus oportet. Eſt autem temperamentum, quod barbari complexionem uocarunt (ut à definitione ritè ordiamur) non aliud, quàm ex quatuor elementis, ſeu calido & frigido, humido & ſicco, temperata commiſtio, quæ corpora miſta neceſſariò conſtituit: nullum eſt enim corpus miſtum, quod ex his quatuor elementis, certa quadam ratione temperatis non conſtet. An uerò ſit temperamentum ſubſtantia uel accidens, & an in ipſo miſto ſecundum ſuas eſſentias & integras naturas, aut ſaltem refractas, an uerò tantùm ſecundum uirtutem, ideſt primas illas qualitates elementa permaneant,
Ioannes Fernel. lib. de part. phyſi. medicin. quod noſtræ memoriæ phyſicis, quòd id, Ariſtotelem probaſſe crediderint, placuiſſe uideo, præſentis diſputationis neceſsitas examinari non poſtulat, dum numerum temperamentorum quæ ex communi medicorum ſententia, docetur, in medium proferamus.
Quot ſint temperamentorum differentiæ. Galen. li. 1. de temper. Fuerunt auctore Galeno, qui duò tantùm temperamenta docerent, calidum & ſiccum; frigidum & humidum, aut quòd ad hæc cætera uniuerſa referri crediderint, aut quòd reliquas primarum qualitatum compoſitiones, inutiles ad phyſicam miſtionem exiſtimarent; quorum ſententiam multiplici ratione Galenus ſubuertit. Fuerunt ſubinde, qui quatuor ex his qualitatibus temperamenta componerent, iuxta quatuor earum utiles nexus, & combinationes, humidum & calidum; ſiccum & calidum, & rurſus frigidum & humidum; frigidum & ſiccum, quos tantùm hoc nomine carpit Galenus, quòd temperatum, quod Græci εὔκρατον, noſtri temporis medici, æquale uocarunt, omiſerint. eſt enim temperata complexio, cæterarum menſura, per quam quaſi per certiſsimam regulam, non tantùm in theorica, ſed etiam in practica medicina iudicari debent. Eam enim complexionem temperatiorem dicemus, quæ magis huic quinto generi temperamenti appropinquet, ſicut & in praxi medicinæ, enitendum medico erit, diſtemperatam complexionem, quantum natura patiatur, ad hanc temperatam, per medicinæ beneficia reducere. Video demum nouem temperamenta poſt Galenum, communi medi-
Galen. li. 1. & 2. de temperam. corum ſententia doceri, quorum quatuor ſimplicia ſint, quatuor item compoſita, & demum unum temperatum. Simplicia uocant, calidum frigidum, humidum, ſiccum, quæ non ideò ſimplicia dicuntur; quòd ea tantùm qualitate miſtum conſtet, (eſt enim hoc impoſsibile, cùm omnia quatuor elementis, ideſt quatuor ſimplicibus ac primis corporibus compingantur, atque adeò primis illis quatuor qualitatibus, quibus elementa conſtant) ſed quòd ſola ea qualitas, à qua nomen ſumit temperamentum, inter primas illas qualitates, excellat. Compoſita uerò ſunt, calida & humida; calida & ſicca, frigida & humida; frigida & ſicca, quòd ſcilicet inter quatuor qualitates, quibus miſtum conſtat, hæ duæ qualitates potiſsimè abundent. Temperatum uerò, quod εὔκρατον à Græcis appellari dicebamus, duplex eſt item. Vnum quidem temperatum ſimplici-
Temperata complexio duplex. ter, alterum temperatum in ſingulis generibus. Temperatum ſimpliciter ideſt ad uniuerſam naturalem ſubſtantiam, aut reſpectu naturæ totius, eſt illud in quo prorſus æqua

elemento-

elementorum eſt portio, ideſt ubi non maiori mole, ignis, quàm aër, aqua, terra, neque aër quàm aqua, terra, ignis, aut aqua quàm ignis, terra, aut demũ terra, quam ignis, aër, aqua, conſiſtit, ſed prorſus ſecundum æquales portiones, ad phyſici miſti compoſitionem elementa coguntur, quod genus Græci σύμμετρον uocant. Temperatum uerò in ſingulis generibus, appellarunt, in quo ea elementorum aut primarum qualitatum mediocritas exiſtit, quæ cum animantis, tum ſtirpis naturæ, maximè conuenit. atque hæc quidem qualitatum temperies, in corporibus ſanis, & quæ pro ſua natura optimè ſe habent, conſiſtit, tunc uerò unumquodque optimè ſe habere probatur, cùm optimas habet functiones. Quippe animal aut plantã tunc optimè ſeſe habere dicimus, cùm optimè ac ſecundum naturam, ſuas functiones obeunt, equum ſcilicet, cùm uelociſsime currit, ficum, cùm multos ac optimos ficus producit, &c. Dicuntur igitur optimam modiamque, miſta naturalia temperiem habere, in ſuo genere, non utique abſoluto ſermone, quòd ſcilicet, ſit in eis paritas elementorũ exacta, ſed quòd illis inſit ea mediocritas, quæ ad functionis poteſtatem refertur, ideſt, quòd eam inſe habent elementorum & primarum qualitatum temperiem, quæ ad agendum in ſuo genere maximè eſt apta. Hanc complexionis ſiue temperamenti rationem, uſus medicorum æqualem ſecundum iuſticiam, priorem illam, in qua elementorum erant æquæ portiones, æqualem ſecundum pondus, ſiue temperatam ſecundum pondus, nominibus ex morali philoſophia deriuatis uocauit. Eſt enim duplex iuſtitiæ ratio, una quæ in pondere, menſura & numero, æquali, arithmetica proportione cuncta metitur, quam commutatiuam ſapientes uocarunt: altera, quæ ponderis, numeri, aut menſuræ prorſus oblita, Geometrica ratione cuncta diſtribuit, ubi non tam ratione dati & accepti, quàm eius, cui datur, aut qui accipere debet, dignitas attenditur, pro dignitate nanque, quod ſuum eſt, cuique tribuitur, Deo, parentibus, amicis, cognatis, ciuibus, & inter ciues, militi, artifici, agricolæ, &c. Adhoc duplex iuſtitiæ genus reſpicientes medici, ad eiuſque æmulationem, duplicem hanc temperatam, complexionis rationem inuenere, temperatam nimirum ſimpliciter, in qua pondere, numero, ac menſura pares eſſent elementorũ portiones, quòd ad eam rationem iuſticiæ, quæ commutatiua uocatur, reducitur, & temperatum in ſuo genere, in qua non ſecundum molem æqualem elementa ponantur, ſed iuxta id, quod miſti ratio ad optimam functionem præſtandam, uidetur exigere, quod ſpeciem habet diſtributiuæ iuſtitiæ. Si uerò alicui improprium appareat, temperati nomine cenſeri, quòd ad unguem temperatum non ſit, is reliquorum in uita humana nominum uſum attendat: uocamus enim potionem temperatam; & balneum temperatum, non ſolùm quod eſt ſimpliciter tale, ſed etiam quod in calorem, aut frigiditatem inclinat: eademque ratione, temperatum aërem uocamus, etiam ſi in alterutram partem paulùm ſit propenſus. Eſt deinde aduertendum, magnum inter utrunque temperatum uerſari diſcrimen, temperatùm nanque ſimpliciter, quod ad pondus uocamus, nullam habet latitudinem, ſed quemadmodum ea, quam imitatur ratio iuſtitiæ, in indiuiſa prorſus elementorum menſura conſiſtit, contra uerò temperatum in genere, ſuam habet latitudinem, non enim uniuerſi equi eiuſdem ſunt temperamenti, neque uniuerſi homines eodem prorſus temperamento conſtant, ſed hic ampliori calore, ille maiore humiditate, frigiditate, aut ſiccitate abundat; in hoc calor, & humor, in illo, calor & ſiccitas, in illo frigus & humor, in illo demum frigus & ſiccitas, pluſquàm reliquæ duæ qualitates ſuperfluunt. Vniuerſa tamen humani corporis ſingularia temperamenta; certam habent metam, quam tranſgredi, uita conſeruata, non datur. Nam etſi homo unus altero ſit frigidior, cum tamen ui morbi extra eam frigiditatis latitudinem, quam ſibi humana ſpecies uſurpat, extruditur, quanuis in ea frigiditate alterius ſpeciei indiuiduum potuiſſet ſeruari, uita diſſoluitur: atque ita de cæteris qualitatibus eſt ſentiẽdum.

Ariſtot. 5. Ethic.

In hac tamen ſpecifica latitudine, medici certum iuſtitiale temperamentum uocarunt, quod eſt perfectiſsimum, ſummeque temperato ſimpliciter, ideſt temperato ad pondus, appropinquans; reliquas primarum qualitatum menſuras iuſticiales, incertas dixerunt, quòd licèt intra humanæ ſpeciei latitudinem uarient, ac proinde in humana ſpecie obtineant rationem temperamenti iuſtitiæ, non tamen perfectiſsimum eius ſpecificæ latitudinis gradum conſeruent. Eſt autem auctore Auicenna, certum iuſtitiale temperamentum, quod inter duas extremitates latiſsimæ diſtantiæ, in uniuerſa temperamenti

Iuſtitia temperamentũ. Doctr. 3. c. 1.

humani

humani latitudine reperiatur, non in quouis ſexu, ſed in uirili, quòd fœmina nonnihil à certa humanæ complexionis menſura diuariet, neque in quauis ætate, ſed in ea, quæ iam iuſtum incrementum accepit, reliqua enim humanæ uitæ tempora & ætates, aut ſunt iuſto temperamento humidiora, quales ſunt infantia, pueritia adoleſcentia; aut ad ſiccitatem paulatim declinant, ut ſenecta, &c. Eſt tertiò notandum inter uniuerſa animalia, hominem ſuo ſpecifico ac iuſtitiali temperamento, temperato ad pondus, quod uocamus temperatum ſimpliciter, propius accedere, quod non tantum Auicenna teſtatur, ſed unniuerſa medicina docet, quòd eas nimirum duas qualitates, in quibus potiſsimè uita conſiſtit, quæ ſunt calor & humor, perfectius, quàm cæteræ animantes, in ſui compoſitionem & temperamentum aſciſcat, quod medici ex tactu & animæ & corporis operationibus, prolixo ſermone demonſtrant. In hominibus itaque, is qui certum humanæ ſpeciei iuſtitiale temperamentum attingeret, non tantùm brutis animantibus eſſet perfectior, ſed & uniuerſis, quæ in humana continentur ſpecie indiuiduis, ſua enim ſpecifica latitudine, brutorum, immo reliquorum miſtorum temperamentum excellit, certitudine uerò iuſtitialis temperamenti, reliqua ſuæ ſpeciei indiuidua, perfectione tranſcendit. Vnde Auicenna, Donauit inquit homini, Deus temperatiorem complexionem, quàm in mundo eſſe eſt poſsibile. & Algazel, cùm elementorum inquit, commiſtio fuerit pulchrioris & elegantioris æqualitatis, qua nihil poſsit inueniri ſubtilius & pulchrius, ſicut ſperma hominis fuit aptum recipere à datore formam pulchriorem, formis, quæ anima extant humana. Quæ uerba barbarico ritu implicata, nihil aliud ſignificare uidentur, quàm, quod, quemadmodum hominis forma, cæteras cunctorum miſtorum formas exſuperat, ita quoque corpus, quo ea ſit recipienda, debet ſuo temperamento uniuerſas miſtorum formas excellere. Probant & idem medici, ex eo. quòd nobilitas actionum & earum perfectio, bonitatem temperamenti demonſtret, cùm auctore Ariſtotele, actio faciat ſcire formam, & omnis temperata complexio, ſuo dignoſcatur officio, ac proinde cum in uniuerſum, actiones humanæ, ſiue quæ ad animã ſiue quæ ad corpus ſpectant, cæterorum miſtorum actiones exſuperent, ſequitur hominem ſuo temperamento, ad ſimpliciter illud temperatum, proximè accedere, ac proinde reliquorum miſtorum temperamenta perfectione tranſcendere. Sequitur deinde, eum hominem, qui in humana ſpecie perfectiores animæ & corporis functiones exerceat, cæteris hominibus potiori temperamento ac temperatiori natura conſtitutum fuiſſe. hac ratione, frigidum & ſiccum, quem melancholicum uocant, deteriorem frigido & humido, quem phlegmaticum dixerunt, exiſtimant: his duobus potiores exiſtunt, calidi & ſicci, qui appellantur cholerici, utpote qui alteram earum qualitatum, in quibus uita conſiſtit participent, ſed hos omnes exſuperant, calidi & humidi, nimirum quòd utranque qualitatem uitæ amicam, uſurpent. In qua etiam temperamenti ratione, ſua eſt latitudo. eſt enim hic illo calidior & humidior, ac proinde temperato ſimpliciter propinquior. Temperatam uerò complexionem ad iuſtitiam, ideſt, quæ in ſuo genere ſit perfectiſsima, rariſsimè reperire contingit, ſicut in circulari figura, facilè quidem eſt multa, immo innumera puncta reperire, quæ non ſint centrum, centrum tamen reperire difficile. Ita in tota illa latitudine complexionis humanæ, puncta quidem, quæ non ſunt centrum, ideſt diuerſas ac uarias elementorum miſtiones, quæ perfectam temperamenti ad iuſticiam, rationem non habeant, ubique reperias, mediam uerò complexionem, aut temperamentum, quod certum iuſticiale, (quod nimirum ab utroque extremo diſtet æqualiter, uocari dicebamus) reperire difficile, immo uix credunt tale temperamentum à natura produci, quæ magna ex parte uel temere agit, uel contrariorum agentium uigore retardatur à fine.

Galen. 1. de tempe. ultimo, et Aui. c. de complexi. Ariſto. lib. de longi. et bre. u. Fernelius lib. de par. phy. medic. &c.

Aui. prima primæ doctri. 3. c. 1. Alga. in na tu.

Petrus Apo.

Oportet demum animaduertere, Galeno ac cæteris artis medendi peritis auctoribus, animæ actiones à corporis plurimùm temperamento pendere: qui enim malam corporis eſt nactus temperiem, prauas quoque actiones animæ habere, ratio ſuadet. Nam uel anima ipſa, nihil eſt aliud quàm ipſum temperamentum, quod idem Galenus credit; aut à corporis qualitatibus in agendo dependet, quod Chriſtiani & cæteri, qui immortales hominum animos crediderunt, exiſtimant. Itaque, qui bonum habet temperamentum, bonas animæ actiones eliciet, qui melius, meliores, qui optimum, optimas, conſequentia rationis. Cui, ergo temperatum in humana ſpecie contingeret, non tantùm

Lib. quod animi mores corporis tempe ram. ſeq.

tùm cæteris phyſicis miſtis perfectiores habebit, ſed uniuerſis mortalibus. Erit tamen huiuſmodi hominem reperire rariſsimum, quemadmodum & centri punctum, ubi totius circuli medium conſiſtit.

Nunc iam quorſum iſta dixerimus, aduerte. Credunt apoſtatæ iſti, Chriſtum non diuina uirtute, ſed temperamenti excellentia, præſtitiſſe miracula, quod ſic ex his, quæ præiecimus fundamentis, eliciũt. Chriſtus optimi erat temperamenti, non tantùm quòd homo erat ac humani temperamenti participabat rationem, ſed quòd inter omnes mortales, certum illum gradum temperamenti iuſtitiæ, quod homini debetur, natura largiente, accepiſſet, hic uerò temperamenti gradus, uniuerſis corporibus phyſicis perfectione præeminet, quòd cæteris quidem miſtorum ſpeciebus humanum temperamentum, ad temperatum ad pondus, propius accedat, quod eſt temperatum ſimpliciter, & quòd cæteros homines, certo illo iuſtitiali gradu præcelluerit. Quemadmodum ergo homines, quòd temperamenti bonitate, cæteris præſtent, omnibus imperant brutis, ac rerum cunctarum dominio potiuntur, ita Chriſtus, quòd non tantùm bruta, ſed & uniuerſos mortales temperamẽti bonitate præcelleret, rerum omnium potiebatur dominio, ac non tantùm bruta, ſed rationales homines, ſuo imperio ſubditos habebat. Atque id quidem, non ea tantùm ratione, quæ ciuilis uocatur, inducendo nimirum rationibus, aut ſuadendo, aut ea quæ deſpotica dicitur, qua uoluntas ſcilicet à uoluntate imperiosè mouetur (nam hac, intra eandem humani temperamenti rationem, maſculus in fœminam, & ſapiens in inſipientem, imperium exercet) ſed naturali quadam, quæ rerum ipſas naturas, & elementorum miſtiones aſpiciat. Non enim exceſſus tantùm eſt in uoluntatis, aut intellectus actionibus, ſed in ipſa compactione naturæ. non ergo tantùm Chriſti uoluntas aut intellectus, alterius hominis intellectu aut uoluntate ſuperior exiſtet, ſed ipſa elementorum compactio & miſtura. Hinc deducunt aliorum hominum corporibus imperare potuiſſe, ut ad antiquam eucraſiam propulſato languore redirent, ideſt, potuiſſe claudos erigere, cæcos illuminare, leproſos mundare, ac cætera mira opera, quæ in legis euangelicæ plantatione perfecit, exhibere. Quin, quoniam temperamentum illud in genere, non tantùm reſpectu aliarum ſpecierum, ſed ſimpliciter etiã, proximè temperamentũ ad pondus, in quo æquales habentur elementorum portiones, accedit, intulerunt Chriſtum in omnibus elementis conſeruari potuiſſe; qua ratione crediderunt maria calcaſſe, quod ad ſimpliciter temperatum, ideſt temperamento ad pondus proximè accedens, in aqua, quemadmodum in terra, ſuſtineri potuerit. Temperatum enim ad põdus ſi detur, cùm non maiorem terræ molem quàm aquæ aut aliorum elementorum contineat, in aqua exiſtens, demergi non poterit, ſed neque in quouis elemento ſurſum aut deorſum motione naturali mouebitur, quoniam miſti naturalis motio, ſurſum aut deorſum, ab elemento prædominante proueniat. Poterat tamen motione uoluntaria in quouis elemento moueri, in aqua, inquam, in aëre, &c. quemadmodum in terra ipſa: cui ſententiæ, an Petrus Aponenſis, qui uulgo Conciliator uocatur, extiterit, non diffinio: ſcio illum, differentia uigeſima, cum de propinquitate certi iuſtitialis temperamenti ad temperatum ad pondus & ſimpliciter, loqueretur, hanc in Gentilem Fulginatem reiicere, Quod ſigno, inquit, fulciret mendax Gentilis, eo quòd, Heliam adeò dicat temperatum extitiſſe, ut in quolibet elementorum poſſet locari, ſic in ipſo elementa proportionata, & contrarietates eorum ſopitæ, ut ferè in quolibet poſsit permanere, ita quòd receptus eſt in turbine igneo, & curſu equorum igneorum, Eccleſiaſtici 48. ſimiliter talem dicet Chriſtum, qui ſimplicibus pedibus undas maris calcauit, Matthæi 14. unde talia corpora uehementer ponderi fuerunt propinqua, ut quaſi in omni poſſent elemento ſeruari. Hoc autem fictum. uerùm omne attribuendum eſt diuinæ poteſtati. Chriſtum tamen teſtantur Hierarchæ, tẽperatiſsimum extitiſſe, quòd actus diuini docuerunt eiuſdem. hactenus ille. Sed & poſteriora eius uerba, non nihil id ipſum ſubolere uidentur, dum inquit, actus Chriſti diuinos eundem indicare temperatiſsimum: non alios actus diuinos intelligit, ſuſpicor, quàm quos nobis euangelium inſinuat, ideſt cœleſtem doctrinam, & miracula: nam Chriſti actiones naturales, neque euangelium prodit, aliorum hominum actionibus perfectiores fuiſſe, niſi perfectionem eorum ex quadragenario ieiunio quis colligat, quod diuinum eſſe opus inde colligitur, quòd ex ſequenti fame dæmon ingenti fuerit dubitatione perculſus.

Ariſtot. 1. & 3. polit.

Ioan. 6.

Quadraginta enim dierum ieiunium, non humanum opus, ſed diuinũ putabat. Contrà uerò famem pati, prorſus humanum, atque adeò indubitationis æquilibrio uexatus, Chriſtum ipſum tentatione aggrediebatur, dicens, Si filius Dei es, &c. Immo quanto corpus eſt temperatius, tanto magis, ſubtracto nutrimento, fame uexatur, unde diſtemperatæ complexiones, diutius famem tolerant, quàm temperatæ, quòd plures procreent ſuperfluos & indigeſtos humores, qui actionem caloris naturalis in humidum radicale, unde neceſsitas extrinſeci nutrimenti deſcendit, impediant. Quæ ratio non nihil me mouet, ut actus diuini, qui apud Conciliatorem bonitatem complexionis oſtendunt in Chriſto, ſint ipſa miracula, & quod in euangelicis præceptis oſtendit, acumen ſapientiæ. Sed iam in eam inſaniam, quiſquis eius primus auctor extiterit, quod nonnullos ſciam, eam ex penitiſsima philoſophia myſterium depromptum uocare, accingamur oportet, oſtenſuri profectò, quàm longè abſint à Chriſto & abipſa natura, qui huiuſmodi pernicioſa & inſana paradoxa, inuita philoſophia, cum magno rationis & fidei detrimento, introducunt: nam quòd iam à Chriſto deſciuerint, qui eius ſupranaturales actiones, natura ipſa ac bonitate temperamenti metiuntur, non eſt dubitandum. Si enim nihil ſupra hominem inſinuent, non eſt cur eum Deum credamus, immo nec eſt, cur quemadmodum prophetæ, ſaltem diuino lumine illuſtratum dicamus, quod totius euangelicæ fidei eſt certum exitium. Quod autem id natura non patiatur, iam oſtendamus,

Matth. 3.

Conciliato. diffe. 117.

Principio, temperamentum quod ad pondus nocatur, cuius ratione in quouis elemento, Heliam aut Chriſtum potuiſſe conſeruari, dicebant; in indiuiduo non dari, teſtes ſunt uniuerſi medicinæ periti, quibuſdam exceptis, in primiſque Galenus, & Auicenna Græcæ ac Barbaricæ ſectæ monarchæ: neque alia ratione, à medicis eſt excogitatum, quàm ut uel in medicinæ contemplatione uel in eius praxi adminiſtranda medicus haberet, quo miſtorum complexiones expenderet, & ad quod quaſi ad certam amuſsim, aut oblatum temperamentum exigeret, aut ad id per medicinæ beneficia, diſtemperatum reduceret. Quod & in reliquis humanis artibus ſolet accidere, dum quò perfectius ea ars habeatur, quippiam, quod ſit metrum ac menſura cunctorum, ipſa animi cogitatione fabricatur. Docent eloquentiæ ſtudioſi, oratorem debere eſſe uniuerſarum artium peritum. Mea quidem ſententia (inquit Cicero) nemo eſſe poterit omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus: non quidem quòd ullus mortalium, uniuerſam rerum & artium cognitionem, ſibi comparare queat, ſed, quòd ad eum oratorem fictitium, qui uniuerſa cognoſceret, ſeſe uerus orator afformare debeat, & quantum poterit anniti, ut ei ſimilis fiat. Cognoſcet etiam hoc ficto oratore, quantum à uera ratione oratoris deficiat, quiſquis eius artis ſtudio teneatur. Ita ſit & in arte medendi: quoniam uniuerſum medicinæ ſtudium in hoc ſitum eſt, ut per languorem euerſa corporis aut membrorum eucraſia ſiue rectus ac ſanus habitus reſtituatur, aut per medicamentorum auxilia, deterius temperamentum in melius commutetur, quo uita ſit longior & minus morboſa, eius artis periti, præſertim Galenus, inter omnes, omnium penè artium ac diſciplinarum conſultus, hanc temperamenti ad pondus rationem inuenit, ut in acceſſu & receſſu cæterorum temperamentorum ab ea, uniuerſa medendi ars uerſaretur. Ita ut temperamentum ad pondus non rei exiſtentis, ſed artis uocabulum ſit, quemadmodum in dialectica chimæra, hircoceruus & ſimilia.

Galenus li. de temperamen. et lib. de tuẽda ualetu.

Auicẽna de Elem. 3. c. 1. & prima primæ. c. de complexione. Auerro. 2. de gene. & 10. met. cõmen. 25. 1. de Cælo commen. 7. & 2. colli. c. ultimo & cæte.

3. de orato. & Quinti lib. 3. orato. institu.

Nam quòd huius generis temperamentum natura non patiatur, hæ rationes demonſtrant. Ignis eſt ſummè leuis, ita ut omni grauitate deſtituatur, ergo nulla ratione poterit cum cæteris elementis appendi. Amplius demus (quod tamen natura non admittit) ignem aliqua grauitate pollere, copulentur inuicem elementa, quo miſtum naturale ſubſiſtat, in eadem mole ergo, cùm ignis uehementiorem habeat actionem, cætera elementa corrumpet, unde uel miſtum non coaleſcet, aut ſi coaluerit, ſtatim ignis actione ſoluetur. Deinde miſtum ad pondus æquale, ſi tale aliquando daretur, nulla ratione moueri poſſet motione locali, quod natura non patitur, omne enim phyſicum corpus mouetur localiter, immo neque uſpiam quieſceret. Quod utrunque oſtenditur ex eo, quòd auctore Ariſtotele, ſi quod corpus alicubi quieſcit, ad eum locum natura ipſa propellente mouetur, mouetur uerò miſtum ab elemento prædominante, ideſt, ab eo, quod

Auerrois in commen. 1. de cælo Algazel &c. 1. de Cælo.

quod in eo maiorem molem obtinet. Ergo miſtum in quo nullum elementum eſt altero maius, ſed omnia æqualem molem & pondus poſsideant, ad ullum locum moueri non poterit: ergo neque in ullo quieſcere; non igitur mouebitur aut quieſcet, ac proinde neque erit phyſicum corpus, cùm phyſici corporis paſsiones non habeat. Quòd ſi quis in medio elementorum, aut quod quidam delirarunt, in concauo ſphæræ aëris, quaſi in loco naturali conſtituat, profectò illud naturaliter detrahent terra & aqua, quæ ad proprium quietis naturalis locum, per ſuam grauitatem deſcendent. Quòd ſi extra elementarem hanc ſphæram, illud miſtum agatur, quatuor igitur elementa, quæ in eo contenta, loco naturali carebunt, deorſum impellent: ignis enim ſi in lunæ ſphæra collocaretur, communi phyſicorum ſententia, deſcenderet. idemque de cæteris corporibus ſimplicibus, in quibus res naturales locantur, eſt omnino dicendum. Rurſus, temperamentum, non eſt ſimplex elementorum commiſtio, qualis eſt lapidum aut granorum aceruus, ſed ex eiſdem inuicem agentibus & patientibus coagmentatio: ubicunque uerò eſt aſsignare actionem & paſsionem, oportet agens ſupra paſſum obtinere dominium: non enim ab æquali uirtute fieri actionem natura permittit, ergo illud miſtum non eſſet miſtum, neque illud temperamentum ad pondus, eſſet temperamentum. atque hoc pacto neque ratio ſinit temperatum ad pondus, ſola ſaltem imaginatione conſtare. Verùm de hac re cùm non tantum medici Chriſtiani ſed Arabes & gentiles nobis conſentiant, plura loqui fortaſsis inutile.

1. de ge. & corrup.

Vide conci li. different. 13. &c.

Habet ergo Chriſtianus homo, temperamenti ad pondus ratione, neque Heliam ut inſanus Gentilis dicebat, neque Chriſtum maria potuiſſe calcare, aut in aëris conſeruari elemento, quòd huiuſmodi temperamentum, neuter in ſui compactione potuerit accipere, id nullo pacto permittente natura. Sed quid? An'non quoque Petrus eiuſdem domini præcepto, aquas calcauit? Deſcendens, inquit, Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquas, ut ueniret ad Ieſum. An erat quoque Petrus ad pondus item elementa ſortitus? Dicens has rationes tantummodò concludere, non dari temperamentum ad pondus perſeuerans, nihil tamen obſtare, quominus ſaltem detur per inſtans, cuius ſententiæ fuerunt olim Petrus de Aluerna, Petrus Aponen. Iacobus Forliuienſis, Thomas Garben. Antonius Parmen. &c. Verùm ſi ita eſſet, nec temperatum illud ad pondus, ad medicam conſiderationem pertineret, quando medicus, non inſtantaneas ſubſtantias, ſed durabile corporis temperamentum conſiderat, neque ad præſentem quæſtionem attineret, in qua diſceptamus, quo genere temperamenti Chriſtus uiguerit. Chriſtus enim non fuit res inſtantanea, ſed permanens, neque uirtus operandi miracula in Chriſto fluebat, ſed uſque ad uitæ finem in eodem permanſit. Quas uerò aut hi, aut Gentilis Fulginas, Marſilius, & quicunque contra maiorum decreta hoc genus temperamenti induxerunt, permanens ac durabile, rationes excogitarint huc adductas uelle conterere; cum uno conſenſu medici doctiores id præſtent, opus eſſet ocioſum qui uolet, horum tractatus conſulat, præſertim uerò Hugonis Senenſis qui de hac re pro ſui temporis ratione pleniſsimè diſputat.

Matth. 14.

Quorundã Euaſio.

At dicent uerum eſſe, temperatum ad pondus à natura non dari, neque eſſe poſsibile, uerum Chriſtum ratione temperamenti iuſtitialis certi, quod quamuis difficile detur, eſt tamen poſsibile, illa omnia operatum. eſt enim temperatum in humana natura, temperato ſimpliciter ſummè coniunctum, quod homo quidem à tota ſpecie, reliquas naturalium miſtorum complexiones excellat, ratione uerò certitudinis iuſtitialis temperamenti, cunctos, alios qui intra eam humanam ſpeciem continentur ſuperet, ut antea dicebamus. Verùm in primis negandum erit, Chriſtum, aut quemuis ſapientem certo iſto iuſtitiali temperamento à natura donatum. eſt enim pro duplici hominis portione, duplex quoque temperamenti bonitas. bonum temperamentum uocamus, cuius exteriores functiones ſunt bonæ. ſunt uerò duplices functiones, ſicut ſunt duplices potentiæ, nam ſunt quædam à materia ſeparatæ, quas rationales uocamus, quædam immerſæ materiæ, quæ ad uegetatricem aut ſenſitricem animæ partem pertinent: hæ uerò ut bonæ ſint, longè diuerſam temperamenti rationem in corpore poſtulant. Scimus enim calidum & humidum temperamentum, ad uegetatricis aut ſenſitricis animæ functiones, maximè idoneum, non item ad intellectuales operationes, ad quas rectè eliciendas, calidum & ſiccum; præſertim ſi humoris melancholici nonnihil poſsideat, plurimum præ-

Probatur Chriſtum neque iuſtitiale temperamentum habuiſſe, neque ſi habeRet eius ratione potuiſſe miracula edere.

Duplex in humana ſpecie temperamentum.

 ſtat.

ſtat. Eſt enim ſiue uitalis, ſiue animalis ſpiritus in calido & ſicco, multo ſubtilior, ratione uerò melancholici temperamenti, quod frigidum eſt & ſiccum, memoria tenacior: quæ duplex uis in ſapiente requiritur. Omnes, inquit Ariſtoteles, qui claruerunt ingenio, uel ſtudiis philoſophiæ, uel in republica adminiſtranda, uel in carmine pangendo, uel in artibus exercendis, melancholicos fuiſſe uidemus, & quoſdam ita, ut uitio atræ bilis infeſtarentur, ceu inter heroas de Hercule fertur. hic enim ea ipſa fuiſſe natura putatur, & morbum comitialem, ſacrum; ab illo, Herculeum priſci nominauere. Et ſubinde, de quibuſdam ulceribus, quæ à melancholico humore gignuntur, ſermonem faciens, Id, inquit, pleriſque atrabile conſiſtit, & Lyſandro Lacedæmonio proximè ante obitum, id genus ulcerum emerſit. Adde Aiacem & Bellerophontem, quorum alter penitus ad inſaniam prorupit, alter loca perſequebatur deſerta, unde illud Homeri,

In proble. sect. 30.

Aſt hic, quando etiam grauior Diis omnibus errat
In campos ſolus latos, inque auia rura
Ipſe ſuum cor edens, hominum ueſtigia uitans.

Quinetiam pleroſque alios ex heroum ordine, eodem morbo laboraſſe compertum eſt. Annis uerò poſterioribus, Empedoclem, Socratem, Platonem, & alios complures uiros inſignes, hoc fuiſſe habitu, nouimus, atque etiam partem ordinis poëtarum ampliorem. Nam & multi id genus hominum, ob eiuſmodi habitum corporis exercent, & aliqui ſuapte natura, in eos ipſos affectus perſpicuè uergunt, omnes tamen ferè, ut dictum eſt, natura huiuſmodi extitere. Hactenus Ariſtoteles, cuius uerba libenter attulimus, quòd perſpicuè, à uiris ſapientibus, qualem Chriſtum, etiam diuinitate ſemota, ſumus dicturi, calidum & humidum temperamentum, quod inter omnia potius habetur, excludat, cuius cauſam ſubinde prolixius profert, quàm ut huc afferatur. Claudius quoque Galenus in commẽtario libelli Hippocratis De natura humana, cùm uniuſcuiuſque temperamenti proprietates exponeret, ita ſcribit. Iam uerò eſt alia quædam diſputatio naturalis, non parum ad probandum efficax qua humores quatuor ad mores idoneos generandos, utiles demonſtrantur, Verùm prius oſtendiſſe in ipſa conueniebat, animi mores, corporis temperaturam ſequi, de quo nos etiam alibi ſcripſimus. Itaque hoc ſtatuto, acrimonia animi ac prudentia, ex bilioſo humore proficiſcetur, conſtantia uerò & firmitas ex melancholico; ſimplicitas autem & ſtoliditas ex ſanguine; pituitæ uerò natura, ad mores fingendos inutilis, hactenus Galenus. Quod uerò de hac re ſe ſcripſiſſe alibi, inquit, libros de animi moribus, & de cuiuſq; affectuũ cognitione & remedio ſignificat, in quibus multa philoſophatur, in eandem ſententiã. Vides ergo à duobus totius philoſophiæ & medicinæ principibus, calidum & humidum tẽperamentum, quod tamen eſt inter omnia, quantum ad actiones naturales, præcipuum, quod ad animi actiones iudicetur ineptum, à ſapiente amoueri, immo illi ſtoliditatem attribui: & tamen, ſi quod in humana natura iuſtitiale temperamentum certum, daretur, illi, calidum & humidum, ideſt ſanguineum temperamentum, proximè accederet. contrà uerò, ad frigidum & ſiccum, & calidum & ſiccum, ſapientiam, prudentiam, ſagacitatem, & animi conſtantiam referri. Immo neque eadem eſt bonitas temperamenti, ad naturales & animales actiones: uoco autem animales actiones, eas quibus animal à planta diſtinguitur, ſenſationes nimirum, aut externas aut internas; naturales uerò, quæ tantummodo miſti aut uiuentis formalem rationem inſequuntur. Videmus canem temperamento, inter cunctas animantes ſicciſsimum, & tamen inter omnes ualet olfactu: uidemus & lyncem, & uulturem, alterum uiſu, alterum uiſu, & olfactu, non tantùm homines, ſed & uniuerſa animalia ſuperare, quæ tamen animalia ab homine perfectione iuſtitialis temperamenti ſuperantur, nimirum, quòd non ſemper deterius temperamentum, deteriores, ſed plerunq; diſtẽperatius, uiuaciores & perfectiores animales habeat actiones. Eſt profectò ſenſoriorum in animali, miſtionis phyſicæ, aut uitæ naturalis, ratio diuerſa, nam hæc in recta humorum, aut primarum qualitatum compactione ſita eſt, illorum uerò rectus habitus, in earundem qualitatum exceſſu conſiſtit. Immo nec uniuerſa ſenſoria eundem habitum poſtulant, ſed alia alium. Viſus enim in humidiori complexione, olfactus in ſicciori ſeruatur: qui enim olfactu ualet, nõ multum ualebit uiſu, & contrario. tactus uerò & guſtus, quæ tamen omnium ſenſoriorum ignobiliſsima

ignobiliſsima iudicantur, temperamenti rationem ſequuntur, nam auditus ut plurimùm, in calido & humido, ideſt in ſanguineo temperamento ſeruatur.

Ergo (ut quæ diximus, in epilogum redigamus) negamus Chriſtum (quem etiam ſi purum hominem iſti crederent, tamen ſapientiſsimum, prudentiſsimum, & conſtantiſsimum, negare non poſſunt,) temperatum, iuſtitiali, illo certo temperamento fuiſſe; ſed eam temperamenti rationem ſortitum, quæ ſapientibus & ſtudioſis hominibus maximè conuenit. Neque quicquam ualet, quod quidam ſine auctoritate commiſcuntur, eundem inter omnes mortales ſpecioſiſsimum fuiſſe, unde & optimi temperamenti fuiſſe concludunt. Primò enim id non aliunde colligunt, quàm ex quorundam ſanctæ ſcripturæ locorum myſtico ſenſu, in quibus ob ſpeciem commendatur: uerùm pulchritudo illa, (etiam ſi de Chriſto ibi ſcriptura loquatur) uel ad diuinitatem ſpectat, uel ad uirtutum ſpeciem & formam, quibus cunctos facilè ſuperauit. Neque enim corporali ſpecie pulchrior fuit Apolline, Adonide, Atyde, Cypariſſo, Croco, Acantho, Amaracho, quos quatuor poſtremos ob formæ excellentiã, in ſui nominis plantas fabulantur conuerſos, Hippolyto, Hyla, Narciſſo, Niſo, Paride, aut fœminis illis, Helena, Athalanta, Ariadna, Antiopa, & reliquis utriuſq; generis propter ſpeciem celebribus, quorum admitandam pulchritudinem celebrarunt Poëtæ. Sed neque hæc exterior corporalis forma, ſemper temperatioris naturæ ſignum habetur. Videmus enim plerunque ſpecioſos, morboſiores, & pluribus languoribus eſſe obnoxios, quàm Hipponactes, Corytheos, Therſites, Damones, Aeſopos, Socrates, & ſi qui ſunt ſimiles deformitate famoſi. Quòd ſi ſpecies optimi temperamenti ſit ſignum, cur non fœminæ, quas tamen infinitis languoribus ſubeſſe uidemus; potiori fuiſſent temperamento, quàm uiri, quòd maiori uultus pulchritudine ſint à natura donatæ? Cyrillus itaque Alexandr. Patriarcha ἐν τοῖς γλαφυροῖς, in illa uerba Pſalmi 45. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potens ſpecie & pulchritudine tua. νοητὸν ait, ὅτι τὸ κάλλος τὸ ὡς ἐν εἴδει φημὶ καὶ φύσει τῆς ὑπὲρ πάντα θεότητος, οὐκ ἂν ἐνδοιάσει τις, οὐ γὰρ δήπου τὰ σαρκὸς σχήματα περιθείη τις ἂν τῷ χριστῷ, ἢ εἰς δόξαν αὐτοῦ καταλογιεῖται, πολλοῦ γε καὶ δεῖ· κένωσις γάρ ἐστι καὶ ταπείνωσις τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας ὅλον ἐστὶ τὸ μυστήριον γράφει δέ που καὶ ὁ προφήτης Ἠσαΐας περὶ αὐτοῦ καὶ εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον ἐκλεῖπον παρὰ πάντας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, ideſt, Nemo autē poteſt dubitare, quin pulchritudo intelligatur de ea, quæ eſt in gloria & natura Deitatis, omnia ſuperantis, quandoquidem carnis gloriationem nemo adſcripſerit Chriſto, nec in gloriam ipſius cēſuerit. Abſit hoc: totum enim myſterium incarnationis ſuæ, eſt exinanitio & humiliatio, ſicut ſcripſit de eò Eſaias proph. Et uidimus ipſum & non habebat ſpeciem neque pulchritudinem, &c. Non ſemper profectò corporis forma cum animi moribus conuenit, immo rarò morum & corporis ſpecies unà iunguntur, uerumque eſt plerunque quod ait Martialis de Achilla.

Qua ratione Chriſtus ſpecioſus præ filiis hominum dicatur.

Nō ſemper corporis decor internæ morū pulchritudini reſpondet.

> *Inſignis forma, nequitiaque puer.*

Immo plerunque licet de quibuſdam optare, quod idem de Catulla, libro octauo, epigrammatum optat.

> *O quàm te fieri Catulla uellem,*
> *Formoſam minus, aut magis pudicam.*

Sed neque corporis tobur cum ingenij uirtute ſemper conuenire probatur. Scio Galenum libro priori de temperamentis, ex propria, & Ariſtotelis ſententia, corporis actiones cum animi moribus conſentire, docuiſſe: quod & libro illo de moribus animi, pleniſsimè docuit. Verùm illud non de moribus, quæ uitia ſint aut uirtutes, intelligit, ſed (ut doctiores interpretes docent) de animi paſsionibus, quas Græci πάθη uocant, quales ſunt audacia, timiditas, & ſimilia; his enim & corporis robur ferè reſpondet, ut ei qui audax fuerit, robuſtos quoque neruos natura donauerit, è contrario uerò, puſillanimi, molles, quia nimirum cordis temperaturam animi mores, & reliqua ferè totius corporis conditio, conſequitur. Atque id eſt, ſed clarius, quod dicit poſtea, naturam corporis partes, iuxta animi mores effinxiſſe. In quam rem libro de uſu partium exempla ſubiecit, ex diuerſis animantibus, in quibus natura, unicuique pro indolis diuerſitate, diuerſas particulas indidit, homini ſcilicet, quòd eſſet animal à natura mãſuetum, nihil armatum ingenuit, contrà leoni, & in auium genere aquilæ, & aliis auibus tapacibus, ungulas indidit; & ut paucis dicamus, alia auium, alia piſcium, alia quadrupedum

Hieron. Triuer.

dum membra. Sed de his, libris de partibus animalium Ariſtoteles multa. Nos, tamen ut horum ineptias, clariori luci exponamus, gratis concedamus, Chriſtum hoc certo iuſtitiali temperamento fuiſſe naturaliter præditum. ſed nunquid potuiſſet eandem temperamenti rationem, in omni ætate, infantia, pueritia, adoleſcentia, & iuuentute, quas omnes excoluit, conſeruare? An non diuerſus locus, diuerſa nutrimenti

In com. libri. Hippo. de ſalubri dieta.

ratio, diuerſum cœlum, diuerſa ſtudia, temperamenta tranſmutant? Certè Galenus humidum & calidum temperamentum puerorum ſtatuit, ſiccum & calidum, eorum, qui in ætate inclinata ſunt conſtituti, humidum & frigidum, ſenum. adultam ætatem

Gale. lib. 3. aph. cō 27. & libr. 9. comē. 7. & lib. 5. cō. 9.

etiam in adoleſcentiam, quæ eodem auctore, à decimo octauo incipiens, in quintum & uigeſimum deſinit, & iuuentutem, quæ à uigeſimo quinto, ad trigeſimum quintum extenditur, diuidit: adoleſcentiam, optimè inter uniuerſas hominis ætates temperatam

Gale. lib. 3. aph. cō. 30. & libro. 5. com. 9.

credit: ſunt enim, tunc calore præualeſcent, uitæ principia auctiora. nam etſi pueritiam calidam & humidam natura conſtituat, quia tamen extrinſeci humidi, quod ex maternis uiſceribus infans ebibit, ſuperfluitate, per naturalem calorem, qui adhuc

Gale. in cō. ſuper libr. hippo. de uictus rat.

quaſi compreſſus iacebat, nondum eſt purgatus, nondum ad perfectam calidi & humidi temperamenti rationem peruênit: cùm uerò paulatim per ætatem calore conualeſcente, prorſus extrinſecam humiditatem ex membris excluſit, tunc calidum & humidum, perfecta ratione obtinetur. ex ea uerò humoris extrinſeci ſuperfluitate per totam penè

Gale. lib. 1. aph. cō. 24.

pueritiam, morbis humidioribus, quales ſunt puſtulæ in capite, uariolæ, &c. pueri laborant, iuuentutem demum calidam & ſiccam, idem auctor conſtituit. Non igitur fuit poſsibile, Chriſtum per totam ætatem, unam & eandem temperamenti rationem

Heb. 2.

ſortiri, præſertim cùm Abrahæ ſemine ſemel appræhenſo, debuiſſet per omnia fratribus aſsimilari. Immo cùm optimum temperamentum in adoleſcentia habeatur, tunc debuiſſet præſtare miracula, non item in iuuentute, quam ſcimus uerum illum temperamenti iuſtitialis certi gradum, quòd præualeſcente calore, & humido decreſcente, ad ſiccitatem decliner, obtinere non poſſe. Nutrimento & ſtudio etiam temperamentum

Lib de animi mori.

mutari, idem Galenus eſt auctor, Ex cibi, inquit, potuſque & quotidiani ſtudij ratione, probam corporis temperaturam facimus, quo modo Pythagoræ ac Platonis imitatores, tum alij quidam ueterum, feciſſe narrantur. Et in eodem libro, Saltem nunc, ait, ad mentem redeant, qui difficulter admittunt, nutrimentum efficere poſſe, hos temperatiores, illos diſſolutos magis, alios incontinentes, nonnullos frugales, confidentes, meticuloſos, manſuetos, modeſtos & contentionis ac rixæ ſtudioſos, ueniantque ad me audituri, quo eſculento, quo item poculento, eos uti conueniat. Hactenus ille. Va-

Vide Leuinum Lemmum lib. 1. de cōplex. Vitruuium lib. 3. de architect. Iulium Firmicum in epiſtola ad Lollianum.

riantur igitur ex cibo & ſtudio, non ſolùm hominum temperamenta, ſed mores, quod uariis regionum & prouinciarum exemplis demonſtrare non èſt neceſſarium. Chriſtus igitur, quem ciborum aſperitate, multis ieiuniis, orationum pernoctationibus, &c. pro noſtra inſtructione maceratum legimus, quî fieri potuit, ut etiam ſi eum temperamenti iuſtitiæ gradum, quem iſti potentem, ad edenda miracula nolunt, in ſui generatione accepiſſet, perpetuo eam conſeruaſſet, quando huiuſmodi cibi & ſtudia, naturam humido radicali exſufflato, uehementer extenuant? Varia loca, temperamenta uariare idem, eodem libro, ex Hippocratis, de aquis, aëre, & locis, commentario demonſtrat; In ciuitatibus quæ uerſus ſeptentrionem uergunt, mores agreſtes magis quàm benigni, illarum quæ ſpectant Orientem, homines, clara uoce præditi ſunt, ira & ingenio præſtantiores his, qui ad Aquilonem habitant, Aſiam plurimum ab Europa naturis omnium, & quæ terra proueniunt, & hominum differre, ex eodem Hippocrate docet, ſubiungitque: Temperamentum ait Hippocrates, non modò aliorum, quæ percenſui, ſed morum quoque cauſam eſſe. Vides igitur uario cœlo, uario aëre, uariiſque locis, ex Hippocratis & Galeni ſententia temperamenta uariari ac mutari. Cùm ergo Chriſtus non ſemper eaſdem prouincias incoluerit, ſed natus in Iudæa, tyrannica perſecutione fugatus in Aegyptum per bonam pueritiæ partem ſeceſſerit, deinde nunc Galilæam, nunc Samariam, nunc Iudæam, luſtrauerit, quî fieri potuit, ut ſemper eodem uigeret temperamento? Debuiſſet igitur in temperatiori regione, & in qua magis temperata illa iuſtitialis elementorum compactio conſeruaretur, excellentiora miracula operari. nam in aliis locis, contrario loco ac cœlo uirtus præpedita debuiſſet langueſcere. Temporum anni uarietates, & quòd ex his, corporis habitus, & temperies diuarient, nemo, qui proprij

corporis

corporis habeat rationem, ignorat. Ver ab Hippocrate calidum & humidum ponitur, *Lib. de natura humana.* æſtas calida & ſicca, autumnus, frigidus & ſiccus, hyems frigida & ſicca. Quamuis Galeno & eius ſectatoribus, alia ratione metiri quatuor anni tempora placeat, uer temperatum dicentibus, æſtatem ſiccam & calidam, autumnum frigidum & ſiccum, ſed magis ad ſiccitatem declinantem, hyemem humidam & frigidam. Horum temporum profectò uiciſsitudo, multum, non tantum hominis, ſed & cunctorum uiuentium immo & non uiuentium miſtorum temperaturas cogit à ſe ipſis recedere; & de qualitate in qualitatem, humani corporis membra tranſmutat. Ergo ſi temperamentum illud iuſtitiale certum, quòd in Chriſto fuiſſe contendunt, quopiam anni tempore conſeruabatur, quia ſibi congruum & familiare, ut contrario illius temporis læderetur, prorſus eſt neceſſarium, unumquodque enim ſibi familiari iuuatur, contrariis opprimitur, Ergo, ſi uere, quòd eſſet temperatum, ac proinde temperatæ complexionis conſeruatiuum, faciebat miracula, æſtate, autumno, & hyeme, eadem, propter contrariam temporis rationem, exhibere non poterat: erat enim impoſsibile, in eodem temperamenti gradu, per uirtutem naturæ, Chriſtum permanere; ſed cùm tempore anni, quemadmodum & cætera compoſita phyſica, uariare debebat. Multos autem ſcimus, & uere & æſtate, autumno, & hyeme, à Chriſto ſanatos, ut facili labore ex Euangelica hiſtoria, aut actibus apoſtolicis lector aduertet. Rectè igitur dictum eſt ab Aëtio, impoſsibile *Tetrab. 1. Ser. 4. c. 52.* eſſe unam aliquam temperaturam diutius perſeuerare, quod ipſa ſibi ipſi neceſſariò aliã quandam aſciſcat. Atque adeò etiam ſi gratis daremus, in ſui generatione illam temperamenti, quam iſti contendunt, rationem Chriſtum fuiſſe ſortitum, adhuc impoſsibile fuiſſet, eandem, per omnes ætates, ſtudia, tempora, loca & cæteras res naturales, quas medicina conſiderat, conſeruare.

IAM quo nihil abſurdi, iſtis, qui ſe penitiore quadam naturæ ſapientia præditos exiſtimant, non concedamus, eſto ita Chriſtum & iuſtitiale certum temperamentum à natura ſortitum, & id ipſum per uniuerſam ætatem conſeruaſſe: an ex hoc ſequitur, potuiſſe aliorum diſcraſias & intemperies ad eucraſiam & temperiem reducere? Profectò optimi temperamenti poteſtatem, non in alios, ſed in ipſum eundem, qui habet à medicinæ conſultioribus extendi, percepimus, in optimas inquam tantummodò uirium naturalium functiones, & exercitia, per quæ rectè eaſdem uires habere dignoſcimus. Optimè temperatus, inquit, Aëtius homo eſt, cum corpore apparet exactè medius, inter omnia extremè diſpoſita corpora; in gracilitate ac craſsitudine, mollitie ac duritie, *Tetrab. Ser. 4 c. 53.* caliditate & humiditate, ſiccitate ac frigiditate, & ut in ſumma dicam, ſi animales ac naturales actiones inculpabiles habuerit: medio item modo ſe habuerit inter hirſuta corpora ac glabra, inter nigra colore ac alba. Vides & ſigna & effectus temperatæ naturæ, non ex his, quæ extra, ſed in his quæ in ſe ipſa producit, aduertis? Tum profectò oculum rectè habere exiſtimamus, non cùm alterius oculum ad temperiem aut habitum temperatum reducit, ſed cùm optimam habet uiſionem: idemque de cæteris ſenſibus eſto iudicium: eodem ergo pacto, corporis humani rectus habitus ac temperatio cognoſcitur, non cùm in extrinſecum corpus operatur, ſed cùm in ſe ipſa rectas operationes naturales exercet. Deinde, Chriſti corpus, quocunque temperamento conſtaret, corpus erat phyſicum, & modo agendi naturali ſubiectum: ergo cùm res naturales, niſi cum patiente coniunctæ, non agant, nullo pacto Chriſtus abſentium corpora ſanare potuiſſet, quod ex euangelica hiſtoria falſum conuincitur; cùm & multos longè diſsitos, ſanitate donauerit. Quod ſi duplicem obiiciant contactum, alterum mathematicum, alterum uirtualem; mathematicum, cùm agentis & patientis ſuperficies iunguntur: uirtualem, cùm per medium diſpoſitum, agentis uirtus in patiens extenditur, attendant, uirtuali contactu, non à quouis ſpatio fieri actionem, ſed à certo ac determinato, ita ut nullo pacto à maiori, non enim rerum naturalium uirtus eſt infinita, ſed certum in agendo requirit ſpatium. Chriſtus autem non ſolùm tangendo, aut languidis præſens, ſed longiſsimo ſpatio ſanitates impertiebat. cuius exẽpla ſunto, filij Reguli, & pueri centurionis curatio, &c. Deinde, ſi uirtualem in agendo, Chriſto contactum daremus, ergo cùm *Math. 3.* uirtus naturalis, qualis illa eſſe deberet, ad patientis præſentiã non poſsit non agere, nullus æger Chriſto potuiſſet eſſe præſens, quin uel Chriſto inuito, corporis aut mẽbri ſanitatem exciperet: non enim naturalis uirtus quantum uult, aut quando uult, agit, ſed ad patientis

tis

tis præſentiam, quantum poteſt, ſibi idem patiens aſsimiliare nititur. Videmus autem Chriſtum nō ad ſolam præſentiam, ſed pro uoluntatis arbitrio, etiam à lãguidis præſen-
Mar. 1. tibus amouiſſe languores: leproſus enim Chriſto præſente, apud Marcum, non ſtatim lepram exuit, ſed poſtea quàm idem Chriſtus dixit, uolo. idemque in cæteris euangelicis miraculis licet aduertere. neq; enim ſtatim ad Chriſti præſentiam, corpora ægra in antiquam temperiem redibant, ſed cùm aut aſtantium precibus, aut ægri miſericordia pulſatus, in languorem ipſum, uoluntatis exercebat imperium. Non ergo uirtualis ille contactus, naturalis erat, id eſt à Chriſti natura temperata deſcendens, ſed intentionalis, ideſt uoluntatis & intellectus, qui nihil habet cum temperamento commune. Neque aliam fuiſſe ſuſpicari debemus, illam uirtutem, quam quibuſdam temporibus à
Luc. 6. Chriſto prodiiſſe euangelium teſtatur, Omnis, inquit Lucas, turba quærebat eum tan-
Luca 5. gere, quia uirtus de illo exibat, & ſanabat omnes, & apud eundem. Virtus domini erat ad ſanandum eos. Et quod Marcus de muliere, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, inquit, Et ſtatim IESVS ſentiens uirtutem, quæ exierat ab illo, conuerſus ad turbam
Marc. 5. aiebat, Quis me tetigit, &c. Non erat, inquam, hæc phyſica uirtus, quæ ab elementorũ temperamento proflueret, ſed intentionalis, ideſt à uoluntate & intellectu, temporis, quo gloriam Dei commendare decebat, conditione, ſeruata. Non enim in operandis miraculis à tempori, qualitates ſed ab ægrorum uiua fide, à patris gloria, ab euangelicæ legis, quam docebat, exaltatione, ab auditorum utilitate pendebat: alioqui, quid ueſti cum naturali corporis Chriſti temperie, ut ex eius contactu mulier ſanguinis profluuio ſiccato conualeſceret? Quod uerò in dubitantis ſpeciem, Quis me tetigit, dixerit, quaſi non ex eius uoluntatis arbitrio, uirtus illa prodiiſſet, non obſtat: hoc enim non ideò dixit, quòd eam ſanitatem neſcius contuliſſet, ſed quòd Dei gloriam per mu-
Luca 6. lieris proditionem uellet efferre. unde apud Lucam ſubditur, uidens mulier, quia non latuit, tremens uenit, & procidit ante pedes eius. Eodem quoque pacto eſt accipien-
Marc. 6. dum, quod apud Marcum dicitur, in patria ſua Chriſtum non potuiſſe ullam uirtutem facere, niſi paucos infirmos, impoſitis manibus curare, non quòd temperamenti naturalis actio, loco aut cœlo illo, &c. ab agendo impedita langueſceret: potius enim in ſuâ patria, cùm & locus in quo ſumus geniti, plurimùm ad temperamentum conſeruandum conducat, quàm alibi, naturalis ea uirtus agere debuiſſet, ſed quòd ſuorum ciuiũ contemptus & incredulitas, quæ duo maxima ſunt diuini beneficij ſuſcipiendi impedimenta, non permitterent. Vnde ſubditur, Et mirabatur propter incredulitatem illorum. Diuinum beneficium non ſolam diuinam potentiam requirit, ſed & in ſuſcipiente fidem, dilectionem, & animi deiectionem poſtulat, ita ut ab iſtis duobus quaſi à duabus cauſis pendeat. quando ergo altera deficit, nihil altera prodeſt, ſaltem ex communi, quam Deus cum hominibus ſeruat, agendi ratione. Itaque licèt in Chriſto eſſet ad ſanandum & patranda miracula paratiſsima uirtus, quoniam tamen ciuium, apud quos morabatur, fides non aderat, immo loco eius, contemptus & irriſio, non poterat ullam uirtutem facere &c. Sed quò ultimo tandem horum temperamentariorum oſtendamus inſaniam, agedum, concedamus Chriſtum temperamenti ratione & eucraſia, miracula edidiſſe, quid dicent de Apoſtolis & Chriſti diſcipulis, qui ſolo uerborum imperio,
Luca 10. etiam adhuc Chriſto nobiſcum agente, reuerſi ſunt cum gaudio dicentes, Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo? quid de Petro, qui claudum, omnibus no-
Act. 3. tiſsimum, ſolo uerbo erexit, Aeneam Liddium ſanauit, & Thabitam Iopæam poſt mor-
Act. 19. tem ad uitam reduxit? An tanta corpus eius conſtabat temperie, ut ſola eius umbra expoſitos ægros ſanitate donaret? Quid de Paulo, qui apud Lyſtros ex utero matris claudum, intuitus eum, & uidens, quòd fidem haberet, ſolo præcepto ſanauit, adeò apertè ut publicè diuinos honores oblatis ſacrificiis, niſi ſimul cum Barnaba obſtitiſſet, acce-
Act. 14. pturus fuiſſet? Potuit ne idem dæmonem Pythoniſſa incluſum, per temperamentum excludere? aut cur hi ante Chriſti fidem & religionem ſuſceptam hæc prodigia non ediderunt? Sed ut apoſtolos, qui homines fuere, eadem temperamenti uirtute, qua Chriſtum niguiſſe donemus, quid? an ne eadem quoque Apoſtolorum baculi, ſemicintia, & ſu-
Act. 19. daria uigebant, ut ægris appoſita, dæmones & morbos expellerent? Prioris teſtamenti miracula taceo, maris diuiſionem, mannæ pluuiam, ueſtimentorum & calceamentorum, quadraginta annis integritatem, nubis per diem, & ignis per noctem ductricem columnam,

mnam, uarios plerunque ſine ſanguinis effuſione trinmphos, & ante hæc omnia, uirgas
in colubros uerſas, cinifes, muſcas, ranas, ueſicas, occiſa primogenita &c. quæ nemo di-
cet à Moſis & cæterorum ducum temperamento prodiiſſe. Ad noſtra peruenio, Nun-
quid, cuncti, qui in euangelij promulgatione fecerunt miracula, eadem eucraſia, qua
Chriſtus, conſtare potuerunt? Nunquid eadem fuerunt humorum & qnalitatum men-
ſura? Sed cur non & apud Græcos, Romanos, & cæteras Orbis Reſpublicas, antè aduen
tum religionis chriſtianæ, aliquando huiuſmodi temperatiſsima corpora proueniſſent?
An non erat eadem ſoli ubertas? an non eadem cœli clementia? an uerò ex naturæ condi
cto, omnia corpora temperata connenerunt, ut tantùm ſub religione chriſtiana naſce-
rentur? an illud forſan credibilius, quòd carnis maceratione ærumnis, uigiliis multis, 2. Cor. 11.
fame & ſiti, ieiuniis multis, frigore, & nuditate, uirgarum flagellis, lapidatione, nau-
fragiis, equuleis, exiliis, catenis, lampadibus, & denique cruce, humana natura ad eu
craſiam & temperatiſsimam illam complexionem, ex qua miracula deriuentur, reduci-
tur. Quod ſi ſit uerum, neque falſum erit, in oſsibus & millenariæ pelli, aut carni, quo-
rundam temperatorum, illam eandem eucraſiæ rationem adhæſiſſe, & in tanto tempo-
rum ſpatio non fuiſſe corruptam. nam in ſacra & in eccleſiaſtica hiſtoria frequentiſsi- 4. Reg. 4.
mè, ad iſtorum quoque contactum ſcimus ægros ſanatos, ſed & cur non dicemus eorun-
dem ueſtibus, quarum fruſtra, poſt tot annos à chriſtianis populis adoranda ſeruantur,
eandem temperaturam adhæſiſſe? Quin'ne ſimus parci, in tanta prodigalitate naturæ,
demus & hanc temperamenti uirtutem ſepulcris, catenis, neruis, cuſtodiis, quibus Im
peratorum præcepto, ſunt mancipati, demus & templis, ubi nunquam fuerunt, in qui-
bus grauiſsimi auctores & minimè ſuperſtitioſi, eximia miracula, ad ſanctorum, quibus
fuerant dicata, inuocationem facta fuiſſe recenſent. Immo demus eandem tempera-
menti rationem, & tempori, quoniam his diebus, quibus Chriſti, aut ſanctorum me-
moria recolitur, multa ſunt edita prodigia. Sed hæc ſunt ridicula.

Iam cum ſecundi ordinis philoſophaſtris, qui chriſtianæ religionis miracula, imagi-
natrici uirtuti, nuncupant, eſt confligendum; ſi tamen prius eorum aperiamus inſaniam.
Auicenna eſt, qui quarta ſexti naturalium, cap. ſexto, ſuadere contendit, poſſe animam
humanam, per fortem imaginationem, uel intenſum affectum, non ſolùm proprium cor-
pus, ſed extra ſe ipſam, alienum, realiter tranſmutare, adeò ut Socratis fortis imagina
tio aut exiſtimatio, Platonis corpus ſanum, poſsit, quò libeat, languore conficere;
aut contrà ægrum, ad ſanitatem reducere; immò quod eſt magis admirandum, eadem
imaginationis intenſæ uirtute, credit pluuias, grandines, niues, uentos, & reliqua na-
turæ opera, è cœlo poſſe deduci aut cohiberi; quin, & ſi ita libeat, poterit quiſpiam
peſtes inducere, aut iam graſſantes compeſcere. In tanti uerò paradoxi comprobatio-
nem, ſupponit, quòd licet uniuerſæ rationales animæ, quantum ad eſſentiæ rationem
ſint prorſus æquales, quoniam in eadem continentur ſpecie, quæ iuxta Peripatetica pla-
cita, in indiuiſibili perfectione conſiſtit, non tamen quantum ad naturales uirtutes,
quas in ſui generatione, à cœleſtium aſtrorum uirtute concipiunt, quibus ſic quædam ſu
per cæteras poteſtate, ac operandi uirtute eleuantur, ut admiranda operentur, contrà
quædam materiæ ipſi tam ſint immerſæ, propter earundem naturalium uirtutem eleuan
tium defectum, ut potius uideantur brutæ, quàm humanæ, aut rationis participes. Iu-
uat & illud, quod anima humana ex eius ſententia, uel eſt angelicæ naturæ, quam ille
Peripatetico more uocat intelligentiam, congenea, uel illi affinis, & abſque ullo medio
in ordine rerum materia uacantium, connexa, ac proinde, mundi huius materialis ſua-
pte natura domina, quæ ex ſententia, cuncta diſponat. angeli enim aut intelligentiæ,
in res naturales imperium exercent, ergo & animæ hominum, quæ aut ſunt eiuſdem ra
tionis, aut ſi eis inferiores, ſuperiores tamen materiali natura: poterit ergo quæcunque
libeat, in ea operari. Quòd ſi quis, inquit, hunc naturæ ordinem, quo parent inferio
ra ſuperioribus, ſubmoueat è medio, tollat oportet uniuerſi rationem, quæ in ea obe-
dientia ſita eſſe uidetur. Sed iam quod in genere docet, illuſtrat exemplo. Imagine-
mur, inquit, animam Socratis aut productam, aut in humanum corpus transfuſam fuiſ-
ſe, ſub Iouis dominio, ipſo exiſtente fortunatiſsimo, & alio quouis planetarum aſpectu
fœlici concurrente: hæc anima optimas uirtutes & qualitates ab Ioue recipiet, erit enim
quaſi quædam Iouis imago, atque adeò non tantùm quaſi humana anima, ſed quaſi Io

In eos, qui in imaginatricis uirtutis potentiã chriſtianæ religionis miracula reuocant.

uis imago, operandi uirtutem habebit, illique mundi materia, quæ Iouis intelligentiæ ſubiicitur, proculdubio ſubdetur. Vnde quemadmodum Iouis intelligentia, ſecundum proprium inperium, huius mundi corporei materiam exercet, & eam diſpoſitam, inductis nouis formis tranſmutat, ita quoque humana anima, quæ per Iouis propitium aſpectum, eaſdem, quibus Iupiter pollebat, in ſui gignitione, uirtutes excepit, pro uolunratis arbitrio eandem corpoream naturam, nouis formis afficiet, eamque tranſmurabit, & nouis qualitatibus ueſtiet. Ad quam rem alluſiſſe credit, poetas cùm quoſdam hominum, Ioues, quoſdam uerò Saturnos dixerunt: non enim ob aliud credit Ioues aut Saturnos fuiſſe appellatos, quàm quòd Iouiales uirtutes, aut Saturni proprietates, per horum planetarum influxum acceperint, quibus admirandos effectus, apud mortales præſtiterint. Verùm non quacunque ratione animam humanam ſic per cœleſtes qualitates elatam, in corpoream naturam dominari permittit, ſed cùm fortiſsimo affectu ac intenſa imaginatione, in eãdem conſurgit: requiritur etiam ſubiectum diſpoſitum: neque enim lapidem per intenſam imaginationem in hominem uertet. requiritur tertiò quòd hæc eadem anima, paſsionum ſenſibilium ſit exors, ita ut non ſit immerſa materiæ, ſed ſicut prouidens ei, & eandem gubernans. Hanc eandem ſententiam quidam Auicebroni Mauro philoſopho tribuunt, immo & Hippocr. Coum ab eadem non abhorruiſſe commemorant, & ex noſtris eam admiratur, & colit Andr. Cataneus Imol.

Lib. de intellectu & de cauſis mirab. effect.

Sed iam quantum iſta cum recta philoſophandi ratione conſentiant, attendamus oportet. Et quidem ingens eſſe animæ rationalis in proprium corpus imperium, non imus inficias: nam in uniuerſis hominibus duplicem imperandi rationem, alteram qua ſeruiliter motiuas uires pro libito impellat; alteram, qua ciuiliter hoc aggredi, illud uerò fugere appetitui ſuadeat. Ariſtoteles communiſque philoſophia iam dudum probauit. Quin & præter hanc, quæ cunctis hominibus eſt communis, imperij rationem, miram ac ſtupendam animæ poteſtatem in quibuſdam uidemus.

lib. 1. Eth.

Mira animi poteſtas in propriũ corpus.

Narrat de quodam Auicenna, quòd cùm uellet, corpus ſuum paralyſi oblædebat, neque à noxius ferichatur animalibus, niſi cùm & ipſe cogeret, quæ tamen, ut eundem momordiſſent, mox interirent. Scribit Aurelius Auguſtinus fuiſſe quoſdam, qui aures uel unam uel ambas, pro uoluntatis arbitrio, quocunque mouerent: item, qui rotam cæſariem capite immoto, quantum capilli occupabant, ad frontem deponerent, reuocarentque cùm uellent. Illud uerò penè fidem omnem excedit, quoſdam repertos, qui eorum, quæ deglutiſſent, plurima ac uaria, paulatim contractis præcordiis, quaſi de ſacculo, quod placuiſſet, proferrent. Refert idem quendam ſudaſſe cùm uellet. Narratur & presbyteri cuiuſdam Reſtituti nomine, uis naturæ admiranda, qui ubi collibuiſſet (rogabatur autem frequenter ut faceret) ſeſe abducebat à ſenſibus, & iacens, demortui hominis oſtendebat ſpeciem, ut non ſolùm uellicantes, atque pungentes minimè ſentiret, ſed etiam ſi igne ureretur admoto, ſine ullo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex uulnere perſeueraret: in eo uelut in defuncto, nullus inueniebatur anhelitus, hominum tantùm uoces, ſi clarius loquerentur, tanquam ex longinquo ſe audiſſe poſtea narrabat. Sunt & qui cùm uolunt, uim lacrymarum torrentis inſtar, ſine cauſa profundunt. Eſt & eximia quarundam animarum agilitas, ac mira in operibus intellectus poteſtas, ut potius angelicæ naturæ quàm humanæ credantur. Quantum uerò ſit harum animarum in proprium corpus imperium, argumento eſt corporum illorum, quibus clauduntur, macredo, & parum ſecunda ualetudo, qua dum uiuunt, fruuntur. Non in his profectò corpus dominatur, ſed animus imperat: niſi potius ex ſagaci naturæ prouidentia, dicenda ſit huiuſmodi macilentia prodire, quominus huiuſmodi uiri carnis mole grauentur, quò Plato libro de natura uidetur alludere, Potuerat inquit, Deus tam ſolidum corpus hominis concinnare, ut nocumento forinſecus occurſanti minùs foret obnoxium, ſed mollius efficere præoptauit, quò eſſet contemplationi paratius. adnectit deinde animi præpotentis motiones, proprium corpus quandoque reſoluere, ac tandem diſſoluere. Demum quantum paſsionibus in proprium corpus anima poſsit, experientia docemur. impetus iræ, plerunque mentem alienat, titillatu, iecur libido permulcet, immo uerò pulſum arteriarum mutat & afficit. nam, ut alia omittamus, ex uibratiori eius aſſultu, medicæ profeſsionis ſolertiſsimus Eraſiſtratus, Antiochi in nouercam Stratonicem amorem depræhendit; unde apud Galenum de Erotico pulſu cele-

Col. lib. 20. c. 16.

bris

bris eſt quæſtio. Multos gaudium peremit, innumeros abſorbuit triſtitia; ſed his omnibus uiolentior eſt in proprium corpus animæ actio, quam per imaginationem exercet, non tantùm in hominibus, ſed etiam in brutis; gallina (ut Auicenna literis prodidit) dum gallum ſuperat in pugna, galli calcaribus ex imaginatione donatur, quòd non ſe amplius fœminam ſed maſculum putet: gulæ, uentrique mancipatos quoſdam, ita ſæpenumero ganeata quædam cibaria animo concipere cernimus, ut iamiam ex illorum ſapore ſaliua infecta, eadem deglutire uideantur: rerum acerbarum cogitatione dentes ſtupeſcunt: præcantatiunculis quibuſdam ſuperſtitioſis, quæ ex ſe, ut antea dixi, nihil ualēt uirtute uerborum, imaginationis uehementia, ſæpe morbi pelluntur. Vidi ego Salmanticæ, pueri cuiuſdam attactu, qui gratiam ſanitatum (ut uocant) habere credebatur, è uulgo plures grauiſsimis morbis leuatos, quamuis poſtea quàm imaginatio quieuiſſet, morbi redibant. Quin (quòd eſt admirandum) filius Crœſi Lydorum regis, naturali mutus impedimento, cum ſub Cyro Perſarum Imperatore uictore, militem patrem aggredientem uideret, uiſo paterno periculo, uocalis euaſit. Homo, inquit, ne perimas Crœſum. Illud uerò horribile, quòd in his, quos rabidus canis momordit, tanta eſt imaginationis poteſtas, ut illis in aqua canes appareant, unde ipſis aqua, & quorumuis liquorum horror eximius: quamobrem à Græcis medicis horum morbus ὑδροφοβία nuncupatur, quem ſignificauit Ouidius, cùm inquit,

Mirum de Salmatice ſi puero.

Soluere nodoſam neſcit medicina podagram,
Et formidatas ſoluere neſcit aquas.

Immo & in ſpermatis guttulis (tanta eſt imaginationis uiolentia) apparere dicuntur catulorum effigies: quin & (ut medici uolunt) ſi tunc æger pregnantem fœminam redderet, non gigneretur homo, ſed canis, quod inter omnia humani corporis membra, & inter omnes humores, & genitalia, genitaliſque humor, maximè ab imaginationis uigore patiantur. Quanta demum proprio in corpore uirtus imaginatrix efficiat, Franciſcus Picus, Ioannis Pici Mirandulæ comitis nepos, duobus editis libris exponit. Nos tamen ulterius non refragamur, in corpus alienum, imaginatricis potentiæ uirtutem extendi, dummodò ſit proprio coniunctum. In uſu uenereo, cogitatio cuiuslibet, animo tranſuolans, effingere ſimilitudinem creditur. Quæ ratio (ut Plinius eſt auctor,) plures in homine, quàm in cæteris animantibus differentias inducit, quòd nimirum, tum cogitationum uelocitas, tum animi celeritas, tum ingenij uarietas, multas, ac multiformes notas inducat; cùm contrà in cæteris animalibus uniformes ſint animi, æqualia ferè ingenia, cogitationes immobiles. Proditum eſt ab Hippocrate, liberatam à ſe, quæ adulterij ſuſpitione, quòd formoſum puerum parentibus abſimilem peperiſſet, mox ſupplicium uidebatur ſubitura, dum quid artis pictoriæ, in cubiculo, ubi concepiſſet, fuiſſet appenſum, præcepit inſpici. Ad Piſonem etiam ſcribit Galenus, diuitem quendam, dum uellet puerum generare formoſum, eiuſdem effigiem arte pictoria, in tabula delineatam uxori inſpiciendam tradidiſſe, dum eſſet in coitu, quo facto puerum edidiſſe non patri aut uxori, ſed imagini depictæ per omnia conſimilem. Hanc uerò imaginationis eſſe potentiam, comprobat Fabius Quintilianus in ea controuerſia, in qua de matrona, quæ ex proprio marito Aethiopem pepererat, agit. Quod etiam in brutis accidere, ſacra docet hiſtoria, in qua Iacob patriarcha poturis ouibus, uirgas in canalibus diſcolores ſparſiſſe narratur, ut ibi initis, euariantis lanitij fœtus producerentur. Idem in equarum quoque gregibus, factitatum eſſe olim in Hiſpania fertur. Pauoni fœminæ oua incubanti, ſi album linteum apponas, pauones poſtea albos naſci, quidam ſcribunt. Gallinæ itidem oua incubanti, ſi cancellis incluſam ſerpentem oſtendas, uſq; ad id temporis, quo fuiſſent pulli prodituri, non pullos, ſed ſerpentes habebis. Atq; hactenus quidem animæ uirtus naturalis extenditur: cæterùm quòd anima poſsit in corpus à ſe ſeparatum, ſiue per imaginationis uehementiam, ſiue per aliam uirtutem, nulla philoſophia, nulluſque rectus ſenſus admittit: ſeparatum uerò dico, nam in corpus à ſe diſtinctum, coniunctum tamen, ea quæ ſtatim poſuimus exempla, poſſe aliquid comprobant: uoco autem coniuncta corpora quæ utero continentur, quamuis formas illas, quas diximus, non in corpus iam genitum, & utero concluſum, ſed in ipſum ſemen, dum eſt corpori unitum, uirtus imaginatrix imprimat. Sed iam quod diximus, demonſtremus rationibus. Principiò ex communi philoſophandi ratione, præſertim Ariſtotelis, quem

Anima poteſtas ad corpora quoque coniuncta extenditur.

Lib. 7. natural. hiſt.

Gen. 29.

Gamerius in præli. tractat. de peſte.

Anima in corpus à ſe diſiunctum nulla poteſtas.

ipſe imitatur Auicē. altioris ordinis ſunt intelligentiæ, quàm animæ rationales; cùm illæ penitus deſtituantur materia, hæ ſaltem ſubiectiuè, materiam ſequantur. Ergo cum intelligentiæ, res mareriales, niſi corporis cœleſtis actione mediante, nouis formis ueſtire non poſsint, nec animæ rationales, hoc poterunt: neque enim uoluntate tantùm & intellectu, intelligentiæ res naturales producunt, ſed motu cœlorum & lumine. Demonſtrat autem idem hæc ratio, ſi ein ſdem generis animam rationalem, cum intelligentia, ponamus ut Auicenna docebat. Huic uerò rationi potuiſſet forſan Auicenna reſpondere, negando ſubſumptionem, quòd ſcilicet intelligentiæ, ſola motione & lumine, res naturales producant, nam ipſe eſt, qui credit, per ſolam uoluntatem & intellectum, ex ipſa uniuerſi ratione, poſſe intelligentias, mundi inferioris materiam tranſmutare. immo formæ rerum ſubſtantiales, ex eius ſententia, non ab agentibus naturalibus, ſed à datore formarum uniuerſæ deſcendunt; Cui reſponſioni, quidam inſtant, quòd ex ea ſequatur, poſſe agens aliquod agere in diſtans, non agendo per medium, quod nulla ratio permittit. Sed hoc haudquaquam Auicenna moraretur concedere, tum quòd non ſit dator ille formarum agens phyſicum, tum quòd inter phyſica agentia iacintus collo appenſus, cor conſortet, in media corporis membra non agens. ſimiliter ſmaragdus oculos ſerpentis diſſoluens, in medio aëre eandem qualitatem non imprimat. Verùm his dilutionibus, nihil noſtræ rationi uigoris deteritur, quod enim per ſolam uoluntatis & intellectus actionem, intelligentias credat Auicenna, res naturales producere, uniuerſam philoſophiam habet aduerſam; quæ actiones immanentes, quas uocant, non in externa opera, niſi intentionali ratione procedere docet. Sunt uerò actiones immanentes, quæ à cognitiuis animæ uiribus, præcipuè uerò uoluntate & intellectu, quaſi à principijs deſcendunt. intentionali uerò ratione, tunc in exteriora extenduntur, quando ſunt motiuæ rationes agendi, quo pacto per ſeruos quæ uolumus, & intelligimus, exequimur, immo per membra noſtra, quæ placent præſtamus, non quòd uoluntas & intellectus, ea immediatè producāt, ſed quòd producenda interius præcipiant. Quo pacto quoque doceret Auicenna, primum motorem, primam intelligentiam monere, non immediatè, ſed quaſi amatum ac deſideratum, ideſt quod ex eius amore ac deſiderio, ad mouendum agatur. Sunt profectò immanentes potentiæ, ex ſua propria ratione infæcundæ, nec ad aliud, quàm ad ipſius animæ informationem potentes: qua ratione paſſiuæ à Philoſophis dicuntur. nihil enim aliud intelligere aut uelle, docent, quàm quoddam pati, quo anima uitaliter, quod aiunt, immutetur. Intelligentiæ ergo, quantumuis à materia ſeiunctæ uoluntas & intellectus, niſi tantùm intentionali motione, ad opus exterius producendum, non ualent. Vnde ridiculus fuit ſemper apud probatos philoſophos, dator ille formarum, qui ſine agentium naturalium applicatione, ſubſtantiales formas in materia produceret. Intentionali uerò actione, intelligentia, per uoluntatem & intellectum in res naturales cognitione deſtitutas, non aget, quòd intentionaliter moueri, ſit alterius imperium per cognitionem ſuſcipere. Nullæ uerò res naturales, quà tales, ſui producentis uoluntatem & intellectum, antequàm producantur, intelligunt, immo nullum agens naturale, quatenus tale, cognitione pollet, ut ſuperioris intelligentiæ, ad effectum producendum mandatum ſuſcipiat. Corruit ergo illa naturæ obedientia, qua res naturales intelligentiis ad nutum parēre, docebat Auicenna; niſi id intelligat de motione locali, quod nos quoque docemus; neque tamen ita, ut ex ſola intelligentiæ uoluntate moueantur ſtatim, ſed ut mouentibus intelligentiis nullo pacto reſiſtant.

S. Tho. contra Gent.

Iacobus de Forli. lib. 3 in li. tegni. Galen. q. 9 Impugnatur Auicenna.

Actiones Immanentes,

Ariſt. 2. de ani.

VARVM eſto intelligentiam à materia ſecretam, media uoluntate & intellectu, poſſe ſine agentium naturalium auxilio, formas naturales inducere, an hoc idem & hominis anima poterit, quæ ſit quantumcunque Auicenna uelit ingenua, & intelligentiis affinis, quòd tamen ſit immerſa materiæ, ac perinde agentium naturalium legi implicata, negare non poterit? agentia uerò naturalia ſine patientis præſentia, nihil agere poſſe, uniuerſa philoſophia conſentit. Neque hîc ad duplicem illum contactum mathematicum & uirtualem confugere licet, ut anima per imaginationem, corpori à ſe diſtiucto, uirtuali copuletur contactu. Virtualis enim contactus eſt tantùm agentium, à quorum uirtute in externa corpora deriuantur actiones, non item eorum, quorum actiones ſuapte natura ſunt interius manētes, quales ſunt animæ rationalis cognitiones, aut appetitiones,

titiones, quas quantumcunque in ſubſtantiarum ſeparatarum natura quis diceret ad externa opera immediatè producenda ſat eſſe, in anima tamen rationali, materiæ commiſta, ſeruare debent potentiarum immanentium naturam, quæ tantum eſt, animam immutando perficere. Quis, quæſo, non uideat, quàm uiolentè ab intelligentiæ nullo pacto materiæ cõmiſtæ, intellectu & uoluntate, quæ potentiæ quoq; non requirunt materiam, ad imaginatricem potentiam animæ rationalis immerſæ materiæ, argumẽtum trahatur? Profectò etſi in illis, quoniam materia deſtituantur, potentiæ ſuapte natura immanentes, in exteriores effectus prodirent, quod tamen eſt impoſsibile, in hac tamẽ & ipſa ratio formalis potentiæ, & materiæ commiſtio, id fieri non ſinerent. Eſt enim prorſus impoſsibile, potentiarum rationes formales peruertere. Eſt autem rei cuiuſque ratio formalis, propria natura; propria uerò potentiarum immanentium natura eſt, nihil extrà producere; ſicut tranſeuntium potentiarum proprium eſt genium, extra ſe agere.

Sed iam ad alteram eius rationem, quam ex aſtronomia deducebat, recurrat oratio, in qua meo quidem iudicio, multa peccat Auicenna. Principiò enim cùm animam ponat in rerum naturalium ordine intelligentiis æqualem, aut ſaltem affinem, & eandem ſupra uniuerſum rerum naturalium ordinem collocet, atque ideò à materia ſeiunctam, qui fieri poteſt, ut cœlorum uirtutes, quæ ſunt corporales, in ſui productione ſuſcipiat? An forma & ſubiectum proportione quadam ſibi reſpondere nõ debent? Sed dicet, cœleſtes illos influxus, non in ipſam animæ ſubſtantiam immediatè defluere, ſed in corpus, quòd ſubinde animam ad operandum, recto organorum temperamento coadiuuet. hæc enim & à Chriſtianis auctoribus, qui Aſtrologicas ſuperſtitiones recipiunt docentur. Sit ita, non refragor. tunc igitur cùm cœleſtes illæ uirtutes ſint accidentia corpori inhærentia, non animæ, corporis, cui inhærent in agendo rationem ſequentur: neque ergo ad Iouis imaginem, illis uirtutibus anima rationalis conſurget, ut Auicenna dicebat, ſed corpus, neque illis qualitatibus, quaſi inſtrumentis ad miras illas actiones operãdas immediatè utetur, ſed utetur immediatè corpore, cœleſtibus illis qualitatibus prædito, nihilque ea, quæ cœleſtibus illis influxibus à natura tribuitur, quàm ea, quæ illis deſtituitur, magis habebit, niſi quòd illa corpus habebit rectè diſpoſitum, iſta non habebit, nam in natura & eſſentia ſunt penitus pares. quidquid ergo cœlitus habet impreſſum, corporis in operando naturam & rationem ſequetur, anima uerò per quaſcunque qualitates cœleſtes erecta, nihil ultra uires, quæ animæ rationalis naturæ debentur, habebit, ſed tantùm minùs aut magis commodum corporis uſum. Vniuerſis ergo illis qualitatibus confluentibus, nihil amplius propria natura, propriisq; uiribus, poterit. ergo ſi anima rationalis in alienum corpus, ſuapte natura dominari non poterat, neque cum uniuerſis cœleſtibus qualitatibus poterit, quoniam cœleſtes qualitates, quas in ſui generatione corpus accepit, non animæ ſed corporis, in agendo naturam ſequuntur. Verùm demus animam rationalem in ſui productione, cœleſtes has qualitates ſuſcipere, illiſque quantum uelit Auicenna, ad Iouis aut alterius aſtri propitij, aut intelligentiæ motricis, imaginem euehi; cur non idipſum cunctis hominibus, qui in eodem aſtrorum aſpectu gignerentur, accideret? Cur nõ horum uirtute, naturam quotidie uideremus peruerti? Multi profectò ſub illo Iouis propitio gignuntur aſpectu, ergo multi imaginatione & æſtimatione forti, opera mira producent: neque tamen in quopiam mirabilem iſtã uirtutem operandi uidemus. Subuertimus ſufficienter (ut credimus) utrunque principium ex quo duplicem deducebat Auicenna pro ſua ſententia rationẽ. Quòd ſi quis exactiorem eius inſani dogmatis confutationem deſideret, habet medicos & philoſophos diſertiſsimos, qui eàm phyſicis argumentis ex media philoſophia proſcindunt: nobis ſatis eſt pro inſtituti ratione, huiuſmodi placita, quæ prolata, ſtatim cum ipſa ratione pugnare uidentur, recitaſſe, & eorum præcipua fundamenta euertiſſe; præſertim cùm nullum uel apud Arabes, uel apud Chriſtianos auctores, Auicennæ in hac parte conſenſiſſe ſciamus.

In aſtrologos, qui Chriſti miracula in aſtra referunt.

Restant modò aſtrologici uates, qui Chriſti miracula, neq; in medicinam, neque in animæ Chriſti nobilitatem, ſed in Saturnum, Iouem, Martem, Solem, Mercurium, Venerem & Lunam, & rurſus in Arietem, Leonem, Sagittarium, Taurum, Virginem, Capricornum, Geminos, Libram, Aquarium, Cancrum, Scorpium, & Piſces refun-

c.1.hui⁹ lib. dunt, in quos, quòd, eos iam laſſos, ex diuerſis certaminibus aggrediamur, ſuccinctius ac breuius ſumus acturi. Hi ergo cœleſtes ſophi (niſi quòd potiùs, qui tam atrociter Chriſtum blaſphemant, ſceleſti uidentur dicendi) ut antea docuimus, Chriſtum non alia ratione tot clariſſis miraculis eredunt, quàm quòd in nona cœli plaga Saturnum habuerit in Geminis, & quòd horas & momenta ad edenda miracula obſeruauerit, quò illud quod diſſuadentibus diſcipulis regreſſum in Hieroſolymam reſpondiſſe Ioannes narrat; Ioan. 12. Non'ne horæ duodecim ſunt diei ? pertinere uolunt. Obſeruabat (aiunt) aſtra propitia, ne ſe, dum aſcenderet, Iudæi lædere poſſent. Docent idem etiam, eum, cui Mars in nona cœli domo fœliciter locatus obtigerit, dæmones ab obſeſsis corporibus ſola præſentia pulſurum. Eſt & eorum placitum aſcendente Geminorum ſidere, eoque Saturno Mercurioq; ſub Aquario iuncto, in nona cœli plaga naſci prophetam, ſimiliaq; multa inani ac futili garrulitate beatiſsima quadam ſapientia nugantur.

In hos uerò nulla alia, quòd iam quantũ poſsit aſtrologica uirtus, in præcedentibus ſatis explicũ et inius, producemus argumenta, quam ſuorum dogmatũ repugnantiam & mutuam contradictionem. Nam ſi quia in nona cœli plaga, Chriſtus natus eſt, edendorum prodigiorum poteſtatem accepit, quî fieri potuit, ut idem propheta eſſet, aut dæmonia ab obſeſsis corporibus pelleret, cùm ea munia alterius ſint influxus cœleſtis? Enimuerò aliarum cauſarum effectus, nulla naturalis cauſa, quales ſunt ſtellæ, poteſt obire, ſed à diuerſis agentibus, diuerſi quoq; proferuntur effectus. Ergo ſi prophetia, Saturno, Mercurioque, in nona cœli plaga, ſub Aquario coniunctis naſcenti contingit, etſi imperium in dæmonia, Marte in nona cœli domo locato, donatur, cùm in his cœli poſitionibus Chriſtus natus non fuerit, dæmonia ab obſeſsis corporibus expellendi, aut futura prædicendi poteſtatem non habuit: neque uerò ſub tribus iſtis ſiderum aſpectibus, cùm hoc ſit impoſsibile, natus dicetur. Chriſtus autem & propheta fuit, & dæmonia ab obſeſsis corporibus uiolenter expulit, ut ex tota Euangelica hiſtoria luculenter apparet: falſa igitur & ſibi pugnantia ſunt aſtrologica dogmata. Deinde, qui Martem cum Geminis, in nona cœli plaga fœliciter locatum ſortitus fuerit, ſola præſentia corporali dæmonia fugabit, at Chriſtus non ſola præſentia corporali, ſed uerbo & imperio dæmonia fugabat; atque id aliquando abſens. non igitur uirtute Aſtrologica, ſed planè Diuina, dæmonia fugabat. Prætereà Apoſtolici uiri non omnes eodem cœli poſitu, quo Chriſtus, nati ſunt; & tamen, ut tum ex ſacra, tum ex Eccleſiaſtica hiſtoria colligitur, prophetæ fuerunt; dæmones expulerunt, uirtutes & prodigia ediderunt: falſæ igitur & mendaces aſtrologicæ nugæ. Amplius, Apoſtolica ſemicinctia, ſudariola, baculi, ueſtes &c. neque Saturnum & Mercurium in Geminis, aut in Aquario, neque Martem in nona cœli plaga conſtitutos, in ſua natiuitate habuerunt, & tamen per ea, miracula ſunt edita. falſæ igitur & nugaces aſtrologicæ næniæ. Deinde Chriſti & ſanctorum ſepulcra, templa, dies, feſti, memoriæ, inuocationes &c. nullam iſtarum poſitionum cœleſtium, in ſuis natiuitatibus & horoſcopis habuerunt, & tamen multa uariaque prodigia per ea patrata ſunt. mendaces igitur ac deliri aſtrologici ſophi. Id tamen omnium aſtrologorum cerebrum inuictiſsimè comminuit, quòd ſi qui illis poſitionibus cœli, aut ſiderum aſpectibus in mundo naſcuntur, aut prophetiam, aut imperium in dæmonia, aut edendorum prodigiorum poteſtatem acciperent, multos profectò dæmonum expulſores, miraculorum patratores, uaticiniorum artifices, à mundi principio quotidie habuiſſemus. neque enim Chriſtus aut prophetæ tantùm, ea cœli poſitione ſunt editi. Demum ſi cœli poſitiones, & propitius Saturnus, aut aſtra beneuola, edendorum prodigiorum poteſtatem conciliant, cur hi ipſi, qui momenta obſeruant, in edendis miraculis non ſunt potentiſſimi? Sed dimittamus aſtrologos, quos nõ alia ratione iudiciarios, quàm quòd omnino iudicio deſtituantur, appellari, etiam opiliones norunt.

Cur præſentis

Cur præſentis Eccleſiæ tempore, ut olim in fidei plantatione, miracula & prodigia non fiant. Cap. VIII.

VEtus quæſtio eſt, & etiam Auguſtini temporibus, Chriſtianis hominibus obiecta, cur ea, quæ prædicamus facta fuiſſe, miracula modò non fiant, quando plurimùm fides proficeret, ſuccreſcentesque hæreſes continuò labaſcerent. Eadem aiunt, eſt nũc edendi miracula ratio, fidei profectus, infidelitatis defectio, peccatorum cohibitio &c. Cur ergo ſi olim Deo auctore facta fuerunt, modò cùm idem ſit Deus, eademque ratio faciendi, non fiant? Cui quæſtioni reſpondet Auguſtinus, neceſſaria quidem fuiſſe miracula, priuſquàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus, cum autem qui adhuc prodigia, ut credat inquirit, magnum eſſe, ipſum prodigium, qui mundo credẽte non credat. *Lib.22. de ciuit.Dei.* Quæ ratio alto animi receſſu librata, uniuerſas profectò tentationum procellas in hac parte ſedabit. Legimus Moſaicæ legiſlationis initio, ingentia facta fuiſſe miracula, quæ poſtea ſemel eadem lege recepta, cuncta ceſſarunt, eorum tantùm in mentibus hominum memoria ſeruata, qua, quoties ad Deum eſſent reuocandi, commoniti, peccare deſiſterent. Nihil enim in ſancta ſcriptura frequentius, quàm priorum miraculorum repetitio, quòd ea ſine nouis miraculis, ad fidem & legẽ ſemel ſuſceptam, colendam, diuino iudicio uiderentur ſufficere: quod & in cæteris rebus humanis uidemus contingere, in quibus noua incœpta aliquandiu duratura, ſolennibus quibuſdam ceremoniis, & nobili pompa principiò firmantur, non item poſtea quàm hominum aut reipublicæ conſenſu ſunt comprobata. Eligitur Imperator aut Pontifex, ingentique ceremoniarum apparatu, populo palàm adorandus proponitur. iungitur & per matrimonium grandi ſolennitate, noua uxor marito, nec tamen ſi quis deinde de Imperatoriæ, Pontificiæ, aut Regiæ poteſtatis titulo ambigeret, rurſus uniuerſa illa ſunt repetenda; ſed ſufficit populo, aut reipublicæ credenti concredere: ſed neque ſi de aliquorum matrimonio quis dubitet, ſunt rurſus coniugales tedæ obeundæ, ſed ſatis eſt ſi publica populi acclamatione, initum fuiſſe matrimonium probetur. Sunt euangelica miracula ſigilla quædam uerbi diuini, quibus cœleſtem doctrinam, quaſi Regia aut Imperatoria reſcripta, firma eſſe cognoſcimus. Ergo poſtea quàm parentibus noſtris, reipublicæq; chriſtianæ primoribus, initio naſcentis eccleſiæ, Apoſtolico officio innotuerunt, non ſunt iterum propter quorundam infidelem dubitationem, in dubium uocanda, niſi non ſit ſatis Regium, Imperatorium, aut Pontificale ſigillum, urbis aut regni primoribus ſemel oſtendiſſe, ut robur integramque fidem accipiant, quæ illis ſunt confirmata reſcripta. Fuerunt in eccleſiaſtico ædificio miracula, fulcra quædam, quæ dum ſtruebatur, molli ac tenero operi erigendo neceſſaria erant, poſtea uerò ædificio confirmato, ſunt diruta, quoniam nulla eorum neceſsitas ſuberat; quemadmodum peracto ædificio materiali, ligna & trabes, quæ operi ſtruendo ſupponebantur, quoniam potius impediant, quàm proſint, è medio tollũtur. Qui ſcilicet ſcripturæ quam ſcit, tot miraculis olim cœlitus robur accepiſſe commonitione non credit, aut à peccatis non recedit, neque ſi coram illo profectò miracula fierẽt, eſt crediturus. Vnde diues ille auarus, qui impia uitæ mollicie fuit in gehennam detruſus, cùm ad commouefaciendos fratres mitti deſideraret, ne eius imitati ueſtigia, pari quoque plecterentur ſupplicio, eo quod poſtulabat, *Luc. 16.* denegato, reſponſum accepit, Moſen habent & prophetas. cumque ille repeteret, Nõ, pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad illos, pœnitentiam agent. *Luc. 16.* Rurſus audiuit, Si Moſen & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent: quòd ſcilicet, quem ſcriptura non conuincit, neque miracula emolliant. Auguſtiſsima profectò miracula uiderunt Phariſæi, neque tamen ad meliorem frugem conuerſi, peccare ceſſarunt, aut à Chriſti nece patranda deſtiterunt. Magna prodigia uidit Pharao uideruntque Aegyptij, neque tamen ſeipſis meliores effecti, à populi Dei perſecutione quieuerunt. Magna fecit Eliſeus, Acab, & Ioram regibus Iſraël, & tamen tũc maximè *Eccl. 1.* idololatria deſæuit: nimirum quòd peruerſi difficilè corrigantur, & quem Deus deſpexit, nemo poſsit corrigere. *Eccl. 7.* Satis eſt igitur homini chriſtiano, ſi ad antiqua miracula

mentem conuertat, non item noua curioſè requirat; ne fortè audiat quod olim Chri-
Luc. 11. ſtus Phariſæis ſignum de cœlo petentibus, reſpondit, Generatio praua & adultera ſignum quærit, &c.

SED neque adeò nos diuina miſericordia deſeruit, ut ſemper poſt apoſtolica tempora, cœleſtibus miraculis, noſtram ignauiam iuuare deſtiterit. multa numerat Auguſtinus, quæ ſuo tempore contigiſſe narrat, multa Ambroſius, multa Hieronymus, & ante hos Tertullianus, Cyprianus, Ireneus, Euſebius, & cæteri Eccleſiaſtici patres; tū contra gentes, diſputantes, tum aliis operibus: multa deinde Euodius Epiſcopus Africanus, ad quem eſt epiſtola Auguſt. 98. libro integro de miraculis ſuo tempore, per reliquias Stephani prothomartyris, factis; multa Seuerus Sulpitius in uita ſancti Martini; multa Cæſarius Monachus Ciſtercienſis prægrandi uolumine ſuorum temporum miracula recenſet. Multa Beda presbyter, per Germanum & Lupum Epiſcopos, apud Angliam, tum orationibus, tum ad ſancti Albani martyris memoriam, facta eſſe refert; multa Theodoricus monachus Treuirenſis ante quingentos annos, ad memoriam ſancti Celſi Marty. lib. uno integro; multa Theodoricus monachus S. Albani prope Mogūtiam ad memoriam Benedicti; multa Ioannes Trithemius ad memoriam ſanctæ matris Annæ & Dei paræ uirginis; apud Helprunam multa complures alij, ſuis temporibus, facta eſſe commemorāt. Multa deinde ſub religionibus ad multorum ſanctorum commendationem, certiſsimis hiſtoriis facta fuiſſe feruntur. Sed neque noſtram adeò malitiam Dei pietas contempſit, ut memoriam noſtram, præſertim apud Hiſpaniam, hiſce annis, clariſsimis miraculis, non illuſtrauerit, Iacobi nimirum Complutenſis, ordinis Minorum, meritis ac interceſsione, uarios ac deſperatiſsimos morbos, frequenter pellendo: quod niſi quibuſdam illorum (alioqui in hiſce rebus, niſi quantum Chriſtiana pietas poſtulat, haud impenſè creduli) cum magna doctiſsimorum uirorum, quales in omni diſciplinarū genere illud omnium bonarum literarum emporium fert ſemper, turba interfuiſſemus; non ſcriberemus profectò. Scit hoc uniuerſa illa prouincia, ſcit hoc Catholicus Rex Philippus, filio unico Carolo totius Hiſpanici imperij ſpe, poſt omnium medicorum diſperationem, poſt totius Regni mœrorem, poſt regiæ domus luctus, ex capitis confractione, penè à morte, recepto. Sed & apud alias Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, &c. prouincias, multa noſtra memoria edita eſſe miracula, uiris grauiſsimis & omni ſuperſtitione maioribus recenſentibus, diffiteri non poſſumus. De his uero miraculis, quæ poſt Euangelij prædicationem ſunt edita, ſic ait Auguſtinus; Etiam nunc fiunt miracula ſiue per ſacramenta, ſiue per orationes uel memorias ſanctorum, ſed non eadem claritate illuſtrantur, ut tanta quanta illa priora gloria, diffamentur. canon quippe ſacrarum literarum, quem diffamatum eſſe oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum: hæc autem ubicunque fiunt, ſciuntur ibi, uix à tota ipſa ciuitate, uel quocunque commanentium loco: nam plerunque ibi etiam pauciſsimi ſciunt, ignorantibus cæteris, maximè, ſi magna ſit ciuitas, & quando alibi aliiſque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, ut ſine difficultate, uel dubitatione credantur, quamuis chriſtianis fidelibus, à fidelibus indicentur. Hactenus Auguſtinus. In quibus doctiſsimè uides, explicari rationem, qua ea, quæ euangelicam prædicationem ſecuta ſunt miracula, ſicut uetera illa, non celebrentur: cui & addenda eſt illa, quòd in fideles quidam, & pſeudochriſtiani, ea in cauſas naturales ſæpe, contra naturæ rationē, malitioſè detorqueāt, qui tanto ſunt illis antiquis hoſtibus eccleſiæ peſtilentiores, quāto chriſtiani nominis nube, infidelitatem tegentes efficiunt, ut eorū uirus latens minùs depræhenditur. Fateor multa eſſe ſuperſtitioſè, lucri forſan gratia, conficta, quæ profectò grauiſsimis ſuppliciis cùm depræhenduntur, ſunt punienda, ſed multa ſunt talia, quæ niſi ingenti cordis duritie, diuina uirtute facta negare non poſſumus. In his uerò diſcernendis finis eſt attendendus, ubi enim neque honor Dei promouetur, neque hominum, quos ad arctam Dei amicitiam, integra uita euexit, gloria commendatur aut (quod idem eſt) credentium promouetur utilitas, diuinam interceſsiſſe uirtutem, non eſt credendum. Sunt profectò diuina miracula, non curioſa, non præſtigioſa, non quæ humanos ſenſus delectando demulceant, ſed quæ eccleſiam ædificent, quæ Dei reuerentiam & timorem in animis generent, quæ ad ſanctorum imitationem incendant. Eſt autem inter ea, quæ ſub legiſlatione Moſaica ſunt facta, & ea, quæ legis euangelicæ tempore

Carolus Philippi Catholici Regis filius, magno miraculo à morte liberatus.

Auguſtin. lib. 22. de ci. Dei. c. 8.

Ad quam regulam ſint exigenda miracula.

Euangelicorum et Moſaicorum miraculorum diſcrimen.

pore Chriſtus exhibuit, grande diſcrimen: illa enim in hoc tota erant, ut eius ſæculi hominibus, quos propter cordis duritiem iugo ſeruitutis contineri oportebat, timorem incuterent. Hæc uerò non aliud quàm amorem & curam paternam inſinuant, unde illa in hoſtilium nationum quarundam conterenda ceruice, hæc in grauiſsimis morbis, leuandis hominibus, uniuerſa ſunt ſita, in illis potentia, in his præcipuè miſericordia exercetur, atque adeò illa legalia, hæc Euangelica, rectè uocantur, quòd illa terreant, hæc bona denuntient, quòd ſcilicet Chriſtus ſciat, uelit, ac poſsit languores noſtros expellere, modò nos ſanandos per ueram cordis obedientiam proſtituamus, quo nihil iucundius. Sed hæc amplius proſequi, forſan ſuperfluum. Itaque in hac parte ſic cum Deo Richardi de S. Victore, uerbis chriſtiano homini, quoties infidelitatis tentationibus quatitur, agere liceat, Domine ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus, nã iſta in uobis, tantis ſignis ac prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te ipſum fieri poſſunt. certè à ſummis ſanctitatis uiris ſunt uobis tradita, & cum ſumma & authentica atteſtatione probata, te ipſo cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Lib. 1. de Trin. c. 2.*

De externorum hominum pro religione Chriſtiana, teſtimoniis ac iudiciis. Cap. IX.

NOno loco, mirum eſt, quantum diabolicæ tentationes frangantur, quando ad eorum, quæ uel ipſi infideles de Chriſto & Euangelica religione ſcriptis tradiderunt, teſtimonia alliduntur. Laudet te (inquit Solomon) alienus & non os tuum, extraneus & non labia tua. quòd nimirum, eorum, qui nulla nos amicitia contingunt, multo firmiores ſint laudes. Potuiſſent forſan, priores illi Euangelici fundatores, uel amicitiæ titulo, uel ſanguinis commercio, uel quòd ſub eius diſciplina militaſſent, de Chriſto & loqui, & ſcribere bene; uerùm hoſtes, non niſi ueritate conuicti & ſuperati. Flauius itaque Ioſephus ſacerdos olim, poſt captam uerò Hieruſalem hiſtoriæ Iudaicæ inſignis ſcriptor, libro decimo octauo de antiquitate Iudaica, cùm tempora Pontij Pilati Romani præſidis deſcriberet, de Chriſto Domino noſtro inter alia, ſic inquit, Fuit autem his temporibus IESVS, ſapiens uir, ſi tamen uirum eũ nominare fas eſt: erat enim mirabilium operum effector, & doctor omnium eorum, qui libenter audiunt quæ uera ſunt, & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus, ſibi adiunxit: Chriſtus hic erat, hunc accuſatione primorum noſtræ gentis uirorum, cùm Pilatus in crucem agendum decreuiſſet, non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die, iterum uiuus, ſecundum quòd diuinitus inſpirati uel hæc, uel alia, innumera miracula futura eſſe prædixerant. Hactenus Ioſephus. quo teſtimonio nihil profectò præclarius Chriſtianus homo de Chriſto dicere potuiſſet. In eo ueram carnis naturã confitetur, dum uirum appellat: dum uerò, quòd fuerit operum mirabilium effector, an uir ſit appellandus, ſubdubitat, diuinitatis naturam haud obſcurè ſubindicat: Dei enim opus eſt contra aut præter naturæ rationem mirabilia operari. doctorem uerò, cùm eundem appellat eorum, qui libenter quæ uera ſunt audiunt, uniuerſam Euangelicam diſciplinã comprobare uidetur: dum Chriſtum illum tot propheticis uaticiniis apud Iudæos celebrem, eundem eſſe aſſerit, penitus Iudæorum calumnias & perfidiam euertit. Maius tamen eſt omnibus quòd eundem tertia die à mortuis ſurrexiſſe, & ſuis apparuiſſe, pronuntiare non dubitet. Vniuerſa ergo, & quæ ad Chriſti perſonam, & quæ ad eius doctrinam attinentia confitetur Eccleſia, Ioſephus hoc loco uera eſſe non dubitat. Eſtque tantum hoc teſtimonium, ut peſsimi Iudæorum Rabini, non modò in ea, quam hiſtoriarum Ioſephi in Hebraicum ſermonum fecerunt, conuerſione, ne ſui protinus ad Chriſtianiſmum conuolarent, deleuerint, ſed etiam ante multos annos quibuſdam exemplaribus Græcis expunxerint: quod tamen in reuerendæ uetuſtatis & ſpectatæ fidei codicibus Græcis & hodie ſupereſt. Sunt & alia multa in Iudæorum ſcriptis, quæ quoniam diligentiſsimè ab his, qui aduerſus eos ſcripſerunt, ſunt annotata, huc transferre non libet. legat qui uolet Petrum Galatinum, qui in hac parte cæteris diligentius laboraſſe uidetur. Minus carent ſuſpitione illa, quæ ante Chriſtum multas annorum centurias inter

Prouer. 2 *Ioſephi Iudæi teſtimonium de Chriſto.*

gentes, de eodem Chriſto & Euangelica religione teſtimonia ſunt lata, inter quæ magnopere ſunt admiranda, quæ Sibyllæ, quas diuino ſpiritu afflatas, uno excepto Cicerone, quòd rem Chriſtianæ religionis non caperet prophani auctores & ſancti patres conueniunt, edidiſſe deprehendimus. Fuerunt autem uates illæ fœminæ ſic appellatæ, (Lactã. Firmia. Euſeb. Cæſarien. Augu. &c.) auctore Varrone, libro, quem de rebus diuinis ad C. Cæſarem Pontificem Maximum dedit, uel ab unius Delphidis, quæ Sibylla uocabatur, nomine, uel à conſiliis Deorum denunciandis. σιοὺς enim deos, non θεοὺς, & conſilium non βουλὴν, ſed βυλὴν Eolico genere ſermonis, ueteres Græci uocarunt, unde Sibyllam, quaſi θεοβουλὴν, ideſt diuinorum denuntiatricem & conſciam dixerunt. Cæterùm Sibyllas decem numero fuiſſe idem Varro, tempora, & auctores, qui de iiſdem ſcriptitarunt, aſsignans retulit, primam Perſidem, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis deſcripſit; ſecundam Libycam, cuius Euripides in Lamiæ prologo meminit; tertiam Delphicam, de qua Chryſippus ſcripſerit, eo libro, quem de diuinatione compoſuit; quartam Cumanam, apud Italiam, quam Næuius in libris belli Punici, Piſo in annalibus nominant; quintam Erithræam, quam Apollodorus Erithræus, ciuem ſuam fuiſſe gloriatur, quæ & Græcis Ilium petentibus, perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum, fuit uaticinata; ſextam Samiam, de qua ſcripſit Eratoſthenes in antiquis Samiorum annalibus, ſe reperiſſe ſcriptum; ſeptimam nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile uel Erophile nominatur, quam, inquit idem Varro, nouem libros attuliſſe ad Regem Tarquinium, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe, Regemque aſpernatum precij magnitudinem, deriſiſſe mulieris inſaniam, illamque in conſpectu regis tres combuſsiſſe, ac pro reliquis idem precium poſtulaſſe, Tarquinium uerò multo magis mulierem inſanire putaſſe: quæ denuum tribus aliis exuſtis, cũ in precij petitione perſtaret, motum fuiſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe; octauam Helleſpoticam, in agro Troiano natam uico Marpeſſo, quam ſcribit Heraclides Ponticus, Solonis, & Cyri fuiſſe temporibus; nonam Phrygiam, quæ uaticinata fuerit in Ancyra; decimam Tyburtem Albuneã nomine, quæ Tyburi colebatur ut Dea, iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite ſimulacrum eius inuentum fuiſſe dicitur, tenens manu librum, cuius ſacra Senatus in Capitolium tranſtulerit. Quarum omnium libri, ut ex eodem Varrone docet Lactantius, carmine apud Romanos ferebantur, & habebantur, præter quàm Cumææ, cuius libri ab eiſdem Romanis occulebantur, quòd fas non eſſet, præterquàm à Quindecim uiris, eoſdem inſpici. Sunt autem ſingularũ ſinguli libri, qui quòd Sibyllæ nomine inſcribantur, ut inquit Lactantius, unius eſſe creduntur; ſuntque confuſi nec diſcerni, aut ſuum cuique aſsignari poteſt, niſi Erithrææ, quæ & nomen ſuum carmini inſeruit, cuius ſunt plura, quæ olim Euſebius Cæſarienſis, Arnobius, Lactantius & Auguſtinus, contra gentes allegarunt, ſed integrum uolumen noſtra memoria typis Græcis nobis excuſſit Xyſtus Betuleius. Hæ uniuerſæ, præter ea, quæ de uno Deo, de perſonarum trinitate, de mundi creatione, de mortuorum reſurrectione, de futura fœlicitate, & cæteris, quæ reclamante communi philoſophorum ſententia, docuerunt, expreſſa de Chriſto uaticinia ediderunt, in quibus quæ eſſet illius uitæ ratio futura, adeò expreſſo ſermone (Cice. lib. 2. de diuin.) prædixerunt, ut gentibus, quibus diuinæ diſpenſationis myſterium nondum erat apertum, fabuloſi earum uiderentur ſermones; nec mirũ: (1. Cor. 2.) Chriſtus enim, Apoſtolo teſte, Iudæis eſt ſcandalum, Gentibus uerò ſtultitia. (Lactan. lib. 4. diui. inſti. c. 15.) Non dubito, inquit Lactantius, quin Sibyllina carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita ſint, cùm ea nemo tunc intelligeret. denuntiabant enim monſtroſa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor deſignabatur. denique Erithræa fore ait, ut diceretur inſana & mendax. Earum itaque uaticinia de Chriſto, in carminis heroici ſingula ſenaria redacta, & iam olim latinitate donata, ex antiquiſsimo codice ſuperioribus diebus Betuleius, ut diximus, excudit. Sunt uerò talia; Perſicæ quidem,

Virgine matre ſatus, pando reſidebit aſello,
Iocundus princeps, unus qui ferre ſalutem
Rite queat lapſis: tamen illis fortè diebus,
Multi multa ferent, immenſi fata laboris.
Solo, ſed ſatis eſt, oracula prodere uerbo,
Ille Deus caſta naſcetur de uirgine magnus.

Libycæ

Libycæ uerò,

Ecce dies ueniet, quo æternus tempore princeps,
Irradians ſata læta, uiris ſua crimina tollet,
Lumine clareſcet, cuius ſynagoga recenti
Sordida, qui ſolus reſerabit labra reorum,
Aequus erit cunctis, gremio rex membra reclinat,
Reginæ mundi, ſanctus per ſæcula uiuus.

Delphicæ,

Non tardè ueniet, tacita ſed mente tenendum
Hoc opus, hoc memori ſemper qui corde reponet
Huius pertentant cor gaudia magna prophetæ
Eximij, qui uirginea conceptus ab aluo,
Prodibit ſine contactu maris, omnia uincit
Hoc natura opera, at fecit qui cuncta gubernat.

Samiæ,

Ecce dies, nigras quæ tollet læta tenebras,
Mox ueniet, ſoluens nodoſa uolumina uatum,
Gentis Iudææ, referet ut carmina plebi,
Hunc poterunt clarum uiuorum tangere regem,
Humano quem uirgo ſinu, inuiolata fouebit,
Annuit hoc cælum, rutilantia ſidera monſtrant.

Cumanæ,

Iam mea certa manent, & uera nouiſſima uerba,
Vltima uenturi, quod erant oracula regis,
Qui toti ueniens mundo, cum pace placebit,
Vt uoluit, noſtra ueſtitus carne decenter,
In cunctis humilis, caſtam pro matre puellam
Deliget, hæc alias forma præceſſerit omnes.

Helleſponticæ,

Dum meditor, quondam, uidi decorare puellam,
Eximio caſtam (quòd ſe ſeruaret) honore,
Munere digna, ſuo, & diuino numine uiſa;
Quæ ſobolem multo pareret ſplendore micantem,
Progenies ſummi, ſpecioſa, & uera tonantis,
Pacifica mundum qui ſub ditione gubernet.

Phrygiæ,

Ipſa Deum uidi ſummum, punire uolentem
Mundi homines ſtupidos, & pectora cæca rebellis.
Et quia ſic noſtram complerent crimina pellem,
Virginis in corpus uoluit demittere cælo
Ipſe Deus prolem, quam nuntiet angelus almæ
Matri, quæ miſeros contracta ſorde leuaret.

Tyburtinæ,

Verax ipſe Deus dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine quòd ſanctam potui monſtrare puellam,
Concipiet quæ Nazareis in finibus illum:
Quem ſub carne Deum, Betlemitica rura uidebunt
O nimium fœlix, cælo digniſſima mater.
Quæ tantam ſacro lactabis ab ubere prolem.

Erithreæ, quæ non tantùm in ſancto incarnationis myſterio, ſed & in cæteris, quæ ad Chriſtianam religionem attinent, intelligendis, habetur illuſtrior,

Cerno Dei natum, qui ſe demiſit ab alto,
Vltima fœlices referent cùm tempora Soles,
Hebræa quem uirgo feret de ſtirpe decora.
In terris, multum teneris paſſurus ab annis,

Magnus erit, tamen hic diuino carmine uates,
Virgine matre ſatus, prudenti pectore uerax.

Feruntur & aliarum trium Sibyllarum oracula, quæ cùm neque à Varrone, neque à Lactantio numerentur, non tantam habent auctoritatem, quantam priores. Earum uerò uaticinia, ex eodem Betuleij libello, ſic habent,

Cimmeriæ,

In teneris annis, facie præſignis honore,
Militiæ eternæ regem ſacra uirgo cibabit
Lacte ſuo, per quem gaudebunt pectore ſummo
Omnia, & ex eo lucebit ſidus ab orbe
Mirificum. ſua dona magi cum laude ferentes
Obiicient puero, mirrham, aurum, & thura Sabea.

Europææ,

Virginis æternum ueniet de corpore Verbum,
Purum; qui ualles & montes tranſiet altos,
Ille uolens, etiam ſtellato miſſus Olympo,
Edetur mundo, pauper, qui cuncta ſilenti
Rexerit imperio, ſic credo & mente fatebor,
Humano ſimul ac diuino ſemine natus.

Agrippæ,

Summus erit ſub carne ſatus, cariſſimus atque
Virginis, & ueræ complebit uiſcera ſanctum
Verbum conſilij, ſine noxa Spiritus almi
Deſpectus multis, tamen ille ſalutis amore
Arguet, & noſtra commiſſa piacula culpæ.
Cuius honos conſtans & gloria certa manebit.

Bergomen. Scio alia ratione harum Sibyllarum oracula à quibuſdam ſcribi, uerùm ſub diuerſis
in 3. ætate. uerbis, eadem plerunque ſententia, quanquàm uniuerſi conueniant, eaſdem de incar-
Mundi. nationis myſterio oracula ceciniſſe, quod forſan peculiari ratione uoluerit Deus, carnis infirmitatem, quam erat aſſumpturus, à ſexu fragiliori prædici. Claruerunt apud gentes & plures aliæ fœminæ prophetico ſpiritu, quarum nomina Angelus Politianus in carmen hoc pacto redegit.

—Quin & ueteres prompſere Sibyllæ,
Carmen, Amalthea, & fati Marpeſia diues,
Erophileque Ide genus, prædoctaque Sabe,
Demoque, Phrygoque, & ueri gnara Phœnis
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos
Themonoe commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe nimium uiuax, & Martia &c.

QVAMVIS & præter has in gentium hiſtoriis multas alias celebres uaticinio legamus, ex quibus potiſsimè Simachia apud Martianum Capellam, Theano & Euſippe Scedaſi Spartani filiæ apud Cœlium, & Nicolaum Leonicum, Perialla antiſtes mulierum apud Delphos uaticinantium. Martha fatidica, qua iubente, C. Marius ſacrificia celebrauit, quam poſtea, quòd futura obſeruaret, populus Romanus libertate donauit, apud Plutarchum in Mario. Athyrtia Seſoſtris regis Aegypti filia, quæ futuram patri monarchiam prædixit apud Diodorum. Lybiſſa Bohema, quæ filiam habuit Craco nomine, rerum quoque futurarum peritam, apud Volaterranum, in geographia. In quarum oraculis, cùm (ut antea tradidimus) rerum futurarum prædictio, niſi quatenus à natura dependet, ſemper à diuino proficiſcatur ſpiritu, multa liceret aduertere, quæ ad Euangelicam uiuendi rationem Chriſtianaque dogmata proculdubio attinerent, ſed in Sibylla-
De ſibyllis rum, quas diximus, libris multa talia contineri Lactantius, Euſebius, Arnobius, Iu-
multa & ſtinus, in libris, quos aduerſus gentes ediderunt, oſtendunt, quæ huc afferre non libuit,
Onuphrius quòd nolimus, quæ rectè ſunt ab eis ſcripta repetere. Congeſsit & multa ex gentium au-
Panuinus ctoribus quæ chriſtianæ religionis fidem & dogmata comprobent, Auguſtinus Steuchus
literis prodidit. Eugubinus, decē libris de perenni philoſophia, qui curioſo lectori chriſtiano ſunt ſemper

terendi. Refert Ioannes Zonaras Cõſtantini Quarti, & Irenes imperio, in Thracia, quendam inter fodiendum, in lapideam ciſtam incidiſſe, quæ humanum cadauer hiſce litteris contineret Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου, καὶ πιστεύω εἰς αὐτόν. Ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου καὶ Εἰρήνης τῶν Βασιλέων πάλιν ἥλιε ὄψει με, ideſt Chriſtus naſcetur ex uirgine & credo in eum, uerùm ſub Irene & Conſtantino, rurſus me uidebis ò Sol.

Christianorvm, qui hanc religionem docuerunt deinde, uita ac conuerſatio qualis extiterit, ex infidelium traditionibus licet cognoſcere: in eo enim quòd detrectabant de illis, ex bonis tandem operibus illos conſiderantes, uel inuiti Deũ glorificabant. Marci itaque Imperatoris ad ſenatum epiſtolam liber ſubiicere, in qua chriſtianos uictoriæ apud Germanos cauſam fuiſſe fatetur. *De chriſtianorum conuerſatione ac moribus, qualia prophani teſtimonia reddiderint.*

IMP. CAESAR MARCVS AVRELIVS ANTONINVS
Germanicus, Parthicus, Sarmaticus populo Romano, ſacroque Senatui ſalutem.

Notos nobis facio conatus meos & ſucceſſus belli Germanici, quantiſque in hoſtico laborauerim difficultatibus, circumuentus à Draconibus lxxiiij. intra nonum milliarium, eos in propinquo eſſe, indicarunt exploratores, & Pompeianus magiſter militum conſpectos eſſe mihi ſignificauit. Itaque ſenſi, me cum legionibus Prima, Decima, Gemina, Euphratenſique, penè oppreſſum, ab immenſa colluuie, in qua nnmerabantur armatorũ nongenta ſeptuaginta quinque millia. cumq; non haberem copias conferendas numero barbarorum hoſtium, precabundus confugi ad opem patriorum numinum, à quibus neglectus, & in arctum redactus ab hoſte, acciui quos Chriſtianos uocamus. Ij perquiſiti bene, multi reperti ſunt. infremui in eos, quod non debueram, ut poſtea cognòui ex mirifica eorùm potentia: qui mox rem aggreſsi ſunt abſque telis, armis, tubiſq; nimirum abhorrentes ab iſtiuſmodi apparatu, & contenti Deo, quem circumferunt ſecum in conſcientia. Credibile eſt igitur, licèt impios exiſtimemus, Deum pro munimento habere in pectore: proſtati enim humi, non ſolùm pro me deprecati ſunt, ſed & pro præſenti exercitu, petentes opem contra urgentem ſitim & inediam. Quintus enim dies erat, ex quo aqua carere cœperamus; eramus quippe in hoſtili ſolo, in ipſo meditullio Germaniæ. Confeſtim autem ut procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum: deſcenderunt de cœlo in nos quidem frigidiſsimus imber, in noſtros uerò hoſtes, grando miſta fulminibus, ut ſine mora ſentiremus, præſtò eſſe inuictam opem Dei potentiſsimi. Iam nunc igitur permittimus eſſe Chriſtianos huiuſmodi hominibus, ne fortè contra nos tale quodpiam telum poſtulando impetrent; & auctorem me interpono, ne cuiquam religio Chriſtiana uertatur crimini. Quòd ſi quis Chriſtianum detulerit, hoc ſolo nomine quòd Chriſtianus ſit, uolo ut delatus Chriſtianum ſe impune fateatur, modò nihil ei obiiciatur præter religionem diuerſam, delator uerò eius, uiuus comburatur; confeſſum autem compertumque Chriſtianum, nolo ad mutandam religionem induci à prouinciæ præſide, ſuo relinquendum arbitrio. Et hoc meum decretum ſenatuſconſulto ratum fieri uolo, iubeoque proponi publicè legendum in Traiani foro, ut inde porrò tranſmittatur in Prouincias, cura Veraſij Pollionis urbis præfecti. huius quoque edicti transſcribendi utendique copiam permitto omnibus, deſumentibus ex noſtro exemplari, publicè in foro propoſito. *Suidas.* Hactenus Epiſtola Marci, in qua non modò hominis Ethnici teſtimonio uides Chriſtianorum confirmari miracula, ſed quales & quàm ſancti eorum eſſent mores, immo quòd inter uniuerſos mortales, Deum haberent in conſcientia concluſum, uides doceri. Quanquàm ſcio hoc miraculum, in Iulianum Chaldæum quendam, qui copiis ſiti laborantibus nubes prouocarit, quæ in imbres ilicò reſolutæ, ſitim omnem exſoluerint, referri. Sunt etiã qui idem beneficium in Arnuphim quendam philoſophum Aegyptium retulerint, in qua opinione & Dion Caſsius eſt, qui hunc philoſophum ſen magum ſcribit hoc miraculi præſtitiſſe, inuocato Mercurio. Notum eſt etiam Claudiani epigramma, quo teſtatur tributum hoc diuinum beneficium tum magicis artibus tum motibus ac probitati Imperatoris Marci. Inquit enim,

Nec tantis, patriæ ſtudiis, ad templa uocatus,

Clemens Marce redis, qui ingentibus undique cinctam
Exuis Heſperiam, paribus fortuna periclis:
Laus ubi nulla ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit, hunc dorſo trepidum flammante ferebat,
Ambuſtus ſonipes, hic tabeſcente ſolutus.
Subſedit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere uaporibus auſus:
Tum contenta polo, mortalis neſcia teli
Pugna fuit, Chaldæa mago, ſeu carmina ritu
Armauere Deos, ſeu quòd reor, omne Tonantis
Obſequium Marci, mores potuere mereri.

Verùm qua ratione aut in Chaldæum, aut in Arnuphim, aut in Marcum, & non in Chriſtianos hoc cœleſte beneficium fuerit relatum, in præcedentibus diximus; quoniam ſcilicet odio uirulento Chriſtiani nominis obſeſsi, & in Gentiliſmo manentes, confiteri ueritatem non poterant: potius tamen ipſimet Imp. quàm mille Suidis, Dionibus, aut Claudianis, fides eſt adhibenda. Nam quòd hæc epiſtola non ſit à Chriſtianis conficta, Tertullianus & Apollinaris cum ipſis gentibus decertantes, apertiſsimè oſtendunt. Scripſit & Antoninus pius ad Aſianos pro Chriſtianis epiſtolam, quam etiam huc libuit afferre, quòd in ea, uitæ chriſtianæ nonnulla commendatio habeatur, ſic autem habet,

Contra Scapulam & in apologe. cap. 5.

IMP. CAESAR AVRELIVS, ANTONINVS
Auguſtus, Armenicus, Pontifex Max. tribunitia poteſtate functus quindecies, Conſul tertiò, communitati Aſiæ S.

Epiſtola Aurel. Antoni. Imp. ad Aſianos pro Chriſtianis. Euſeb. lib. 4. eccleſiaſtic. hiſt. c. 13.

EGo quidem etiam Diis hoc eſſe curæ noui, ne qui tales ſunt lateant. Nã hi eos, qui ſe adorare nolunt, magis puniunt, quàm uos, quos in perturbationem conijcitis, ac ſententiam eorũ, quam de uobis habent, confirmatis, qua uos tanquam impios accuſant. Eſt autẽ illis optabile, ut accuſati pro Deo ſuo mori malint quàm uiuere. Vnde & uictores euadunt, animas ſuas potius tradentes, quàm uobis ad ea, quæ petitis ut faciant, obtemperantes. Haud uerò abſurdum fuerit, admonere uos de terræmotibus, qui facti ſunt ac fiunt, ut cùm triſtamini quando fiunt, res noſtras cum illorum conferatis. Illi meliore erga Deum animantur fiducia, nos uerò per uniuerſum tempus ignorantes eſtis, & Deos alios colitis, & religionem erga immortalem negligitis, ac Chriſtianos illum colentes pellitis, & ad mortem uſque perſequimini. Pro talibus iam etiam multi prouinciarum præſides, diuiniſsimo quoque patri noſtro ſcripſerunt, quibus & reſcripſit, non eſſe tales moleſtandos, niſi quid contra Romanum Imperium tentaſſe depræhendantur. Et mihi etiam multi de talibus ſignificarunt, quibus etiam, ſecundum ſententiam patris mei, reſcripſi. Si uerò poſthac quiſquam negocium talibus quaſi Chriſtianis, faceſſere perrexerit, is quidem qui defertur, ab accuſatione ſit ſolutus ac liber, etiam ſi talis eſſe depræhendatur, delator uerò pœnæ ſubiaceat. Hactenus Antoninus. Propoſitum autem hoc dictum Epheſi, eſt in publico conuentu Aſiæ, teſtaturque Melito Sardien. Eccleſiæ Epiſcopus eodem tẽpore clarus, apud Euſebium, Antoninum Pium generaliter ad omnes ciuitates pro Chriſtianis ſcripſiſſe, ſingulariter tamen ad Lariſſæos, Theſſalonicenſes & Athenienſes. Refert etiam Euſebius, Quadratum & Ariſtidem Chriſtianos philoſophos, Hadriano Cæſari libros pro Chriſtiana religione dediſſe, & Serennium legatum, uirum apprime nobilem, literas ad eundem Imp. miſiſſe, iniquum eſſe dicentem clamoribus uulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine ullo crimine nominis tantùm & ſectæ reos fieri. quibus motus Hadrianus Imp. ad Minutium Fundanum Aſiæ minoris Proconſulem ſcripſerit, nemini amplius liberum eſſe debere, Chriſtianos, ſine certa obiectione criminis politici, & certa probatione damnare. ſic autem habet epiſtola,

HADR. IMP. MINVTIO FVNDANO ASIAE PROCONS. S.

Had. Imp. epiſtola pro Chriſtianis.

EPiſtolam accepi, ſcriptam mihi à Serennio Graniano uiro illuſtriſsimo, cui tu ſucceſiſti; itaque non uidetur mihi cauſa hæc, ſine inquiſitione relinquenda, ne &

 homines

homines turbentur, & ſicophantiæ malitia ſubſidium præbeat? Quapropter ſi prouinciales id, quod contra Chriſtianos petunt, comprobare & pro tribunali reſpondere poſſunt, id ſolùm agant, & non ſolùm petant ac uociferentur. Etenim multò magis hoc conuenit, ut ſi quis accuſare uoluerit, id per te cognoſcatur, ac diiudicetur. Igitur ſi quis Chriſtianos accuſat, & contra leges agere oſtendit, tum demum, pro ratione delicti decerne. Verùm Herclè, ſi quis calumniæ gratia hoc poſtulabit, hunc propter malitiam corripe & cura ut uindices. Eſt & apud eundem Euſebium, Imp. Maximini tyranni poſt horrendas Chriſtianorum ſtrages, ad meliorem frugem conuerſi, in hæc uerba conſtitutio,

IMP. CAES. GALERIVS MAXIMINVS, GERMANICVS, *Sarmaticus, Pius, Fœlix, Inuictus, Auguſtus.*

INdeſinentem curam prouincialium noſtrorum gerentes, & utilitatibus eorum, uel commodis conſulentes, quæ ad commune & publicum bonum ſpectant, quæque animis cunctorum cara & iucunda ſunt, nunquam deſinimus prouidere. Vnde cognitum eſſe omnibus hominibus non dubito, manifeſteque compertum, ex eo fomite, quo iuſſum fuerat, à diuis principibus Diocletiano & Maximiano parentibus noſtris, inhiberi conuentus Chriſtianorum, plurimas direptiones & prædas ab officialibus factas, idque per dies ſingulos, in detrimentum noſtrorum prouincialium profeciſſe; quorum nos curam præcipuã habere geſtimus, ita ut bonis ſuis, penè ac patrimoniis euoluerentur. Super hac re anno præterito legem dedimus, ut ſi quis uellet genti huic uel religioni adhærere, à nullo prorſus uoluntas eius ac propoſiti libertas impediretur, ſed ſatisfaceret animis ſuis, atque haberet licentiam, abſque ullo metu uel ſuſpicione agere, quod liberet. Verùm nec nunc quidem latêre nos potuit, quòd quidam ex iudicibus tentauerint permouere rurſum prouinciales noſtros, & uelut ex noſtra eos auctoritate turbare, quo ſcilicet & pigriores erga religionem, quam diligunt, redderentur. Igitur ut in poſterum omnis metus uel ambiguitas auferatur, huius edicti noſtri, lege ſancimus, ut cunctis innoteſcat, licere his, qui Chriſtianam ſectam religionemque uenerantur, ac noſtra indulgentiæ largitate, ut unuſquiſque quemadmodum uult, & prout animo libet, religioni huic ſolemnitatique deſeruiat. Sed & orationum domos, ideſt, domini ea ſua, ut inſtaurent, pro uoluntate ſua, permittimus. Sanè quò in omnibus cumulatior habeatur hæc noſtra largitio, etiam illud hac lege ſancimus, ut ſi qua domus, agri, uel quælibet prædia, ex Chriſtianorum bonis, antehac parentum noſtrorum præceptis ad fiſci ius fuerant ſociata, ſi qua etiam ibi ab aliquo competita ſunt, uel ſi qua ſunt diſtracta, aut dono in aliquem conlata, hæc omnia in antiquum ius Chriſtianorum præcipimus reuocari, dominiſque propriis uniuerſa reſtitui, ut & in hoc omnes pietatis noſtræ beneficium capiant. Hactenus Galerius. Scripſit & Caius Plinius iunior uir literis & facundia celebris, Bithyniæ Proconſul, qui, ut ait Tertullianus, inter cæteros, Iudices perſecutor datus fuerat, huiuſmodi epiſtolam ad Traianum Imperatorem.

Conſtitutio Galerii Maximini. Euſebius Eccleſiaſt. hiſtoria lib. 9. c. 9.

in Apolog.

SOlenne eſt mihi Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poteſt melius uel cunctationem meam regere, uel ignorantiam inſtruere? cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam, ideo neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleat, aut quæri. Nec mediocriter hæſitaui, ſit ne aliquod diſcrimen ætatum, an quamlibet teneri, nihil à robuſtioribus differant: detur ne pœnitentiæ uenia, an ei, qui omnino Chriſtianus fuit, deſiiſſe non proſit? Nomen ipſum, etiam ſi flagitiis careat, an flagitia cohærenti nomini puniantur? Interim in iis, qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum. Interrogaui ipſos, an eſſent Chriſtiani: confitentes, iterum ac tertiò interrogaui, ſupplicium minatus, perſeuerantes duci iuſſi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur, pertinaciam certè & inflexibilem obſtinationem, debere puniri. Fuerunt alij ſimilis amentiæ, quos, quia ciues Romani erant, adnotaui in urbem remittendos. Mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, cùm præeunte me, deos ap-

Plinii iunioris epiſtola ad Traia. pro chriſtianis.

pellarent,

pellatent, & imagini tuæ, qnam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thure ac uino ſupplicarent, prætetea maledicerent Chriſto, quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt re uera Chriſtiani: dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negauerunt, fuiſſe quidem, ſed deſiſſe, qnidam ante triennium, quidam ante plutes annos, non nemo etiam ante uiginti quoque, omnes & imaginem tuam, Deorumq́ne ſimulacra uenerati ſunt: ij & Chriſto maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam uel culpæ ſuæ uel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenq́ne Chriſto quaſi Deo dicere, ſecum inuicem; ſeque ſacramento, non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium: quod ipſum facere deſiſſent, poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua & hæterias eſſe uetueram. Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet ueri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quàm ſuperſtitionem prauam & immodicam; ideoque dilata cognitione, ad conſulendum te decurri. Viſa eſt enim mihi res digna conſultarione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam, uocantur in periculum, & uocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, ſed uicos etiam, atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt: quæ uidetur ſiſti & corrigi poſſe. Certè ſatis conſtat, prope iam deſolata templa cœpiſſe celebrari, & ſacra ſolemnia din intermiſſa repeti, paſſimq́; uenire uictimas, quarum adhuc rariſsimus emptor inueniebatur. Ex qno facile eſt opinari, quæ turba hominum emendari poſsit, ſi ſit pœnitentiæ locus. Hactenus Plinius. cui ſic reſcribit Traianus.

Traiani reſcriptū ad Plinium.

Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neq; enim in uniuerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi nō ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt, ita tamen, nt qui negauerit ſe Chriſtianum eſſe, idque re ipſa manifeſtum fecerit, ideſt, ſupplicando Diis noſtris, quamuis ſuſpectus in præteritum fuerit, ueniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore uerò propoſiti libelli nullo crimine locum habere debent: nam & peſsimi exempli nec noſtri ſæculi eſt. Hactenus Traianus. in quod reſcriptum, ſic inclamat Tertullianus, O' ſententiam neceſsitate confuſam, negat inquitendos innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Fuerunt (haud diffireor) & alij Imperatores, qui in Chriſtianos atrociſsimas leges & ſanctiones fecerunt, ut Nero, Domitianus &c. Verùm omnium mortalium iudicio damnati, & qui in proprios etiam ciues & Reſpub. quibus præfuerunt, crudeliſsimi extiterint, de quibus ita & Tertullianus in Apologetico ſcribit, Quales ergo leges iſtæ, quas aduerſum nos ſoli exercent impij, iniuſti, turpes, dementes, uani (loquitur autem de Nerone & Domitiano) quas Traianus ex parte fruſtratus eſt, uetando inquiri Chriſtianos, quas nullus Hadrianus quanquàm curioſitatum omnium explorator, nullus Veſpaſianus, quanquàm Iudæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus, impreſsit. Contendit enimuerò Tertullianus, nullum principem Romanum, ex his, quos gentium acclamatio probauit, quales quos hîc recenſuit, in Chriſtianos inimicas leges tuliſſe, ſed eos, qnos etiam titulo crudelitatis famoſos, traducunt prophani.

Non fuiſſent autem hi, qni Chriſtianos commendant (alioqui uitiorum acerrimi hoſtes in exterminandis peccatis) tam deſides, ut ſi uitioſam Chriſtianorum uitam depræhenderent, non in eoſdem quemadmodum in cætera peccata ſæuirent. Tiberium denique Cæſarem, cuius ſæculo mundo cœpit Chriſtianum nomen effundi, contra gentes ſcribens idem Tertullianus eſt auctor, audita ex Syria Palæſtinæ Chriſti fama, noluiſſe eum in Deum conſecrare; detuliſſeque rem ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij ſui, noluiſſeq́; Senatum, quòd prius quàm haberi Deus cœpiſſet, diuinitatem ipſe nō probaſſet, Cæſare in ſenrentia permanente, comminanteque ſi quis Chriſtianis hominibus intentaret calumniam. Apollo Mileſius de Chriſto conſultus ita reſpondit, Mortalis erat corpore, ſapiens, prodigiorum effector, ſed ſub indicibus Chaldæis, armis comprehenſus, clauis fuſtibusq́ue amaram mortem paſſus eſt. Porphyrius ille impius libro

In apologetico.

de

de reſponſis, ita pronuntiat de Chriſto, Chriſtum dij maximè pium pronuntiauerunt, immortalemque euaſiſſe, aſſeruerunt, benignè admodum de illo teſtificantes. adiungitque Hecaten deam interrogantibus de Chriſti anima, reſpondiſſe, Viri pietate præſtantiſsimi eſt illa anima, hanc colunt à rigiditate alieni, Chriſtus ipſe pius in cœlum, ſicut pij, conſcendit, huic ergo ne derogaueris. Concedit demum Porphyrius, Chriſtum & ſapientem & pium fuiſſe, quamuis Chriſtianos partim indoctos. partim magos nominet, pro ingentis odij, quo flagrabat affectu, tum ueritati, tum ſibi ipſi repugnans. Narrat Iulius Capitolinus, Hadrianum Cæſarem ſtatuiſſe Chriſto templa cõſtruere, eũq; inter deos recipere, ideoq; templa abſque ſimulacris, in omnibus ciuitatibus fieri præcipiſſe, quæ eiuſdem auctoris memoria, quòd deſtituerentur numinibus, Hadriani, uocarentur. Fuit autem prohibitus ea Chriſto dicare, quoniam ſacrorum augures idolis conſultis, acceperint, ſi id fieret, omnes futuros Chriſtianos. Idem Iulius Capitolinus eſt auctor, Alexandrum Seuerum, templa dicari Chriſto iuſsiſſe, quod cùm ex uoto non cederet, Chriſti effigiem in larario collocaſſe, ad quam ſub auroram orationem effunderet. Antoninus Pius cùm audiſſet Chriſtianos hoc frequenter uti prouerbio, Quod tibi non uis, alteri ne feceris. perſcrutatus Chriſti uitam, eidem ſtatuam ſacrauit, quod forſan Iuſtini philoſophi & Martyris, qui ei librum pro Chriſtiana religione dicauerat, ſuaſu fecit. Scribit demum Suetonius in Nerua, eundem uniuerſos Chriſtianos, qui quaſi Athei aut impij in Deos, fuerant ſub Domitiano accuſati, abſoluiſſe, qui tamen Imperator multiplici laude à Romanis auctoribus cumulatur. Vides igitur à quibus Chriſtiani laudentur, nempe ab integris & iuſtis principibus, contrà uerò à quibus damna ſuſceperint, ab ſpurcis, obſcœnis, & his, quos æterna gentes ipſæ proſequuntur infamia. eſt autem ingens Chriſtiani hominis conſolatio, talia de Chriſto & eorũ ſectatoribus legere.

Quòd ex diuinæ prouidentiæ ratione neceſſarium ſit, religionem & fidem Chriſtianam & Eccleſiaſticam ueram eſſe. Cap. X.

DEcima conſideratio, qua Chriſtiana mens in fidei tentatione, de hoſte
triumphat, eſt alto animo attendere, ad rectum ſpectare prouidentiæ
ordinem, immo ad eam quancunque iuſtitiam, quæ homines & Deum
intercedere poteſt, pertinere eos, qui toto animo ac corde, ad Deum
conuertuntur, in rectam ſalutis ſemitam, ſi eam fortè non attingant, re-
ducere. Nihil enim hoc rationabilius, quàm quòd Deus, non deſit, his,
qui illum toto animo inquirunt, In toto corde meo exquiſiui te. dicebat Dauid ad Deũ, Pſal. 118.
Ne repellas me à mandatis tuis. quaſi hac ratione æquo iure, mandatorum iuſtitiam
adſequi peteret. Quærite (ait alibi) Deum, & uiuet anima ueſtra: quaſi Deus, cùm Pſal. 68.
ſit iuſtus, ſeipſum uero animo inquirentibus negare non poſsit. Apud Hieremiam etiã;
Quæretis me, & inuenietis; cùm quæſieritis me in toto corde ueſtro, inueniar à uobis, [illegible]
ait dominus. In Amos etiam, Quærite me & uiuetis, & nolite quærere Bethel; & in Hier. 29.
Galgalam nolite intrare; & in Berſabee non tranſibitis, quia Galgala captiua ducetur; Amos 5.
& Bethel erit inutilis; quærite dominum & uiuite. Talesque ſunt innumeri loci in ſan-
cta Scriptura, qui his, qui uero corde & animo conuertuntur in Deum, diuini luminis
præſentiam adeſſe demonſtrent. Immo id quaſi iuſtitiæ principium, Apoſtolus Paulus
conſtituit, ita ut ſine hac fide nemo poſsit cum Deo inire amicitiam. Oportet, inquit, Hebr. [illegible]
accedentem ad Deum, credere quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Si er-
go hoc uerum eſt, quî potuiſſet Deus, ſaltem priores illos Chriſtianos, qui omnium mor
talium maximè, filiis, uxoribus, parentibus, amicis, cognatis, poſtpoſitis, totos ſeſe
ad Deum & eius exſequendam uoluntatem, tranſtulerunt, contemnere, aut non eorum
animos, qui toti in hoc poſiti erant ut Deo ſeruirent, aduertere? Demus euangelicam
prædicationem, quam primitus acceperunt, non fuiſſe ueram, an eo animi candore &
prompto uoluntatis propoſito, quo ſoli Deo placere cupiebant, non fuiſſent in ueram ſa
lutis uiam adducendi diuinitus? Iſraëlitico populo, cui toto corde inquirenti, ſe Deus
occurſurum ſpondebat, commodi temporalis ſpes imminebat. nihil enim aliud erat,
poſt totius cordis inquiſitionem, Deum inuenire, quàm rerum temporalium fortunam

V cum

cum diuini numinis præſentia & amicitia proſperè cedere. Non igitur ſolum Deum ſui
ipſius gratia, inquirebant, ſed cum Deo aliquid aliud quærebant. Quòd ſi hac ratio-
ne quærentibus Deus ipſe occurrebat, quidni occurreret hominibus, qui nihil aliud à
Deo, cum Deo quærebant, propria anima, uita, familia, diuitiis, honore, nomine,
fama poſthabitis? Omnia enim arbitrabantur ſtercora, & omnium detrimentum facie-
Phil. 3. bant, ut Deum inuenirent. Cornelius Centurio, quòd apud Cæſaream, Deum, qua po-
Act. 10. terat ratione conquireret, faciens eleemoſynas ac deprecans Deum, Petri prædicatio-
Galat. 1. nem promeruit; Paulus Apoſtolus, quòd Iudaiſmi ac paternarum traditionum eſſet æmu
lator, & obſequium arbitraretur ſe præſtare Deo, in ipſa perſecutionis rabie, Chriſto ſibi
Act. 8. apparente, grandi prodigio, ad Ananiam pertractus, illuſtrationem accepit, cur, ij, qui
non tantum propter Deum eleemoſynas faciebant, ſed in fraternæ caritatis holocau-
ſtum, ſeipſos tradebant, quorum erat inſtitutum uiuendi, ut ſui non eſſent, ſed fratrum,
qui propter Deum, tam inimicum quàm amicum diligebant, in ueritatis uiam, ſi ab il-
la deuiaſſent non erant reducendi à Deo? Diuinas iniurias in aliis uindicare, quod Pau
lus in Iudaiſmo præſtabat, haud profectò difficile. hoc enim, & præter Dei zelum ad-
iunctam habet humanam laudem; propriam uerò uitam quotidie periculo exponere,
quod ſine ulla laude, ſed cum certa infamia & honoris detrimento Chriſtiani faciebant,
hoc opus hic labor erat. Cur ergo his ueram ſalutis uiam non oſtenderet Deus? Eſt ita-
que ingens Chriſtiani ſolatium, noſtræ religionis parentes, toto corde & tota anima,
ſalutem, quam Deus omnibus uolentibus, habet expoſitam, quærentes aduertere, & eo-
rum in ſemel iam accepta Chriſtiana uita profectus attendere. Signum eſt enim eam eſſe
ueram religionem, ueramque ſalutis uiam, in qua hi, qui tanto cordis deſiderio Deum
ſolum quærebant, perſtiterunt, tanto in ea feruentiores effecti, quanto maiori conatu
ſunt conſecuti. Alioqui, cur ab ea, quam, quòd Dei uoluntatem in ſe continere puta-
rent, tanto animi feruore quæſierunt, non ſunt retracti, ſi eſt ulla actionum humanarum
prouidentia, & ratio? profectò, ſi huius uoluntatis & feruoris, quo iuſti Deum, uni-
uerſis, quæ uidentur, poſthabitis, etiam cum uitæ, immo cum honoris, qui apud elatio-
res paulò animos maioris appenditur, detrimento, conquirunt, apud Deum nulla ſit ra-
tio, neque alterius cuiuſcunque fiet. nihil enim in mundo hac uoluntate precioſius. Lon-
gè ergo abeſt à prouidentia, homines toto cordis & uirium conatu, Deum quæren-
tes, in erroris uia mori permittere. Vera igitur eſt, non falſa ſalutis acquirendæ uia,
Chriſtiana religio, in qua tot uiri admiranda ſanctitate conſpicui, qui nihil aliud quàm
Deum ſub cœlo quærebant, uiuere ac mori, ingenti animorum confirmatione ſunt à
Deo permiſſi. Quis cum apoſtolo Paulo, Deum iniuſtiſſimè non agere diceret, ſi poſt
infamias, fames, ſites, catenas, carceres, exilia, naufragia, uirgas, lapides, plagas,
ieiunia, frigora, nuditates, propter Deum tolerata, adeò in Chriſtianæ uitæ ratione hæ-
rere permitteret, ut obfirmato animo diceret; Quis ſeparabit me à caritate Chriſti,
tribulatio, an anguſtia, an fames, an perſecutio, an nuditas, an periculum, an gladius?
Rom. 8. Et ſubinde, certus ſum enim quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque princi-
patus, neque uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo,
neque profundum, neque creatura aliqua, poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt
in Chriſto IESV Domino noſtro. Cur Petrus, Iacobus, Ioannes, Matthæus, Andreas, &
cæteri apoſtolici uiri, optimo iure cum Deo non expoſtularent, quòd eos nihil aliud
quàm illum quærentes, in falſa religione & erroris uia inter uaria tormenta, quæ pro-
pter eundem patiebantur, permiſiſſet obſoleſcere? Quòd ſi in his, qui Chriſti forſan
affectu, quod cum illo uixiſſent, & fuiſſent conuerſati, id feciſſe potuiſſent putari, iuſtæ
querelæ ratio non appareat, proferamus ſacratiſſimos Martyres, qui neque Chriſtum
corporali præſentia agnouerunt, neque eum generis aut amicitiæ commertio attinge-
bant. Cur hos cœleſti reuelatione, ſi per erroris præcipitia iactari uidebat, Deus non
illuſtraſſet, qui propter eum ludibria & uerbera experti, inſuper & uincula & carceres,
lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, & circuierunt in
Hebr. 9. melotis & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in
montibus, in ſpeluncis, in cauernis terræ? An indigni erant Stephani lapides, Lauren-
tij craticula, Vincentij lampades ardentes, Agathæ, poſt grauiſſima tormenta, mām̄æ
immaniter abſciſſæ, Catherinæ rotæ, Agnetis & Luciæ ludibria, flagella, grauiſſima

tormenta

tormenta & demum atrocia ſupplicia, quorum Deus rationem haberet? His profectò, nihil gratius Deo præſtare poterat humana fragilitas: cur igitur quæ tãto amoris incendio tantoque placendi deſiderio afferebantur, Deus aſpernatus fuiſſet, ut ſaltem ueritatis reuelationem mererentur?

Quòd eorum, qui Chriſtianam religionem & Eccleſiaſticam fidem perſecuti ſunt, mali exitus & infœlices rerum geſtarum ſucceſſus eandem oſtendant eſſe ueram. Cap. XI.

HAud minus ad diuinæ prouidentiæ rationem pertinere uidetur tum rerum publicarum, tum principum eorum, qui Chriſtianam religionem ſurgentem, atrocibus perſecutionibus atterere tentarunt, & eius incrementis per iniquas leges ſeſe oppoſuerunt, atrox punitio & ſupplicium. Quorſum nanque diuinæ iuſtitiæ iuſtiſsimum examen, eoſdem tam crudeli ſupplicio de medio tuliſſet, niſi quia ut olim pro Iſraëlitico populo Pſal. 134.
Pharaones, Seones, Ogos, & reges fortes, pro eis quoq; corripiebat reges terræ? Nihil Pſal. 104.
profectò tam diuinæ prouidentiæ conforme, quàm homines ſuperſtitioſæ ac falſæ religionis cultores è medio tollere, ſicut contrà, nihil tam diuinitati propinquum, quàm eorum, qui eidem uera religione, & uera animi puritate deſeruiunt, ab iniuriis protegere. Deſæuit aliquando per malos principes in populum ſuum dominus, & ne æterno ſupplicio punienda ſeruentur, ſuorum, in præſenti uita mortali, per malos homines, quaſi per dæmones quoſdam pœnarum carnifices, peccata caſtigat, uæ tamen Aſſur uirgæ furoris Domini. Sunt profectò praui homines, quos nonnunquam regnare facit Iſai. 10.
Dominus, propter peccata populi, non aliud quàm baculus in manu ipſius, ut paterna Iob 34.
caritate filios ſuos, aut à uia peccatorum in uiam iuſtitiæ reuocet, aut ad gloriæ & fœlicitatis incrementa donanda, ſi modò per patientiam & animi æquitatem, rerum corruptibilium lenocinio contẽpto, in eundem remigreut. Verùm nihil Deo ſolemnius, quàm huiuſmodi baculos & arida ligna, officio illo paterno perfecto, in ignem coniicere. Sic olim Aegyptios, ſic Babylonios, ſic Aſſyrios, ſic Medos, ſic Moabitas, ſic Philiſtinos, ſic poſtea Antiochos, ſic demum Herodes, Dei populi carnifices, infami ac truculento ſupplicio deleuit. Non alio pacto, in Euangelico ſtatu, in quo non iam tantum populum ſibi ut olim ſeruitute deuinctum, ſed filiali caritate ligatum, habebat, oportebat ſuorum iniurias Deum ulciſci, & ſe cariſs. filiorũ oppreſsiones paterno oculo uidere, planiſsimè oſtendere: ipſe enim erat, qui ſibi omnem uindictam delegari præce- Deut. 32.
perat, ipſe erat qui ſuos non quaſi leones, ſed quaſi agnos inter lupos, omnium peccato- Luca 10.
rum iniuriis expoſitos in mundum emiſerat.

Hvivs diuinæ uindictæ, primum ac omnibus gentibus ac ſæculis famoſiſsimum exemplum extitit Iudaicus ille olim Dei populus, nunc uerò omnium mortalium obiectio & opprobrium, qui poſt longè florentiſsimam Deique peculiari quadam prouidentia ac Pſal. 21.
amore munitiſsimam, per pluſquã duo annorum millia, rempub. & regnum, quòd tempus uiſitationis ſuæ, non cognouerit, ſed auctore ſalutis opprobrioſa morte, in crucem Matth. 21.
ſublato, idest, filio unico patris familiâs, cuius uineam cõduxerant, quemq; revereri debuerant, occiſo, ſeruos quoq; eius perſequendi initium fecerit, in luctuoſam ac lamentabilem fabulam conuerſus, tragicis choris, materiam miniſtrauit. Si cognouiſſes, & tu, ait ad totius eius infœliciſsimæ gentis caput Hieroſolymam Chriſtus, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, nunc autem hæc abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & cingent te, & coanguſtabunt te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſupra lapidem, eo quòd non co- Luca 19.
gnoueris tempus uiſitationis tuæ. Comparet nunc unuſquiſq;, ait Euſebius Cæſar, Domini & Saluatoris noſtri ſermones cum Ioſephi hiſtoriographi relatione de bello, quod geſtum eſt atq; excidio ciuitatis, & uidẽs miram diuinæ præſcientiæ uirtutem, agnoſcat, prædicentis diuinitatem. Paulus etiam Apoſtolus, ad Theſſalonicenſes ſcribens, Vos 1. Theſſ. 2.
enim inquit, imitatores eſtis fratres Eccleſiarũ Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Iesv, quòd eadem paſſi ſitis, & uos à propriis contribulibus, quemadmodum & ipſi nos à Iu-

dæis, qui ut Dominum occiderent IESVM, & proprios prophetas, ita & nos perſecuti
ſunt, & Deo nō placent, & omnibus hominibus aduerſantur, qui obſiſtunt nobis, ne lo-
quamur gentibus, quò ſalui fiant, ut expleant ſua peccata ſemper, peruenit enim in illos
ira in finem. Quis, Deum immortalem, poſt Chriſtum occiſum, Chriſti noſtrorumq́;
perſecutiones, eius populi ſtrages, fames, obſidiones longiſsimas, urbium excidia, &
reliquas ingentes calamitates, quas Egeſippus quinque uoluminibus, & Ioſephus eius
etiam gentis & religionis cultor, ſeptem comprehendit, ſine ingenti commiſeratione,
Ioſeph. li. 4. enarrare ualear? Nam ut omittamus eas ſtrages, quæ per Idumæos & Zelotas, in Hie-
de bel. Iud. roſolymitanos bis patratæ ſunt, in quarum altera, octo mille & quingenti homines, alte-
c. 6. et li. 5. ra uerò duodecim mille ceciderunt: ut omittamus Ioannis tyrannidem, qua uno die,
Egeſippus lib. 4 c. 13. apud Engaddos, poſt magnam uirorum internecionem, infirmioris ſexus ac ætatis, tar-
Ioſeph. li. 5. dius per ætatem & infirmitatem fugere ualentium, innumerabilis multitudo occiſa eſt:
c. 3. ut omittamus Cæſareæ deuaſtationem, in qua millia iuuenum interfecta ſunt, familiæ,
Ioſeph. li. 5. captiuæ abductæ, domus incenſæ ſunt: ut omittamus Simonis Gaderenſis horrenda
c. 6. latrocinia, & inſaciabiles rapinas, domorumq́ue locupletum perſcrutationes, quibus
uirorum cædes, & fœminarum iniuriæ pro ludo habebantur, prædamq́ue tyranni cum
Ioſeph. li. 7. ſanguine deuorantes, poſt ſacietatem, muliebri libidine caleſcebant, & obſcœnita-
c. 7. & 9. te, nimia neſarios coitus exigentes, in ciuitate ipſa, olim ſancta, in ipſoq́ue templo, olim
toti mundo celebri, quaſi in lupanari, uerſabantur: ut omittamus atrocem illam & hor-
ribilem triplicis tyrannidis zelotarum, Ioannitarum, & Eleazaritarum, qua totū tem-
plum cædibus polluebatur, adeò ut ſtagni in morem diffuſus, diuerſorum ſanguis ca-
dauerum flueret, in qua & ad ipſas aras, ſacerdotes ſacra celebrantes mactabantur, in
Ioſeph. li. 6. qua ueluti conſultò, pro Romanis diuinæ uindictæ miniſtris, quæcunque ad obſidionem
ca. 1. Ege- ſuſtinendam neceſſaria parata erant, domos nimirum frumentarias corrumpentes, in
ſippus li. 5. hoc ſibi mutuò tyranni conſentiebant, ut miſeros perderent, in qua miſerabilem illam
c. 1. & promiſcuam lacerationem, luctum, ululatum, querelas, cùm nec interdiù, nec per
noctem à cædibus ceſſaretur declinare, & ad Romanos confugere cupientes, ut ho-
ſtes interficiebantur: in qua, neque mortuis quidem, curam ſepulturæ adhibere lice
bat, ſed in tumulum congeſta cadauera conculcabantur. ut omittamus horribilem, &
non alio quàm tanto ſcelere dignam ſtragem, quæ poſt obſidionem & uallum obductum
Egeſippus ſecuta eſt, in qua, cùm publico uſui, nulla amplius frumenta nec panes eſſent, milites in
lib. 5. c. 16. alienas domos ſcrutaturi irruentes, ſi aliquid inueniebant, uerberabant eos, qui negaue-
Ioſeph. c. 10 rant; ſi uerò nihil inueniſſent, quaſi diligentius celauiſſent, tormentis afficiebant: in qua
& 12. li. 6 aliquid habendi argumenta erant corpora miſerorum, cùm ea, quæ ſolidis uiribus ſta-
rent, abundare cibo putarentur, tabidi autem transfigebantur, quòd rationis eſſe non
uideretur, paulò pòſt fame morituros, occidere: in qua ſicubi purgamenta olerū uel ca-
ſu lapſa, uel quaſi arida proiecta aſpexerant, femineces ad terram proſtrati, ore lambe-
bant, in qua ſicubi internata parietibus uiſa fuerat herba, rapientes ſucco infœlici miſe-
ram ſolabantur famem: in qua, aliorum uomitus (horrendum) eſca erat; in qua uni-
uerſa bona ſua uno frumenti modo qui ditiores eſſent, pauperiores uerò hordei permu-
tabant, incluſiq́ue intimis ædium tectis, ſumma penuria, infectum triticum comede-
bant; in qua uxores uiris, filij parentibus, & quod miſerabile omnium maximè ſpecta-
culum erat, matres cariſsimis infantibus, cibum ex ipſo ore rapiebant; in qua pulſa-
bantur ſenes, ne cibum irruentibus latronibus, defenderent, lacerabantur mulieres,
ea quæ habebant in manibus occulentes; in qua nulla miſeratio uel cani capitis erat, uel
infantiæ, ſed abſtractos & ex buccella pendentes, humo illidebantur, & ſi qua materno
affectu mulier percita, miſerans uagitus infantiæ, ſuccum ciborum ore proprio uellet
infundere, pij operis pœnas luebat, ſuſpenſoq́ue ad ceruicem, uel hærente ad mamillas
pignore, ſimul transfigebatur; in qua beneficium putabatur, cum uitæ periculo certiſ-
ſimo urbe poſſe egredi, ut herbæ uel radices aut cortices arborum, ſi quid in his uiridi-
tatis reliquum erat ſibi ſolamina ſubminiſtrarent; in qua homines maiore ſuorum quàm
hoſtium impreſſione & nece moriebātur. nam ea, quæ hoſtis indulſerat, ciuis eripiebat:
Ioſeph. li. 6. in qua lacertis uiridibus cæteriſq́ue ſerpentum generibus (nam equorum ſi fortè ſuper-
c. 13. fuiſſent cadaueribus ueſci, non niſi tyrannorum putabantur delitiæ) coctis, grauiſsima
Egeſippus lib. 5. c. 21. peſtis addebatur; in qua tecta quidem plena erant mulieribus exanimatis, atque infan-
tibus,

tibus, uiarum autem anguſta, ſenibus mortuis, adoleſcentes autem ac iuuenes turgidi, uelut umbræ mortuorum & ſimulacra, per fora uerſabantur, & ubi quem caſus occupauerat decidebant; in qua ſuper eos, quos propter fœtorem tantùm uitandum, ſepelierant, multi moriebantur, ac ſepultor plerunque præueniebat ſepeliendum, tumuloque eo, quem aliis parauerat, ſubitò exanimis includebatur; in qua præ doloris obſtinatione, neque luctus in his ac ſimilibus calamitatibus, neque fletus erat, ſed fame ſuperabantur affectus, ſiccisque oculis, qui tardius morerentur, eos, qui ante ſe requieſcerent, tuebantur; in qua muro iã hoſtili circundata urbe, cùm ne herbas quidẽ legere licuiſſet, ad hoc neceſsitatis compulſi ſunt, ut cloacas rimarentur, boumque ueteri fimo pro alimentis uterentur, ſtercusque collectum, quod nec uiſui quidem tolerabile prius fuerat, cibus eſſet, uetuſtasque paleas, & fœni proiectamenta, magno ſtudio ad uictum requirebantur: nam eorum exiguum pondus talentis Atticis quatuor uenundabatur: in qua, quod dictu & auditu horrendum maximè, nec in ullarum aliarum gentium hiſtoriis inuentum, mulier quædam, poſt ereptas ſibi à tyrannis omnes facultates, proprium filium, quem lactentem habebat, mactauit, & decocti mediam partem, in totius miſerandæ urbis ſtupendum horrorem comedit, mediamque alteram raptoribus comedendam reliquit. Vt (inquam) hæc omnia & his atrociora quædam, quæ auctores memoriæ prodiderunt, quoniam domeſtico diſsidio & ſeditione ſunt facta, quaſi Deo per eiuſdemmet ſcelerati populi ciues, uindictam exercente, omittamus, quotus quiſque non horreat eius infœliciſsimè gentis excidium ad memoriam reuocare, in quo eorum, qui ex his calamitatibus ſuperſtites erant, numerum interfectorum aut fame, aut peſte, aut alio quocunque modo ad interitum ſublatorum omnem humanam rationem excedere, Ioſephus eſt auctor? Erant in ea florentiſsima urbe, eodem Ioſepho teſte, certo numero cõpræhenſa, in die quodam Paſchatis, eorum tantùm hominum, quibus ſacrificare licebat (exceptis leproſis & alio quocunque modo immundis iudicatis) uicies centena & ſeptingenta millia, (tanta erat urbis amplitudo) ex qua re facile eſt colligere quanta fuerit eiuſdem urbis ſtrages. Egeſippus, decies centena millia, indigenarum eorumque, qui ex aliis undiq; regionibus ad diei feſti celebratiõe conuenerant, cæſa per omne tẽpus obſidionis affirmat, & cum eo Ioſephus, captiuorum, qui compræhẽſi ſunt, uel ducti in triumphos, uel beſtiis dati, uel ſuppliciis affecti, per omnes urbes, quã iter agebat Titus, nonaginta fuiſſe & ſeptem millia, aſſeuerauit, mortuorum uerò undecies centena millia. Nec tamen in his numerantur, quos Antiochenum incendium abſumpſit, quos Baſſus capta Macherunte, in Iarde ſaltu, ad tria millia interfecit, quos Eleazarus, uidens deſperata eſſe omnia, nec Maſſadam caſtellum, ad quod cum grandi multitudine confugerat, ab hoſtibus poſſe iam defendi, habita oratione de animorum mortalitate, ſuis rebus omnibus in cumulum congeſtis & incenſis, in mutua uulnera compulit: quos Catullus, Pentapolitanæ Libyæ rector, in ſolitudinem circa Cyrenem, quaſi ſigna & prodigia ibi uiſuros, egreſſos, ad tres mille confecit, quos Domitianus, quòd ex ea gente futurum Meſsiam, qui cunctis futurus eſſet Regibus potentior, audiret, undique conquiſitos deleuit: quos Traianus, Duce Mario Turbine, non per Cyrenem modò, ſed per totam Aegyptum, pedeſtri, & nauali bello, & apud Meſopotamiam, Duce Lucio Quinto, ad innumerabilem penè multitudinẽ trucidauit, quos Hadrianus Imp. ad oppidum Hieroſolymis uicinum Bethera, ad quinquaginta millia, poſt grauiſsimas fames & arctiſsimas obſidiones, poſt iteratam urbis Hieroſolymorum euerſionem, poſt uenditiones, &c. è medio ſubſtulit: quos ante hos & Veſpaſianum, adhuc urbe conſtante, Tyberij, Claudij, & Pilati, ingenti multitudine, ſæuitia conſumpſit, quos demum Seueri triumphus, quo eius tandem infœliciſsimæ gentis perpetua ſeruitus conſecrata eſt, uaſtauit.

[Margin: Ioſeph. li. 6. ca. 14. 15. & 16. — Ioſeph. li. 6. c. 7. & 8. Egeſippus c. 40. & 41 lib. 5. — Lib. 6. c. 16. 17. & 18. — Ioſeph. li. 6. ca. 21. 24. 25. 26. 28. 29. 30. & 31. Egeſippus lib. 5. c. 52. & 53. — Euſeb. li. 3. Eccl. hiſto. c. 19. — Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 4. cap. 1. — Dion Caſſius, Eutropius &c. — Euſebius in chron. Iuſtinus Mart. cõtra Triphonem.]

QVAE omnia & multa alia, quæ prolixius Ioſephus & Egeſippus proſequuntur, propter populi Chriſtiani perſecutionem ei populo eueniſſe, ſi idem Ioſephus & eius gentis prudentiſsimi quique, non perſuaſum habuiſſent, ipſamet diuinæ æquitatis & iuſtitiæ ratio demõſtrare uidebatur. Quæ omnia, inquit Ioſephus, acciderũt Iudæis, pro uindicta Iacobi iuſti, qui erat frater IESV, qui dicitur Chriſtus, quẽ iuſtiſs. & piiſsimum omniũ confeſsione, uirum, Iudæi interfecerunt. Hæc omnia, ait Euſebius, Iudæorum genti, poſt paſsionem Saluatoris iuſta ultione euenerunt, pro eo quod auctorem uitæ, à ſemet

[Margin: Dion Caſſ. — Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 2. c. Ioſephus li. 2. de bel. Iud. c. 8. — Ael. Spartianus — Euſebius in Chronic.]

uniuerſa gens conclamauerat, auferri. Verumtamen nihil obſtat etiam ea addere, per quæ pietas & clementia Dei, licet ingratis, uidetur oblata. Quadraginta nanque poſt admiſſum piaculum continuis protracta annis, impiorum pœna differtur, in quibus & Apoſtoli omnes; præcipuè tamen Iacobus, qui dicebatur frater Domini, & Hieroſolymis Epiſcopus conſtitutus fuerat, indeſinenter populum commiſſæ impietatis & feralis auſi de ſcelere commonebat, ſi fortè poſſent commiſſi pœnitudinem gerere, ſi poſſent flere pro ſcelere, & ultrices pœnarum flammas, lacrymarum ubertate, reſtinguere: oſtendebat nanque ei Deus, per ſuam patientiam, quòd ipſorum quæreret pœnitentiam, quia non uult tantùm Deus mortem peccatoris, quantùm ut conuertatur & uiuat. Hactenus Euſebius. Verùm Iudæorum tragœdia omnibus notior eſt, quàm ut in ea enarranda pluribus uerbis ſit opus, nunc ad alios Chriſtiani populi oppreſſores tranſeamus.

In quorum ordine, primus iniquus ille iudex eſt, qui Iudæis in Chriſti damnatione [Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 2. c. 7.] conſenſit, Pontius Pilatus, Iudæos inquit Euſebius, pro commiſſo ſcelere, ultio diuina damnabat. ſed & Pilatus, qui in Saluatorem iniqui iudicis functus eſt officio, iiſdem temporibus Caij, tantis ac talibus malorum cladibus cruciatus eſt, ut propria ſe manu tranſuerberans, nefariam uitam, ui abieciſſe referatur: neque enim poterat tanti piaculi miniſter impunitus euadere, ſicut in hiſtoriis Græcorum reperimus, eorum duntaxat, qui Olympiades ſcribunt, & annales rerum geſtarum, libros ad poſteritatis memoriam condunt. Hactenus Euſebius. Nam cùm de iniuſta crudelitate à Iudæis accu- [Nicephorus Cal. lib. 2. c. 10] ſatus Romam ire à Lucio Vitellio Syriæ præſide iuſſus eſſet, reſponſurus ad obiecta, dum eſt in medio itinere, Tyberius, in quo ſolo eius ſpes repóſita erat, expirat. Scribit [Ioſeph. antiq. lib. 18. c. 5.] deinde Eutropius, tantis eum irrogante Caiio, angoribus coarctatū eſſe, ut ſua ſe tranſuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæſiuerit. atque idem de [Eutrop. li. 7.] [Anna & Caiphas.] Anna & Caipha; aliiſque Scribis & Phariſæis, qui Chriſti mortem petierunt, Nicephorus refert. Herodes Antippas, quòd præſtantiſſimum uirum ac peculiarem Chriſti præ- [De Caipha in conſt. Apoſto. Cle. Ro.] conem, Io. Baptiſt. in gratiam ſuæ meretriculæ indicta cauſa obtruncaſſet, deinde, quòd Chriſto inſidias tetendiſſet, & poſtea à Pilato ſibi exhibitum, aulicè irriſiſſet, & cū con- [Herodes Antip.] tumelia à ſe dimiſiſſet, anno ſecundo Caij Caligulæ, Domini uerò quadrageſimo, ab eodem Caio, Lugdunum in Galliam relegatus, donatis omnibus eius bonis Agrippæ Hero- [Ioſeph. antiq. lib. 18. c. 9.] diadis uxoris fratri, miſerrimè truditur. Herodes Agrippa, haud diu tulit inultam cædem, quam Iacobo Zebedæo irrogauerat, nā cùm paulò poſt Cæſaream profectus eſſet, [Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 2. cap. 4. Actuū 12.] horribili morte, quam Lucas in Apoſtolica hiſtoria recenſet, conſumptus, euanuit.

Iam uerò, ut ad Romanæ urbis Imperatores, qui poſt Iudaicam crudelitatē in Apoſtolicos uiros, Chriſtiq; Eccleſiam, laniones egerunt, ueniamus; primus qui in eos gladium accepit, Caius Caligula, cùm ob tyrannidem & alia diabolica facinora, cunctis [Caius Cal.] honeſtis uiris eſſet inuiſus, tandem contra eum coniuratione facta; & ipſe in ipſo Palatio plurimis uulneribus confoſſus eſt, & cadauer eius, clam in hortos Lamianos aſpor- [Suetonius.] tatum, & ſemiambuſtum, leui ceſpite obrutum. Claudius Tyberius, qui ſecundam [Clau. Tyb. Eutropius. Nero.] perſecutionem, poſt Caium in Chriſtianos exercuit, ueneno, quod ipſa coniux Agrippina fratris Germanici filia, præbuerat, interiit. Neronis turpitudinem & ſcelera, Romana reſpublica tolerare non potens, in eo ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque Martyrum & uirginum ſanguinem uindicauit: nam electo in Hiſpania Sergio Galba Imper. lataque ſententia à Senatu, ut nudus per publicum ductus, furca collo eius inſerta, uirgis uſque ad mortem cæderetur, atque ita è ſaxo præcipitaretur, [Suetonius, Eutropius lib. 8.] undique deſertus, è palatio perfugit, noctis medio urbem egreſſus, ſequentibus eum Phaone, Epaphrodito, Neophytoq;, & ſpadone Sporo, quem quondam exectum formare in mulierem tentauerat, in ſuburbano liberti ſui, ad quartum urbis milliarium, ictu gladij ſe transfixit, adiuuante trepidantem manum impuro Eunucho Sporo, cùm prius à quo feriretur, nullo reperto, exclamaſſet, Itane, nec amicum, nec ini- [Domitian.] micum habeo? Dedecorosè uixi, turpius peream. Domitianus Veſpaſiani filius, Neroni potius, quàm patri ſimilis, quòd in Chriſtianos quartam hoſtilem expeditionem mouiſſet, multoſque Chriſto Martyres conſecraſſet, in cubiculo à ſuis propriis miniſtris, conſcia uxore Domitia, multis uulneribus confectus eſt, cadauere eius, Senatus decre- [Suetonius, Eutropius. Traianus.] to, populari ſandapila per ueſpillones contumelioſè, gladiatoris inſtar elato. Traianum, reſolutione membrorum & ſtupore corporis, ſenſuumque, primùm ſubitò correptum fuiſſe,

fuiſſe, adeò ut uenenum hauſiſſe ſuſpicatus fuerit, poſtea uerò aqua intercute repletum, apud Selinuntem Siciliæ urbem, extinctum etiam auctores prophani prodidere. Hadrianus Imp. mortem Alexandri Pontificis, Hermetis, Zenonis, Euſtachij & aliorum multorum, quos eo tempore, quo nondum per Quadratum & Ariſtidem Chriſtianos philoſophos, & Serennium Granium, uirum nobiliſsimum ab iniqua lege in Chriſtianos per Traianum lata, reuocatus fuerat, occiderat, grauiſsimis ac multiplicibus morbis, luens, infœliciter periit. Primùm enim nimio ſanguinis fluxu, adeò debilitari & exhauriri cœpit, ut de uita eius ſæpius deſperaretur. qui morbus, etſi conſuetus antea fuerat, tanta tamen acerbitate eum aggreſſus eſt, ut ſæpius ipſe mortem uocaret, ſæpe etiam ſibiipſi manus inferre conſtituerit. Acceſsit ſanguinis fluxui phthiſis, qua cùm totum corpus contabuiſſet, in Hydropiſim deſiit, quæ nec magicis artibus & incantamentis extrahi potuit, nec tunc quidem, fluxu ſanguinis uel parum reſtincto, ſicque, dum tot malis ſimul exercetur, ac miſerandum in modum diſcruciatur, dolorum impatientia ſuperatus, in proprium corpus ſæuire conſtituit. Primumque à medico, cùm uenenum petiiſſet, nec impetraſſet, porrigenti gladium pecunia promiſſa, cum nullus domeſticorum obtemperaret, medicorum conſilio cibo & potu, quamdiu morbis & doloribus tantis conflictabatur, abſtinuit: cumque hoc potius ad morbum exaugendum, quàm ad ſalutem aut cruciatus mitigandos deſeruiret, tandem, ſupra omnem hominum opinionem crudeliter, infœlicem uitam cum morte commutauit. Marcus Antoninus Verus, quanquàm Chriſtianos ſcripto fouerit, quòd tamen prius Chriſtianorum etiam ſanguinem fuderit, apoplexia correptus, cum per triduum mutus decubuiſſet, tandem extinctus eſt in Pannoniis, refertque Beda propter Polycarpi & Pionij martyrium, quod in Aſia fecerat, aliorumque plurimorum, qui in Gallia ſub hoc Imperatore ſanguinem pro Chriſto fuderant, ſecutam eſſe, quaſi ſcelerum uindicem, atrocem peſtilentiam, uaſtantem multas prouincias, maximè uerò Italiam & Romam, quòd & alij ſcriptores teſtãtur. Ab armis, inquit Aurelius Victor, quies nunquam erat, perque omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamq; bella feruebant, terræmotus, non ſine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locuſtarum ſpecies agris infeſtæ, prorſus ut propè nihil, quo ſummis angoribus atteri mortales ſolent, dici ſeu cogitari queat, quod non, illo regnante, ſæuierit. Auctor eſt etiam Euſebius, anno ultimo Antonini, Smyrnam Aſiæ urbem, in qua Polycarpus & plurimi alij paſsi fuerant, terræmotu corruiſſe. Seuerus Imp. cùm regnum fœliciter primùm adminiſtraſſet, ſtatim, poſteaquàm in Chriſtianos perſecutionem mouit, ſucceſsibus deſtitutus, uariis ac continuis periculis & bellis diſtrahi cœpit, & tandem membrorum omnium dolore confectus, uenenum poſtulauit. Maximus, cùm Eccleſiarum rectores, atque ita reliquam multitudinem Chriſtianorum, ut putabat, deleturus, gubernatores uexari & fugari præcepiſſet, odio eius, Senatus Romanus, ipſo uiuo, alios Imperatores deſignauit, exercitus quoque ab eo in Africa defecerunt, & tandem uix triennio completo, cum filio adhuc puero, à militibus ſuis diſcerpitur, conclamantibus cunctis militari ioco, Ex peſsimo genere nec catulum quidem habendum. poſteaque omnes, qui quoquo pacto ſe ei adiunxerant, & amici fuiſſe uidebantur, capti, occiſi, tractique in cloacas abiecti ſunt. Decius, cùm nec biennium quidem integrum imperaſſet, mox unà cum liberis occiditur, quanquàm Pomponius Lætus ſcribat, eum in prælio infœlici, aduerſus Gothos uoragine abſorptum. Galli Imperatoris, quanquàm initio, quando ſcilicet, nondum in Chriſtianos ſæuire inceperat, res bene habuerint, at poſteaquam perſecutionem in eoſdem, quaſi per manus acceptam continuauit, ſanctis doctoribus, qui pro ſalute eius orauerant, pulſis, nec proſperè deinde nec diu regnauit; nondum enim biennio exacto, cum filio Voluſiano, aduerſus Aemilianum pugnans, à militibus deſertus occiditur, teterrima prius populo Romano ignominia conciliata, quę Scythiæ Gallus tributarium fecerat. Valerianus, haud multò poſtquam Chriſtianum nomen inſectari adortus eſt, in Perſicum bellum profectus, ſiue aliena fraude id acciderit, ſiue ipſius temeritate (nam utrunque traditur) in hoſtium poteſtatem uiuus uenit. feruntq; Saporem regem Perſarum, à quo captus eſt, adeò inſolenter ac barbarè captiuo ſeni illuſiſſe, ut pro ſcabello, eius tergo uteretur, equum aſcenſurus. Scribitque Euſebius in ſermone ad conuentum ſanctorum excoriari eum iuſſum à Rege. Sed & tu, inquit, Va-

leriane,

Dion Caſſ. *Hadrian.*

Dion Caſſ. *Ael. Spar.* *Aure. Vict.* *Eutro. &c.*

Epiphanius lib. de ponderibus & menſuris.

M. Antoninus Verus.

Aurelius Victor.

Seuerus Imp.

Aurel. Vic. *Baptiſta Platina.*

Maximus Imper. *Aurel. Victor et Iulius Capitol.*

Decius. *Euſebius lib. c. 1.* *Gallus.*

Eutrop. *Pompon. Latus.*

Valerianus Imp.

Aurel. Vic. *Pompon. Latus.* *Euſeb.*

leriane, quoniam eandem homicidiorum ſæuitiam erga ſubditos Dei exercuiſti, Iu-
ſtum Dei iudicium declaraſti, dum captiuus ac uinctus, unà cum ipſa purpura ac reliquo
Imperatorio ornatu abductus, ac tandem à Sapore Perſarum rege excoriari iuſſus, ſa-
leque condîtus, perpetuum inſœlicitatis trophæum erexiſti. Hactenus Euſebius. Eius
Henric. de Erfordia lib. 6. c. 27. deinde Præſidem Claudium à diabolo arreptũ, & poſt inciſam minutatim linguam, ſuf-
focatum quidam ſcribunt. Galienus eius filius, patre in perpetuam captiuitatem abdu-
cto, quanquàm cùm ſolus imperare cœpiſſet, perſecutionem in Chriſtianos paterno fato
(ut Oroſius credit) territus compeſcuit, tamen quòd ſceleratas quoque manus ſan-
guini Chriſtianorum admouiſſet, cum patre priuatam quoque uindictam expertus eſt.
Plurimæ enim & mirabiles defectiones, rebelliones, mutationes imperio pernicio-
ſiſsimæ, ſub eodem acciderunt. Quæ mala, cùm Romani ſcriptores, in eius luxum, la-
ſciuiam, & ignauiam refundant, nos tamen, qui altiores cauſas attendimus, iudicium
& ultionem Dei à ſuperioribus aliorum & ſuis Chriſtianorum perſecutionibus accerſitã,
in cauſa fuiſſe, certiſsimè credimus. Nulla huius Imperatoris ſæculo fuit Reſp. nulla pro-
uincia, una duntaxat Italia excepta, in qua non ſit tumultuatum, totque eo principe
rebelliones extitere, tot tyranni, qui Imperatoris nomina tulerunt, quot à Cæſare Di-
ctatore ad id tempus, in tam longa Imperatorum ſerie ſerè nunquam, narrat Trebellius,
huius ſæculo, triginta numero, alios, àliis in terris, èxercuiſſe imperium, in quibus fœ-
Sabell. li. 7. Enea. Ennea. 7. minæ etiam eſſent quædam Romano nomini illudentes. Triſtis, inquit Sabellicus, & ter-
rorum plenus huius principatus fuit, dira naturæ portenta, illo imperante, ſunt omni-
bus terris facta, plures dies uelut tenebris iacuit terra obuoluta, auditumque tonitruũ
terra mugiente, non cœlo tonante, ſecutusque ut ſolet motus terræ ingens, quo plura
ædificia cum habitatoribus, ſubitò terræ hiatu, abſorpta ſunt, multiq; mortales nimio
terrore exanimati. Sed id malum Aſiam præcipuè habuit obnoxiam. Mota eſt Roma,
mota eſt Libya, terræque hiatus uaſtiſsimi pluribus extiterunt locis. Maritimas ur-
In Chron. bes ſubitum mare obruit. Scribit Euſebius ſub Galieno, Ciliciam, Syriam & Cappa-
dociam à Perſis, Saporis ductu, fœda populatione uaſtatas; Alemanos, & Gothos, Pon-
tum, Aſiam, Macedoniam & Græciam populatos, Quados & Sarmatas, Pannonias oc-
cupaſſe; Tarraconem in Hiſpania, à Germanis oppugnatam &c. Tandem poſt has Reip.
& Romani imperij labefactationes Aureoli tyranni fraude, apud Mediolanum cum filio,
Eutropius. Aurelius Victor. ſeu; ut Eutropius credit, cum fratre Valeriano, turpi & infœlici exitu, tot ſanctorum
Martyrum ſanguinem luiturus, circumuentus occiditur. Aurelianus, licèt imperij ini-
tio tantum abfuerit à Chriſtianorum perſecutione, ut etiam ſuam auctoritatem, con-
Aurelianus Imp. cilio Antiocheno, contra Paulum Samoſatenum interpoſuerit, illumque uel nolentem
Euſeb. li. 7. cap. 30. de Eccleſia cedere compulerit; poſtea tamen, cùm ſumma crudelitate eſſet naturâ præ-
ditus, adeò ut nec à propriæ ſororis filij cæde abſtinuerit, alienus tandem à Chriſtianis
Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 7. cap. 30. factus, perſecutionem in eos mouere propoſuit. Talis inquit Euſebius, tunc temporis
erga nos erat Aurelianus; in progreſſu uerò imperij non nihil à nobis alienatus eſt, ita
ut iam propè conſiliis quibuſdam inductus, perſecutionem aduerſus nos mouerit, deque
eo rumor apud nos plurimus eſſet. uerùm cùm iam nos perſecuturus eſſet & edicta con-
tra nos uulgando, propè ſubſcripſiſſet. diuina dextera interueniens, ſubſcriptionem ne-
fandæ dextræ deturbauit, morte enim ſubita condemnatur, qui de piorum morte cen-
Ad commentum Sanctorum. ſebat. Hactenus Euſebius. Et tu, & alibi, inquit, Aureliane, omnium iniquitatum in-
cendium; quàm manifeſtè cùm Thraciam ueſanè perrumperes, in media publica uia
cæſus, ſulcos uiæ impio ſanguine repleſti? Itaque Aurelianus, poſtquàm meditari per-
ſecutionem in Chriſtianos cœpiſſet, cùm fulmine repentino territus, ad meliora non fle-
Vopiſcus, Aurelius Victor. Eutropius. cteretur, à ſuis inter Byzantium & Heraclæam occiſus eſt. Et quanquàm omnes eum
tragica ac cruenta morte occubuiſſe conueniant, ſunt tamen, qui eum miniſtrorum
ſuorum fraude occiſum fuiſſe commemorẽt. Nam cùm miniſter eius notarius, ad quoſ-
dam militares amicos nomina eorum annotata pertuliſſet, falsò manum eius imitatus,
perinde atque Aurelianus eos interficere conſtituiſſet, ab eiſdem amicis oppreſſus oc-
Diocletian. Imp. ciditur. Diocletianus & Maximianus aut Maximinus, quòd Chriſtum iam imperij no-
biliſsimorum uiſceribus inhærentem, Chriſtum deturbare, & generoſiſsimorum Mar-
tyrum conſtantiſsimos animos perdomare non poſſent, abdicato imperio, uitam pri-
uatam eligentes, nec ſic quidem pij effuſi ſanguinis uindictam potuerunt effugere. Dio-

cletianus

cletianus, inquit Nicephorus, diuinis expetitus plagis, toto primùm corpore tumorem ingentem concepit, quo deinde uariè diſrupto, lentè ita emarcuit, ut blaſphemia eius & impia lingua, quæ iniquitatem in altum euomuerat, intra fauces ipſius, uermium uim perferret, qui ex ore illius prorepentes, fœtore peſsimo, locum habitationis omnem replebant; poſtremò autem, more canis, quàm maximè latrans, ſceleratam & nefariam cum quadam uiolentia, exhalauit animam. Hactenus Nicephorus. Docent alij metu eum extinctum, nam cùm à Conſtantino atque Licinio, ad nuptiarum feſtiuitatem uocatus, ſe per ſenectam intereſſe non poſſe, reſpondiſſet, poſtea uerò ab iiſdem minaces literas accepiſſet, quaſi Maxentio amicus fuiſſet, & Maximino faueret, atque hac de cauſa, necem ignominioſam expectaret, uenenum hauſiſſe. Sunt deinde qui arbitrentur eũ cum Maximino, imperio depoſito, pœnitentia ductum, imperium uoluiſſe recuperare, ſed ſenatuſconſulto interfectum fuiſſe. Domum denique eius cœlitus arſiſſe Euſebius indicat: Neque uerò Maximianus Herculeus ſocius eius, & in Imperio collega, fœlicius occubuit. narrat enim Ioannes Zonaras, laqueo ſibi necem conſciuiſſe. nam cùm apud Gallias ad Conſtantinum Magnum, qui Fauſtam filiam eius uxorem acceperat, acceſsiſſet, ac uendicandi Imperij rurſus ſuſpitione laboraſſet, compræhenſusque fuiſſet, uideretque ſe conatu deiectum, maluit ſibi carnificis officium exhibere, quàm Imperatoris iracundiam & uindictam, quæ iam iam futura uidebatur, expectare. Galerij Maximini per totam Aſiam decennalem in Chriſtianos ſæuitiam & atrocem carnificinam, ſic diuinitus uindicatam narrat Euſebius, Ipſum, inquit, auctorem ſceleris ultio diuina corripuit, & ille qui lætis & ſaginatis carnibus incedebat ſuperbus, inflatis ſubitò uiſceribus ſuppuratisque, diſtenditur, in profundioribus denique pectoris partibus obortum ulcus, totos intrinſecus uiſcerum ſeceſſus, tabe ſerpente depaſcitur. Pòſt etiam fiſtulis quibuſdam in ſuperficie purulentis, meatibus adapertis, de interioribus putrefactis uulneris uenis, ebullire cœpit innumera multitudo uermium, fœtor uerò tam intolerabilis, ut nullus omnino nec medicorum quidem, propius poſſet accedere, quòd carnes ſatis lætæ & in omni luxuria enutritæ, grauiorem ex corruptione nidorem putredinis exhalabant. Denique pleroſque medicorum, quòd nec morbo aliquid mederi, nec uim fœtoris tolerare poſſent, interfici iubet, in quibus cùm quidam iugulandus potius quàm medicaturus accederet, inſpiratus à Deo, Cur, inquit, Imp. erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas poſſe reuocari? nec humanus eſt iſte morbus, nec à medicis curatur, ſed recordare, quanta in ſeruos Dei egeris, quamque in religionem diuinam impius & prophanus extiteris, & intelliges unde tibi ſint poſcenda remedia: nam & ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen à medicis non curaberis. Hactenus Euſebius. Scribitque his medici uerbis in ſe reuerti Maximinum cœpiſſe, tresque leges, quarum unam antea poſuimus, in Chriſtianorum fauorem fruſtrà tuliſſe. Tandem poſt leges has latas, quaſi grauiſsima ſcelera præ diuina indignatione & in Chriſtianos atrocitate, ueniam non mererentur, quodam belli conflictu, non eo modo, quo duces inclyti pro uirtute & amicis fortiter in bello decertando, glorioſam mortem magnanimiter ſuſtinent, ſed ſicut impius ac Deo rebellis, acie adhuc in campo ſtante, domi manens & abditus, competens ſupplicium ſuſtinuit, ſubita plaga Dei per totum corpus percuſſus, ita ut grauibus doloribus & cruciatibus exagitatus, & inedia conſumptus, pronus lecto decideret, ac carnibus illius diuinitus immiſſo igne, labefactatis, ita defluxit, ut omnem priſcæ formæ ſpeciem amiſerit, & ſola illi arida oſſa, inſtar ſimulacri longo tempore exſiccati, reliqua fuerint, nec aliud ab aſtantibus corpus eius iudicatum ſit, quàm animæ ſepulcrum, in mortuo iam & prorſus deciduo corpore defoſſæ. Cùm autem uehementius adhuc & magis quàm thermæ ſoleant, ex ipſis medullarum penetralibus conflagraret, proſilierunt illi oculi, & limites ſuos excedentes, cæcum reddiderunt. Spirans autem in iſtis cruciatibus, confeſsione domino facta, mortem aduocabat, ac tandem hæc propter inſaniam contra Chriſtum præſumptam, meritò & ultionis uice confeſſus, animam reddit. Hoc pacto è medio ſublatus eſt Tyrannus omnium impiiſsimus, qui præter ſanguinem fortiſsimorum militum Chriſti, in ſacras uirgines & Chriſtianas fœminas libidine exarſerat; hic enim eſt, qui Dorotheam Alexandrinam uirginem, & generis nobilitate, & extrema quadam pulchritudine præditam, &, quod erat amplius, Chriſtianam, quod in eam libidinis incendio æſtuaret, nec potiri da-

Eccl. hiſt. lib. 7. c. 20.

Aurelius Victor, & Pompon. Latus. Gelaſius Ceſa. Cappadociæ epiſcopus. Zonaras &c.

Euſeb. in orat. ad conuen. ſanctorum.

Maximianus Imp. Ioannes Zonaras.

Galerius Maximin. Imp.

Euſeb. lib. 8 c. 18.

Euſeb. li. 8. cap. 19. & lib. 9. c. 9.

Euſeb. li. 8. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ c. 17.

1. Mach. 6. Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 9. cap. 9.

Maxentius tyran.

retur, poſt dira tormenta Chriſti martyrem reddidit. multaque hic alia crimina perpetrauit in Chriſtum, ob quæ non mirum, ſi ſceleſtus, ut olim Antiochus Epiphanes, Dominum deprecaretur, à quo non erat miſericordia conſequuturus, præſertim cùm, ut Euſeb. docet, ficto id animo faceret. Maxentius Tyrannus, à Conſtantino prælio ſuperatus cum ſuis tandem in flumine periit, ponte rupto, quem ſcaphis coniunctis, ut tranſire poſſet, ipſe fecerat & in proprium exitium parauerat. Miluium eum pontem Nicephorus uocat: cuius interitus Claudius Clemens prudentius his uerſibus meminit.

Triſtis Chriſticolæ ducis aduentantis ad urbem,
Miluius, exceptum Tyberina in ſtagna Tyrannum Præcipitans.

Licinius Craſſus.

Lib. 2. de uita Conſtanti.

Licinius Craſſus, cùm in Chriſtiana religione, quam cum Conſtantino ſuſceperat, morum deformitate non perſtitiſſet, in Chriſtianorum perſecutionem conuerſus, à Conſtantino ſemel atque iterum ſuperatus, eius mandato interfectus eſt: quanquam eum antea incredibilibus morbis & calamitatibus uexatum Euſebius recenſeat. Poſtquam enim, inquit, hic obſidionem Eccleſiæ auſpicatus, ſanguine uirorum bonorum animam conſpurcauit, ſacra uindicta miſerum indidem ex ipſo oriunda ad animi ſedes uſque exercuit. Ecce enim repentinus abſceſſus, medium pudendorum locum occupat, inde uaſtè fiſtuloſum ulcus, & ſerpens morbi uis inſanibilis; è uiſceribus intimis uermiculatio, quanta dici nequit ſpirans, peſtiferum uirus ſcaturire. Moles enim nimia educatione carioſa, ſucculentus adeps, in hoc genus facilè cõmeabat: itaq; iam, putris aditum intolerabilem horribilemq; ſpectaculo faciebat. Illius ægritudo inueterauerat, cùm ad ſe tandem rediit, ea cogitans, quæ olim cœperat in Eccleſias moliri, tum ingenuè delicta confiteri; compeſcere contra Chriſtianos iracundiam; templa reficere; legibus, & edictis, ad ea feſtinare; ſua cauſa preces ex more funderent, adhortari. Et ſubinde, Quocirca de iſto non eſt in longam diem iudicium extractum, nam uana dæmonum ſpe inflatus, quos eſſe deos arbitrabatur, ac copiis infinitis aciem explicauit, tum deſertus à numine, regium ornatum, malè ſanè aptum depoſuit, animo uecordiſsimo multitudini immiſtus, illaq; ſe tutatus, deinde, ſeruili habitu per agros palatus, exiſtimabat ſe latêre poſſe: ſed prouidentiæ per omnia pertingentis oculos minimè fugit: ubi enim ſecurè uitam traducere confidit, ictus igne de cœlo, iacuit pronus. Illa plaga, diuina profectò, corpus exeſum eſt, nulla priſtini uultus ſpecie, ſiccis oſsibus idolorum inſtar, impensè attenuatorum emaciatorumque relictus. Cumque uires intendiſſet plaga, ſtatim exerti atque loco pulſi oculi, cæcum hominem dimiſerunt: æquiſsimo ſuffragio dantem pœnas à ſe repertas in eos, qui Dei teſtimonium dicebant. Inerat tamen adhuc in eo quidam uitæ ſpiritus, & quanquàm ſero, coràm confeſſus eſt Chriſto, ſuamque numinis expugnandi uoluntatem publicauit, palinodia contexenda ſimilis alterius fuit: legibus & inſtitutis ſuum errorem in Deorum profeſsione ſcripto reſoluit, Chriſtum unicum Deum teſtatus, experientia dignouiſſe. Quam rem edoctus ipſo ſenſu Licinius, haud acceptam ab aliis, iiſdem adhærebat, tanquam turbulenta nocte mentem euoluens. Hactenus Euſeb.

Iulianus apoſtata.

Euſeb. lib. 4. Eccleſiaſtica hiſto. c. 7.

Baptiſta Egnatius.

Iulianus Apoſtata profectus in Perſicam expeditionem, ut Theodoretus indicat, annonæ penuria laborauit. Ipſe uerò Perſæ cuiuſdam dolo in deſerta ductus, conto traiectus periit. Sunt qui ſagitta è cœlo miſſa, uulneratum eum fuiſſe dicant, unde in nefariam uocem Viciſti Galilæe, erumpens, pugillumq; proprij cruoris in aërem proiiciens, occubuerit. Nazianzenus uerò in oratione contra Iulian. audiſſe ſe à quodam ſcribit, Iulianum tragicè, & horribiliter mortuum, nec ſepulcro conditum fuiſſe, ſed à terra propter ipſum commota, abſorptum, & concrematum eſſe. Aiunt eum, inquit Nicephorus, in ſomnis, Antiochiæ uidiſſe iuuenem quendam flauo capillo, qui diceret, ei in Phrygia moriendum eſſe. Ictum igitur, iis, qui aderant, rogatis quomodo locus iſte uocaretur? ut appellari Phrygiam audierit, exclamaſſe, O' ſol, Iulianum perdidiſti.

Vide Dioni de Incendio Veſeui montis

Nec uerò ſoli principes illatæ Chriſtianis perſecutionis ſupplicia ac pœnas ſoluebant; ſed quod ſemper eſt ſolenne, & ipſæ quoq; Reſpub. & urbes, aut quòd in earũ punitione principes punirentur, aut quòd cũ eiſdem in Chriſti Eccleſiam ſæuirent, crudeles pœnas ac ſupplicia ſoluebant. Multos eorum ſæculorum terræmotus, multas amnium excurſiones, grauiſsimas peſtes, innumerabiles imbrium inundationes legimus, quas nec anteriora ſæcula, nec poſteriora, recepto ſemel Euãgelio, Romano imperio ſubiectæ prouin-

ciæ pertulerunt. Anno Chriſti 66, Neronis 10, Hierapolis, in qua Philippus Apoſt. in- Euſebius in Chronicis.
terfectus fuerat, unà cum uicinis ciuitatibus Laodicea & Coloſsis, terræmotu concidit. Eutropius lib. 10.
Traiani tempore Aurea domus, quam Nero priuatis publicisque expenſis extruxerat,
conflagrauit. In Aſia, quatuor urbes longè clariſsimè Ilæa, Myrina, Pytane, & Syme, Euſeb. in Chronicis.
& in Græcia aliæ duæ, Opuns & Donitium, in Galatia tres aliæ, grauiſsimo terræmotu
corruerunt. Nilus, inquit Aurelius Victor, perniciosè inundauit magna clade ædium, & Aurel. Vic. in Traiano
terræmotus grauis per prouincias multas, atroxque peſtilentia, fameſque & incendia,
facta ſunt. Abſorptæ ſunt etiam eodem tēpore Nicomedia & Nicæa, cuius maior pars,
motu terræ quaſſata eſt, ad quarum inſtaurationem, Hadrianus largitus eſt impenſas
de publico, anno Imper. ſui quarto. Concidit ſub Hadriano Nicopolis & Cæſarea, ſub
Commodo, incenſum eſt cœlitus Capitolium, tanta Romanæ urbis clade, ut bona pars
ciuitatis ſolo æquata ſit: quo incendio & inſtructiſsima bibliotheca abſumpta eſt. Sub
Gallo immanis lues & peſtifera in prouinciis populi Romani, præcipuè uerò in Aegypto, Euſe. Cæſa. Eccleſiaſtica hiſt. li. 7 c. 21. et 22.
orta per decennium integrum, aut ut alij uolunt per totos quindecim annos graſſata,
horrendam uaſtitatem intulit: à quo triſti & inuſitato malo, Cyprianus Carthaginien.
Epiſc. argumentum libri, de mortalitate ſumpſit. Diocletiani & cæterorum, tum orien- Pomponius Lætus in uita Galli.
talium, tum occidentalium tyrannorum, qui horrendam illam decennalem perſecu-
tionem fouerant temporibus, mare nauigiis clauſum innauigabile erat, nec fieri pote- Dion. Areopagita in epiſtola ad Hieratum.
rat ut aliunde quis nauigio appellens, non omnis generis plagas & tormenta reciperet,
& ac ſi ab hoſtibus explorator miſſus eſſet, tandem uel crucis, uel ignis ſupplicium ſu-
biret. Totum præterea tempus rerum militarium apparatui & armorum expeditionibus,
neceſſarium tribuebatur: quæ, & multa alia grauiſsima mala, tanta fames intolerabi-
lia reddebat, ut una tritici menſura, bis mille & quingentis Atticis uenderetur. erat in
ciuitatibus ingens hominum multitudo fame enecta, maior uerò per uicos & agros pe-
ſtilenti morbo confecta. quidam ergo, quæ chariſsima ac precioſiſsima haberent, pro
tenuiſsimo cibo ditioribus uendebant, quidam modicas graminis minutias mandentes
& lethiferis herbis promiſcuè ueſcentes, ualetudinem corrūpebant, multæ nobiliſsimæ
fœminæ ad extremam inopiam redactæ, ad agros mendicandi gratia ſe recipiebant.
Denique ne uniuerſa, quæ in hac parte Euſebius, & alij ſcribunt, huc afferamus, cùm & Euſeb. Eccleſiaſtic. hiſt. lib. 9. c. 8.
canum cibus, multi fierent, ob eamque cauſam potiſsimùm, qui uiuebant, canes, ue-
riti ne rabidi facti, ad laniandos & uorandos homines conuerterentur, interficiebant.
Multa narrat Tertullianus ad Scapulam ſcribens in eandem ſententiam, hominum priua-
torum ſupplicia. Vigellius, inquit Saturninus, qui primus hîc gladium in nos egit, lu-
mina amiſit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens uxorem ſuam,
ad hanc ſectam tranſiiſſe, Chriſtianos crudeliter tractaſſet, ſoluſque in prætorio ſuo ua-
ſtatus peſte, cùm uiuus uermibus ebulliſſet, Nemo ſciat, aiebat, ne gaudeant Chriſtia-
ni. Hactenus Tertullianus. Antiochus Aureliani Imperatoris præſes, inter tormenta
Agapiti Martyris ſubitò de tribunali decidens, ſe totū in interioribus ardere clamans, Henricus de Erfordia.
expirauit. Præfectus quidam caſtrorum, quòd Damaſci, infames aliquor mulieteculas è
foro raptas, partim tormentis, partim minis eo adduxiſſet ut ſcripto tradito, publicè Euſeb. lib. 9. c. 5. & 6.
dicerent, fuiſſe ſe aliquando Chriſtianas ac noſcere, quas ſceleſtas & laſciuas actiones
Chriſtiani, dominicis diebus inter ſeſe exercere ſolerent, ac alia, quæ ad calumnias
Chriſtianorum augendas uiſa ſunt idonea, paulò poſt, mortem ipſe ſibi propria manu
conſciuit. Prolixum opus eſſet uniuerſos caſus & calamitates, quas à Chriſto paſſo, di-
uerſis regionibus, prouinciis, & ciuitatibus, uel Romani Imperatores uel Reſp. pertu-
liſſe leguntur, minutim percenſere, ſatis ſit eius temporis hominem, Cyprianum ad De-
metrianum loquentē audire, Certi ſumus, inquit, quòd inultum non remaneat, quod-
cunque perpetimur, quantoque maior fuerit perſecutionis iniuria, tanto & illuſtrior
fiet & grauior pro perſecutione uindicta. Et, ut memorias non teneamus antiquas,
documentum recentis rei ſatis eſt (loquitur autem de Valeriani & Galieni temporibus)
quod ſic celeriter quodque in tanta celeritate ſic granditer, nuper ſecuta defenſio eſt,
ruinis Regum, iacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum, &c. Hacte-
nus Cyprianus: contenditque deinde toto illo libro, nunquam impiorum ſcelere, in
nomen Chriſtianum exurgi, ut non ſtatim diuinitus uindicta comitetur.

VIDEAMVS nunc de hominum eorum uindicta, qui nominis Chriſtiani prætenſione, Ec- Hæretici.

cleſiaſticam fidem & caritatem diſcerpunt, ideſt, hæreticis, qui licèt non in Chriſtianam religionem, ut putant, in Eccleſiam tamen & ueram fidem, uiolenti graſſantur, paulisper dicamus: neque enim eorum perditorum hominum, ſiue qui dogmatibus, ſiue qui armis & potentia Eccleſiaſticam fidem labefactarunt, omnes tragœdias percurrere eſt animus, ſed tantùm eorum, qui illuſtriores & famoſiores fuerunt. Inter hos

[*Nicephorus lib. 9. c. 28. Zonaras & Eccleſiaſtica hiſt. li. 2. c. 32. et li. 1 c. 1.*]

Conſtantius Imp. primus omnium hæreticam perfidiam, Arriana hæreſi ſeductus, côſecrauit Imperio, nec tamen grauiſsimas Catholicorum uirorũ perſecutiones, præſertim Athanaſij Alexandrini impunè tulit. Primùm enim res bellicæ, quas in Oriente gerebat, infœlicisſimè illi ceſſere. Deinde ſub exitum uitæ, ut Theodoretus Cytienſis eſt auctor, miſerè conqueſtus eſt, quòd fidem innouaſſet: quam rem inter mala, qua regno ſuo indigna accidiſſe dicebat, ut Nazianzenus inquit, enumerare ſolebat. Tandem in eo triſti gemitu & querela, triſti ac uiolento morbo è uita exceſsit.

[*Nazianzenus in ora. funebri in Athanaſiũ.*]

Valentis perſecutio tam grauis fuit Eccleſiæ, ut penè Ethnicorum Imperatorum perſecutiones ſuperaſſe uideatur. Sub eius Imperio, adeò grando uiolentè decidit, ut manum globus unus impleret & lapidibus ſimilis eſſet. Suntque qui ſcribant, multos homines multaq; iumenta interfeciſſe, eamque per iram Dei demiſſam, quòd Imperator Valens multos Eccleſiaſticos uiros, eo quòd Eudoxio Ariano communicare nollent, afflixerit. Nec diu multò pòſt

[*Socrates li. 4. c. 10.*]

Nicæam ciuitatem Bithyniæ, ingens terræmotus ſubuertit. Corruerunt etiam & Germæ ciuitates Helleſponti. In Phrygia etiam adeò ingens fames inualuit, ut incolæ ſedes mutare, alioque cogerentur confugere. Tandemque, cùm Valenti Sanctus Iſaacius côtra Scythas Thraciam, & Macedoniam incurſantes proficiſcenti, prophetico ſpiritu diceret, ut Eccleſias orthodoxis redderet, alioqui inde non eſſe reuerſurum, hisque commotus homo impius cuſtodire iuſsiſſet uirum ſanctum donec rediret, illeque Valenti dixiſſet, Si inde redieris, non eſt locutus per me Deus. ea nocte in ſomniis uirum uidit

[*Ioannes Zonaras & Valente.*]

ſibi dicentem,

> τάχος βάδιζε πρὸς μίμαντα τὸν μέγαν
> ἔνθα μόρος σε δεινὸς ἁρπάξει τάλαν. id eſt,
> *Miſer ad Mimanta magnum iter capeſcito.*
> *Citus hic te ſæua mortis opprimet dolor.*

Experrectusque, cùm percunctaretur, quis eſſet Mimas, reſponſumque eſſet ſibi, Montem eſſe quendam Aſiæ ad mare ſitum, cuius meminiſſet Homerus in Odyſſea, ac uentoſum appellaſſet, Et quæ me, inquit, neceſsitas urget, ut montem illum occupem, ibique moriar? Qua confidentia, cùm ſubinde cum Scythis ad Thraciam congreſſus fuſo exercitu turpiter ſuccubuiſſet, & in fuga domum quãdam ingreſſus eſſet, & in aceruo palearum ſeſe abdidiſſet, Scythis poſt uictoriã prædas agentibus, uillasq; incendentibus, ipſe quoq; inter paleas conflagrauit. Quo loco poſteà cũ Imperatoris corpus quæreretur, inuentũ eſt in ædibus ubi côbuſtus fuerat ſepulcrum cũ inſcriptione, Ἐνταῦθα μίμας μακεδὼν στρατηγὸς, ideſt, hîc Mimas Macedo Imperator eſt ſitus.

[*Zonaras in Valente in morte. Valentinianus Iunior.*]

Valentinianus iunior à Iuſtina matre in pueritia, Ariana hæreſi corruptus, orthodoxis quidem aduerſari cœpit, uerùm ſubinde Maximi & Eugenij Tyrannorum potentia perterritus, temerarios auſus per manus eius uindicante Deo, mortem ſibi laqueo conſciuit. Surgentis uerò tyrannidis, quæ cauſa extiterit, Chriſtianè & ſapienter ad eundem petentem auxilia Theodoſius tum temporis Orientis Imp. expoſuit, Non eſt, inquit, mirandum, ſi ſeruus ſeditioſus eo domino ſit ſuperior, qui Dominum ſuum repudiet, & creaturam ac ſeruum appellet conditorem, pari dignitate cum patre præditum.

[*Ioannes Zonaras. Baſilius Cõſtantinopolitanus.*]

Baſilius Conſtantinopolitanus Imperator quòd in hæreſim Eutichetis deflexiſſet, Conciliumque Chalcedonenſe tyrannico edicto abrogaſſet, totius urbis & imperij publicum odium incurrens, poſt duos annos, quibus cum Zenone Iſaurico iure marte certauit, infœliciſsimè occubuit.

[*Zonaras.*]

Fuitque eius Imperium publico ciuitatis incendio, quod à foro Boario exortum, uicina loca omnia publicarum uiarum, porticus, ipſamque Baſilicam unà cum bibliotheca, in qua centum uiginti millia librorum repoſita erant, in cineres redegit, illuſtriſsimum.

[*Leo Iſaurius. Ioannes Zonaras.*]

Leo Iſaurius, cùm aduerſus ſanctas imagines bellum aſſumpſiſſet, poſt ingentes urbis Conſtantinopolitanæ terræmotus, quibus magna hominũ multitudo compreſſa fuerat, poſt Nicomediam & Nicæam terræmotu etiam ſubuerſas, cùm in Reip. perniciem propter eorum ſæculorum peccata, annos 24. imperaſſet, ex morbo inteſtinorum animam

infœliciter

infœliciter eructauit. Conſtantinus Copronymus, paternæ impietatis hæres, earundem imaginum inſectator, poſt ſanctarum reliquiarum ludibria, poſt multorum procerum & ſanctorum monachorum cædes, cum omnium mortalium gaudio uiolentiſsimè periit. Leo Copronymus huius filius, homo etiam hæreticus, & ſanctarum imaginum demolitor adamata corona, quam Mauritius Imp. in magna Eccleſia Deo conſecrarat, eaque capiti ſuo accommodata, ſtatimque uehementi febre correptus, turpi uitæ ac ſanctorum uirorum, in quos maximè deſæuierat, cædibus finem impoſuit. Leo Armenicus cùm poſt aliquot tempora, eidem inſaniæ fauiſſet, à Michaële Balbo ipſa Dominicæ Natiuitatis nocte, caſtratis filiis uxoreque in monacham redacta, in Eccleſia occiditur, ſed & ipſe Michaël homo etiam hæreticus, cùm octo annos & nouem menſes imperaſſet, phrenetide & inteſtinorum dolore uitæ conceſsit. Theodoricus Oſtro-Gothorum Rex (nam Conſtantinopolitani Imperatores obſcuriores poſt hos ſunt quàm ut eorum ratio habeatur) quanquàm ciuili quadam, ac planè regia alioqui animæ magnitudine prædıtus eſſet, quòd propter Arianam hæreſim, quàm à pueritia imbiberat in uiros Catholicos, præſertim uerò in Ioannem Pontificem Romanum, in Symmachum & Boethium Seuerinum uiolentus extitiſſet, cùm ſemel prægrandis piſcis caput, cœnanti, oblatum fuiſſet, diuinoque oſtento in eodem capite, caput Symmachi atrocia minitans, trucique uultu fuiſſet repræſentatum, tandem poſt feras querelas & perpetratorum facinorum pœnitudinem, grauiſsimo morbo totiusque corporis diſtemperie correptus, uitam infœlici exitu abſoluit. Refertq; Beatus Grego. Pont. eius animā à quodam uiſam eremiticæ uitæ cultore ſancto uiro apud Liparam inſulā Siciliæ proximam, inter Ioannem Pontificem & Symmachum, quos duos trucidauerat, delatam ab eiſdem in eiuſdem inſulæ Vulcanum & ſulphuream foueam præcipitem datam.

Conſtantinus Copronymus. *Zonaras.* *Leo Armenicus.* *Michael Balbus.* *Theodoricus Gothus.* *Procopius Cæſa.* *Paulus Diaconus.*

Et ne omnes hæretico sprincipes & Eccleſiæ perſecutores huc adducamus, qui omnes eundem habuerunt exitum, ut ex eorum hiſtoriis deprætendere licet, de hæreſum inuentoribus illuſtrioribus pauca dicamus. nam omnium exitus & mortes tragicas uelle narrare, opus fuiſſet immēſum. Ergo ut eos, quorum ante Chriſtianum Imperium in Eccleſiam graſſati ſunt errores, quos non alia ratione, ut rectè Tertullianus, Iuſtinus, & Theodoritus dixerunt, diaboli aſtu Eccleſiaſticæ ſocietati uniti ſunt, quàm ut eā & peſſimorum dogmatum & peſsimorum morum infamia denigrarent, omittamus, ab Ario Alexandrino Presbytero auſpicandum uidetur. Is itaque cùm ſemel iam Nicæno Concilio damnatus anathema accepiſſet, cùm ex Imperatoris mandato rurſus in Concilio quod contra Nicænum eius opera cogi iam cœperat, reſponſurus Conſtantinopolim reuocaretur, orante ſancto Pontifice Alexandro, lacrymiſque poſtulante Deum, ne lupum miſceri ouibus permitteret, cùm iam templum ingreſſurus eſſet, uentrem purgans, fœtidam animam cùm inteſtinis excreuit. Deſcribit autem eius infœlicem mortem Sedulius Presbyter his uerſibus,

Gregorius lib. 4. Dialogorū c. 30. *Sazom. li. 2. c. 29.* *Theodoretus Eccleſiaſti. hiſt. lib 1. c. 14.* *Atha. li. 1. cōtra Aria.* *Epiphan. c. de Ario.*

Hæc eſt uera fides, hanc ſpreuit habere ſalutem
Arrius infœlix, qui curua per auia rectum
Flectere uiſus iter, foueam delapſus in atram
Corruit, & tetri merſus petit ima profundi,
Iam uacuus ſenſu, iuſtæ quàm tempore pœnæ,
Viſceribus fuſis, uacuus quoque uentre remanſit:
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Iura, caducorum gradibus ſimulauit honorum.

Eunonius, qui ſpiritus ſancti diuinitatem labefactare uiſus eſt, cùm ab Imperatore Conſtantio, ſolio Pontificali, quod indignißimè aſcenderat, fuiſſet detruſus, & in exilium deportatus, tandem, poſt omnium mortalium grauiſsima odia, cum maxima infamia, cùm ſibi penè in tota Eccleſia non eſſet locus, apud Dacoram Cæſareæ, infœlici uitæ conceſsit. Neſtorius, cùm ſumma mala in exilio, quæ ille in epiſtola ad quendam Thebarum præſidem recenſet, pertuliſſet, tandem lingua eius à uermibus corroſa, ad maiora & ſempiterna ſupplicia, maiores pœnas ſoluturus, migrauit. Eoſdem denium, ne omnes adducamus, tragicos & infœlices exitus & reliquos omnes Eccleſiaſticæ fidei euerſores, Macedonium, Pelagium Donatum &c. habuiſſe hiſtoriæ teſtantur. Neceſſe eſt enim ut qui fraternam Chriſtianæ religionis caritatem diſrum-

Theodoretus Eccleſiaſtica hiſto. lib. 2. c. 24. *Socra. lib. 5 c. 20.* *Sazo. lib. 7. ca. 6.* *Niceph. lib. 12. c. 29.* *Nicephorus Eccleſiaſtic. hiſt. lib. 12. c. 36.*

 punt,

punt, eaſdem, quas Euangelij aduerſarij & Ethnici ſunt paſsi pœnas ſuſtineant: niſi quòd hi, quòd non ignorantia ſed malitia offendant, majoribus ſunt digni. Habes igitur iā perſecutorū Chriſtiani & eccleſiaſtici nominis infœlices tragœdias, cōtrà uerò, ſi prophanam & Eccleſiaſticam hiſtoriam euoluas, & eos principes, qui eandem Chriſtianam & Catholicam religionem ſouerunt, & eos, qui eandem & ſcriptis & doctrina adornarunt; & uita & morte fœlicisſimos uideas. In his ſunt Conſtantinus Magnus, Theodoſius ſenior, Valentinianus ſenior, Carolus Pipini filius. Quibus etiam adnumerandus uidetur Carolus huius nominis quintus, qui cœleſti quadam ambitione noſtra memoria, ut æterni quoque regni iure hæres eſſet, poſt tot annorum in catholica religione tuenda grauisſimos labores, abdicato regno, per duos annos ueræ philoſophiæ, ideſt, mentis meditationi, incubuit, & reliqui quos diuerſa regna poſt diuiſum Imperiū fœlicisſimos tulere. In his ſunt etiā ſancti illi uiri, qui gladio uetbi Dei, Eccleſiaſticam fidem tum cōtra gentes, tum contra hæreticos decertādo propugnarunt, Hieronymus, Auguſt. Ambroſius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Niſſenus, &c. quorum omnium & uita & mors Deo & hominibus fuit honorabilis. Magnum profectò Chriſtianæ religionis argumentum eſt, Deum ingenti honore eos proſequi, qui eidem eiuſdemque culturæ ſyncero animo incumbunt, contrà uerò eiuſdem aduerſarios & hoſtes omnino deterere. Eſt enim uerò manifeſtum indicium, eius cultores ad eos pertinere, de quibus dicitur, Non uos
Roma.12. defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim, Mihi uindictam, & ego
Pſal.139. retribuam. & ad eos, de quibus Dauid ait, Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis & uindictam pauperis.

Quòd non ſola Chriſtiana religio hæreſes patiatur, & quare falſæ de religione ſententiæ tam frequenter Dei permiſſu oriantur. Cap. XII.

PErcurrimus, quò potuimus ſuccinctius, eas conſiderationes, quibus (ut initiò diximus) magnoperè fides, & Chriſtianæ religionis amor, in animo erigitur, & ad quas fluctus diabolicæ tentationis alliſi franguntur & euaneſcunt: nunc iam ultimò huius libri loco, ad illud ſtylum conuertamus, quod meo quidem iudicio, omnium atrocisſimè Chriſtiana pectora pertentare & uellicare ſolet. Quare inter cæteras Orbis (ſi quæ fuerunt) religiones ſola Chriſtiana religio, tot quotidie naſcentibus ac renaſcentibus hæreſibus, domeſtico potius quàm externo bello, ac ipſa contra ſeſe, uiſcerali quadam & inteſtina diſcordia pugnante, in dies magis ac magis minuatur, & flacceſcat? Quo enim pacto eam ueram religionem putemus, aiunt quidam, quæ cum omnium mortalium odio nata, non modò ſemper omnium ſapientium cuiuſcunque ſectæ ac religionis, ſententiam atque iudicium, aduerſum habuit, uerùm à ſui principio, ſuiipſius cultores, ſibi mutuò repugnant; & nunquam idem ſentiunt, ſed in uarias ſectas, uariaſque opiniones diſtracti, plus ſibi mutuò, diſciſſa religionis charitate, aduerſantur, quàm ullis infidelibus & à religione alienis hominibus? Donatiſtæ, ſe ſolos Eccleſiam habere putant; contrà reliqui, prorſus ab eccleſiaſticæ ſocietatis unione, Donatiſtas alienos exiſtimant. Arrius, ſe ſolum ſapere, reliquos uniuerſos ſtipites credit: cōtrà cæteri Arrium, hæreticum pernicioſum, & prorſus Chriſtianæ religioni contrarium, perſuaſum habemus. Et ne de omnibus dicamus, Lutheri, Zuinglij, Oecolampadij, Melanchthones, Brentij, Caluini, &c. cùm ſe ſolos euangelicæ diſciplinæ iam olim ſepultæ, tertio quoq; uerbo reſtauratores, & reparatores iactent, ab omnibus catholicis reputantur hæretici: & nullam aliam eos in ea, quam repromittit Chriſtiana religio, fœlicitate partem habere, quàm olim Simonem Magum, Iudæum quēpiam, Sarracenum, aut Turcam? Quam tamen diſſenſionem & ſententiarum diſcordiam in cæteras, uel quæ nunc ſunt, uel quæ olim fuerunt, religiones deſæuiſſe non legimus. Iudæi, omnes ſunt Iudæi; Sarraceni, omnes Sarraceni; Gentiles, omnes Gentiles; Chriſtiani ſoli, non omnes ſunt Chriſtiani, ſed minima portio reliquos uniuerſos deteſtabiles hæreticos, & Iudæis & Sarracenis & idololatris peiores, non modò uoce ſed ſcripto proclamat. An non omnis religio uera,

à Deo auctore proficiſci debet? An Deus pacem & animorum concordiam, uel ipſa na-
tura ductrice, non diligit? An non Deus pacis, tertio quoque uerbo in Scriptura uo- 2. Cor. 13.
citatur? An non ſunt abominabiles & corrupti coram Deo, qui uiam pacis non cogno- 1. Theſſal.
uerunt? An non ſcriptum eſt, in euangelico ſtatu, inceſſabili gaudio læaturos omnes, 5. & 2. Theſ. 3.
præ multitudine pacis? An non declinaturum ſeſe ſuper Hieruſalem, ideſt, eccleſiaſti- Pſal. 13.
cam ſocietatem, quaſi fluium pacis, Deus propherico uaticinio ſpopondit? Quid ergo Pſal. 36.
tanta animorum & ſententiarum diſcordia, Chriſtiani diuariant? Quid tot tamque Iſai. 66.
atrocibus diſsidiis eccleſiaſtica uiſcera diſrumpuntur? Quid minus Chriſtiano cum
Chriſtiano conuenit, quàm Chriſtiano cum Thurca? Quòd ſi tota culpa in prauos ho-
mines, indoctos & inſtabiles, qui iuxta ſuam uoluntatem ſcripturis abutantur, & eaſ- 2. Petri 3.
dem deprauent, ad ſuam ipſorum perditionem, reiicere libeat, illud protinus animum
aggreditur. Quæ à Deo ſunt, qui non eſt Deus diſſenſionis ſed pacis, nequaquam ſimul- 1. Cor. 12.
tatum, & bellorum ſcandala miniſtrant. Quo ergo pacto eam uiuendi rationem, Deum
auctorem habuiſſe quis credat, quæ tam obſcurè tam tenebroſè fuit edita, ut in eius
germana ac uera intelligentia, non de rebus leuiſsimis, & quæ ad ſubſtantiam religio-
nis non faciant, ſed de rebus, in quibus potiſsima totius Chriſtianæ religionis momenta
ſunt poſita, tot bella excitentur, tot pugnæ, non modò uerborum, ſed urbium, regno-
rum, prouinciarum, & ampliſsimarum nationum, uſque ad earum excidia, quotidie
ſurgunt? Cur non à Chriſto Deo, ea ratione religio ac leges uiuendi excogitari potuiſ-
ſent, quæ ſui perſpicuitate, confeſtim prauorum hominum inuentiones peſſundarent,
quæ nullas hæreticas nouationes emergere permitterent, quæ prauorum hominum dog-
mata apertiſsimè falſa eſſe commonſtrarent? Atqui, quòd in illis uiuendi rationibus,
quas excogitauit humana prudẽtia, quæ ut maximè ſapiat, ſemper tamen decipitur, hoc
deſideretur, admirari non licet: in ea uerò, quam Deus, non per aliquẽ miniſtrum, ut
olim Moſaicam, ſed per ſe ipſum, cùm prius in hoc unum deſcendiſſet è cœlo, tuliſſe
creditur, id præſtitum fuiſſe, iure quodam ſuo poſtulare ſibi uidetur humanum iudiciũ:
quod non ſatis percipiat, quî tantus tamque perpetuus Chriſtianæ diſſenſionis tumultus,
cum illis, quæ nunquam non de Deo prædicamus, Chriſti diuinitate, ſapientia, prouiden
tia, omnipotentia, paciſque amore, ac dilectione cohæreant. Si Chriſtus, aiunt, Deus
erat, erat ſumma ſapientia: ſi ſumma ſapientia, ſumma ergo prouidentia. Rurſus ſi
Deus erat, omnipotens erat: ſciebat igitur & poterat rationem inuenire, qua lex euan-
gelica traderetur, quæ non diſſenſionis, ſed pacis & amoris retinaculum eſſet. Quòd
ſi ſciebat, & tantum abeſt ut præſtiterit, ut ea, quam tulit, ſit omnium ſeditioſiſsima,
& quæ omnium maximè internis ſuorum ciuium concuſsionibus quatitur; non igitur
ſuorum charitatem & amorem uoluit: nam dicere Chriſtum, ſi Deus erat, id non po-
tuiſſe, uidetur abſurdum. Huiuſmodi uerò cogitationes & argumenta non modò fideliũ
hominum mentes, diabolica ſuggeſtione percutiunt, ſed ea etiam nobis ingenti gau-
dio, Iudæi & Thurcæ cæterique infideles triumphabundi obiectant, ſuaſque proinde ſu-
perſtitiones (quas uocant leges) quòd nullos ſententiarum tumultus patiantur, diuini-
tus latas, noſtram cõtrà à Deo prorſus alienam, faſtuoſiſsimè garriunt. In pectoribus ue-
rò Chriſtianorum potiſsimè, quæ nulla aut parua pietate muniuntur, tantas tamque
atroces ſtrages dare ſolent, præſertim hoc noſtro ſæculo, quo tanto Chriſtianus popu-
lus ſcinditur ſententiarum diſſidio, ut rarus, (niſi pœnitus fallor) ſit qui, ſi uel paulu-
lum in atheiſmum non declinauit, integræ tamen illius antiquæ pietatis & Chriſtiani fer
uoris iacturam non fecerit. Sunt qui huiuſmodi cogitationum uortice abſorpti, de pro
uidentia ſubdubitent: nam cùm Chriſtianam religionem (ſi ulla ſit) diuinam putarent,
& in ea quoque, ut ſibi uidetur, tot næuos reperiant, nullam perinde legem diuinitus
latam, neque proinde ullum diuinitatis numen mortalia curare, ſi non omnino ſibi per-
ſuadeant, credere incipiunt, ac ſecum tandem dicere;

Scilicet his ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat.

Sunt etiam qui iis minùs affecti, illud apud ſe ſtatuant, parum referre cui ſectæ quis
adhæreat, dum in Chriſtum credatur: quòd ſi tantum ægritudo non ſæuiat, laxari pau
latim, & ſanctæ charitatis feruorem remittere incipiunt; quod (proh dolor) in uniuerſis
catholici nominis, & quas nondum hæreticus morbus inuaſit, prouinciis, cum magno
noſtro malo ac ſanctorum morum ſtrage, hoc ſæculo accidiſſe uidemus: adeò enim in

utraque

utraque Eccleſiaſtici corporis parte layca, & eccleſiaſtica, charitas Chriſtiana refriguit, & antiquæ deuotionis feruore languit, ut magnum eſſe credant multi, ſi non ſint hæretici, & catholicæ eccleſiæ obedientiam nō proiecerint. Periit hoc Satanico tentationis turbine antiqua illa pulchritudo eccleſiaſtici corporis, periit Eccleſiæ decor antiquus, periit morum ad Chriſtianæ religionis amuſsim componendorum, indefeſſum ſtudium, immutata eſt rerum Chriſtianarum facies, fidei apud catholicos principes feruor emarcuit: dum grande ſe beneficium præſtare Deo, multi exiſtimant, ſi catholicæ, quæ iam ab omnibus deſeritur, doctrinæ normam non abiiciant, quaſi non ſua, ſed Chriſti res ageretur. Periit apud eoſdem antiquus ille zelus, qui Chriſtianæ religionis, Chriſtianorumq; morum, cum exercitus, diuitiarum, regnorum, uitæq; diſcrimine, tutelam, ſolo in cælis regnandi deſiderio uigente, ſuadebat: periit ſancta illa in eccleſiaſticæ uitæ profeſſores liberalitas, qua furtum ingens apud eos putabatur, in templa, in monaſteria, in pauperes, rem domeſticam non erogare: euanuit illa ſacerdotalis & eccleſiaſtici ordinis antiqua obſeruantia, adeò ut uniuerſæ religiones penè habeantur ludibrio, & in ſæculari ſacerdotio, hi tantùm in precio ſint, qui diuitiis aut ſtemmatibus, aut principum amicitia florent clarique ſunt, etſi obſcuris ſint moribus. Magnum quid feciſſe putatur, qui ſacerdotalis ordinis, quacunque ratione bona compilet, aut ad ea compilanda uiam excogitet, in hocque propenſa bona pars layci ordinis eſſe uidetur. Tam ingens uerò lerna malorum, inde orta eſt, quòd uideant uota monaſtica & ſacerdotium, Chriſtianum, tot hæreticis iactari opinionibus, unde etſi in hac parte ab eccleſiaſtica confeſsione, principum catholicorum timore non diſcedant, diſcedunt tamen ab antiqua obſeruantia, & ueneratione, ſatis eſſe putantes, ſi uota monaſtica, aut ſacerdotium non negent, cauſantes tamen interim religioſorum aut ſacerdotum præpoſteros mores, quaſi laycus ordo in ſuo ſtatu & antiqua illa integritate permanſerit. Corruit immenſum illud uerbi Dei deſiderium, quod olim in Chriſtiano populo cernebatur, dum ad maiores uirtutes non progredi, detrimentum non creditur. Corruit demum uniuerſa Chriſtianorum morum diſciplina, dum uita, non iam ad euangelicam normam aut ſanctorum Patrum doctrinam, de quibus iam dubitare incipiunt, ſed ad proprium indicium, propriamque libidinem expenditur. Non ergo ocioſum putabitur ſi pro noſtra uirili, læſis catholicorum hominum mentibus, & penè harum cogitationum uenenatarum aconito infectis, afferamus medelam.

Videamus ergo iam, an & aliæ religionum formæ, & uiuendi inſtituta, quæ nunc uel olim celebres reipublicæ uſurparunt, diſsidia, & uariarum ſectarum inundationes pertulerint; an uerò noſtra tantùm domeſticis concertationibus & bellis, à ſe ipſa deſciſcat: deinde, quo conſilio, qua'ue prouidentia, Chriſtus, cùm eſſet Deus omnipotens, & ſumma ſapientia, eam legis & religionis rationem, quam humanæ cogitationes expoſtulant, quæ omnes ſcilicet humanas inuentiones confeſtim diſpelleret, in Eccleſia non dederit.

Probatur & reliquas omnes religionum formas, diſsidia habuiſſe.

Et vt ad primum ueniamus, quis neſciat quanto ſententiarum diſsidio, quantaque humanarum opinionum uarietate, non quæ uno aliquo principio conuenirent, ut quæ in populo Chriſtiano ſuſcitantur (omnes enim quantumuis perditæ ſectæ, in fide Chriſti conueniunt) ſed quæ tota religione, quam multi eorum penitus, quaſi uanam mortalium curam riſerunt, diſſentirent, Gentiles quæcunque reſpub. in ſe ipſis æſtuauerint? An'non ad religionem pertinent diuinitatis notitia, prouidentiæ confeſsio, animorum, & eius finis, in quem animi ſunt ordinandi exacta cognitio, mundi exordium, hominis principium, & cætera, in quibus non modò ciuitas à ciuitate, prouincia à prouincia, regnum à regno diſſentiebat; ſed nunquam aliquis titulo ſapientiæ inſignis, niſi cum honoris iactura, cum alio conſenſit? Quis unquam Gentium, de Diis, de prouidentia de bonorum ac malorū fine, de anima, de mundo, deq; aliis omnibus, à quibus pendet tota religionis natura, ſectas, opiniones, ſententias, placita & decreta, ſatis enumerauit? Nam ut eos, quos de iis rebus, cùm de externorum ſapientum diſcordia paulò antea ageremus, cumulos ſententiarum retulimus, prætermittamus, pluſquàm trecentas de religione ſectas, apud Paganos olim fuiſſe, edito libello ad Valentē Imp. Themiſtius philoſophus cōmemorat: quæ hiſtoria quòd maximè ad hanc rē pertineat, nobis eſt recitanda. Interea (inquit Sozomenus) Valens in Antiochia Syriæ degens, conſubſtan-

Lib. 3. hiſt. trip. c. 12.

tialitatis

tialitatis cultores, uehementer fuiſſet perſecutus, niſi eum, liber Themiſtij philoſophi reuocaſſet, in quo perorauerat, eum eſſe non oportere crudelem, propter diſcordiam Eccleſiaſticorum, quando etiam apud Paganos, pluſquàm trecentarum ſectarum differentia uideretur: & unuſquiſque pro dogmate proprio, in ſententia diuerſa conſiſteret. Hactenus Sozomenus. Iam Iudaiſmus quàm grauiter fuerit opinionum uarietate diſcerptus, quis ignorat? Nam ut eos omittamus, quos ingenti nulritudine ac numero, rerum Iudaicarum paululum curioſi tractatores, ex uariis eorundem monumentis commemorant, Ophitas, Caianos, Serpentinos, Sethianos, Doſithianos, Tophetianos, Puteoritas, Samaritanos, Nazoreos, Bahalitas, Molochiras, Trogloditas, Fortunarios, Heliognoſtos, Ranarios, Moſoritas, Muſcaronitas, Subterraneos, Thamuritas, Athartitas, Herodianos, Balitas, Pythoniſitas, & reliqua nominum portenta, quorum horrendas inſanias nunquam ſatis explicarunt auctores: ut etiam ſilentio prætereamus eos, quorum factiones & ſectas, non modò Euangelica & Apoſtolica hiſtoria, ſed ipſi quoq; Hebræorum auctores frequentiſsimè narrant, Phariſæos, Sadducæos, Eſſeos, inter quos totus erat Iudaiſmus diſtractus, & quorum, quidam, Sadducæi ſcilicet, impunè Epicureiſmum induxerunt, qui nec apud Paganorum reſp. mediocriter inſtitutas, permittebatur, ut inquam, hos alioſq; cõplures eorum ſæculorum Iudæos hæreticos omittamus, quis non legit quot pugnis & dogmaticis concertationibus, de Meſsia, de altera uita, de malorum ac bonorum operum præmiis, aut ſuppliciis, de mundi auctore, de anima, cæteriſque uniuerſis religionis capitibus, in ſeipſos deſæuiant? Sunt inter eos qui Meſsiã, ab eo tempore quo Iudaica reſpub. per Veſpaſianum & Titum fuit exciſſa, natum fabulentur: ſunt, qui cùm eam ſententiam hæreticam putent & inſanam, multo tamen poſt tempore natum Romæque conuerſari doceant: ſunt qui, cum hos ut ſtultos rideant, neque natum exiſtiment, citò tamen naſciturum ſperent: ſunt qui nullum aliquando futurum Meſsiam peculiarem credunt, ſed eas omnes, quæ de illo loquuntur prophetias, de diuerſis regibus interpretantur: ſunt qui animorum immortalitatem fabulam putent, & perinde neque malorum, neque bonorum ullam poſt hanc uitam à Deo rationem habendam, conſtantiſsimè doceant: ſunt qui mundum ab angelis, non à Deo conditum dicant. Et quid omnes inſanias eorum commemorem, quibus nunc in tanta ſentiendi licentia, cum à tot iam ſæculis magiſtratibus, qui eam coërceant deſtituantur, uel in ſcripturis interpretandis, uel in dogmatibus cudendis mundo ſunt ridiculi? Thurcarum uerò reſpub. ideò diuerſarum ſententiarum domeſtica concertatione nõ quatitur, quòd illi neque ullius diſciplinæ ſapientia, qua ſuæ ſuperſtitionis placita in quæſtionem reuocent, ſint præditi, ſed barbarico ritu, ſimplici ſuæ ſuperſtitionis traditione ſint contenti, aut quòd illi nullam, in rebus, quæ ad religionem ſpectant, ſententiam errorem exiſtiment, immo uerò reliquas omnes religiones, quæ tamen ſuæ ſuperſtitioni ex diametro aduerſantur, ueras quoque eſſe, ac proinde uenerandas credant: quod & Themiſtius lib. illo Valenti Imp. cõtendebat intorquere, Fortè hoc, inquit, Deo magis gratum eſt; dum non facilè cognoſcitur, & diuerſò modo colitur, ut unuſquiſque amplius timeat Deum, dum eum uel quomodo aut quantus qualiſque ſit, ignorat. Quàm ſententiam Themiſtij, etſi eo tempore catholicæ Eccleſiæ hæretici Imperatoris perſecutione penè collabenti, magnopere profuerit, multum tamen eſſe tum rationi ipſi, tum Euangelico inſtituto uiuendi contrariam, procliuè eſt aduertere. Quis enim non uideat, ſi in religione credendi quodcũq; arrideat licentia indulgeatur, contrarias plerũq; ac ſibi mutuò pugnantes, excitandas ſententias? Ergò cum ſemper duorum contrariorum alterum futurum ſit falſum, iam diuinitas mendacio coleretur, & mendacio gauderet. Deinde quis non aduertat, in tanta religionis licentia, totam ipſam religionis naturam, prorſus peſſundari? Nam ſi duæ de religione ſententiæ impunè approbentur, licebit ergo alteri parti, deceptam exiſtimare, contrariam. tertiò igitur, qui neutrã earum ſententiarum aduerſarum ueram exiſtimaret (quod fieri non eſt impoſsibile) licebit nihil credere, aut neutri parti conſentire: ſicque prorſus ab ea repub. ubi ſit ſentiendi in religione licentia, trudetur religio. Quòd uerò Euangelicæ rationi uiuendi aduerſetur, inde ſuadetur, quòd euangelium doceat, Dei filium, è cœlis, non alia magis ratione deſcẽdiſſe, quàm ut ſuo magiſterio, omnes mortales, qui diuerſis locis, diuerſis ritibus, diuerſis religionibus à ſe diſsidebant, una fide, & charitate congregaret in unum: ut ſicut erat

Epiphan. & Philaſtrius Brixien.

Ioſeph. de antiq. li. 18 c. 2. et 2. de bell. Iud. c. 7

Ioan. 11.

unus Deus; ita eſſet una fides: ſicut omnes uocati ſumus in una ſpe uocationis noſtræ. Ratio uerò illa Themiſtij, non aliorſum contendebat, quàm ad eam idololatriæ apologiam quam Gentium philoſophi, dum à noſtris eorum ſuperſtitio, diuerſis libris & efficaciſsimis argumentis impeteretur, frigidè excogitarunt. Docebant enim ſe, per eam deorum diuerſitatem, non diuerſas diuinitates, quæ nullo pacto eſſe poterant, ſed diuerſis rationibus, unum & idem numen diuinitatis uenerari, aut, ut alij uolunt, diuerſarum rerum creatarum diuerſas ideas, quæ nō ſunt aliud ex Platonica ſententia, quàm ipſa diuinitas, diuinis in uno eodemque Deo rerum cunctarum auctore, honoribus proſequi; ita ut ideam Terræ in mente diuina aut eſſentia, Plutonem, Tellurem, Cererem, Cybelem; Aquæ uerò, Neptunum, Oceanum, Thetim, Nereum; Aëris deinde, Iunonē, & Palladem; Ignis, Vulcanum, Veſtam &c. Lucis, Apollinem, Phœbum, Dianam &c. Et denique (quod erat horrendum) uim genitiuam ac fœcunditatem, quam rebus corruptibilibus diuinitus infundi credebant, membri uirilis imagine, quam ab urbe Helleſponti Priapum appellarunt, honorari dicebant. Quam tamen multiplicis idololatriæ excuſandi rationem, ſemper omnes eruditi, quaſi Platonicorum philoſophaſtrorum, qui Chriſtianorum potius imitatione, quam ipſa ueritate, omnia, etiam leuiſsimas fabulas, ad recondita quædā myſteria referebant, frigidum inuentum, riſerunt. Habes igitur, quàm falſa ſit eorum ſententia, qui ſolam chriſtianam religionem interna ſuorum ciuium & domeſticorum arroſione, lacerari deblacterant; cùm omnes quæcunque fuerunt aliquando religiones, uel uetera faſtidientium, uel noua inuenientium, hominum inuaſiones pertulerint. Quòd uerò in illis nouæ ſectæ, non tam ſæuos & atroces, exciiarint tumultus, diuerſa noſtræ & aliarum religionum ratio erat in cauſa. erant illæ religiones, non potius reipublicæ finis, ſed tantùm in hoc inuentæ & excogitatæ, una excepta Iudaica, ut homines in officio uirtutis, uel ficta quadam ſuperſtitione perſiſterent: ita ut non leges in religionem, ſed religionem in leges & uitam ciuiliter inſtituendam, auctores dirigerent: unde dum religio perſtaret, nihil aut parum referre putabarur, hac aut illa religione uti, præſertim ſi antiqua illa non prorſus corrumperetur. Contrà uniuerſa Chriſtiana reſpub. non religione quaſi inſtrumento conſeruandarum legum utitur, ſed in eam quaſi in finem ultimum leges omnes dirigit, neque in religionē in genere, ſed in eam, quam Chriſtus, quaſi unicum medium ſalutis acquirendi præſtituit. Vnde quemadmodum prudentes & bene conſtitutæ reſpublicæ, olim pro legibus, quibus uita eorum ciuilis potiſsimè conſtabat, quemadmodum & pro patria, uel cum certo uitæ periculo certabant, ita nos quoque, pro Chriſtianæ Reipubli. potiſsima parte, ideſt, religione, non modò fortunarum, ſed uitæ quoque diſcrimina inimus: immo uerò multo maiori ratione, quanto nimirum uita temporaria & ciuilis, quæ per leges ſuperſtitione adiutas præſtabatur, uita ſpiritali, & æterna quæ per noſtram religionem incorruptam tribuitur, inferior erat.

Quæ ratio ne Chriſtiana religio data nō fuerit, ut hæreticorum incurſibus nō pateret.

Dari legem euāgelicam ea ratione, qua ab hæreticis non poſſet peruerti, neque decuiſſe neque fuiſſe poſſibile.

Verùm iam ad ſecundum ueniamus, quare ſcilicet in euangelicam hanc, quam diuinitus tributam credimus, rationem religionis, tot hæreſes & ſectæ quotidie, præſertim cum tanta Chriſtiani populi ruina permittantur inſurgere. Quanquam enim in reliquis ſuperſtitionibus, quas humana ſapientia excogitauit, hominum opiniones & ſectæ ſæui rent: nulla tamen ratio perinde uidebatur, ut in ea, quam Deus ipſe ſanxit, idem quoque accideret: niſi diſcrimen in ſanciendis legibus, & tradenda doctrina, inter diuinam ſapientiam & humanam induſtriam nullum eſſe quis putet. Sed qui rectè non modò totius euangelica diſpenſationis myſterium, ſed ipſam hominum, quibus religio diuinitus traditur, naturam expendat, quàm ſtulta & inanis ſit hæc querela, confeſtim intelliget: ex primo enim horum, id non decuiſſe: ex ſecundo uerò idem impoſsibile fuiſſe, apertè cognoſcet. Eſt uita Chriſtiana, & ea, quam nobis Chriſtus tradidit, euangelica ratio uiuendi, non aliud, quàm ſtadium quoddam, quo non tam contra carnem & ſanguinem, ideſt domeſticas noſtri corporis inſidias & aſſultus pugnamus, quàm aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, ideſt, contra uaria diaboli ſtratagemata, quibus pro ſua nequitia, per malos homines diuerſis artibus turbat Eccleſiam, indefeſſè certamus. hoc unum tamen potiſsimè diabolus contendit, ſi quomodo ſcutum fidei, in quo eius tela ignea extinguuntur, aut per infidelitatis apoſtaſiam, aut per hæreſis crimen, fidelium hominum

mentibus

Ephe. 4.

Proclus Lycius. Porph. Iamblichus & reliqui Platonici. Galeotus Mar. de doctri. promiſ. cap. 17.

Ephe. 6.

mentibus extrahat, & gladij Spiritus, qui eſt uerbum Dei, aciem per adulteros ſenſus
& falſos, retundat: ut ita eos, quos aliàs peccatorum turbine proſternere nou potuit,
inermes inuadat. Non quoſcunque profectò Chriſtianos, ſed eos, qui in hoc ſtadio, 2. Timo. 2.
diuerſis diaboli tentamentis eluſis, legitimè uicerint, docet Apoſtolus corona, per quam
præmium futuræ fœlicitatis intelligit, decorandos. Oportet ergo hæreſes eſſe, ut 1. Cor. 11.
probati manifeſti fiant. Sed Vincentij Lyrnenſis in hunc Apoſtoli locum, & in hanc
ſententiam uerba uerè aurea, ſunt nobis recitanda, Ob hoc, inquit, non ſtatim di-
uinitus eradicantur hæreſeωn auctores, ut probati manifeſti fiant, id eſt, ut unus
quiſque, quam tenax & fidelis, & fixus, catholicæ fidei ſit amator, appareat. Et re
uera, ut quæque nouitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas pa-
learum; tunc ſine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream
continebatur: nanque alij illicò prorſus auolant, & redire erubeſcunt, saucij, ſemi-
neces, ac ſemiuiui, quippe qui, tantam ueneni hauſerunt quantitatem, quæ nec occidat,
nec digeratur, nec mori cogat, nec uiuere ſinat. Heu miſeranda conditio, quantis illi
curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur, nunc etenim quà uentus impulerit,
incitato errore rapiuntur, nunc in ſemetipſos reuerſi, tanquam contrarij fluctus relidun
tur, nunc temeraria præſumptione, & ea, quæ incerta uidentur, approbant, nunc irratio
nali metu, etiam quæ certa ſint expaueſcunt, incerti quà eant, quà redeant, quid appe-
tant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubij & malependuli
cordis affectio, diuina erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant: iccirco enim extra
tutiſsimum catholicæ fidei portum, diuerſis cogitationum quatiuntur, uerberantur ac
penè necantur procellis, ut excuſſa in altum elatæ mentis uela deponant, quæ malè
nouitatum uentis expanderant, ſe ſeque, intra fidiſsimam ſtationem placidæ ac bonæ
matris reducant, ac teneant: atque amaros illos turbulentoſque errorum fluctus, primi
tus reuomant, ut poſsint deinde placidæ ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant be-
nè, quòd didicerant non benè, & ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu capi po-
teſt, capiant: quod non poteſt, credant. Quæ cum ita ſint, iterum atque iterum, ea-
dem mecum reuoluens ac reputans, mirari ſatis nequeo, tantam quorundam hominum
ueſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam poſtremò errandi libidinem,
ut contenti non ſint tradita & recepta ſemel antiquitus credendi regula, ſed noua in
dies quærant, ſemperque aliquid geſtiant religioni addere, mutare, detrahere, quæ
non cœleſte dogma ſit, quod ſemel reuelatum eſſe ſufficiat, ſed terrena inſtitutio, quæ
aliter perfici niſi aſsidua emendatione, immo potius repræhenſione non poſsit, cum di-
uina clament oracula, Ne tranſeas terminos, quos poſuerunt patres tui, & Super iudi-
cantem, ne iudices, & Scindentem ſepem mordebit eum ſerpens: & illud apoſtolicum,
quo omnes omnium hæreſeωn ſceleratæ nouitates, uelut quodam ſpiritali gladio ſæpe
truncatæ, ſemperque truncandæ ſunt, ò Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans pro-
phanas uocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promit-
tentes, circa fidem exciderunt. Et poſt hæc inuenientur aliqui, tanta inueteratæ fron-
tis duritia, tanto impudentiæ incude, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquio-
rum cœleſtium molibus, non ſuccumbant, tantis ponderibus non fatiſcant, tantis mal-
leis, non conquaſſentur, tantis poſtremò fulminibus non conterantur? Deuita, inquit,
prophanas uocum nouitates, non dixit antiquitates, non dixit uetuſtates, immo planè
quid è contrariò ſequeretur oſtendit: nam ſi uitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiqui-
tas: etſi prophana eſt nouitas, ſacrata eſt uetuſtas. Et oppoſitiones inquit, falſi nomi
nis ſcientiæ, uerè falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, ut ignorantia ſcientiæ,
& caligo ſerenitatis & tenebræ, luminis appellatione fucentur. Quam quidam, in-
quit, promittentes, circa fidem exciderunt. Quid promittentes exciderunt? niſi no-
uam neſcio quam ignoratamque doctrinam? audias etenim quoſdam ipſorum dicen-
tes, Venite ò inſipientes & miſeri, qui uulgo Catholici uocitamini, & diſcite fidem ue-
ram, quam præter nos nullus intelligit: quæ multis ante ſæculis latuit, nuper uerò re-
uelata eſt, & oſtenſa. diſcite furtim atque ſecretim, delectabit enim uos. Et item,
Cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat: paucis namque
conceſſum eſt, myſterij capere ſecretum. Non'ne hæc uerba ſunt meretricis, quæ apud
Solomonis prouerbia uocat ad ſe prætereuntes uiam, qui dirigant iter ſuum? Qui eſt

inquit, ueſtrum inſipientiſsimus id uertat ad me: inopes autem ſenſu exhortatur, dicens, Panes occultos libenter attingite, aquam dulcem furtim bibite. Hactenus Vincentius. cuius doctiſsimi & ſanctiſsimi uiri ſententiis & ſcriptis, plerunque prolixè utimur, quòd eius in hæretica ſententia detegeuda, delectemur ingenio, & quòd ita noſtrorum hæreticorum mores depingat, ut in eos ſolos ſcripſiſſe uideatur. Sunt ergo hæreſes & ſectæ, quæ Chriſto permittente, opera diaboli in eccleſia emergunt, non aliud quàm Chriſtiani hominis tentatio & exploratio quædam, ut ſcilicet uideatur, an quis ad frumentum illud in horrea cœleſtia, poſt huius mundi turbines deportandum, an uerò ad paleas igni æterno deſtinatas, pertineat.

De ſimpl. præl.

Fieri, inquit Cyprianus, hæreſes dominus permittit, & patitur manente propriæ uoluntatis arbitrio, ut dum corda & mentes noſtras ueritatis diſcrimine examinat, probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat, unde per Apoſtolum præmonet Spiritus ſanctus & dicit, Oportet hæreſes eſſe ut probati, manifeſti ſint nobis: ſic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur, ſic & ante diem iudicij, hìc quoque iam iuſtorum & iniuſtorum animæ deteguntur, & à frumento paleæ ſeparantur. Hactenus Cyprian. Verùm qua ratione hæretici turbines ac fluctus plerunque cum magna docentium auctoritate, in eccleſia ſuſcitentur, quinto libro latiori ſermone proſequemur.

Oſtenditur non fuiſſe poſsibilem eam Euangelicæ religionis formam, qua nulla hæretica ſententia perturbari poſſet.

Nunc tantùm breuiſsimè oſtendamus, eam inſtitutionem religionis, quæ nullo pacto à malis hominibus poſſet peruerti; non eſſe poſsibilem: quanquàm id, ſatis humani ingenij, cuius laſciuia, niſi pœnis coërceatur, nunquam in nouis inueniendis & meditandis compeſcitur, abundè natura demonſtret. Nihil aliud enimuerò Chriſtus in euangelica uiuendi ratione tribuenda exhibere potuiſſet, ad huius religionis conſtantiam, & imperturbabilem ſenſum, quàm quendam ſententiarum ſplendorem, cum breuitate coniunctum: quæ duo in condendis legibus ſolent aduerti. breuitatem maiorem affectare non potuit, quàm, cùm omnia euangelicæ uitæ præcepta, in Dei & proximi dilectionem refudit, & paucisſima nobis credenda propoſuit, quæ quoniam ſuapte natura mentis noſtræ capacitatem ſuperabant, humanam curioſitatem perſcrutari non uoluit, ſed ad ingens meritum ſimpliciter credi. Verborum ſplendorem ac claritatem tantam habent euangelica & apoſtolica ſcripta, quibus Chriſtiana religio concluditur, quanta Apoſtolica loquendi ſinceritas, & nullis ſyllogiſmorum aut reconditiorum diſciplinarum ſpinetis intercluſa, dictio permittebat: quo loquendi genere nihil uulgarius, & in humano conuictu & ſermone facilius. Neque uerò aliunde in euangelica religione magis ortæ ſunt hæreſes, quàm quòd triuialis ille apoſtolicus ſermo, ad dialecticos & philoſophicos rigores, uiolentè pertrahitur, & à ſua illa germana ſimplicitate conuellitur; adeò ut ſapienter Tertullianus, mihi dixiſſe uideatur, uniuerſas hæreſes, non niſi à philoſophiæ profeſſoribus habuiſſe principium: quam rem & nos lib. 5. cùm ſecundum fallax ſignum ueri & legitimi doctoris exponemus, multis ex eccleſiaſtica hiſtoria prolatis exemplis, comprobaturi ſumus.

Lib. 1. con. Marcion.

Quod ſi id iterum, in ciuilibus legibus & conſtitutionibus, quas quòd tantùm rerum humanarum diſpoſitionem contineant, nullus abſtruſus & ſuopte genio difficilis ſenſus, ut in religione perturbat, quàm ſit impoſsibile uelis aduertere, multo clarius cognoſces, eam ſententiarum uarietatem, quæ hæreticorum opera in euangelici dogmatis interpretatione contingit, aliunde quàm ab Euangelicarum aut Apoſtolicarum ſententiarum inuolucro prouenire. Conduntur leges, à rerum publicarum inſtitutoribus, apertiſsimis uerbis, ac ſententiis, nec tamen ſemper eſt unus earundem in republica ſenſus, ſed adeò uarius plerunque, ut ipſa ueritas ſententiarum & ſenſuum diuerſitate flacceſcat, & tandem mendaciorum & illegitimorum ſenſuum multitudine ſuffocata euaneſcat: quod niſi domeſticis exemplis quotidie didiciſſemus omnes, productis fortè peruerſis & corruptis legibus, oporteret oſtendi, nihil profectò hodie perplexius, quàm humanarum legum, inter tot hominum opiniunculas, & plerunque leuiſsimas pugnas, ſenſus germanus & legitima ſententia, cuius rei indicio ſunto, immenſi illi librorum aggeres & cumuli, quos non à pluſquam trecentis annis, utriuſque iuris prudentes, & plerunque quidem in legum ueritatis perniciem, exararunt. Idemque in ſcripturis, quas aliarum diſciplinarum cultores, quaſi earúdem principia colunt, ut ſunt in medicina, Hippocratis, Galeni, & cæt. libri & ſcripta,

aduertere licet; neque enim in numero ſapientum computatur, qui earundem nouam intelligentiam nouumq; ſenſum, contra ueterum omnium placita non cuderit. Quod ſi id, in his ſcripturis, quæ nullam habent diuinitatem, & quæ noſtra lingua, & penè noſtris ſæculis, natæ ſunt, accidit, quid futurum putas in illis, quæ non de quibuſcunq; rebus, ſed de diuinis agunt; quæ non noſtra ætate, ſed ante tot ſæcula natæ ſunt? quæ non noſtro idiomate, ſed alieno & omnium maximè peregrino editæ ſunt? Non itaq; ſententiarum uarietas, aut interpretationum diuerſitas, ab ambigua & difficili tradendi legem euangelicam ratione, ſed aut ab humani ingenij laſciuia & petulantia, quæ faſtidiens uetera, noua ſemper diſquirit, à rerum ipſarum diuinarum difficultate, à temporis antiquitate, aut à linguæ, qua tradita eſt, obſcuritate, de quibus libro ſeptimo Deo auctore multa ſumus dicturi, deriuatur. Importuna uerò & planè ridicula eorum querela eſt, qui Chriſtum omnibus linguis eandem euangelicam legem non tradidiſſe, ita ut nulla interpretatione indigeremus, ex qua difficultas & ſententiarum obſcuritas promanaret, queruntur. Primò enim id nullo pacto fieri potuit, quòd ſcilicet non omnes terras omnesque prouincias, eius primi ſæculi euangelici prædicatores, præſertim ij, quos inſtrumenta Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ condendæ Chriſtus uſurpauerat, peruagari potuerint. deinde ſi id factum fuiſſet, non tamen ſemper linguæ perſeuerant, ſed uariis cum ſæculis, rerumque publicarum permutationibus, quoque mutantur: quod in omnibus penè Orbis prouinciis, poſt Euangelicæ legis aduentum, uariarum gentium irruptionibus accidiſſe uidemus. Vnde ſingulis ſæculis, ſingulas legislationes, ut horum hominum querelæ fieret ſatis, miſſis rurſus Apoſtolis, celebrari oporteret. Iam enim Græca illa & Latina, quæ Chriſti & Apoſtolorum ſæculo, in toto Orbe celebres erant, apud uulgus, nouis linguis ſubortis, euanuerunt, adeò ut quæ eis modò continentur, non minus ſint uulgo obſcura, quàm ſi Hebraica, aut Arabica continerentur. Immo in hac parte, id totum, quod præſtari poterat, Chriſtus exhibuit: Euangelicam enim doctrinam, non Hebraica, ſed Græca aut Latina, quæ omnibus familiares erant, linguis per Apoſtolos tradidit. Verùm de Chriſtianæ religionis conſiderationibus, & quantum eadem religio cum ratione cohæreat, quod toto hoc ſecundo libro perſuadere contendimus, hæc dixiſſe ſufficiat.

Libri ſecundi finis.

F. MICHAËLIS MEDINAE HISPANI,

ORDINIS MINORVM, REGVLARIS OBSERVANTIAE, CHRISTIANÆ PARÆNESIS,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER TERTIVS.

DVPLICEM hnius tractationis initio, fidei cauſam, & otiginem, ex Apoſtolico teſtimonio dicebamus, euangelicam prædicationẽ, & animi interiorem conſenſum : neque enim ſine uerbo quiſque credet, neque credet niſi per internum animi motum conſentiat. Huius uerò conſenſus duo etiam conſtituebamus principia, fidei, quæ proponitur rationabilitatem, de qua tantum generali ſermone, in præcedentibus ſumus locuti; & internam Spiritus ſancti motionem, qua animus, ad aſſentiẽdum his, quæ nobis credenda proponuntur, erigitur. Neque enim ad tantum opus idonei ſumus, cum Apoſtolica ſententia non ſimus idonei cogitare aliquid ex no-
Corin. 3. bis tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia pendeat ex Deo. Huic ergo Spiritus ſancti motioni, & Euangelicæ prædicationi & auditioni, hunc tertium librum conſecramus, quanquam in Spiritus ſancti motione exponenda, non omnia, quæ à ſcholaſticis auctoribus proferri ſolent, quoniam & nos quoque eandem alibi ſatis expendimus, ſed ea tantum, quæ huic Chriſtianæ parænesi, & exhortationi, ſint ſatis, ſumus allaturi.

Quòd Spiritus ſancti motio, ad Euangelicæ prædicationis conſenſum, & fidei generationem, ſit neceſſaria. Cap. I.

IN hac itaque parte, communi uideo Eccleſiaſticorum uirorum ſententia
Lombard. diſt. 2. et 27. probari, nihil eſſe humanas uires ad fidem habendam, niſi intus in anima, Diuinæ motionis auxilium acceſſerit. Saluati eſtis, inquit Apoſtolus,
Ephe. 2. per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur: quem locũ in eum ſenſum catholici tractatores accipiunt,
Auguſt. lib. ut uelint ab humanis uiribus integrã credendi facultatem excludi. Quod
de lib. arb. & ad Philippenſes ſcribens docet idem Apoſtolus, Vobis, ait, donatum eſt pro Chriſto,
Philip. 2. non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini. ecce aſſerit non ex noſtris uiribus, ſed aliunde nobis fidem donari. Alibi etiam, Vnicuique, inquit, diuiſit
Roma. 12. menſuram fidei. in quem ſenſum & ad Corinthios ſcribens, eo loco quo Spiritus ſancti
1. Cor. 12. dona, quæ hominibus diuinitus tribuuntur, numerat, Alij (inquit) per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, alteri fides in eodem ſpiritu. De ſe quoque
1. Tim. 1. Miſericordiam (inquit) conſecutus ſum ut ſim fidelis, quaſi ad eius, quam perſequebatur, religionis credulitatem, ſine miſericordi motione peruenire non potuiſſe, fateatur
Actu. 16. apertè. Sed apertius eſt illud quod in actibus apoſtolicis de purpuraria refertur, quòd crediderit & baptizata fuerit cum ſua domo, quòd dominus aperuiſſet cor eius,

intendere

intendere his, quæ dicebãtur à Paulo, quaſi prius ſit, cor aperire, quàm Euangelicæ præ-
dicationi efficaces aures admouere. Eſt profectò Chriſti ſententia firmiſsima quòd ne-
mo poſsit ad eundem uenire, niſi intus eundem pater attraxerit: quæ uerba licèt com- Ioan. 6.
munioti ſententia, de aduentu per gratiam Theologi intelligant, magis mihi tamen ar-
ridet eorum opinio, qui ea de aduentu per fidem accipiunt, ſi quæ præcedunt & ſequun-
tur, expẽdas. Qui uenit, inquit, ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet, ſed di
xi uobis quia uidiſtis me & non crediſtis. omne, quod dat mihi pater; ad me ueniet,
& eum, qui uenit ad me non eiiciam foras. & poſtea, Hæc eſt uoluntas patris mei,
qui miſit me, ut omnis, qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, &
ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die; in quibus apertè de aduentu per fidem loqui
mihi uidetur. nam ſi qui ad Chriſtum uenit, non eſurit, & qui credit in eum, non ſitit: eſt
igitur aduentus ad Chriſtum & fidei in Chriſtum, idẽ effectus, aut certè ſimilis, & ſi qui
uidet filium & credit in eum, habet uitam æternam, & qui uenit ad filium habet item ui
tam æternam. eſt igitur eadem fides cum aduentu ad Chriſtum. Non enim duo, ſed
unicam duntaxat beatitudinis acquirendæ rationem Chriſtus exhibuit. Verùm quòd
hæc fides, non ſit ea, quam hæretici docent, dilectione ac bonis operibus deſtitutã, pe-
culiari libro, quem iam de hac reparauimus, poſtea docebimus. Suadent deinde eandem
Catholicam ſententiã, præter Eccleſiaſticum uſum, quo infidelibus & hæreticis homi-
nibus, corda Deũ aperire, orantes ſuppliciter petimus, ipſa humanæ uitæ notiſsima ex-
perimenta, quæ cernimus, uniuerſus enim Iſraëliticus populus, Chriſti prædicationem
cùm audiſſet, & miracula uidiſſet, quæ omni penitus apud rectè ſapientes, calũnia care-
bant, paucisſimi tamen in Chriſtum credentes, ſunt conſequuti ſalutem: quod Ioannes Ioan. 12.
Apoſtolus in Euangelica hiſtoria non obſcurè notauit, Cùm (inquit) tanta ſigna coram
eis feciſſet, non credebant in eum; ut ſermo Iſaiæ impleretur quem dixit, Domine, quis Iſa. 50.
credit auditui noſtro, & brachium domini cui reuelatum eſt? Propterea non poterant
credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorũ & indurauit corda eorum ut Iſa. 6.
non uideant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos. Increduli-
tatis Hebræorũ cauſam, ſanctus euangeliſta denuntiat, ipſam illorum cordis duritiam,
& excæcationem, quam abſit, ut rem poſitiuam intelligas, non enim Deus malorum
eſt cauſa, ſed quod ob eorũ peccata, mollificando, corda efficaciter ad credendum non
mouerit, nec interiores oculos animæ illuſtrando aperuerit; de qua tamen re nos alibi In lectione
multa. Idem de eodem populo Paul. ad Rom. latiſsimo ſermone ſcribit, quem locum compluten. Rom. 9.
quia huius operis initio tractauimus, hic non adducimus. Itaque, uidere erat in homi-
num frequentiſsima turba, in Hebræo populo & in gentibus, Chriſtũ & Apoſtolicos ui-
ros, eodẽ ſpiritus feruore, eadem uitæ ſanctimonia, eodem animi affectu, euangeliũ ſe-
minãtes, paucisſimã meſſem colligere; & ex tot diuini uerbi granis profuſis paucisſima,
in adultas ſegetes aut ſpicas excreſcere. Quare hoc? Nimirũ quòd quem uult indurat
& quem uult miſeretur: id eſt, quem uult, per gratiam interius mouendo, ad fidei con Roma. 9.
feſsionem adducit, & quem uult, auxilio gratiæ ſuæ deſtituendo, permittit, in infide-
litate ſordeſcere. Quod quanquàm quidam in diuina iudicia, quæ ſint inſcrutabilia
reducant, ego tamen malim in merita uel demerita, qualia ante fidei aduentum aut po-
ſtea per uſum fidei ſuſcipiendæ haberi poſſunt, referre, quod eam opinionem, quæ à præ-
deſtinatione opera noſtra excludit, ex animo oderim. neque enim poſſum æquo animo
ferre, Deum maiori affectu ad quemuis hominum trahi quàm ad alium, quamuis & do-
ctiſsimos uiros patronos habeat, & ſcholaſticis diſputationibus quotidie defendatur. ue
rùm nihil eſt, quod, præſertim ſi præiudiciũ, aut affectus adſit, defendi nequeat. Corne- Act. 10.
lius itaque Centurio apud Cæſaream, non alia ratione Petri prædicationem promeruit,
quàm quòd eſſet religioſus ac timens Deum, cum omni domo ſua & eleemoſynas multas
faciens plebi, Deum deprecaretur quotidie, atque ideo orationes eius & eleemoſynæ
eius in memoriam aſcendiſſent in conſpectu domini. De Lydda etiam Purpuraria cuius
dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo, Lucas refert, quòd coleret Act. 16.
Deum, Titus deinde, ſiue ille comes Apoſt. Pauli, ſiue alius, quòd eundem Apoſtolum
poſt Iudæorum repudium, hoſpitio ſuſceperit, cauſa in eadem Apoſtolica hiſtoria refer-
tur, quòd Deum timeret, quo tropo loquendi, uniuerſam animi religionem ſancta ſcri-
ptura ſolet exprimere. Apollo præterea, quòd ſciens tantum baptiſma Ioannis, lo- Act. 19.
quens

quens de Chriſto ferueret ſpiritu; ab Aquila & Priſcilla, uiam domini diligentius audire
Act. 13. promeruit. Sergius Paulus proconſul accerſitis Barnaba & Paulo, antequã Euangelium
acciperet, deſiderabat audire uerbum Dei, quo deſiderio cordis ad credendum præparatio ſignatur: uixq; aut in Euangelica aut in Apoſtolica hiſtoria, quenquam Euangelio credidiſſe reperias, qui ante bonorum operum teſtimonio, non fuiſſet inſignis. Contrà
Act. 7. Iſraëlitæ quòd eſſent dura ceruice & incircuncìſis cordibus, & quòd patres eorum neminem prophetarum non ſint perſecuti, quod ipſi euangelicos uiros, qui ſicut priores prophetæ de aduentu iuſti prænuntiabant, aut perſecuti fuerint, aut è medio ſubſtulerint, Spiritui ſancto reſtitiſſe dicuntur; ideſt indignos ſe feciſſe, qui Euangelica gratia fruerentur, & qui ad credendum Spiritus ſancti motione proficerent.
Hodie, inquit Dauid, ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra, ſi-
Pſal. 94. cut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentauerunt me patres ueſtri, probauerunt, & uiderunt opera mea, quadraginta annis, propter quod offenſus fui generationi huic, & dixi ſemper hi errant corde, ipſi autem non cognouerunt uias meas, quibus iuraui in ira mea: ſi introibunt in requiem meam. Ecce qua ratione corda obdurentur, ſicut (inquit) in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentauerunt me patres ueſtri &c. Obdurare igitur corda, non eſt aliud, quàm Dei tentatione & exacerbatione, auxilio adiutricis gratiæ, qua in eiuſdem Dei fidem, & amorem erigerentur, ſe indignos feciſſe. Nam quod noſtris peccatis, & non ſolùm diuino iudicio aut abſoluta illa reprobatione, corda noſtra obdurentur, ne fidei conſentiant, hunc locum exponens apoſtolus indicat, Videte (inquit) fra-
Heb. 3. tres, ne fortè ſit in aliquo ueſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo uiuo, ſed adhortamini uoſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex uobis fallacia peccati. Sunt igitur peccata, Pauli ſententia, quæ corda, ut Sancti ſpiritus motioni reſiſtant, obdurant. non quòd illis immediatè obdurentur, ſed quòd gratiæ auxilio, quo ad credendum erigimur, reddamur indigni: unde & propriæ naturæ fragilitati permiſsi, ad ea, quæ diuino uerbo proponuntur, aſpirare non poſſumus. Atque hac ratione ſunt accipiendi loci plurimi, quibus in ſancta ſcriptura, Deus induraſſe, aut excæcaſſe dicitur quoſdam, non quòd poſititiam quandam qualitatis impreſsionem, eorum corda, Spirituiſancto aut propheticæ prænuntiationi, rebellia reddiderit (aut quòd abſolutè & ſine cauſa, qua ſolet ad credendum corda iuuare gratiam abſtulerit. abſit enim utrunque, quoniam neque Deus cauſa poteſt eſſe peccati, neque inter mortales, quos omnes creauit, priuſquàm ipſi inter ſe bonis aut malis operibus diſcernantur, diſcrimen conſtituit.) ſed quòd nimirum grauiſsimis peccatis, adeo diuinam irritarint clementiam, ut neque eoſdem, communi-
Iſai. 63. bus auxiliis fouere decreuerit. Quare (inquit apud Iſaiam Iſraëliticus populus) Domine errare nos feciſti, de uiis tuis? induraſti cor noſtrum ne timeremus te? Errare de uiis Domini, id eſt, in diuina præcepta peccare, cordis indurationem præcedit, quamuis quod ab eiſdem errauerint, in Deum quoque auctorem refundant, quod etiam eſt uerum. nam minoribus quidem delictis, quoniam peccatum, quod per pœ-
In quadam homilia. nitentiam non deletur ſuo pondere in aliud trahit, auctore Gregorio, in maiora dilabimur, ſed quandiu peccatorum frequentia & contemptu non ſoluimur, pulſatrice
Prouer. 18. illa gratia non deſtituimur, cùm uerò in profundum peccatorum peruenientes contemnimus, contemnimur ipſi. Ergo fecit eos Deus errare de uiis ſuis, reuocabiliter tamen, dum leuius peccando, gratia amiſſa, non excutiebant timorem, cùm uerò illucuſque creuit malitia, ut prorſus Deum abieciſſe uiderentur, motrice etiam illa Spiritus ſancti & peculiari gratia deſtituti, ſunt obdurati, ne prorſus prophetico uaticinio credentes, pœnas euaderent. Duplicem enim gratiæ ſpeciem theologi ponunt, unam, quæ per peccatum mortale ab anima excluditur, alteram, quæ cum eodem peccato in corde peccatoris permaneat, qua tandem rurſus cor agitante, reuiuiſcimus. Excæcatio etiam illa, qua apud eundem Iſaiam, Iudaicus populus feriri præcipitur, ut ita audiat, ut non intelligat, & ut ita uideat, ut non uideat &c. non aliunde quàm à peccatis grauiſsimis proceſsiſſe, & ſacra illorum temporum docet hiſtoria, & prophetici clamores, quibus toto libro declamat in uitia, demonſtrant; & Paulus indicat ad Rom. ſcribens, Væ (inquit Iſaias) genti peccatrici, populo graui, iniquitate, ſemini nequam, filiis

ſceleratis,

ſceleratis, deliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt re-
trorſum, &c. quo loco dictionem כבד quæbed, graui, πλήρει, pleno, Septuaginta uer-
terunt, quaſi ad iuſtam peccatorum menſuram, qua auxilio deſtituerentur & contem-
nerētur, populum illum perueniſſe ſentirent. Sed de hac indurationis ſpecie in inter-
pretatione ſecundi capitis Deuteronomij, ſumus locuti, hoc tantùm in hac parte ca-
uendum, ne noſtris peccatis, hac adiutricis gratiæ motione, qua poſt caſum reuiui-
ſcimus, indigni fiamus, unde fallacia peccati obdurati, his, quæ à Deo, uel exteriori
uerbo, uel interna inſpiratione offeruntur, non attendamus. Nullam profectò ego
efficaciorem Eccleſiaſticæ perditionis cauſam exiſtimo, quàm quòd frequentiſsimæ
uerbi Dei auditioni, cuius nullum unquam ſæculum fuit fœcundius quàm noſtrum,
diuini ſpiritus unctio non adſit; ſine quo eloquentia, eruditio, auctoritas, uox, immo
& uita, & quidquid habet humana fragilitas, ſunt penitus uana & ocioſa. Spiritus
ſanctus, inquit Auguſt. operatur intrinſecus, ut ualeat aliquid medicina, quæ adhibe-
tur extrinſecus, alioquin etiam ſi Deus ipſe utens creatura ſibi ſubdita, in aliqua ſpe- *Lib. 5. de ci-*
cie humana, ſenſus alloquatur humanos, ſiue iſtos corporis, ſiue illos, quos iſtis ſimi- *ui. Dei. c. 6.*
libus habemus in ſomnis, nec interiori gratia mentem regat, atque agat, nihil prodeſt
homini omnis prædicatio ueritatis. Gregorius etiam in eandem ſententiã, niſi Spiritus *Homil. 30.*
ſanctus, inquit, adſit, cordi audientis, ocioſus eſt ſermo doctoris. Nemo ergo homini *in euange-*
tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua *lia.*
exterius in uacuum laborat. Immo quàm paruni ad generandam fidem ſine Spiritu
ſancto proſint ipſa miracula, Chriſti prædicatio demonſtrat, qui cum præter eximiam
ſanctitatem, & ſuauem doctrinam, qua per inuia & inacceſſa deſerta turbas trahebat,
claudos erigeret, cæcos illuminaret, leproſos curaret, & quod ſummum eſt, defun-
ctos reuocaret ad uitam, uix tamen paucos ad ſuam fidem pellexit, ſi ad eum nume-
rum conferantur, qui poſt aduentum Spiritus, Apoſtolica prædicatione prouenit. Ad
primam enimuerò Petri prædicationem, ipſo die Pentecoſtes, tria millia hominum Ec- *Act. 2.*
cleſiæ acceſſerunt, ad alteram, quinque millia; cùm totis tribus annis, multis labori- *Act. 4.*
bus & miraculis, Chriſtus ſolos centum uiginti conuerterit; non quòd ante uiſibilem *Act. 1.*
Spiritus ſancti aduentum, idem Spiritus ad credendum corda diſcipulorum non tange-
ret, ſed uel quòd non tam ubertim, propter certam prouidentiæ rationem, ad humana
corda fouenda deſcenderet, uel quòd uellet oſtendere Deus, nihil ſine interna Spiritus
ſancti motione, exterioris uerbi prædicationem ualere. Immo hoc ipſum in Chriſti di-
ſcipulis luculentius oſtenditur, qui poſt tot generalia & peculiaria Chriſti colloquia,
poſt tot, quibus interfuerunt præſentes, miracula, quanta præcipuorum articulorum
religionis Chriſtianæ, ignorantia fuerint, euangelica & apoſtolica narrat hiſtoria. Atq;
hæc eſt illa potiſsima cauſa, quam Chriſtus ſui diſceſſus in cœlum diſcipulis dabat,
Expedit, inquit, uobis ut ego uadam, ſi enim ego non abiero, paracletus non ueniet ad *Ioan. 13.*
uos, cum autem uenerit ille, arguet mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio.
non quòd antea Chriſtus & eius diſcipuli, de his mundum non reprehenderint, aut quòd
ipſe ſpiritus per ſe ipſum, mundum de his omnibus deberet arguere, ſed quòd tunc po-
tiſsimè uox Euangelici prædicatoris efficaci uirtute corda percuteret, quando donato
iam ſpiritu, idem Spiritus ad uerbi obedientiam, humanam mentem erigeret. Addit
autem in eandem ſententiam; cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos
omnem ueritatem. quaſi illucuſque ſola euangelicæ prædicationis ſeminia, in ſuis ui-
ſceribus à Chriſto profuſa, poſsiderent Apoſtoli, quæ poſtea Spiritus ſancti illuſtratione,
quaſi cœleſti quodam imbre, pullularent, & eiuſdem calore confota, fructum afferrent.
Nemo igitur in euangelici paſtus miniſtros culpam reiiciat, quòd nullos aut paucos ex
tot uerbi diuini auditionibus fructus accipiat. Non ſunt, fateor, Pauli, qui id muneris
hodie per eccleſias exercent, ſed & ſi Pauli eſſent, immo ſi Apoſtolici temporis redirent
prodigia, nihilo plus meliores auditores futuros ſat ſcio, & hoc quòd peccatorum fre-
quentia, aut rerum ſpiritualium contemptu, Spiritui ſancto cordis oſtia auditores præ-
cluſerint. Conſidera (inquit ſapiens) opera Dei, quòd nemo poſsit corrigere, quem *Eccl. 7.*
ille deſpexit. Deſpicit hominem Deus, cum per gratiæ ſubtractionem permittit, ut qui *Apoc. 22.*
nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Apud eum igitur, quem
peculiaris illa diuini Spiritus prouidentia deſeruit, nihil uox & induſtria prædicatoris

proficiunt. Nulli plura miracula quàm Phariſæi uiderunt, nulli fœliciorem prædicato-
rem habuerunt. Sed nulli magis in Chriſtum peccarunt. Quare hoc? Nimirum quòd
eos Deus propter grauiſsima peccata deſpexiſſet, & indignos iudicaſſet, quos abundan-
tiori illo ſuo auxilio, & ſpirituali motione amplius foueret. Quemadmodum autem
iuſti de uirtute in uirtutem aſcendentes, tandē ad uitæ perfectionem proficiunt; ita pec-
catores de peccato in peccatum quaſi per gradus deſcēdentes, in profundum tandem pecca
Prouer. 17. torum perueniunt, ubi penitus timore ſublato, contemnunt, ubi frequentiſsimè dantur
Rom. 1. in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia,
fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidiis, contemptione, dolo, ma
lignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſi, ſuperbi, elati, inuen-
tores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione,
abſque fœdere, ſine miſericordia. Neque tantùm in hæc uitiorum præcipitia per deſer-
tionem ſpiritus contorquentur, ſed & plerunque totius uitæ ſpiritualis fundamentum
læditur, ideſt fides, ut uel à placitis Eccleſiaſticis & catholica confeſsione diſcedant, aut
omnino per apoſtaſiam Deum exuant. Quia cum cognouiſſent Deum, ait idem Apo-
Rom. 1. ſtolus, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogita
tionibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes,
ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis
corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, propter quod tra
didit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant
corpora ſua in ſemetipſis. Quia commutauerunt ueritatem Dei in mendacium, & co
luerunt, & ſeruierunt potius creaturæ quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Ergo
ex deſertione ſpiritus, peccandi libertas, ex peccandi libertate, religionis deriuatur
Hebr. 3. peruerſio, quod eſt ſummum malum. Adhortemur igitur noſmetipſos per ſingulos dies,
donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex nobis fallacia peccati, ſed hodie,
ideſt in uita præſenti, ſi in Euangelico prædicatore, quaſi in organo, noſtræ ſalutis, uo-
cem Dei audierimus, ſine ullo diſcrimine (quod in nobis eſt) corda noſtra mollia præ-
ſtemus; hac enim ratione uberes fructus in nobis ex Dei uerbo prouenient. Neque uerò
2. ad Timo ſimus ex illis, quos noſtris temporibus Apoſtolus Paulus futuros prænuntiauit, qui ſan-
th. 4. ctam doctrinam non ſubſtinent, ſed ad ſua deſideria coaccruant ſibi magiſtros, prurien-
tes auribus, & à ueritate auditum auertentes, ad fabulas conuertuntur: aut ex illis,
qui quaſi humanas declamationes audituri, ut tantum uel eruditionem, uel eloquentiam
prædicatoris expendant, ad conciones accedunt, ex quibus duobus noſtra memoria fa-
ctum eſt, ut non qui Chriſtiano ſpiritu uerbum Dei tractet, ſed uel qui ſit in exornanda
dictione curioſus, uel qui ſchonmatis & dicteriis (proh nefas) abundet, uel demum,
qui humano fauore polleat, ſit ſolus in pretio.

De ſecunda fidei cauſa, quæ eſt Euangelica prædicatio. Cap. II.

ATque de interna per Spiritum ſanctum cordis commotione, hæc dixiſſe
ſufficiat. Nunc iam de Euangelica prædicatione uerbiq; cœleſtis mini-
ſterio eiuſq; auditione, quæ duo externam fidei cauſam conſtituebamus,
ſubinde, ſed pro noſtro inſtituto, breuiſsimè ſumus uerba facturi: adiun-
gemus ſubinde, Deo auctore, quædam, quæ nobis ad Euangelicos mini-
ſtros eorumque miniſterium pertinere uidebuntur.

Dvo ſunt in Eccleſiaſtica republica, quibus uniuerſa chriſtiana religio continetur,
ſacramentum, & Dei uerbum; illud iuxta ſeptiformem rationem, qua nobiſcum agit
Spiritus ſanctus, eſt ſeptuplex, baptiſmus, confirmatio, Euchariſtia, pœnitentia,
extrema unctio, ordo, & matrimonium; quorum diuerſa munera, officia, & uſus, Theo-
logi tractant, hoc, quòd unam atque eandem mouendi rationem, ex ſe ſortiatur,
tantùm eſt unum. Verbum, quaſi quoddam religionis ſemen per prædicatorem in
animæ campo reconditur; ſacramentum, quaſi diuini ſpiritus organum, animam fœ-
cundat, quo ſemen conceptum ubertim proueniat. Vtrunque tamen & uerbum & ſa-
cramentum, integram Euangelici paſtus rationem conſtituit. His enim duobus ſimul

animæ

anima enutritur, & in iuſtam euangelicæ perfectionis menſuram excreſcit: ſine uerbo enim non eſt in anima ſemen, ex quo & recti affectus, & rectæ operationes proueniant; ſine ſacramentis uerò, ſemen uerbi redditur infœcundum. Vtrunque igitur eſt neceſſarium, ſed uerbum magis, quòd ſine ſacramentis, ſi haberi non poſsint, ſalus poſsit conſtare, ſine uerbo nullatenus. Quid, inquit Auguſtinus, plus eſſe uidetur uerbum Dei, aut corpus Chriſti? Si uultis uerum reſpondere, utique dicere debetis, quòd non ſit minus uerbum quàm corpus Chriſti; & ideò non minus reus, qui uerbum Dei negligenter audiuerit, quàm ille, qui corpus Chriſti negligenter in terram cadere permiſit. His uerbis non dignitatem dignitati, ſed neceſsitatem neceſsitati confert Auguſtinus. Sunt uerò ea, quæ magis ſunt neceſſaria plerunque minus digna; ut guſtus magis quidem ad animalis ſalutem eſt neceſſarius, quàm uiſus; quanuis uiſus in maiori ſit pretio. Itaque diuini uerbi natura, neceſsitas, & utilitas, ex diuerſis metaphoris & ſymbolis habentur, quibus in ſancta ſcriptura exprimuntur.

In quodam ſermone.

VOCATVR Dei uerbum lumen. Lucerna, inquit Dauid, pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſemitis meis. quòd nimirum diuino uerbo, quaſi lumine quodã, per medias peccatorum tenebras, & rerum cœleſtium ignorantiæ caliginem, pedes noſtros in uiam pacis dirigamus. De ſe etiam, inquantum erat euangelicæ prædicationis præcipuus miniſter, Chriſtus apud Ioannem loquebatur, cùm diceret, Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen uitæ. Et alibi, apud eundem, Ego lux, ait, in mundum ueni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ut oſtenderet ſe de euangelica prædicatione loqui, quam mundo è ſinu patris nuntiaturus aduenerat, ſubdit, Et ſi quis audierit uerba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum. Et ſtatim, Qui ſpernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum; ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die. quia ego à meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me pater, Ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Eſt igitur euangelicum uerbum lumen illud, cuius ratione in Chriſtum lucem ueram efficaci fide credentes, non iudicamur. Ioannes etiam Baptiſta, de Chriſto & eius prædicatione teſtimonium perhibens, Hoc eſt, inquit, iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: quaſi uellet innuere, ex hoc mundi condemnationem iuſtam eſſe, quòd euangelica prædicatione contempta, quam pater per filium mundo indulſerat, homines in ſua uitia dilaberentur. Contrà per tenebras, diuini uerbi ignorantiam intelligi apertè, docet Matthæus ex Iſaiæ uaticinio, cùm de Chriſti prædicationis initio, ſermonem facit, Cùm audiſſet (inquit) IESVS quòd Ioannes eſſet traditus in Galilæa, relicta ciuitate Nazareth, uenit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nepthalim, ut adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, Terra Zabulon & Nepthalim, uia maris trans Iordanem Galileæ gentium, populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et ut oſtenderet quam lucem, & quas tenebras diceret, ſubdit, Exinde cœpit IESVS prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Haud dubium tenebras & umbram mortis, uerbi diuini priuationem, lucem uerò, Chriſti prædicationem, quam illo loco inchoauit, intelligit. Scriptura, inquit Hieronymus, nunc dicit, quòd regionis eius populus primùm captiuatus eſt, & ipſam primùm lucem prædicantis uiderit Chriſti. Hoc tropo Apoſtoli, lux, Ioannes uerò Baptiſta, & prophetico & euangelico teſtimonio, lucerna uocatur, illi quòd Euangelica prædicatione, quaſi lumine quodam, ignorantiæ & peccatorum tenebras per Orbem uniuerſum eſſent fugaturi, Iſte, quòd ſua prædicatione, Chriſto uiam, iuxta prophetica uaticinia pararet.

Diuini uerbi natura, neceſsitas et utilitas, qui bus tropus exprimatur. Verbũ Dei lumẽ uocatur ĩ ſcript. Pſal. 119. Lucæ 1. Ioan. 8. Ioan. 12. Ibid. Ioan. 3. Matth. 4. In comment. Matth. Iſa. 40. Matth. 3. Mar. 1.

VOCATVR uerbum Dei aqua, eò quòd nos in æſtu perſecutionis & afflictionis, quæ uel à carne, uel à diabolo, uel à mundo conſurgit, refrigeret. Omnes (inquit Iſaias ad euangelium inuitans) ſitientes uenite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate; emite abſque commutatione uinum & lac. Et in Eccleſiaſtico de timente Deum dicitur, Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum &c. Et Dauid, de paſtus Euangelici ubertate loquens, Super aquas refectionis educauit me, animam meam conuertit. Apud Ioannem etiam, per totum illud de aqua cum Samaritana colloquium, quam qui

Aqua D uerbum. Pſal. 40. Eccl. 15.

Origt. Auguſt. biberit non ſitiat iterum, aquam, Euangelicam doctrinam, quæ ſordes uitiorum ex-
purget, & quæ uirtutes fœcundet, accipi, doctiores intelligunt: & qui per aquam, illo
loco Spiritus ſancti gratiam accipiunt, per fontem tamen, Euangelicam doctrinam
intelligunt, quæ ex eo, in quo ſanctus Spiritus reſidet, quaſi ex abundantiſsimo fon-
te, in eos, qui per gradus uirtutum, cœlos ſunt ſcanſuri, quaſi in plantas quaſdam
fructiferas deriuetur. unde Cyrillus in hunc locum; Aquam rurſus, Spiritus ſancti
gratiam appellauit Euangeliſta, quam, qui adeptus eſt, diuinæ ſcientiæ fontem ſcatu-
rientem ſic adeptus eſt, ut præceptis hominum non indigeat, ſed facilè poſsit ad po-
tum uerbi cœleſtis, etiam cæteros hortari, quales olim erant prophetæ atque Apo-
Iſa. 12. ſtoli, & modò qui miniſterij illorum ſunt ſucceſſores, de quibus ſcribitur, Haurietis
aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Hactenus Cyrillus. Tantus profectò factus
fuerat fons in Apoſtolo Paulo, poſtquàm ex ſancti Spiritus gratia biberat, ut ab Hie-
Rom. 15. roſolymis uſque ad Illyricum, Euangelio repleuerit. tanti facti fuerant in cæteris
Nume. 33. Apoſtolis, ut duodecim, quaſi duodecim illi fontes aquarum, quos Iſraëliticus po-
pulus in deſerto ſitibundus offendit, totius generis humani ſitim extinxerint. Ad
hoc ſchema ſanctæ ſcripturæ, Petrus alludit cùm pſeudoprophetas, fontes ſine aqua,
2. Petri 2. & nebulas turbinibus exagitatas appellat, nimirum, quòd quãuis nomen prædicato-
rum obtineant, ab eis tamen non deriuetur aqua ſapientiæ, & quòd quãuis nubium,
quæ rorem aut pluuiam cœleſtis doctrinæ contineant, ſpeciem oſtentent, ſint tamen re
uera ſteriles nebulæ, quæ à quocunque humani affectus uentulo agitatæ ferantur.
Canti. 5. Hinc quoque rigandi uerbo, cœleſtem iſtam aquam deriuandi miniſterium, ideſt cœ-
leſtem doctrinam, qua areola aromatum, per quas Eccleſiæ intelliguntur, excreſcant,
impartiendi, munus quoque tropicè accipitur. Vnde cœleſtis ſapientia, in Sanctis
& electis prædicatoribus loquitur, Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio; ego
Eccl. 24. quaſi fluuius Dorix, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo. Dixi; Rigabo hortum
plantationum, & inebriabo partus mei fructum, & factus eſt mihi trames abundans,
& fluuius meus appropinquauit ad mare. Et ut oſtenderet quid hac metaphorica ra-
tione loquendi ſibi uellet, ſubiungit, Quoniam doctrinam quaſi antelucanum, illu-
mino omnibus, & enarrabo illam, uſque in longinquum, penetrabo omnes partes ter-
ræ, inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in domino. Adhuc
doctrinam quaſi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam,
& non deſinam in progenies illorum uſque in æternum. uidete quoniam non ſolùm
1. Corin. 3. mihi laboraui ſed omnibus exquirentibus ueritatem. Sed & Paulus Apoſtolus, Ego,
inquit, plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit: & rurſus, neque
qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. quo lo-
Ibidem. co tropicè, Apollo, Corinthiorum Eccleſiam, quam Paulus, quòd eiſdem primitus
Euangelium inuexerit, Euangelico ſemine plantauit, rigaſſe dicitur, eo quòd eandem
Eccleſiam, poſt receptam ſemel fidem, ſua prædicatione ad ſalutem promouerit. Eo-
dem demum tropo, Chriſti ipſius, abundantiſsima ſapientia, nomine fluminum de-
ſcribitur, ut eius ubertas & affluentia ſignetur, quibus à cæteris diuinæ ſapientiæ
Eccl. 24. profeſſoribus, quaſi fluuius abundantiſsimus à riuulis differt. Poſuit, inquit, Dauid
puero ſuo excitare regem ex ipſo fortiſsimum, & in throno honoris ſedentem in ſem-
piternum. Qui implet quaſi Phyſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum,
qui adimplet quaſi Eufratres ſenſum, qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſ-
ſis, qui mittit diſciplinam quaſi lucem & aſsiſtens, quaſi Geon in die uindemiæ, qui
perficit primus ſcire ipſam, & infirmior non inueſtigabit eam; à mari enim cogita-
tio eius, & conſilium illius in abyſſo magna. ego ſapientia effudi flumina. Dauid
profectò filius, qui eſſet collocandus in throno, & cuius eſſet tam eximia ſapientia,
non eſt ille Solomon, de quo licèt ſapientiſsimo, admirabilem iſtam ſapientiam non
30. cap. legimus: ſed ille, de quo apud Hieremiam ſcribitur, Et erit in die illa, ait Do-
minus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & uincula eius diſrumpam,
& non dominabuntur ei amplius alieni, ſed ſeruient domino Deo ſuo & Dauid regi
34. cap. ſuo, quem ſuſcitabo eis. Et apud Ezechielem, in malos paſtores inuehens, Et ſuſci-
tabo, inquit, ſuper oues meas Paſtorem unum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid,
ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem, ego autem dominus ero eis in Deum &

Dauid princeps in medio eorum. Et rurſus apud eundem prophetam, Et erunt, in- *37. cap.*
quit, mihi populus & ſeruus meus Dauid rex ſuper eos, & Paſtor unus erit omnium
eorum. Et ſubinde, Et Dauid ſeruus meus, princeps eorum in perpetuum, Chriſtus
nimirum, cuius admirandam ſapientiam, ex qua, quaſi ex paradiſi fonte, quatuor mun-
di plagæ ſunt irrigatæ, totus Orbis cognouit.

Vocatvr & cœleſtis doctrina, nonnunquam uinum in ſancta ſcriptura, quòd nimi- *Vinum Dei*
rum mortalium genua ad uiam mandatorum currendam confortet: quòd eos, qui *uerbum.*
eam uerè amplectuntur, ſpe cœleſtium bonorum inebriet: quòd huius mundi tenta-
tionibus & laboribus fractos, omnem dolorem & triſtitiam oblitos, æternæ fœlicita-
tis memoria lætificet: quòd demum eos, qui ex mundi conuerſatione, in anima, ma-
lorum affectuum generantur humores, uirtutis exhortatione purificet. Hoc tropo lo-
quendi dicitur de diuina ſapientia, poſteaquàm eſt carnis mortalitatem induta, quòd
ædificauerit ſibi domum, Eccleſiam nimirum, quæ iuxta Apoſtolicum teſtimonium; *Prouerb. 9.*
eſt domus Dei, columna & firmamentum ueritatis immobilis, quòd exciderit co- *1 Tim 3.*
lumnas ſeptem, quæ ſeptem ſunt ſacramenta, quibus quaſi firmiſsimis columnis, ec- *& Hebr. 3.*
cleſiaſticum ædificium innititur; quòd immolauerit uictimas ſuas, quibus & animam
& corpus intelligit; quòd miſcuerit uinum, id eſt cœleſtem doctrinam, non in eo
ſplendore, quo ipſe habet, ſed nobis ſymbolis ac metaphoris rerum corporalium at-
temperatam condiuerit. Quòd ancillas ſuas miſerit, quæ ad arcem & ad mœnia
ciuitatis, paruulos & inſipientes uocarent, id eſt, quòd Euangelicos prædicatores hu-
manæ ſapientiæ opinione imbecillos, in Orbem uniuerſum, ad ſanctæ eccleſiæ ciui-
tatem, modeſtos & non alta de ſe ſentientes, uocaturos, legauerit: poſtremò, quòd
eadem ſapientia per ancillas ſuas blandè, ad ſuum conuiuium, hiſce uerbis paruulos
& inſipientes pellexerit, Venite, comedite panem meum, bibite uinum quod miſcui
uobis, id eſt, quod adhortante per Apoſtolos Chriſto, ad Euangelicæ uitæ rationem,
& doctrinam ſectandam, ſint fideles uocati, de quibus Paulus, Videte uocationem *1. Corin. 1.*
ueſtram fratres, quia non multi ſapientes, non multi potentes, non multi nobiles;
ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi
elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus,
& ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret. tales certè erant, quos ad Euangelicæ
doctrinæ conuiuium, initiò diuina ſapientia per ancillas accerſiit. Quòd uerò ad pa-
nem quoque comedendum inuitet, idem eſt. nam & panis nomine cœleſtem diſcipli-
nam intelligi, poſtea dicemus. Non diſsimile huic ſapientiæ conuiuio, erat illud, ad
quod amicos & chariſsimos quoſque, in Cantico olim inuitabat ſponſus; nam poſtea-
quàm eundem, ut ad ſe quaſi ad hortum, quem cœleſti doctrina plantauerat, ueniret,
& pomorum ſuorum fructum comederet, inuitarat ſponſa, & poſteaquàm ſe ueniſſe
& myrrham ſuam cum aromatibus ſuis miſcuiſſe, & fauum ſuum cum melle ſuo co-
mediſſe, id eſt, diuerſos gradus ſanctorum quaſi aromaticos flores, opportuno tem-
pore collegiſſe, eidem reciproca gratulatione nuntiaret, ad cœleſtis diſciplinæ conui-
uium, quod in eodem horto, id eſt in eadem eccleſia, uberrimè cunctis hominibus
fuerat expoſitum, his uerbis inuitat, Comedite amici & inebriamini chariſsimi, quaſi *Cant. 4.*
ad diuini uerbi lautiſsima conuiuia, in ſanctæ Eccleſiæ horto gratiſsimè uniuerſis ex-
poſita, eos inuitaret. Sed & illud non eſt abſimile, quo apud Iſaiam, omnes ſitientes, *Iſai. 55.*
ad aquas inuitantur, & qui non habent argentum, properare, emere, & comedere,
abſque argento, & abſque ulla commutatione, lac & uinum iubentur. Inuitat his lo-
cis Spiritus ſanctus, non ut olim Iſraëliticum populum, qui tantùm præcedentibus
ſæculis diuinæ ſapientiæ particeps fuerat, ſed uniuerſos mortales, quibus Euangelicæ
legis conuiuium pararat: ſine argento uerò, & ulla commutatione uinum bibere,
& lac comedere imperantur, uel quòd tanti ſit precij Dei cognitio, quæ per euan-
gelium habetur, ut ſub rerum corruptibilium, ex quibus humanæ diuitiæ conſtantur,
precio non cadat, aut, quòd nulla noſtra merita, ad eam comparandam ex ſeipſis ſuf-
ficiant, ſed Chriſti merito, nobis contingat, aut demum quòd uelit eo loci Spiritus
ſanctus, Euangelici ſæculi ubertatem oſtendere, in quo tanta eſſet ſapientiæ cœleſtis
affluentia futura, ut non modò omnibus frui uolentibus eſſet expoſita, ſed ad can-
dem audiendam, eſſent cuncti rogandi. Nam quod hoc Iſaiæ loco, per uinum cœle-

ſtis doctrina intelligatur, ſicut per aquam, ut antea, ex eodem loco dicebamus, quæ
ſtatim ſubduntur, apertè conuincunt. Quare appenditis argentum non in panibus, &
laborem ueſtrum, non in ſaturitatem? Audite audientes me, & comedite bonum, &
delectabitur in craſsitudine anima ueſtra: inclinate aurem ueſtram, & uenite ad me,
audite, & uiuet anima ueſtra, feriam uobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias
Dauid fidelis. Increpantur hoc loco à Spiritu ſancto mortales, quòd relicta diuina
ſapientia, quæ uerus eſt cibus & animæ ſaturitas, in uana ſtudia, quæ ſatiare non poſ-
ſunt, unuſquiſq; defluxerit: inuitantur blandè ad eiuſdem ſapientiæ conuiuium, quòd
in eo anima, ſanctarum uirtutum adipe pingueſcat, ſi per obedientiam diuinis præ-
ceptis aures admouerit. Pactum uerò ſempiternum, euangelicam legem intelligit,
quæ, quòd non ſit aliquando finem habitura, ſempiterna uocatur: miſericordias Da-
uid fidelis, totum myſterium incarnationis appellat, quod cùm ſola miſericordia ni-
tatur, meritò nomine miſericordiæ cenſetur. Non eſt autem una miſericordia ſed
multæ, carnis abſumptio, mortis toleratio, reſurrectio &c. Quæ, quoniam in no-
1. Corin. 1. ſtram utilitatem ceſſerunt, iuxta illud, Factus eſt nobis ſapientia, ſanctificatio & re-
Cant. 7. demptio, nobiſcum feriri dicuntur. Eadem phraſi loquendi ſponſi guttur optimo ui-
no conſertur, quòd, quæcunque ex gutture Eccleſiæ prodeunt, ideſt, quæcunque ipſa
docet & prædicat, ſpirituales delitias præbeant, cor confortent, & ſponſi amore,
quaſi uino inebrient: cùm tamen, contrà de hæreticorum doctrina Moſes prophetico
Deuter. 32. uaticinio denuntiet, Vua eorum uua fellis, & botrus eorum, botrus amariſsimus,
fel draconum, uinum eorum, & uenenum aſpidum inſanabile, nimirum quòd ſemel
Iſai. 1. ſuſcepta, ueneni inſtar corda peccatorum inficiat. Carpitur & apud Iſaiam Hieru-
ſalem, quòd uinum ſuum aqua diluerit, ideſt quòd legis doctrinam, quæ tunc ſua
erat tantùm inter cunctos mortales, proprio ſenſu & uoluntate molliuerit, Phariſai-
Matth. 15. ca malitia, iuxta illud, Deus dixit, Honora patrem & matrem, & qui maledixerit
patri aut matri, morte moriatur, uos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut ma-
tri, munus quodcunque ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum aut
matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem ueſtram. Vi-
num quidem erat diuinum præceptum, ſed adulterina ſapientia, uirtutem eius, in-
fuſa à qua propriæ intelligentiæ, penitus diluit & euaneſcere fecit. Chriſtus præte-
rea cùm Phariſæos ſemel Moſaicæ obſeruationi aſſuetos, reuocare ad Euangelium
Matt. 15. c. & nouam doctrinam, difficile uellet oſtendere, Non mittunt, inquit, uinum nouum
in utres ueteres, alioqui rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt.
Sed uinum nouum in utres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. Vinum nouum
erat, ueram iuſtitiam non tam carnis circunciſione, & in corporis externa munditie,
uel in ſacrificiorum frequenti laniena, & his quæ Phariſaica ſuperſtitio adinuene-
rat, quàm in animi pietate, & cordis puritate conſiſtere. Verùm utres, qui uino illo
uetere, id eſt ueteribus obſeruationibus continendis, fuerant detriti, uinum iſtud no-
uum continere poterant: continebant autem illud noui illi utres Euangelici, piſca-
tores, publicani, peccatores, meretrices, Ethnici &c. Hinc eſt quòd Chriſto prædi-
cante aut miracula faciente, noui utres uinum nouum intra ſe continentes, non rum-
pebantur. contrà ueteres illi utres Sacerdotes, Phariſæi, Scribæ, uini fortitudinem non
ſuſtinentes, plerunque in deteſtandas blaſphemias effuſi, rupti effluebant. Nam quòd
ueterem legem, uetus, contrà nouam, nouum, uinum Chriſtus accipiat, cùm apud Lu-
Luce 5. cam, unde Phariſaicum faſtidium guſtandi Euangelij deſcenderet, uellet oſtendere,
apertè ſub his uerbis declarat, Nemo bibens uetus uinum, ſtatim uult nouum, dicit
enim, uetus eſt melius. Quo ſchemate haud dubium per uetus uinum, uetera Iu-
dæorum præcepta, per nouum, nouam Euangelicæ uitæ doctrinam intelligit. Sed
huius generis formas in ſancta ſcriptura multas reperias.

Panis Dei uerbum. VOCATVR deinde uerbum Dei, panis in ſancta ſcriptura frequenter, quòd ſit uerum
animæ nutrimentum & cibus, quemadmodum corporeus panis, proprius cibus eſt cor-
Pſal. 103. poris, iuxta illud, Vt educas panem de terra, & uinum lætificet cor hominis, ut ex-
hilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. ubi per cor, uniuerſas uires cor-
poreas intelligit. huc pertinet quod in conuiuio diuina ſapientia ædificata domo, exci-
Prouer. 9. ſis columnis, mactatis uictimis, parata menſa, non ſolùm ad uinum, quod paruulis &

& inſi-

& inſipientibus miſcuerat, ſed etiam ad panem ſuũ comedendum inuitabat, per panis
& uini diuerſa ſymbola idem intelligens, eruditionem nimirum diuinæ ſapientiæ,
quæ iuxta diuerſa effecta, modò panis, modò uinum uocetur. In pane (inquit in illum
locum Hieronymus) diuina eloquia intelliguntur. De ſapiente etiam dicitur, quòd ci- *Hierony.*
bauerit illum Dominus pane uitæ intellectus &c. In Threnis etiam paruulos panem pe- *Eccl. 15.*
tiiſſe, & non eſſe qui eis frangeret, Hieremias deplorat, quod ad euerſum Eccleſiæ ſta- *Threno. 4.*
tum, in quo paruulis, id eſt humilibus, panem uerbi Dei eſurientibus, non ſit, qui di- *Gloſſa ord.*
ſpertiat, quidam allegoricè rapiunt. Diabolo deinde lapides afferenti, ut ex eis panes
Chriſtus efficeret, hominem, non ex ſolo materiali pane uiuere, ſed ex omni uerbo, *Matt. 4.*
quod procedit de ore Dei, ille reſpondit: qua ſententia (haud dubium) per alluſionem,
duplicem panem, alterum quo corpus, alterum quo anima nutriatur, intelligit. Et pa- *Hierony in*
nem illum quotidianum, quem in oratione dominica poſtulare præcipimur, cœleſtem *Iſai. c. 5.*
doctrinam quidam accipiunt. Et quidquid ſit de cæteris locis, qui tam in ſanctæ ſcri-
pturæ libris, quàm in eorum interpretibus inueniuntur frequentes, certè apud Matth.
Chriſtus, cum Cananæa loquens hoc ſchemate utitur, Non eſt, inquit, bonum ſumere
panem filiorum, & mittere canibus. ubi panem (haud dubium) cœleſtem doctrinam *cap. 15.*
& miracula, quibus ad eam homines alliciuntur, intelligit.

VOCATVR lac, eò quòd nutriat & creſcere faciat paruulos, ad menſuram ætatis ple- *Verbũ Dei*
nitudinis Chriſti. Nam ſicut lac liquor dulcis & candidus, in mamillis animalium, *lac.*
actione caloris ex ſanguine gignitur, & pro nutriendo fœtu, cùm eſt extra uterum, à *Eph. 4.*
natura ſeruatur, ita & uerbi Dei doctrina dulcis, & candida, in prædicatoribus & do-
ctoribus, diuini amoris actione, ab Eccleſia digeritur, & paruulis, quos in Chriſto ge-
nuit, cùm iam ſunt utero exempti, ideſt, cùm iam per Dei cognitionẽ ſapere incipiunt,
& peccatorum menſtrua, quibus fuerant antea nutriti, reiiciunt, propinatur. Vnde fre-
quenter & ſponſi & ſponſæ ubera commendantur in canticis, quòd tam Chriſti, quàm
Eccleſiæ doctrina ſit fidelibus dulcis, Meliora (inquit ſponſa ad ſponſum) ſunt ubera *Canti. 1.*
tua uino, fragrantia unguentis optimis. & rurſus eadem ad eundem, Pulchriora ſunt
ubera tua uino. Conferuntur ſponſi & ſponſæ ubera uino, quòd Chriſti & Eccleſiæ doctri *Cant. 4.*
na, quam, tanquam paruuli non uidentes, ſed guſtantes, è prædicatoribus ſugunt, fideles
amore Dei, & proximi, inebriet, & à ſeipſis alienatos, in his, quæ mundus amat, reddat
ſtupidos. Huc pertinet quod etiã in Euangelico illo ſympoſio, in quo Iſaias omnes ſitien
tes inuitabat ad aquas, uinum, & lac abſq; argento & abſq; ulla commutatione comeden
da exponebat, per diuerſa ſymbola aquæ, uini, panis, & lactis, diuerſa ratione Euange
licam doctrinã intelligens. Eſt enim aqua, quatenus uel à ſordibus peccatorum expurgat,
uel quaſi plantas in Chriſto alit, & nutrit: eſt uinum, quatenus ad huius uitæ labores
tolerandos, confortat: eſt panis, quatenus interioris hominis membra uegetat & re-
ficit: eſt lac, quatenus paruulos, non alta de ſe ſentientes, ad ſpiritualem perfe-
ctionem reficiendo perducit. Vſurpauit autem Apoſtolica phraſis lactis nomine, non *Quæ do*
totam Euangelicam doctrinam, ſed eam partem, quæ his, quos recens per baptiſmum *ctrinæ chr*
uterus Eccleſiaſticus fudit, propinatur. Deponentes, inqnit Petrus Apoſtolus, omnem *ſtianæ por-*
malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſi- *tio proprié*
cut modò geniti infantes, lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem. Lactis con- *lactis nomi-*
cupiſcentiam, facilioris doctrinæ deſiderium, quo Chriſtiana ſimplicitas conſeruatur, *ne ſignifice-*
intelligit. Sed in hoc locutionis ſchemate, & freqnentior & apertior eſt Paulus. Et *tur.* *1. Petri 2.*
ego fratres (inquit ad Corinthios ſcribens) non potui uobis loqui, quaſi ſpirituali- *1. Corin. 3.*
bus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto, lac uobis potum dedi, non
eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc poteſtis. Quibns, qnàm inepti eſſent ad
altiora religionis audienda myſteria, initio prædicationis Corinthij, immo quòd neque
tunc idonei eſſent, cum maximè ſe idoneos putabant, cum carnis affectibns ducerentur,
oſtendit. Idem etiam, cum uellet Hebræos, in abdita religionis myſteria, & allego-
ricos ſenſus, quos grandes ſermones appellat, inducere, in eorundem ruditatem inue-
ctus, Imbecilles, inquit, facti eſtis ad audiendum, etenim cum deberetis eſſe magiſtri *Hebr. 5.*
propter tempus, rurſum indigetis ut uos doceamini, quæ ſint elemenra exordij ſermo-
num Dei, & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. omnis enim qui lactis eſt
particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt, perfectorum eſt autem ſoli-
dus

dus cibus, eorum, qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni ac mali. Lac in hac parte, uocat Apoſt. id ipſum, quod elementa exordij ſermonum Dei, ideſt Chriſtianæ religionis initialem doctrinam, quam ille in eadem epiſt.
Hebr. 6. inchoationis Chriſti ſermonem appellat. eſt autem illa, fundamentum pœnitentiæ ab
Ibidem. operibus mortuis, & fidei ad Deum, & baptiſmatum, doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, & reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni, & cæterorum, quæ illic gratia breuitatis non retulit. Sermonem uerò iuſtitiæ, quem non participet, qui
1. Corin. 2. lactis ſit particeps, principem & altiorem partem religionis, quam idem ad Corinth. ſcribens, Sapientiam appellat, intelligit, quam nondum, qui adhuc fidei catechiſmo initiantur, attigerint. Ad hanc Apoſtolicam phraſim, & Iſaias forſan alludit, cum in-
Iſa. 28. quit, Quem docebit ſcientiam? aut quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab uberibus, quaſi ſolos eos in diuinæ ſapientiæ myſteria rapi ſignificet, qui ſpiritus infantiam, per intellectus exercitationem, exceſſerint. VOCATVR ſagitta
Sagitta uerbum Dei. quòd nimirum ea, corda mortalium quaſi telo petantur. unde in Epithalamio Dauid ca-
Pſal. 44. nit, Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis. Sagittas, Euangelicæ prædicationis iacula, quæ partim per ſeipſum, partim per Euangelicos uiros, in hominum corda Chriſtus direxit, intelligit: quæ uulnera fœliciſſima, illa mors ſequebatur, qua homines mundo, immo & ſibiipſis, ſoli Deo uiuentes, moriebantur.
Gala. 2. unde Paulus, poſteaquàm fuerat hoc iaculo uulneratus, dicebat, Viuo ego, iam non ego, uiuit uerò in me Chriſtus. Et alibi, de omnibus, qui in baptiſmo Chriſto nomina
Rom. 6. dederunt, An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto IESV, in morte ipſius baptizati ſumus? conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate
1. Petri 2. uitæ ambulemus. De eadem morte, ait Apoſt. Petrus, Qui peccata noſtra (loquitur autem de Chriſto) ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus, cuius liuore ſanati ſumus. Atque huc pertinet & ille tropus, quo animam perdere, aut odiſſe præcipimur, quo nihil in Euangelica, & Apoſtolica ſcriptura frequentius. quòd nimirum euangelici homines, qui hoc fœlici iaculo ſunt in corde percuſſi, uitæ ueteri continuò concedant, & quod uiuunt, iam non ſibiipſis uiuant, ſed
Rom. 14. Chriſto. Nemo noſtrûm, inquit Apoſt. ſibi uiuat. Et alibi, Pro omnibus (ait) mor-
1. Cor. 15. tuus eſt Chriſtus, ut qui uiuunt, iam non ſibi uiuant, ſed ei, qui pro eis mortuus eſt, & reſurrexit. Quo uerò pacto, Chriſtus & Apoſtolicus cuneus, hominum pectoribus
Apocal. 6. ſalubri uulnere has ſagittas infixerint, Ioannes Apoſt. in Apoc. deſcribit, Et uidi (inquit) & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt illi corona, & exiuit uincens ut uinceret. Eccleſiæ, inquit in hunc locum Beda, quæ ſuper niuem, gratia dealbata eſt, dominus præſidet, & ſpiritalis doctrinæ contra impios arma ferens, uictor in ſuis coronam percipit: impij uerò uocantur inimici regis, in quorum corda ſagittæ figuntur, non tempore, quo iam ſunt percuſſi, ſed antea; dum enim ſagittantur, deſinunt eſſe inimici. Vulnerantur enim inimici, ut uulnerati cadant, ſub uulnerante, ſicque amici fiant ex inimicis, quod utinam nobis contingeret. Hoc tropo apud Iſaiam Chriſtus inquit, ſe poſitum quaſi ſagittam electam, quam
Cap. 49. in pharetra ſua Deus abſconderit, quòd ſcilicet, inter diuini uerbi miniſtros, ſiue prophetas, ſiue euangelicos uiros, ſit ipſe præcipuus, & ipſo quaſi electa ſagitta Deus mundum percuſſerit.

Verbū Dei gladius. VOCATVR gladius, ſancta Dei prædicatio, uel quòd ſpirituales hoſtes conficiat, uel quòd eo amputentur ab anima carnales affectus, unde Paulus Apoſt. ad Hebr. ſcribens,
49. Hebr. 4. Viuus eſt enim, inquit, ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum,
Ephe. 6. & diſcretor cogitationum cordis. Et idem cum ſpiritualia arma, quibus ſit Sathanicæ poteſtati reſiſtendum, ad Epheſios enumerat, Et galeam, inquit, ſalutis aſſumite, &
49. c. gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei. & apud Iſaiam, Chriſtus aut euangelicus prædicator, Poſuit, inquit, os meum quaſi gladium acutum. Ioan. etiam Apoſt. in Apoc.
Apocaly. 1. & 19. eundem Chriſtum uidit habentem gladium ex utraque parte acutum, qui ex ore procedebat, quo profectò non aliud, quàm prædicationis Chriſti, qua diabolum & mundum inuaſit, uirtus oſtenditur. Quo uerò pacto Euangelici prædicatores, eſſent per Euā-

gelij

gelij gladium mundum expugnaturi, Dauid prophetico uaticinio demonſtrans, Exultabunt, inquit, ſancti in gloria, &c. Et ſtatim, Et gladij ancipites in manibus eorum, *Pſal.148.*
ad faciendam uindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in maniceis ferreis &c. gladios ancipites habent, ſancti in manibus, id eſt Euangelicæ ueritatis eloquia, per quæ, quaſi per materiales gladios, & ſe defendant & hoſtes trucident. Tenent, inquam, hos ancipites gladios, ueri Euangelij miniſtri, ad faciendas uindictas in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in maniceis ferreis, hoc eſt, ad ſubigendas ſibi incredulas nationes, & expugnandas, & deuincendas aëreas poteſtates, potentes quoque ac ſapientes huius ſæculi ſuperandos, & populos ad ueritatem fidei, de manibus eorum eripiendos. de qua uictoria Paulus
Apoſtolus, Arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt, ſed potenti à Deo, ad deſtructio- *2.Cor.10.*
nem, munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam. Hoc eſt profectò iudicium conſcriptum, hæc ultio eſt; quam ab æterno propoſuit facere per filium ſuum lorica noſtræ mortalitatis indutum, & per ſanctum Apoſtolorum exercitum. Hæc eſt illa ultio, de qua his uerbis trina replicatione, gloriatur Eccleſia, Omnes
gentes circumierunt me, & in nomine Domini quia ultus iu eos. Circundantes cir- *Pſal.117.*
cumierunt me, & in nomine Domini quòd ultus ſum in eos. Cicundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.
Hoc eſt illud iudicium, de quo alibi, Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſer- *Pſal.134.*
uis ſuis conſolabitur. et in Euangelio Dominus, Nunc iudicium eſt mundi, nunc prin- *Deut.30.*
ceps, mundi huius eiicietur foras. Expugnarunt illa ſancta expeditione apoſtolici uiri, *Ioan.12.*
abſque humana potentia, abſque humana ſapientia, ſolo uerbi gladio, Orbem uniuer-
ſum; Perdiderunt ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobarunt, de *1.Corin.1.*
quo illis ingens eſt gloria, unde ſubditur, Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. *Pſal.148.*

VOCATVR & quibuſdam aliis nominibus, diuina doctrina ſed quæ non omne uerbum Dei, ſed quandam eius portionem ex ſanctæ ſcripturæ Idiotiſmo ſignificent: ut
quod propheticam partem, onus & uiſionem, dixerunt, onus quidem, quòd onero- *Iſai.1.*
ſam Dei iram, & ſupplicium importet. Viſionem, quòd ſit certiſsima; quemadmodum *Ezech.1.*
& uiſus, reliquos corporis ſenſus certitudine ſuperat. eademque ratione nonnunquam *1.Reg.6.*
uerbum reuelatum à Domino dicitur.

VOCATVR uirga ea pars ſanctæ ſcripturæ, quæ iudicium aut punitionem importat; unde de Chriſto Iſaias, Percutiet terram uirga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuo- *Iſa.11.*
rum interficiet impium.

VOCATVR margarita abditior pars uerbi diuini, ideſt quæ ſecretiora myſteria com
plectitur, unde Chriſtus ante porcos margaritas, ideſt, ante carnales homines, & qui *Matth.7.*
nondum ea, quæ ſunt ſpiritus percipiunt, profundiora Chriſtianæ religionis arcana, profundi non ſinit.

MENSA uocatur, quòd in ea uaria & opipara rerum ſpiritualium conuiuia paren-
tur: Paraſti (inquit Dauid) in conſpectu meo menſam, aduerſus omnes, qui tribu- *Pſal.22.*
lant me. Vocatur pluuia, quòd ea in animæ agro uirtutes progerminent: Pluuiam,
inquit Dauid, uoluntariã ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu uerò per- *Pſal.67.*
feciſti eam. Vocatur lex Domini, quòd in eo, uiuendi præcepta tradantur, quæ phra-
ſis eſt in ſancta ſcriptura frequentiſsima, Lex domini, inquit Dauid, immaculata con- *Pſal.18.*
uertens animas: Vocatur & à Paulo, potentia ſiue uirtus Dei, & ſtultitia, quòd potentes reddat eos, qui idem uerbum uiua fide ſuſcipiunt, & quòd ſit humanæ ſapien-
tiæ contraria, unde Paulus, uerbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his au- *1.Corin.1.*
tem, qui ſalui ſiunt, ideſt nobis, Dei uirtus. Sunt & alia diuini uerbi ſymbola, tum in ſancta ſcriptura, tum in ſanctis auctoribus, quæ quòd eius uirtutem tam expreſsè non explicent, hîc non libet ſcribere.

INFOELICES igitur, qui in huius mundi denſiſsimis tenebris, hoc lumine de- *Peroratio.*
ſtituuntur, infœlices, qui huius aquæ cœleſtis, potu, inter medios huius mundi æſtus, non reficiuntur, infœlices, qui hoc uino cœleſti, uel quo diaboli tentamentis fortio-

res reſiſtant, nel quo perſecutionũ, quæ à mundo conſurgunt, obliuiſcãtur, non inebrlantur. Infœlices, qui ſuam ſpiritalem infantiam, hoc cœleſti lacte non nutriunt. Infœlices, qui hac ſagitta uon ſunt in medio cordis, tam dextrè percuſsi, ut prorſus mundo
Galat. 2. commortui, cum Paulo dicant, Viuo ego iam, non ego uiuit uerò in me Chriſtus. Infœlices qui hoc ſpiritus gladio ad ſuperandas ſpiritales nequitias, non armantur.

Quòd uerbum Dei libenter audire, ſit prædeſtinationis indicium, contrà uerò non audire, reprobationis. *Cap. III.*

ILlud à ſanctis auctoribus obſeruatum aduerto, piam uerbi Dei auditionem, magnum eſſe prædeſtinationis indicium, contrà uerò non audire, certæ diuinæ reprobationis præſagium. Intetea, inquit Bernardus, quæ fiduciam præſtant, & materiam ſpei, unum illud maximum eſt,
In ſermone quadam. Qui de Deo eſt, uerba Dei audit. nonnullos enim, ſic interdum audientes inuenias ac ſi ad eos nihil omnino pertineant, quæ dicuntur; non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare, ne fortè quod audiunt, dictum ſit propter eos: in his ego ſalutis ſigna non uideo, magis autem uereor, ne fortè pro-
In cõmen. 4. reg. c. 4. pterea non audiant uerbum Dei, quia non ſunt ipſi ex Deo. Gregorius etiam in eandem ſententiam; Certiſsimum (inquit) prædeſtinationis indicium eſt, libenter audire uerbum Dei. et Auguſt. Sicut nullum (inquit) eſt maius ſignum prædeſtinationis æter-
Lib. de prædeſtin. c. 5. næ, quàm uerba Dei libenter audire, ita nullum eſt peius ſignum, quàm illa contemnere. Hoc autem ex eo loco deducunt, quo Chriſtus ad Iudæos, inquit, eorum repro-
Ioan. 8. bationem oſtendens, Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit, propterea uos non auditis,
In quadã homil. quia ex Deo non eſtis. In quæ uerba idem Gregorius, Interroget, inquit, ergo ſe unuſquiſque, ſi uerba Dei audit, & intelliget, unde ſit. Idem nonnulli ex Chriſti ad Pilatum reſponſo, colligunt, Ego (inquit) in hoc natus ſum, & ad hoc ueni in mundum ut teſtimoniũ perhibeam ueritati. Omnis, qui eſt ex ueritate, audit uerba mea. In quæ
Libro de uera innoc. uerba Aug. Si naturam cogitemus, in qua creati ſumus, cùm omnes ueritas creauerit, quis non eſt ex ueritate? Sed non omnes ſunt, quibus ut audiant ueritatem & credant, ex ipſa ueritate præſtatur. Nullis proculdubio præcedentibus meritis ſaluamur, ne gratia non ſit gratia. ſi enim dixiſſet, Omnis, qui audit uocem meam, ex ueritate eſt, ideò dictus ex ueritate putaretur, quia obtemperat ueritati. Non autem hoc ait, ſed omnis inquit, qui eſt ex ueritate, audit uocem meam. Ac per hoc non eſt ideò ex ueritate quia audit eius uocem, ſed ideò audit quia ex ueritate eſt. Hactenus Aug. Habet profectò uerbum Dei quandam ſuauitatem & amoris paterni dulcedinem, quam ij ſoli, qui ſunt per æternam electionem ex Deo, ex ipſa uerbi auditione percipiunt. In eo tantùm lætantur, in eo exultant, in eo paſcuntur, in eo reficiuntur, & omnium malorum
Pſal. 118. medicinam reperiunt. Hi ſoli ſunt, qui cum Dauid, Deo dicunt, Quam dulcia fauci-
Ioan. 6. bus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Hi ſoli cum Apoſt. Petro Chriſti uerba, uitæ uerba eſſe cognoſcunt, atque adeò hi ſoli apertè, ciues ſupernæ illius ciuitatis ſe probant, dum tantùm audire lætantur, quæ ad eam ſpectant, & quæ, quà ſit ad illam eundum, inſinuant. Tales ſunt, qui eccleſias chriſtiana quadam ſimplicitate frequentant, à quocunque uerbum ſalutis ſine ullo diſcrimine audituri. non eſt horum, uerba prædicatoris cum uita conferre, non eſt horum, ſermonis in prædicatore pigmenta conquirere, non eſt horum, humanæ ſapientiæ faſtum ſuſpicere, ſed quaſi cœleſti paranympho aut tabellioni, de ſua illa ciuitate nuntianti, aures ſimpliciter admotas præbere. Sunt contrà quidam, qui nihil æquè formidant ac uerbum Dei audire, quibus furor,
Pſal. 57. ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet uocem incantantium; & uenefici incantantis ſapienter. Sunt profectò Euangelici prædicatores, ſapientes quidam incantatores, qui animas, quas antiquus ſerpens ſuo afflatu ſerpentes reddiderat, cœleſti ſermone quaſi carmine quodam incantare contendunt. Horum uerba qui refugit, ſerpentina illa ratione uiuendi ſe gaudere demonſtrat, & uerum filium ſe ſerpẽtis oſtendit: nam ſi ad eum uitæ uerba attinerẽt, quorſum ea contemneret? Sunt huiuſmodi homines phrenetici quidam, qui quòd omnino de-

ſperato

ſperato morbo laborent, neque medicos, qui præſenti potuiſſent ſubuenire remedio, æquo animo tolerant. Sunt ægri, qui non modò nutrimenti ſuſcepti, concoquendi uirtute deſtituuntur, ſed inſuper, ingenti cibi faſtidio laborant, quod eſt malorum extremum. Qui cibum (inquit Grego.) non guſtat, habet palatum alteratum, ita qui uerbum Dei non guſtat, habet animam alteratam: iudicatur mortuus, qui non comedit aut comeſta non digerit, ſic & anima quando de illa dicitur, Omnem eſcam abominata eſt &c. Hactenus Grego. *Grego.*

Est tamen aduertendum, non quanuis diuini uerbi auditionem extrinſecam, diuinæ fore prædeſtinationis indicium, ſed eam ſolam, quæ ſit intus cum affectu coniuncta. dum ſcilicet, ut Bernardus dicebat, Qui audit, cor ſuum intrat, mores diſcutit, & ad ſe, quæ dicuntur pertinere, ſibi perſuadet. Nam non uniuerſos, qui ſolis auribus aut ſolis corporibus Euangelico prædicatori appropinquant, ueros auditores uocari Hieronymus docet, in ea uerba Solomonis, Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias. Præcepta, inquit, uitæ dat, & non uult offendere euntes ad Eccleſiam, non enim ingredi domum Dei, ſed ſine offenſione ingredi, laudis eſt, & ſi eſſet omnium, qui ſunt in Eccleſia, Dei audire ſermonem, nunquam addidiſſet, Appropinqua ut audias. quod Moſis exemplo ſubinde confirmat, qui inter omnes Iſraelitas, ſolus ad audiendum Deum appropinquaret. Et Ambroſius, Non omnes (inquit) uerbum Dei audiunt, Nam ſi omnes audirent, non diceret Iesvs, Qui habet aures audiendi audiat. Immo tantum abeſt, ut extrinſeca iſta uerbi ſuſceptio, ſine cordis affectu, diuinæ prædeſtinationis præſagium præbeat, ut etiam eiuſdem uerbi prædicatio plerunque à reprobis exerceatur ſubtiliter. Diuina eloquia, inquit Gregorius, in ea uerba, Qui ex Deo eſt &c. etiam reprobi eloquuntur, ſentire autem niſi electi non poſſunt. Sentitur enim ea res, cuius uirtus agnoſcitur. nam & ægri, piſces comedunt, ſed uis ægritudinis tollit eis experimentum ſaporis, ut quod uidentur comedere, prohibeantur & ſentire. Sic nimirum carnales quique, dum cœleſtia loquuntur, quæ non diligunt, uelut ægri rebus utuntur, quas ſentire prohibentur. Contrà uerò per humilitatis meritum, ſancti uiri, cœleſtia, quæ loquuntur, magno affectu charitatis excipiunt, ut ualde dulce ſit eis ſuperna diſcere, eo quòd dulciter ac ualde dulcius per amorem ſaturantur. Vnde etiam ſcriptum eſt, Edent pauperes & ſaturabuntur. diuites ſaturari non poſſunt. quia nimirum electi uiri, qui ſuperna diligunt, quoties hæc audiunt, ad hæc feruentius incaleſcunt. Reprobi ſuperna loquuntur, & audiunt. quæ in nulla dulcedine, ad mentis ſuæ refectionem ſuſcipiunt. Hactenus Gregorius. Et alibi, Sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur, & ſunt nonnulli, qui hæc quidem aure corporis percipiunt, ſed nullo ea mentis deſiderio complectuntur. Et ſunt nonnulli, qui libenter quidem uerba Dei ſuſcipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, ſed poſt lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profectò uerba Dei, quia ea opere implere contemnunt, non audiunt. Sed id omnium clariſsimè in Euangelica parabola de ſemine, Chriſtus oſtendit, quadruplici illa ſeminis ratione. neque enim, quod ſecus uiam, aut in petra, aut inter ſpinas cecidit, fructum attulit, ſed quod in terram bonam ceciderat. Eſt igitur non quæuis uerbi Dei auditio, æternæ ſalutis fructum allatura, ſed quæ in terram bonam, id eſt in piam mentem profuſa, ceciderit. Vitam ergo noſtram ante mentis oculos reuocemus, & alta conſideratione pertimeſcamus hoc, quod ex ore ueritatis ſonat, ſcilicet, Qui ex Deo, uerba Dei audit.

Eccleſi.4.c. *In pſal.40* *In homil.* *Ioan.9.* *Pſal.21.* *Hom.18.* *Matth.13.*

Quòd maxima commoda ex uerbi Dei auditione oriantur. Cap. IIII.

Nihil eſt quod pluris ſanctæ ſcripturæ contextus appendat, quàm quod Deus diuinum nobis ſermonem indulſerit, et nos ſuorum conſiliorum conſortes effecerit. Hæc eſt (inquit Moſes ad Iſraëlem, cui in hæreditate ſucceſsimus) ueſtra ſapientia & intellectus coram populis, ut audientes uniuerſi præcepta hæc, dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna, nec enim eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos ſuos appro- *Deut.4.*

pinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus. quæ enim eſt alia gens inclyta, ut habeat ceremonias iuſtaque iudicia, & uniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos tuos? Et Dauid, cum Iſraëlitico populo cœlitus exhibita be-
Pſal. 147. neficia recenſet, Qui annunciat, inquit, uerbum ſuum Iacob, inſtitias & iudicia ſua Iſraël, non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Beati ſumus
Baruch. 4. ò Iſraël, inquit Baruc, quia, quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Nec iniuriâ profectò, beatum Iſraëlem uocat, quando cœleſtis diſciplinæ theſauro, nihil homini tum ad æternæ fœlicitatis aſſequendam coronam, tum ad præſentis uitæ miſerias & exilium æquo animo ferendum, utilius à Deo poteſt contingere. Hæc eſt illa cœleſtis ſapientia, toties maximis encomiis in ſancta ſcriptura commendata, quam iuſti regnis & ſedibus
Sap. 7. ſolent proponere, & diuitias nihil eſſe dicere, in comparatione illius. non comparantes illi lapides precioſos, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimetur argentum in conſpectu illius, ſuper ſalutem & pulchritudinem diligentes eam, & proponentes pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Grandis profectò & incomparabilis theſaurus cœleſtis doctrina, in qua tot utilitates, tot commoda, ad uitam hanc mortalem agendam, piis offeruntur. Quæcun-
Roma. 15. que, inquit Apoſt. Paulus, ſcripta ſunt, ad noſtram utilitatem ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Habebant olim Iudæi fideles, inter ſuarum urbium excidia, inter hoſtiles inſultus, inter ingentes illas calamitates,
1. mach. 12 quas à gentibus quotidie accipiebant, pro ſolatio ſanctos libros; habet modò Chriſtianus homo, præter hos, frequentiſsimam diuini uerbi prædicationem, quam ſi colat, inter huius uitæ pericula, ad cœleſtem patriam tutus incedet. Liberat, inquit Auguſt.
In pſal. 36 à laqueo uenantium, uerbum Dei in corde; liberat à lapſu, uerbum Dei in corde; liberat à uia praua, uerbum Dei in corde. Origenes etiam, cum Iudæorum ſabbatum noſtræ chriſtianæ dominicæ diei, hac ratione præferet, quòd in illo manna corruptibili cœlitus pluerit, in hac, Dei ſermo eccleſiaſtica conſuetudine, in corda fidelium per Euangelicos miniſtros deſcendat, ad eiuſdem Euangelici manna auidam collectionem nos urgens, Feſtinemus, inquit, hoc manna ſuſcipere, quòd, prout uult quiſque, saporem reddit in ore, unde apud Matth. Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Et tu ergo ſi
Matth. 9. uerbum Dei, quod in Eccleſia prædicatur, tota fide & deuotione ſuſcipias, fiet tibi quodcunque deſideras, ſi tribularis, conſolatur te, dicens, Cor contritum & humiliatum
Pſal. 50. Deus non ſpernit. ſi lætaris, pro ſpe futura cumulat tibi gaudia, dicens, Lætamini in domino & exultate iuſti. ſi iracundus es, dicit, Deſine ab ira, & relinque furorem.
Pſal. 37. ſi in doloribus ſis, ſanat te, dicens, Dominus ſanat languores tuos omnes. ſi pauper-
Mat. 4. tate conſumeris, conſolando dicit, Dominus alleuat de terra inopem, & de ſtercore eri-
Pſal. 112. git pauperem. Hactenus Origenes. Quibus uerbis, quamuis magno compendio, ingentia hominis Chriſtiani ſolatia, in Euangelici uerbi auditione latère demonſtrat. In eo profectò, qui uel ob admiſſa delicta triſtatur, uel mundi aut diaboli perſecutionibus præmitur, quò triſtitiam expellat, ſtatim offendet. Quid enim huiuſmodi homini ſua-
Matth. 2. uius, quàm dulcis illa Chriſti uocatio, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos; & ſimiles multæ afflictorum hominum conſolationes, quibus omnis Euangelica prædicatio reſpergitur? In ea etiam, qui ſpiritali lætitia tripudiat, futuram fœlicitatem anticipans; dum huius mundi labores, & afflictiones, in immenſam quandam uitæ beatitudinem commutandos audit, mirum eſt quantum incrementum lætitiæ Euangelica prædicatione ſuſcipiat: Iram, odium, rancorem, & reliquos humanos affectus, qui præter hoc, quòd ſpiritalis uitæ rationem peſſundant, mortales quoque ſæuiſsimè torquent, nihil eſt quod potentius diluat, quàm frequens diuini uerbi auditio. Quis enim, & ſi grauiſsimis iniuriis affectus fuerit, fratri infenſus, ab Euangelica prædicatione diſcedat, qui Chriſtum in crucem actum, pro his, qui eundem, tot opprobriis, tot blaſphemiis, tot atrociſsimis iniuriis, affectum, uita quoque ipſa priuarunt, patrem obnixè oraſſe audiat? Quis demum non ingenti animi lætitia, huius uitæ ſordes & paupertatem (ſi nondum amet) ſaltem ſuſtineat, ſi audiat, Chriſtum ab ipſo uitæ mortalis exordio, eam uitæ rationem elegiſſe, quæ eſſet pauperrima, ſi audiat, alterius uitæ, quam ſperamus tutiſsimam uiam, non diuitias, non faſtum, non potentiam, ſed paupertatem, ſed abiectionem, ſed in-

firmitatem,

firmitatem, à diuina ſapientia, quæ falli non poteſt, ptoponit? Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quis inter lacrymas, mundi perſecutiones, & Sathanicos inſultus, ſi modò alterius uitæ rationem habeat, & nondum pœnitus Chriſtum exuerit, non malit conſeneſcere, quàm inter gaudia mundi, delitias, & blandimenta, ſi prædicatorem audiat ex ore Chriſti dicentem, beatos fore qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, & beatos qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, & beatos eſſe quibus maledicatur, &c. Rectè itaque Origenes, diuini uerbi auditionem, cœleſti illi cibo, qui in Arabiæ deſerto, Iſraëlitico populo fuit diuinitus indultus, æquiparat. quemadmodum enim ille, omnem ſaporis & nutriendi uirtutem in ſe continebat, ita, ut quod uellet quiſque, hoc eſſet palato, ita diuinæ legis auditio, uarios habet ſapores, uaria auditoribus, ſpiritus nutrimenta miniſtrat. Sed illud eſt obſeruandum magnopere, ne furtim & clanculum hoc cœleſte manna colligatur, aut ampliori menſura, quàm ſpiritualis uitæ uſus ſit neceſſarium; putreſcet enim, quemadmodum illud olim, plusquàm opotteret, furtim, contra Moſis præſcriptum collectum, putteſcebat. Scriptum eſt enim, Altiora te ne quæſieris. Eſt etiam Euangelica arca, id eſt publicus Eccleſiæ locus, in quem putum putum diuinum uerbum ab Euangelicis nubibus, ideſt ab Eccleſiaſticis prædicatoribus depluit. Illic legitimum Dei uerbum licet exquirere, non in angulis, in quibus ſe nonnunquam Sathanas in angelum lucis transformat. Sed de hoc poſtea, nunc ad uerbi diuini auditionis commoda enarranda reuertor. Vidit Ioannes Apoſt. in ſancta illa ciuitate, fluuium aquæ uiuæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem à ſede Dei, & agni, & ex utraque parte fluminis, lignum uitæ, afferens duodecim fructus, per ſingulos menſes, ſingulos fructus ſuos, & folia ligni, ad ſanitatem gentium: quæ mirabilis uiſio Euangelici uerbi originem, naturam & effectus, oſtendit. Fluuium ſplendidum in ſancta ſcriptura, Spiritus ſancti perſonam notare, frequente eius interpretatione, Eccleſiaſtici uiri ſanxerunt, unde & apud Danielem, antiquus dierum, à propheta uidetur, à cuius facie igneus fluuius & rapidus, ideſt diuinus Spiritus, qui corda mortalium algentia ſuccenderet, ægredi dicitur. Et apud Ioannem, ex credentis uentre flumina aquæ uiuæ fluitura dicuntur; quod Euangeliſta de Spiritu ſancto, quem erant accepturi diſcipuli, Chriſtum dixiſſe, teſtatur? Agnum deinde, Chriſtum, Deum autem communi ſanctæ ſcripturæ ſermone, perſonam patris intelligi, cuncti conſentiunt. ergo à ſede Dei & agni, fluuius aquæ uiuæ deſcendit, quoniam Spiritus ſanctus à patre filioque, non in temporis motu, ſed in æternitatis quiete procedit. Ex utraque uerò fluminis parte, lignum eſt uitæ, quoniam diuinum uerbum, quod nouo & ueteri teſtamento concluditur, eundem S. Spiritum habet auctorem; ipſe eſt enim, qui docet omnem ueritatem. Sed hoc lignum duodecim fructus, per ſingulos anni menſes producit, quos Apoſtolus Pau. ad Galathas numerat, Fructus, inquit ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, aduerſus quæ nullam eſſe legẽ pronuntiat. Sed & folia huius ligni, ad ſalutem gentium, prodeſſe dicuntur, quoniam etiam quæ in Euãgelica prædicatione infructuoſa uidentur, ſalutem quoque auditoribus, ſi piè ſuſcipiantur, conciliant. Vnde de Euangelici uerbi miniſtro, qui eo quòd, id ſanctum lignum in ſe habeat, lignum quoque uocatur, Dauid canit, Beatus uir, qui in lege domini meditatur die ac nocte, & erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non deflnet. Aquas uocat Spiritum ſanctum, & eius chariſmata, quibus ſancti prædicatores, ad Euangelicos fructus in horto Eccleſiæ ferendos, quotidie rigantur. Fœlix igitur, qui fructum, ex hoc ſanctæ uitæ ligno, in medio paradiſi, ideſt in medio Eccleſiæ plantati, quotidie ſine faſtidio decerpit. ideſt fœlix, qui uerbi Dei ſtudio frequenter incumbit, renouabitur ut aquilæ, iuuentus eius. Marceſcit profectò ſpiritalis homo, niſi huius ſancti ligni frequenti, eſu, ingruentem ſpiritus ſenectam depellat, neque uires animæ, quas quotidie mundi ſolicitudines deterunt, reficere poterit, niſi frequenter huius ligni uitæ fructus decerpat. Sed iam quæ ex uerbi Dei frequenti auditione commoda proueniant, quò ad eam, ſi fieri poſſit, fideles alliciantur, ſingillatim tractemus.

Matth. 5. Eccl. 3. Apoc. 22. Nicol. Lyra. &c. Dani. 7. Ioan. 7. Ioan. 16. Galat. 5. Pſal. 1. Auguſt. in pſal. 1. Pſal. 102.

Prior audi-tionis Euan-gelij fru-ctus. ILLVMINAT cœleſtes uerbi prædicatio auditorum mentes, iuxta Dauidis oraculum, Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Et rurſus, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſemitis meis. Quemadmodum igitur ſine
Pſal. 118. corporali iſta luce, non poteſt quis tutò incedere, ſed eſt neceſſarium, alicuius luminis claritate perſundi, quo ſciat quà ſit, quo tendit, eundum, & à quo ſit declinandum, alioqui frequentiſsimè offendet, ita nobis, in denſiſsimis mundi huius tenebris, cæcutientibus, neceſſaria eſt uerbi diuini lucerna, quò ſciamus, quà ſit in patriam, ad quam tendimus eundum, & quid ſit declinandum. Nihil magis agit Euangelicus prædicator, quàm chriſtiana, quam poſt hanc uitam mortalem ſperamus fœlicitate monſtrata, eius acquirendæ rationem oſtendere, & periculorum, quæ ab eius conſecutione impedirent, admonere. Eſt diuini uerbi prædicatio, ſpeculum Socraticum, in quo Chriſtiani hominis anima, uel ſua pulchritudine cognita, in eadem coram cœleſti ſponſo quotidie proficere contendit, uel maculas deprehenſas, pœnitentia & ſanctis flectibus eluit. unde de
Sap. 7. cœleſti ſapientia, ideſt uerbi Dei ſtudio, ait Sapiens, Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Mirum profectò quantum frequenti uerbi Dei auditione, Chriſti hominis fides illuſtretur, quantumque in Dei cognitione proficiat, à qua cuncta bona
In quodam ſermo. procedunt, Sicut ſolaris radius (inquit Fulgen.) in inſtanti, ſubita illuſtratione, totum mundum illuminat, ſic radius diuini uerbi procedens à ſole iuſtitiæ, illuſtrat totam rationalem mentem radio ueritatis. Infœlix profectò, qui huius ſancti ſolis radiis, non laborat quotidie perſundi, cæcus eſt & in tenebris ambulat. Nec eſt magnopere mirandum, quòd hi, qui hanc cœleſtem lucem, quaſi uenenum auerſantur, opera tenebrarum quotidie proſerant, immo paulatim illud quantulumcunque fidei, quod tum ex ſacro baptiſmo, tum ex chriſtiana educatione, remanſerat, in uaria hæreſum portenta eua-
Roma. 10. neſcat, quod quotidie uidemus. Fides, Apoſtolo auctore, ex Euangelica prædicatione gignitur; eadem igitur conſeruatur & creſcit. qui ergo prædicationem diuini uerbi auerſantur, fidem euertunt. Atque hinc eſt profectò quòd uidemus quoſdam, quibus Sathanica fraude perſuaſum eſt, bonam eſſe ingenuitatis partem, diuini uerbi auditionem declinare, neque cum cæteris fidelibus publicas conciones audire, in fide tam debiles & infirmos, ut potius ex quodam uſu, & quod ita à parentibus acceperint, quàm ex uero corde, & quòd ita perſuaſum habeant, Chriſtianæ religionis dogmata profiteantur. de quibus norunt omnes, quàm magnificos triumphos diabolus quotidie reportet, quantumque carnis & mundi ludificentur affectibus. Languet & marceſcit enimuerò fides, quam aſsiduè diuini uerbi cultura non ſuſtinet, paulatimque Chriſtianæ religionis ſæuiſsima caries, humanus ſenſus, quaſi domeſticus fur, mentem ſuf-
Roma. 1. fodiens, fidem peſſundat, danturque plerunque in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conueniunt, ſicut eſt dies hæc. nimirum quòd fidei lumen, quod ſemel acceperant,
Roma. 1. frequenti ſanctæ prædicationis auditione non colant, unde inſipiens cor eorum, quod antea fidei ſapientia illuſtrauerat, humanarum cogitationum frequentia, quam ipſa fidei prædicatio non impedit, obſcuratum, ſi non in idololatriam, aut impietatem, ſaltem in hæreſum portenta paulatim declinat. Sed iam ſecundum Euangelicæ prædicationis fructum proferamus.

De fortitudine ac robore ſpiritus, quod auditione uerbi Dei conciliatur. Cap. V.

ESt autem quædam animæ uirtus quoddamque robur, quo ad rectè operandum, atque ad hoſtiles triumphos, Chriſtianus erigitur. Mirum eſt profectò quantum ſanctæ prædicationis auditione charitas augeſcat, quæ dum ſit uera, nihil habet difficile. Vbique charitatis feruorem, Euangelici prædicatores ingeminant, quòd ſciant ad uirtutes exercendas, & aduerſas poteſtates ſuperandas, nihil eſſe potentius. Nam quantæ uires, quantumque robur charitas poſsidenti conciliet, ad Romanos ſcri-
Rom. 8. bens, docet Apoſtolus, Quis (inquit) ſeparabit nos à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut

ſcriptum eſt ; Quia propter te mortificamur tota die , æſtimati ſumus ſicut oues
occiſionis : ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum , qui dilexit nos . Certus ſum
enim quòd neque mors , neque uita , neque Angeli , neque principatus , neque uirtutes,
neqne inſtantia , neque futura , neque fortitudo , neque altitudo , neque profundum ,
neq; creatura aliqua , poterit nos ſeparare à charitate Dei , quæ eſt in Chriſto IESV do-
mino noſtro . Paruus uidebatur Iacobi ſeptem annorum labor , quem pro Rachele pa Gen. 28.
ctus fuerat cum ſocero , nimirum , quòd amoris magnitudo & certa ſpes eius potiun-
dæ, quod alioqui grauiſsimum fuiſſet, leuiſsimum redderent .. Hunc autem ſpiritua-
lis fortitudinis fontem , potiſsimè à diuini uerbi prædicatione deſcendere , dum Dei &
Chriſti beneficia narrantur , dum quæ nobis præparauit , recenſentur, nemo eſt qui non
fuerit expertus . Diſſoluit profectò animæ glaciem , diuini ſermonis calor, ſtupidaque
peccati frigore membra , ad uirtutem exercendam incendit . Ignitum , inquit Dauid , Pſal. 118.
eloquium tuum uehementer , & ſeruus tuus dilexit illud . Verba mea , inquit alibi Deus, Hier. 23.
quaſi ignis ardens, & quaſi malleus conterens petras : inflammant enim diuina uerba, cū
piè ſuſcipiuntur , humana corda , & eadem , quamuis peccati frigiditate duriſsima , in re
ctas operationes reſoluunt : quod , duo illi diſcipuli euntes in Emaus , apertè fatentur , Lucæ 22.
Nonne cor noſtrum , aiunt , ardens erat in nobis , dum loqueretur nobis in uia & aperi-
ret nobis ſcripturas ? Mirum eſt , quantum ſanctarum ſcripturarum expoſitione incale-
ſcat pius auditor , qui ſibi alterius uitæ rationem habendam ſuaſerit . Sermo Dei , ait
Gregorius , ad aurem dicitur , & mens ex internæ dulcedinis flāma comburitur . Et alt- Homil. 3.
bi , Vita , inquit , prædicantium ſonat & ardet , ardet deſiderio , ſonat uerbo , æs ergo in Ezech.
candens eſt prædicatio accenſa , ſed de candenti ære ſcintillæ prodeunt , quia de eorum
exhortationibus , uerba flammantia ad aures audientium procedunt . Rectè ergo uerba
prædicatorum , ſcintillæ appellantur , quia illos , quos in corde tetigerint , accendunt .
hæc ille . Non eſt aliud enimuero diuina beneficia recenſere , Chriſti amorem expone-
re , futuræ fœlicitatis præmia narrare , diem mortis & extremi iudicij reficicare audito-
rum animis , quod Euangelici prædicatores frequentiſsimè faciunt , quàm ſcintillas
quaſdam emittere , quibus peccati torpor , & glacies , quæ uirtutis exercitium impe-
diunt , ab anima fugiant . Fœlices , qui huic ſancto igni , quem dominus in terram mit- Lucæ 12
tere uenit , ſe quaſi ſtipulam præbent , uniuerſam peccati uliginem , & humorem fu-
gantes ab animis . Omnibus uerò optandū ſummopere ut in ore mininiſtrorum Euan- Hier. 5.
gelij , diuina uerba dentur in ignem , & populus iſte in ligna , ut deuoret eos . Sunt
Euangelici prædicatores , diuinæ quædam citharæ, quæ mirabili quodam concentu, uni-
uerſum animi languorem , & uecordiam expellunt , quæ interdum dulcia ſonant , dum
Dei miſericordiam , & futuræ beatitudinis gaudia recenſent ; interdum acuto ſono con
ſcientias pungunt , dum æterna ſupplicia ad memoriam peccatorum reducunt ; inter-
dum mite , ac ſuaue melos auditoribus præſtant , quod eos inter huius exilij ſolicitu-
dines , ac preſſuras leniendo , obdormire faciat , dum Chriſti ac ſanctorum patientiam
& afflictionum uberes fructus , denunciant : quò forſan attinebat quòd Saul à nequam 1. Reg 16.
ſpiritu uexatus , pulſante Dauid citharam , refocillabatur & melius habebat . Exclu-
ditur profectò rectè operandi torpor , qui in nobis à Diabolo gignitur , ſanctæ prædica-
tionis cōcentu, dum diuina uerba, quæ ſunt quaſi claui in alto cordis defixi ; Dulci qua- Eccl. 12.
dam uiolentia nos agunt ad amorem uirtutis . Nihil , inquit Hugo Victorius , in hac Lib. 1. de
uita , dulcius ſentitur , nihil auidius ſumitur , nihil ita mentem ab amore mundi ſepa- Anima.
rat , nihil ſic animum contra tentationes roborat , nihil ita hominem excitat ad omne
bonum , & ad omnem laborem , ut ſacræ Scripturæ ſtudium . Vocat autem ſtudium ſan-
ctæ Scripturæ , non ſolùm quod ſacris libris impenditur, quod tantummodo ad eruditos
in lege Domini pertinet , ſed & eiuſdem ſanctæ Scripturæ auditionem , qua perfectius
multò quàm librorum ſtudio , uoluntas domini & ſacra fidei myſteria diſcuntur . Ingens
ergo robur uel ad Chriſtianæ uitæ rationem obeundam , uel aduerſarias poteſtates pro-
terendas , eorum animis additur , qui uerbum Dei, cum uera pietate frequentant . Con-
trà , uerò plurimum cacodæmonis incurſibus patent , qui illud audire contempſerint .
Quemadmodum enim milites , & ſi alioqui fortiſsimi , ingruentibus hoſtibus, non tan-
tùm tubis, tympanis, aut, quod quidam conſueuere , mutua uociferatione , ſed ſapienti
etiam ducis oratione , in qua regij amoris & magnificentiæ , maiorum ſuorum uirtutis ,
propriæ

propriæ dignitatis, & ſortitudinis; hoſtium imbecillitatis & ignobilitatis, & demum
gloriæ, quæ ex uictoria conſequitur, admoneantur, ne mortis terrore deficiant, & ani-
mum deſpondeant, ſunt conſortandi & erigendi; ita Chriſtiani, quibus non aduer-
Eph. 6. ſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi re-
ctores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus, bellum ab ipſo
uitæ Chriſtianæ primordio, ad hiatum extremum uſque, ſuſcipitur, hortatione ſunt
admonendi, ne uel inſidiis anteuerſi, in laqueos diaboli incidant, ne uel ſæuiſsimi
Hebr. 1. & potentiſsimi hoſtis, quem tantæ ſciunt eſſe uirtutis, ut mortis olim teneret impe-
Iob 40. rium, & eſſet rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, & quaſi fortis armatus pacatiſsima
Matth. 12. poſſeſsione, & dominio in uniuerſos mortales, in huius mundi atrio obtinuerit im-
perium, truculentia & poteſtate deterriti, in ſpiritali conflictatione labaſcant. Quo-
tidiano ſtratagemate colendi ſunt, qui ab indefeſſo hoſte, quotidiano bello petun-
tur, quibus ad comparandam gloriam, non eſt ſatis ſemel uiciſſe, quibus quotidia-
næ inſidiæ ſtruuntur, quorum uita, non eſt aliud quàm perpetua militia. Sunt regis
Iob 7. Chriſti beneficia, amor & præmia proponenda, ſunt eorum heroum, qui nos in Chri-
ſtianæ uitæ exercitio præcellerunt exempla refricanda, quo, quas ſemel acceperunt,
ſtationes ſeruantes, omni ſocordia profligata, de hoſte triumphent. Quemadmo-
dum uerò miles, qui ducis orationem contemnit, non tanto animi robore & forti-
tudine aduerſus hoſtiles acies decertat, ut ille, qui orationis militaris ſtimulis no-
uos animos induit, ita Chriſtianus, qui ſanctæ prædicationis ſermoni non intereſt,
minùs aduerſis poteſtatibus obuiat, imbecilliorique uirtute contra hoſtes inſurgit.
Ephe. 6. De cætero, inquit Apoſtolus, ad Epheſios ſcribens, confortamini in domino, & in po
tentia uirtutis eius, & induite uos armaturam Dei, ut poſsitis ſtare aduerſus inſidias
diaboli, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela inimici ignea
extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei.
1. Ioan. 2. Et Ioannes, ſcribo uobis filioli, quoniam fortes eſtis propter uerbum Dei, quod ma-
net in uobis. Sunt igitur uera Chriſtiani hominis arma, Dei uerba, uera animi pietate
ſuſcepta, ingentemq́; illi animi conſtantiam & robur conciliant. quod illuſtres ſancto-
rum Martyrium & imbecillium alioqui puellarum, quæ anterioribus ſæculis mun-
dum in Chriſto uicerunt, triumphi ubertimè demonſtrant. Manebat in illis Dei ſer-
mo, nihilq́ue frequentius animo uoluebant quàm illas futuræ fœlicitatis diuitias &
1. Cor. 1. cœleſtes theſauros, quos nec oculus uidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis
aſcenderunt, Deus autem illis reuelauerat per ſpiritum ſuum, cuius ſunt Euangelici
Prouer. 3. prædicatores fideles miniſtri. Eſt ſermo Dei, clypeus ignitus omnibus ſperantibus in
ſe, quo profectò, ſi Chriſtianus homo ſe protegat, parum illi obeſſe poterunt ignea
tela inimici, unde Chriſtus Agonotheta noſter, & uerus ſpiritalis belli magiſter, nul-
Matth. 3. lo alio quàm Dei uerbi memoria, quaſi igneo clypeo, Sathanæ aggreſsiones eluſit.
Debilia ſunt profectò ieiuni hominis membra & ad bellum inepta, uireſq́ue quãuis
robuſtiſsimæ, niſi pane reficiantur continuò ſoluuntur; ſed debilior eſt Chriſtiani ho-
minis uirtus, & ad conflictandum cum ſpiritualibus hoſtibus infirmior, niſi hoc cœ-
leſti pane reficiatur. Et quemadmodum ad uires corporis conſeruandas, non ſatis
eſt ſemel panem comediſſe, ſed quotidiana refectione ſunt illæ muniendæ, ut ſolidæ
ſint & uegetæ, ita non ſatis eſt ſemel aut iterum in anno Euangelicum hunc panem
ediſſe, ſed oportet, ut robur ſpiritus uegetum ſeruetur, frequentiſsimè huic ſancto
conuiuio Euangelicæ prædicationis, aut ſaltem lectionis inſiſtere. Sed heu, quantum
diuini iſtius panis tædium, quanta nauſea mortales inuaſit, præcipuè uerò mundi
quoſdam fideliſsimos filios, qui ſatis ſibi eſſe perſuaſerunt, ut Chriſtiani uideantur,
(nam eſſe non curant) ſi quadrageſimæ tempore, nec tamen toto, ſed diebus qui-
buſdam, ſomno, quem propter præcedentem crapulam nondum excluſerunt, ſopiti,
concioni non tam anima quàm corpore, quod illuc uiolentè intulerunt, interſint.
Bone Deus, quàm marcidus, quàm debilis, quàm imbecillis, quàm languidus erit ho-
rum ſpiritus, qui ſexies aut ſepties in anno, immo nunquam reficitur. diuini nãque
ſermonis auditio, non quacunque ratione, ſed piè, ſincerè, & deuotè ſuſcepta, quod
longiſsimè ab iſtis abeſt, ſpiritum reficit. Contrà igitur, qui non tam corporis ſa-
ginandi quàm ſpiritus nutriendi cura diſtingitur, quiq́ue uitæ Chriſtianæ, quæ non

eſt aliud,

eſt aliud, quàm aduerſus antiqui hoſtis technas, & aſſultus pugna perpetua, ratio-
nem habet, dicat cum ſancto propheta, Dormitauit anima mea præ tædio; confir- *Pſal. 118.*
ma me in uerbis tuis, ideſt præſentis uitæ ſolicitudine, & humanorum negociorum di-
luuio (quæ humana eſt fragilitas) quaſi tædio quodam & ſocordia confectus, à
priſtino illo, qui ſeruum tuum decet, feruore deſciui. uerùm ſi mihi tui ſancti ſer-
monis robur infuderis, continuò ad currendam uiam mandatorum, nouas uires aſſu-
mam. Frequentet Dei ſeruus Eccleſias, frequentet conciones, nullum prædicatorem *Pſal. 118.*
deſpiciat, quia nullus de Chriſto non loquitur, & quantiſuis Iezabelis, ideſt mundi *3. Reg.*
huius perſecutionibus actus, ambulabit in fortitudine panis iſtius, qui modò, quòd mun *19. c.*
di amatoribus ſit deſpicabilis, ſub cinericius apparet; uſq; ad montẽ Dei Oreb, qui cœ-
leſtis eſt patria. Fruatur Chriſti ſeruus diuina magnificentia, quæ mortalibus ſplendidius
quàm unquàm noſtra memoria, cœleſtem hunc panẽ indulget, uenient forſan dies, cùm
noſtris facinoribus, adactus Deus, auferat à nobis omne robur panis, & omne robur *Iſa. 3.*
aquæ, ac proinde fortem & uirum bellatorem: uenient forſan dies, quando mittet Do- *Amos 8.*
minus famem in terram, non famem panis corporei, nimirum & frumenticij, ſed au-
diendi uerbum Domini, & commouebũtur à mari uſq; ad mare, & ab Aquilone uſq; ad
Orientem, & circuibunt quærentes uerbũ Domini, & non inuenient, quod & quibuſdam
prouinciis noſtro quoq; tẽpore accidiſſe uidemus. In illa die deficient uirgines pulchræ
& adoleſcentes in ſiti, qui iurabunt in delicto Samariæ, & dicent, Viuit Deus tuus Dan,
& uiuit uia Berſabeæ, & cadent & non ſurgent ultrà. In quæ uerba Hieronym. Mittit Do
minus famem in terram, ſuper eos, qui terrena ſapiunt, & famem non panis, ſitimq́; non
aquæ, ſed audiendi uerbum Domini, quandò propter peccata populi, doctrina deficit
in eccleſiis, & à mari uſque ad mare; ideſt à ſalſis, & amariſſimis fluctibus, uſque ad
mare perueniunt, non occurrentes fluminibus, non dulciſſimis uariis fontibus, ſed rur-
ſus ad amara currentes, & ab Aquilone uſque ad Orientem, cupientes Aquilonem de-
ſerere, qui eſt uentus duriſſimus, & ab ignorantibus dexter uocatur, & peruenire ad
Orientem, quem reperire non poterunt, quia non recto pergunt itinere, ſed deuiis cir-
cumeunt callibus, uiamq́ue regiam non tenentes, curuis ducuntur anfractibus. In illo
tempore deficient animæ uirginales, quas incorruptas Apoſtolus nominat, & cupit
æternam pudicitiam poſſidere, ſcribens ad Corin. Deſpondi uos uni uiro uirginem ca-
ſtam exhibere Chriſto. deficient autem uirgines, quia uerbum Domini non inuenient.
Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Eccleſia, perire pudiciciam, caſti-
tatem mori, omnes abire uirtutes, quia non comederunt uerbum Domini, quòd qui co
mederit, ſaginatus eius cibo, audiet per Solomonem, Iuſtus comedens ſaturat ani-
mam ſuam; anima autem impiorum eſuriet. Deficientibus autem uirginibus, & ado- *Prouer. 17.*
leſcentes deficient, qui prius uicerant mundum; & idcirco deficient, quia iurabunt in
idolo Samariæ, quam in hæreticorum perſona ſemper accepimus, dicente hoc prophe-
ta, Væ qui deſpiciunt Sion, & confidunt in monte Samariæ, deſpiciunt enim hæretici
eccleſiam Dei, & confidunt in falſitate dogmatum ſuorum, erigentes ſe contra ſcien-
tiam Dei. Hactenus Hieronym. Cuius ſententiam, ipſo, quod modo ſæuit, Eccleſiaſtico
incommodo comprobatam uidemus. Significat itaque ſanctus propheta, noſtris pec-
catis, aliquando futurum, ut miſceat dominus in Eccleſia ſpiritum ſoporis, & claudat *Iſai. 29.*
oculos noſtros, prophetas & principes noſtros, qui uident uiſiones operiat, & ſit Euan-
gelicis prædicatoribus, uiſio omnium, quæ in lege Domini continentur, ſicut uerba li-
bri ſignati, quem cum dederint ſcienti literas, & dixerint, lege iſtum, reſpondebit, non
poſſum, ſignatus eſt enim, & dabitur, liber ſanctarum ſcripturarum neſcienti, & di-
cetur quoque ei, lege, & reſpondebit, neſcio literas. Eo enim quòd ore tantummodò
appropinquamus Domino, & labiis tantùm illum glorificamus, cor autem noſtrum,
quod tamen Deus potiſſimè poſtulabat, longè eſt ab illo, & colimus eum, non eius
gratia, ſed mandatis & doctrinis hominum, ideſt, quæ humano ſenſu, & non Euange-
lico ſpiritu, ſed in hominum gratiam, plerunque ſunt excogitata, addet Dominus,
ut admirationem faciat populo noſtro huic, miraculo grandi & ſtupendo. Peribit enim
ſapientia à ſapientibus eius, & prudentia à prudentibus eius abſcondetur. Tunc quibus
nihil maius tædium affert, quàm quæ nunc eſt uerbi frequentia, forſan dicent, Vbi eſt *Iſa. 33.*
literatus? ubi eſt legis uerba ponderans? ubi eſt doctor paruulorum? Tunc ergo ſancto

diuini uerbi paſtu ob peccata deſtituti, à mari uſque ad mare, ab Aquilone ad Orien-
tem, ideſt per uniuerſum terrarum orbem, Euangelici uerbi uerum miniſtrum con-
quirent, nec tamen inuenient. Vnde mentis, quam Chriſto libauerant, uirginitatem
perdentes, & ob cibi penuriam, iuuenile animi robur, quo de hoſte triumphaue-
rant, fame prorſus eneruari, amittentes, ad hæreticas doctrinas, quæ carni & ſangui-
ni adblandiuntur, concedent. Nihil profectò certius, quàm ex contemptu uerbi Dei
in peccata defluere, ex peccandi uerò licentia, quam ſibi, qui freno uerbi Dei non
retinentur, indulgent, ſicut non probant Deum habere in notitia, ita tradi in repro-
bum ſenſum, ut faciant quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, for-
Roma. 1. nicatione, auaritia. Sed hæc, quæ ſunt uſu quotidiano comperta amplius proſequi
forſan ocioſum.

Quód ex *Euangelicæ prædicationis auditione, ingens animi con-ſolatio deriuetur.* Cap. VI.

TErtius, qui ex pia uerbi Dei audirione fructus legitur, eſt conſolatio,
quæ uel terrores, quibus ob præcedentia delicta in diuinam maieſtatem
commiſſa concutimur, lenit, uel cacodæmonis tentationes, & mundi per-
ſecutiones, quas ex decreto diuinæ prouidentiæ iuſti in hac uita mor-
tali patiuntur, ſpe diuinæ miſericordiæ & cœleſtis fœlicitatis alleuiat.
Nihil profectò ſpe, quæ cœleſtis ſermonis auditione concipitur, ad ani-
mi mœrorem, qui ex his, aliquando iuſtis hominibus intolerabilis ingruit, leniendum
potentius. nunquam tantum mundus aut Diabolus in iuſtos deſæuit, quantum eos di-
Pſal. 21. uini uerbi dulcedo ſolatur. Propinat eis aliquando fel & inſiti potat eos aceto, ſed
Pſal. 118. multo uehementiori diuini uerbi dulcedine delibuti exultant, qui aiunt, Quàm dul-
Pſal. 123. cia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Torrentem pertranſit anima illo-
rum, & aquam perſecutionum humanis quidem uiribus intolerabilem, ſed in uerbi
Pſal. 35. diuini audirione, inebriantur ab ubertate domus Dei, & de torrente uoluptatis illius,
quantum capit præſentis fragilitatis anguſtia, potantur. Benedictus Deus, & pater
2. Corin. 1. Domini noſtri IESV Chriſti, inquit Apoſtolus Paulus, pater miſericordiarum, & Deus
2. Cor. 1. totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſsimus &
ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur
& ipſi à Deo. Quoniam ſicut abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chri-
ſtum abundat conſolatio noſtra. ſiue autem tribulamur pro ueſtra exhortatione, &
ſalute, ſiue conſolamur pro ueſtra conſolatione & ſalute, ſiue exhortamur pro ue-
ſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earundem paſsionum, quas &
nos patimur, ut ſpes noſtra firma ſit pro uobis, ſcientes quòd ſicut ſocij paſsionum
eſtis, ſic eritis & conſolationis. Abundabant in ſancto Apoſtolo Chriſti paſsiones,
ſed per Chriſtum abundabat conſolatio illius, interiori, nimirum, & ſecretiori uer-
bi Dei miniſterio, quod nomine exhortationis, qua à Deo exhortabatur intelligit.
Redundabat in alios illud idem diuini colloquij ſolatium, ita ut operaretur tolerau-
tiam earundem paſsionum, quas & ille patiebatur, per externæ prædicationis exhorta-
tionem, qua docebat eos, qui in hac uita mortali ſocij paſsionum eſſent, futuros ali-
Pſal. 93. quando conſolationis participes, iuxta illud, Secundum multitudinem dolorum in
corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Facile tolerat profectò
humanæ fragilitatis infirmitas, in exilio præſenti, mundi perſecutionibus concuti,
Roma. 8. quando audit non eſſe condignas paſsiones huius mundi, ad futuram gloriam, quæ
1. Cor. 2. reuelabitur in nobis, & quando audit, manere per horum toletantiam bona, quæ nec
oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, adeò ut in his iu-
ſti plerunque gaudeant, & perſecutionum & laborum aceruos, quaſi theſauros di-
2. Cor. 11. tiſsimos incredibili ſtudio contentionis oſtentent. Hebræi ſunt & ego, de quibuſ-
dam olim dicebat Apoſtolus, Iſraëlitæ ſunt, & ego, ſemen Abrahæ ſunt, & ego, mi-
niſtri Chriſti ſunt, & ego. Vt minus ſapiens dico, plus ego in laboribus plurimis in
carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis,
quinquies

quinquies quadragenas una minus accepi, ter uirgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum,
ter naufragium feci &c. Hoc tam ingens animi ſolatium, haud aliud profectò Apo-
ſtolico pectori infuderat, quàm diuinus ſermo, ex quo acceperat, ſe regeneratum in 1. Petri 1.
ſpem uiuam per reſurrectionem I E S V Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorru-
ptibilem, incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cœlis, paratam re-
uelari in tempore nouiſsimo: in quo exultabat modicum nunc. Ad hanc rem per-
tinere arbitror, quod multis locis Deus noſter, Deus totius conſolationis aut ſola- 1. Corin. 1.
tij, in ſancta Scriptura uocatur: quòd ſcilicet, per ſui uerbi miniſtros, quoties à pec- Rom. 15.
catorum conſcientia, aut mundi perſecutione proſternimur, omni ſolatio & conſo-
latione nos repleat: Quale illud, quod apud Iſaiam, poſt diras populi preſſuras, &
à gentibus perſecutiones toleratas, iuxta ſeptuaginta uerſionem, ſacerdotibus præcipit,
Conſolamini, conſolamini populum meum ſacerdores, loquimini ad cor Hieruſalem, Iſa. 40.
conſolamini eam, quia repleta eſt humilitas eius, ſolutum eſt peccatum illius. aut
iuxta communem uerſionem, quia completa eſt militia eius, & dimiſſa eſt iniqui-
tas illius. Loqui ad cor, idioma Scripturarum eſt, inquit Hieronymus: qui enim mæ-
renti loquitur, & blandiens conſolator eſt, loqui ad cor dicitur. doceat nos Sichen fi-
lius Hemor, qui corrupta Dina loquutus eſt ad cor eius, & conſolatus eſt eam, &
ubi ſimile quid inueneris, hunc ſenſum habet. Hactenus Hieronymus. Nihil ergo aliud
trinum illud populi conſolandi præceptum ſignificat, quàm ingens, per ſui uerbi
miniſtros nobis exhibendæ conſolationis ſtudium, quòd ſcilicet noſtra per ueros ani-
mi dolores, & dignos pœnitentiæ fructus, dimiſſa fuerit iniquitas, quòd huius Hie-
ruſalem, quæ adhuc Chaldæorum inſultibus patet, & ab ſponſo ſuo huius mortali-
tatis macerie diſiungitur, militia, & bellandi tempus à Deo conſtitutum, fuerit ex-
pletum. Duplici enim ex cauſa potiſsimum pij in hac uita mortali affliguntur, lu-
gent aliquando, quòd diuinam bonitatem offenderint, & ſe ab eo per peccatum di-
uiſerint. Lauabo, inquit Dauid, per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis
ſtratum meum rigabo. Et Ezechias, Recogitabo tibi omnes annos meos in amari- Pſal. 4.
tudine animæ meæ. quo pacto ſancta illa Euangelica peccatrix tam ubertim fleuit, & Iſai. 38.
ſecundum Deum eſt contriſtata, ut ſacros Saluatoris pedes abluerit. Sic etiam Pe- Luce 7.
trus, poſt Chriſti negarionem & reſpectum, fleuit amarè. Lugent deinde quòd præ- 1. Cor. 7.
ſentis uitæ militia, in qua tot hoſtium impreſsionibus quatiuntur, in quaque tot ad- Math. 26.
uerſarum poteſtatum impetus ſuſtinent, multum prorogerur. Hei mihi, inquit, Da- Pſal. 119.
uid, quia incolatus meus prolongatus eſt; habitaui cum habitantibus Cedar, mul-
tum incola fuit anima mea. & alibi, præſentis uitæ tædio confectus, Educ, ait, de Pſal. 140.
cuſtodia animam meam ad confitendum tibi, me expectant iuſti donec retribuas
mihi. Et alibi, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die hac nocte, dum dicitur mihi Pſal. 41.
quotidie, Vbi eſt Deus? Huc & Pauli ſingultus pertinere uidentur, cùm moras huius
uitæ non ſubſtinens, lamentando dicebat, Infœlix homo quis me liberabit de cor-
pore mortis huius, &c. Iubet igitur ſacerdotibus, Deus ut populum ſuum conſo- Rom. 7.
lentur, & placido ſuſurro ad cor Hieruſalem loquantur, dicentes, Quòd comple-
ta ſit eius militia, & dimiſſum ſit eius peccatum, quòd iuſtorum, qui ſunt in Ec-
cleſia, triſtitia, hoc ſolo duplici conſolationis genere leniatur, & lacrymas tergat.
Vnde protinus prædicatorum aut ſacerdorum obedientia ſubiungitur. Vox claman- Iſai. 40.
tis in deſerto, parare uiam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri, omnis ual-
lis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, &
aſpera in uias planas, & reuelabitur gloria Domini, & uidebit omnis caro pariter quòd
os Domini loquutum eſt. Quibus uerbis typo liberationis Iſraëlitici populi, ſub Baby-
lonica ſeruitute detenti, & remigrationis ad optatiſsimam patriam, in qua remigra-
tione, tam proſperè cuncta deberent cedere, ut montes & colles eſſent comprimendi,
contrà ualles & humiles loci erigendi, & aſpera & tortuoſa in rectas & planas uias con-
uertenda (quæ cuncta hyperbolicè, regreſſus facilitatem ſignificant,) iuſtorum in cœ-
leſtem illam Hieruſalem, quæ in libertatem filiorum Dei illos peperit, poſt præſentis Galat. 4.
exilij preſſuras, & diras ſeruitutes, regreſſus oſtenditur: in quo montes & colles inter-
iecti, aſpera etiam & lubrica itinera, quæ ingentes illas difficultates, quæ humanæ fra-
gilitati, in fœlicitatis adeptione opponuntur, commodiſsimè denotantur, diuina uir-

tute protinus eſſent è medio tollenda. Vnde ſubinde ſacerdos ſiue uerbi miniſter, ad
ampliorem huius conſolationis auctionem, clamare præcipitur, Clama, inquit, omnis
caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos,
quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo: uerè fœnum eſt populus. Exſiccatum eſt fœnum,
& cecidit flos, uerbum autem Domini ſtabit in æternum. Inſinuat his uerbis Deus, ex
humanæ fragilitatis miſeria, neminem quidem ſaluari, im[…]oſsibilemque ad deſidera-
tam illam Hieruſalem ex humanis uiribus, quæ frequentiſsimo ſcripturarum ſchemate
per fœnum intelliguntur (ſicut enim illud leui ſolis aut uenti exuſtione, ita hæc leuiſ-
ſima tentatione marceſcit) regreſſum oſtendit. Verùm quia ex propriæ uirtutis poten-
tia id impoſsibile dicebatur, ne ſpe potiundæ fœlicitatis deiecti, animis caderent, ſta-
Ibid. tim ſubiungitur, Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in
fortitudine uocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem, exalta noli timere, dic ciuitati-
bus Iudæ, Ecce Deus ueſter, ecce Dominns in fortitudine ueniet, & brachium eius
dominabitur, Ecce merces eius cum eo, & populus illius coram illo: ſicut paſtor gre-
gem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu leuabit, fœtas ipſe porta-
bit. Ecce ad id, quod humanis uiribus præſtandum, mortales quamlibet iuſti aſpirare
non poterant, diuini adiutorij diuina promiſsio accedit, quæ ne impoſsibilis uideatur
confeſtim adiungitur, Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?
Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in
ſtatera. Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi?
cum quo iniit conſilium, & quis inſtruxit eum & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & eru-
diuit eum ſcientia, & uiam prudentiæ oſtendit illi? quaſi innuat, neque illi potentiam,
neque ſapientiam ad iuſtos in patriam reducendos deeſſe, cùm maiora præſtiterit. In
quam ſententiam Chriſtus, quærentibus diſcipulis, negotij difficultate deterritis, quis
ſaluus fieri poſſet, reſpondit, Quæ impoſsibilia ſunt apud homines, poſsibilia ſunt
Lucæ 18. apud Deum. Conſolatur itaque Deus per diuini ſermonis miniſtros iuſtorum mœſti-
tiam, qui in hac uita, uel quòd longas ſponſi moras non patiantur, uel quòd diui-
nam maieſtatem offenderint, lacrymas fundunt. Quò etiam ſpectare uidetur euange-
lica phraſis, quæ Spiritum ſanctum, qui Euangelicæ prædicationis eſt auctor, paracle-
tum appellat. Paracletus autem Spiritus ſanctus (ait ad mœrentes de ſua profectione
Ioan. 14. Chriſtus) quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & ſuggeret uo-
bis omnia quæcunque dixero nobis. Et ibidem: Ego rogabo patrem & alium para-
cletum dabit nobis, qui maneat uobiſcum in æternum, Spiritum ueritatis, quem mun-
dus non poteſt accipere, quia non uidet eum, nec ſcit eum. Eſt igitur diuinus Spiritus,
totius Euangelicæ diſciplinæ doctor & auctor, & in ea omnium fidelium efficaciſsimus
conſolator, atque hoc illi inter uniuerſa chariſmata, quæ fidelibus tribuit principaliter
conuenit, ſicut inter uniuerſa epitheta, quæ illi ſancta ſcriptura donat eſſe paracletum,
eſt maximè proprium. Illuſtrat quidem miniſtrorum uerbi Dei mentes, & per eos,
ignorantiæ in cæteris fidelibus tenebras fugat, incendit in utriſque uoluntatis affectus:
Ioan. 15. ſed hæc omnia ſuperat, quòd in Euangelica prædicatione teſtimonium de Chriſto per-
hibet, ideſt quis & qualis ſit, & quantos diuitiarum theſauros nobis aggeſſerit, ſi carne
ac mundo calcatis, per ueram fidem & charitatem, ei adhæſerimus, dulciſsimè inſinuat.
2. Petri 1. Hoc eſt profectò munus eius præcipuum, hoc contendit uniuerſa ſcriptura, quam ſan-
Roma. 15. cto Spiritu inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Quæcunque ſcripta ſunt, inquit
Paulus, ad noſtram utilitatem ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem per ſcri-
pturarum ſpem habeamus. In hoc totius Euangelicæ prædicationis penè cardo con-
uertitur ut per uerbi Dei miniſtros, iuſti conſolationem accipiant, ob hoc uniuerſa
noui teſtamenti prædicatio Euangelium uocatur, ideſt lætum & fauſtum nũcium, quod
extruſa mundi triſtitia, quæ ab eius perſecutione conſurgit, immenſo quodam gaudio
iuſtos exſaturet, uel dum de ueniæ conſecutione ſpem concipiunt, uel dum de mundi
laboribus, qui alioqui forent intolerabiles, Euangelici prædicatoris miniſterio con-
ſolationem recipiunt. Infœlix, qui tam ſplendida conſolationis menſa in præſentis
mortalitatis exilio, non fruitur, quamuis nobilitatis ſplendore decoretur, quamuis à
regibus clariſque parentibus originem traxerit, quãuis ingentes auri, argenti, & gem-
marum aceruos auita hæreditate poſsideat, quamuis pluribus paſcat famulos, pediſ-

ſequos, æquos, mulas, canes, odoriſequos, leporarios, moloſſos, accipitres, nyſos, aſtures, aquilas; quamuis armentorum greges terram depaſcant, quamuis magnificas domos lacunaribus auratis, atque picturis adornatas poſsideat, quãuis latiſsimos fundos, arbuſta, uineta, olıueta, uoluptuoſa uiridiaria, adde dignitates, honoris inſignia, adde diademata. Enimuerò ſi hæc omnia uera poſsidentem conſolatione donarent, nemo Regibus, & his, qui illis aſsiſtunt fœlicior: contrà uerò uidemus ex media fæce homines, quibus nec diuitiæ, nec dignitates, nec delitiæ, nec potentia conſolationem conciliant; immo quos ſordidiſsima paupertas deprimit, mundus abijcit, continuæ aduerſæ fortunæ, & calamitates abſorbent, ſancta quadam animi lætitia reſpergi, quam quòd interius præ ubertate continere non poſsint, exterius placida uultus imagine præferentes, oſtendunt. Quam tamen eos, qui regna numerant, qui mundi domini uocantur, qui ſe hominibus mortalibus genitos audire erubeſcunt, poſsidere non uideo. Dicant illi quàm parum ueræ conſolationis, magnifica aulea & aurata laquearia, concilient, immo fateantur ipſi, quanto maiores laborum aceruí, qui ueris doloribus animos excrucient, ex his & cæteris ſimilibus, quæ mundus ſpecie quadam dulcedinis delinita promittit, erumpant. Dicat hoc Carolus Quintus, dicant hoc ethnici utriuſque gentis Græcæ & Latinæ multi nobiliſsimi principes, quos tot regna, tot nobiliſsima imperia, tot diuitiarum theſauri, tot delitiæ, continere non potuerunt, quò minus fatigati, ſceptris dimiſsis, ueram animi quietem in angulo exquirerent. Ergo non diuitiæ, non delitiæ, non dignitates, non tituli magnifici, non regna ipſa, ſed uera pietas, quæ ex Euangelij lectione uel prædicatione concipitur, ueram animi conſolationem conciliat. Vnde, quæſo, tanta animi tranquillitas in abiectis hominibus, contrà in potentibus tam præfracti ſolicitudinum fluctus, in tam diuerſa fortuna? Non aliunde profectò, quàm quòd hi (quod ipſa res docet) frequentiſsimè, in Euangelica prædicatione conſolationis dulcedine fruantur, contrà illi, hoc cœleſte manna, quod in præſentis peregrinationis exilio diuina munificentia nobis tam affluenter indulget, contemnant. Attendat Chriſtianus apud cæteras Orbis nationes pauperibus, afflictis, depreſsis, & humilibus, cùm uel prouidentiam negent, uel alterius uitæ ſtatum inficientur; nullum eſſe conſolationis perfugium; omnia natura metiuntur, ſuorum Deorum amicitiæ fructum, non in aliam uitam, ſed in præſentem reiiciunt, potentiſsimos quoſque, Deorum amiciſsimos credunt; itaque nullum miſerandis hominibus ſolatij refugium: contrà Euangelica prædicatio, eos docet fœliciſsimos, immo filios chariſsimos, quos mundus ſpernit, quos odit, quos lacerat, quos Deus in uita hac mortali caſtigat, quos opprimi ſinit, ita ut nullus ſit tam abiectus, tam mundo inuidioſus, qui hoc cœleſti lacte, ab uberibus conſolationis Dei non ſatietur. immo quanto quis maioribus odiis, & perſecutionibus angitur, tãto fœliciorem futuræ fœlicitatis coronam, quam nec diaboli, nec mundi poteſtas præripiat, certiſsimè ſperat: fluxam huius mundi fœlicitatem, & arridentem fortunam, detrimentum exiſtimat, omnia ex uoto ſuccedere reprobationis indicium: in hoc tota laborat, in hoc ſuos miniſtros ſudare facit, in hoc tota diſtringitur, ut eos, quos mundus odit, quos à ſacra baptiſmatis unda, diabolus, quaſi coniuratos aduerſarios perſequitur, cœleſtis ſpei conſolatione retineat. Sed ais, multoties ſacris concionibus interfui, nec tamen magnopere conſolatus exiui, ſed frequenter territus, dum uel mortis certiſsimæ, uel extremi iudicij, uel acerbarum pœnarum, quæ peccatores manent, memoria pulſabat: frequenter etiam tam aridus, tam ieiunus exibã, ut non multi amplius fecerim intereſſe concionibus, ſed potius lucrum non mediocre, prædicatorum moleſtiſsimas uoces, auerſari. Sed audi frater, cœleſtis uerbi ſolatium, non omnibus, ſed his, qui alterius uitæ rationem habent, tribuitur, his inquam, qui quamuis ceciderint, reſurgere tentant, his, qui ſe peregrinos, non ciues huius mundi cognoſcunt. Terrores audis & ignem inferni; ſed Chriſtum quoque audis pro tuis peccatis, patri ſuæ uitæ precium exſoluiſſe, ut quoties ad eum per uerum cordis dolorem, & legitimam pœnitentiam reuerſus fueris, te ſummo gaudio & lætitia ſuſcipiat. Iudicium audis diſtrictum, quo peccatores tandem dignas pœnas exoluant, ſed in eodem audis Chriſtum dicentem, Venite benedicti patris mei, percipite regnum &c. Nunquã igitur tam deſolatus abibis, ut non tecum multum ueræ conſolationis aſportes. Quod

Chriſtianorum pauperum priuilegium.

Quos cœleſtis uerbi prædicatio conſolatur.

[2.Corin. 7.] ſi triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, & pœnitentiam, in ſalutem ſtabilem operatur, ex concione pulſeris, magnum eſt lucrum. Iam quòd aridus & tepidus exeas, non uerbum Dei, ſed tu facis. Delicata eſt diuina conſolatio, nec in uaſis ſordidis unquam recipitur, non poteſt ſimul Aegyptiacas cæpas, & manna cœleſte guſtare: [1. Cor. 10.] non poteſt menſæ Domini & dæmoniorum particeps fieri. [Rom. 1.] purga prius mentem iniquitate, malicia, fornicatione, auaritia, inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurris, obtrectatione, contumeliis, ſuperbia, elatione, inobedientia, inſipientia, in compoſitione morum immiſericordia &c. et diſpeream, ni ſtatim cum Dauid clames, [Pſal. 118.] Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel ori meo. et ad Eccleſiam, quæ uberibus conſolationis ſuæ, per Euangelicos prædicatores te ſatiet, ſtatim dicas, [Canti. 2.] Sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, ſicut uitta coccinea labia tua, & [Cant. 4.] eloquium tuum dulce. Depone omnem maliciam, & omnem dolum, & ſimulationes [1. Petri 2.] & inuidias; & omnes detractiones, ſicut modò genitus infans, rationabilis ſine dolo, cordis deſiderio cœleſtis ſermonis lac concupiſce, guſta uel ſemel, quàm ſuauis eſt Dominus, [Cant 1.] & diſpeream niſi quaſi ſponſæ pars, ſponſo dicas, Dulciora ſunt ubera tua uino, fragrantia unguentis optimis. & rurſus ad ſponſam, quæ uerbi cœleſtis ſemine [Cant. 4.] fœcunda te peperit, & ubere de cœlo pleno te nutrit, Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, pulchriora ſunt ubera tua uino, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata, fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua, & odor ueſtimentorum ſicut odor thuris. Aſcende uel ſemel per dignam animi contemplationem in altiſſimam palmam, quæ nobis dulcem illum fructum noſtræ redemptionis produxit, id [Cant. 7.] eſt, meditare ſemel, ſaltem diuina myſteria, quæ ſcilicet Deus tibi peculiariter, uel uniuerſo humano generi ſumma charitate præſtiterit, dum tantam habuit tui & illius rationem, ut filium ſuum unigenitum daret, & ſtatim erunt tibi Eccleſiaſtica [Ioan. 3.] ubera, quæ non ſunt aliud quàm Euangelici prædicatores, per quos cœleſtis ſermonis lac ſuauiſsimum paruulis in Chriſto propinatur, ſicut botri uineæ; & odor oris ſponſæ; quod os, eoſdem uerbi miniſtros ſignificat, ſicut odor malorum, & guttur eius, quod eoſdem quoque denotat, quòd uocis Eccleſiaſticæ ſint inſtrumenta, ſicut uinum optimum, quod uniuerſam animi triſtitiam ab animo excludat, immo quod tantam animo tuo lætitiam inſinuet, quantam nec mundus ſua potentia tollat, cui gau- [Bernard. in quodã ſermon.] dio aliunde comparata omnis iucunditas, mœror eſt, omnis ſuauitas dolor eſt, omne dulce amarum eſt, omne decorum fœdum eſt.

Quòd eius, qui frequenter uerbum Dei audit, ignorantia excuſetur. Cap. VII.

[Scotus, & Ricardus. 4. diſt. 19. Bernardi. Buſtus. 1. p. Roſarii.] QVartus fructus Euangelicæ auditionis, à quibuſdam ſcribitur, ignorantiæ culpabilis excuſatio: multiplicem uerò ignorantiam ſapientes diſtinguunt, ſed inter cætera ignorantiæ genera celebris habetur illa partitio, qua ignorantia in uincibilem & inuincibilem, uel (quod iuris prudentes uſurpant) in probabilem & improbabilem diſtrahitur. Vincibilem appellarunt, quæ à negligentia aut ignorandi uoluntate deſcendat, ideſt quæ per eius, quod ignoratur, notitiam potuiſſet euinci: inuincibilem uerò, quæ quò uincatur per eum, qui ignorat, non ſtat, & quæ negligentiam aut ignorandi propoſitum principium, nõ habet. Quatenus uerò illa uincibilis, iſta uerò inuincibilis appellari debent, apud multos auctores latiſsimè patet. Vincibilem ignorantiam deinde, pro duplici fontis à quo deriuatur ratione, duplicem quoq; diſtinguunt Theologi. Nam, quæ à certa ignorandi uoluntate deſcendit, ſupinam aut affectatam uocarunt; quæ uerò ex mera negligentia & intelligendi ſocordia deriuatur, craſſam dixerunt. De priori intelligunt [Iob. 21.] illud, quod Deo peccatores reſpondent, Viam ſcientiarum tuarum nolumus. De poſteriori, illud accipitur, quod Iſaias de prophetis, & ſacerdotibus inquit, Sacerdos & propheta neſcierunt, præ ebrietate errauerunt, abſorpti ſunt à uino, errauerunt in [Iſai. 28.] ebrietate, neſcierunt uidentem, ignorauerunt iudicium Domini. Tenebantur ſacerdotes & prophetæ ſpecialis cuiuſdam ſapientiæ cognitione ſplendeſcere, quòd de manu

eius

eius, qui angelus Domini exercituum, cœleſti oraculo uocatur, populus legem & eius intellectum requireret, ſed uentris ingluuiæ & iræ laxioris licentia, & legem & legis cognitionem exuerant. notabantur ergo craſſæ ignorantiæ, quòd ea culpabilis negligentiæ fundamentum haberet. Inter priorem illam ignorantiæ rationem, quam inuincibilem diximus, & hanc duplicem, uincibilis ignorantiæ portionem, hanc uno animo differentiam ſtatuerunt theologi; ut illa nullo pacto peccatum, poſterior uerò, ſiue craſſa, ſiue ſupina, aut affectata uocetur, pro quantitate & materiæ grauitate, grauius aut minus graue peccatum inducat. Qui enim non uult intelligere ut bene agat, aut cum agere, aut ſcire teneatur, ignorat, omnium ſapientium conſenſu delinquit. Nunc, fructum frequentis uerbi Dei auditionis aduerte. *Pſal.35.*

Sint duo, quorum unus Euangelicam prædicationem frequentet, alter non frequentet, ſed uel nolit audire, uel eo tempore, aliis rebus, quibus non tenetur, aut quas maiori præcepto præſtare non cogitur, tempus impendat. Prior omnium peccatorum, quorum in ſacramentali confeſsione obliuiſcitur, quòd illa ignoret ignorantia inuincibili (quod enim in ipſo erat, ad expellendam ignorantiam exhibuit) remiſsionem accipiet. Poſteriori uerò, quòd prædicationem, in qua memoriæ refricantur peccata, non frequentauerit, etiam ſi æqualem cum altero conſcientiæ diſcuſsionem habuerit, peccatorum, quorum fuerit oblitus, quòd ea obliuio ex uincibili & culpabili ignorantia profluxerit, per ſacramentalem confeſsionem remiſsio non dabitur. Immo uerò ſi prior ille, eo quòd tale eſſe ignoraret, aliquod peccatum mortale commiſit, cuius in ſacramentali confeſsione non meminit, quòd ſcilicet adhuc ignoraret eſſe peccatum mortale, eius etiam cum cæteris, eiuſdem ſacramenti uirtute, remiſsionem accipiet: fecit enim quod in ſe eſt, dum publicum doctrinæ locum, ubi Chriſtiana diſciplina docetur frequentauit. Poſteriori uerò, ſiue quòd prædicationes audire nolit, ſiue quòd negligat, eiuſdem peccati remiſsio non dabitur, eo ſcilicet, quòd id, quod in ſe erat, & quod tanquam remedium ordinarium expellendæ ignorantiæ colit Eccleſia, non præſtiterit. Neque quicquam profectò hac doctrina rationabilius. Cur enim illi homini non imputentur, quæcunque peccauit, qui pluris fecit meretricem, aut aleam, aut hominum perditorum colloquia uaniſsima, quàm Euangelici concionatoris uerba, quæ, ut docet Apoſtolus, uerè uerba ſunt Dei, quibuſque potuiſſet prorſus ignorantiam expellere, & eorum, quæ propter licentiam peccandi multa & grauiſsima geſsit peccatorum, quò ſaltem illa coram ſacerdote euomeret, memoriam recipere? Quî fieri poſsit, ut fruatur ſacramenti uirtute, quì peccatorum memoriam, quæ totius legitimæ pœnitentiæ fundamentum exiſtit, non habet? Aut quî, huius ſacramenti uirtute participet, qui de peccato non dolet? aut quî doleat, qui neſcit eſſe peccatum? Qui ergo commune gymnaſium Chriſtianæ diſciplinæ contemnit, perpetuo dimidiandi confeſsionem ſe periculo exponit; atque adeo, uel ob hoc ſolum mortaliter peccat. Videas quoſdam repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, adulteriis, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, inobedientes, inſipientes, incompoſitos, abſque fœdere, ſine miſericordia, immo quoſdam, qui mundo, cuî omnino ſeſe addixerunt, quaſi ſuorum deſideriorum idolo ſacrificant, ne idololatras dixerim, molles, maſculorum concubitores, fures, ebrioſos, rapaces, maledicos, qui nullam denique Chriſtianæ uitæ rationem omnino habeant, poſtremò quadrageſimæ die, unius horulæ ſpatio, uelle huic ſacramento ſatisfacere. Hos ſacramenti uirtutem participare crediderís? immo uerò hos tu confeſsionem non dimidiare non dixeris? At dormiendum eſt (aiunt) in utranque aurem, quòd deſpumare falernum ſufficiat; decoquenda eſt externa crapula, quam in mediam uſque noctem extendimus, more aulico uiuimus, ex noctibus, dies, ex diebus uerò noctes facientes. Sed audi, Chriſtianis forſan & non huiuſmodi aulicis loquebatur Apoſtolus, quando dicebat, Non ſumus noctis neque tenebrarum, igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed uigilemus & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt, nos autem, qui Dei ſumus, ſobrij ſumus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis, quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, per Dominum

Eos qui uerbi Dei prædicationem contẽnunt, ſe periculo dimidiãdi confeſsionẽ exponere.

1.Theſ.2.

1.Rom.1.

1.Cor.6.

1.Theſ.5.

minum noſtrum I e s v m Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, ut ſiue uigilemus, ſiue
dormiamus, ſimul cum illo uiuamus. Et rurſus Petrus, Sobrij eſtote & uigilate, quia
aduerſarius ueſter Diabolus, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fi-
de. Sed neque illud ad aulicæ uitæ cultores fortaſſe refertur, quod Chriſtus monuit,
Lucæ 21. Attendite uobis, ne fortè grauentur corda ueſtra crapula, & ebrietate, & curis hu-
ius uitæ, & ſuperueniat in uos repentina dies illa? Et rurſus, Vigilate itaque omni
tempore, orantes ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante
Matth. 25. filium hominis? Et rurſus, Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam. Si ergo
communi cum omnibus Chriſtianis futuræ fœlicitatis huiuſmodi homines ſpe gaudere
putant, communibus quoque legibus teneantur oportet. Quòd ſi, dum alij cœleſti
uerbo fruuntur, & per eiuſdem uerbi illuſtrationem Dei uoluntatem, & præcepta in-
telligere conantur, non ſomno, non ocio, non rei familiaris, quæ maiorem excuſa-
tionis ſpeciem habet, in hac parte curæ parcentes, ipſi altiſsimo ſomno & lecti mol-
lioris deliriis indulgere uelint, ſpe futurorum bonorum, quæ non ocioſis & mollibus,
ſed rigidis ac uiolentis operariis, ſunt retribuenda, cadant oportet. Aulicos mores, in
Chriſtianos & Eccleſiaſticos uertant, niſi malint aulæ quàm Chriſto ſeruire. Paren-
tum delicatam educationem non cauſentur, quoniam & ſi Chriſtiani à parentibus
carnalis genituræ uirtute culpam & carnem accipiunt, à Chriſto tamen ſpiritalis re-
generationis beneficio, ſpiritum filiorum & gratiam acceperunt. Qui igitur Chri-
ſtum ſemel per baptiſmum induerunt, non parentes & ueteris hominis, quem exui-
mus auctores, moribus exprimere, ſed Chriſtum moribus & uitæ ratione decet præ-
Rom. 6. ad Titũ 2. ferre. In hoc enim apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, eru-
diens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè & iuſtè, & piè
uiuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei,
& Saluatoris noſtri I e s v Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret
ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum
Roma. 13. operum. Non igitur in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impu-
dicitiis, non in contentione & æmulatione, tempus, quod cœleſti theſauro aggeren-
do, nobis indulgetur, inſumamus, ſed moribus & actionibus, dominum Ieſum Chri-
ſtum induamur, & carnis curam ne faciamus. Chariſsimam matrem Eccleſiam, qui-
cunque ſunt eius filij, imitentur, eius ſanctam educationem attendant, ex eius præſcri-
pto horas collocent, non item ex mundi pædagogia, quicunque ſe Chriſtianos uo-
care non erubeſcunt. Attendant obſecro nobiles & illuſtres uiri, qui quanto diuitiis
& maiorum claritate præſtant cæteris, tanto Chriſtianæ uitæ ſtudio & executione
præſtare tenentur, quantum ſit puſillorum ſcandalum, uidere templa concionis tem-
pore ſutoribus, cæmentariis, ideſt uulgo ac plebe, plena, cum ipſi interim ad medium
uſque Solem ſtertant, niſi forſan hoc ideo accidere ex diuina permiſsione creda-
Matth. 27. mus, quòd conciones audire, non horum, ſed illorum interſit. Talium eſt enim re-
gnum cœlorum, & quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus ut confundant ſapientes, &
1. Corin. 1. infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi elegit Deus, &
quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu
Pſal. 118. eius. Princeps erat profectò Dauid, Rex erat, diues erat, & tamen media nocte ſur-
Pſal. 87. gebat ad confitendum Domino, & manè oratio eius præueniebat illum; Manè, in-
Pſal. 5. quit, aſtabo tibi, & uidebo quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es. Et alibi, Exal-
tabo manè miſericordiam tuam. Nec mirum, cùm diuina ſapientia non ſe ſtertenti-
Prouer. 17. bus, ſed manè uigilantibus infundat, Ego, inquit, diligentes me diligo, & qui manè
uigilant ad me, inuenient me. Quicunque igitur illius conſortes effici cupiunt, ſiue
nobiles, ſiue ignobiles, ſiue principes, ſiue plebei, oportet ut uigilent. Sed in hac par-
te profectò, opera Chriſtiani principis magis quàm uerba proficeret. nam paſtorum
cura & potentia, ſi non prorſus elanguit, eſt infirmiſsima. Erat olim in concilio Car-
De conſecr. diſt. 1. c. Sacerdote. rhaginenſi ſalubriter inſtitutum, ut qui ſacerdote uerbum in Eccleſia faciente, egreſſus
de auditorio fuiſſet, excomunicaretur, quod utinam noſtræ memoriæ paſtores aude-
rent reuocare, ad perditorum quorundam hominum compeſcendam procacitatem, qui
cum omnium ſcandalo, & ſuæ damnationis certiſsimo indicio, templa egrediuntur
caupon aturi, meretricaturi, cum primùm ſuggeſtum prædicator conſcenderit. Puto
ego

ego potiſsimam eccleſiaſticæ ſubuerſionis ſcaturiginem fore, in audiendo Dei ſermonẽ procerum reipub. Chriſtianæ ſocordiam, à quibus agendæ uitæ Chriſtianæ tota ratio dependet. Quì enim Deum timebunt, quorum aures & pectora Euangelici rigores & minæ non quatiunt? Aut quomodo Deum diligent, quem tamen amorem Chriſtus à Petro, eidem traditurus eccleſiam, ter requiſiuit, niſi frequenti repetitione, diuinitus accepta beneficia recolant? Aut quomodo infirmos homines, & qui nullo ſæculi ſplendore corruſcant, non iudicet pecora, qui quotidie non audiat Chriſtum dediſſe ſe redemptionem pro omnibus, & pro paruulis ſuis nonnunquam corripuiſſe Reges? *Pſal. 104.* Verùm iſta, noſtri ſæculi infœlicisſima principum hominum educatio, forſan ridebit, ſed riſus eorum (certiſsimò ſcias) dolore miſcebitur, & extrema gaudij, quo per totam iſtam uitam, quaſi uitulæ conſternantes laſciuiunt, æternus luctus occupabit. *Prouer. 14. Iſai. 5.*

Mvltas alias utilitates & commoda, quæ ex Dei uerbi auditione proueniunt, ſancti & Eccleſiaſtici auctores ſcribunt, nobis hæc admonuiſſe ſufficiat. quem enim hæc non mouent, nec illa mouebunt, niſi forſan quòd illa ad corporis, cuius plerunque maiorem, quàm animæ rationem facimus, uitam & ſalutem pertineant, magis quis amplectatur; Qualia ſunt morborum expulſio, quos à multis uerbi Dei auditio fugauit, *Bernardi. Buſtin. 1. p. Roſar. Antonin. Floren. 2. par. Tit. 9. 7. c. 102.* dæmonis impotentia in nocendo, dum uerbum Dei auditur, quod quidam multis exẽplis ac miraculis comprobant, rei familiaris augmentum, quæ non tantùm in eccleſiaſticorum obſeruatione fundamentum habet, ſed in Chriſti promiſsione. Quærite, inquit, primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia (loquitur autem de his, quæ *Matth. 7.* ad uictum & ueſtitum ſunt neceſſaria) adiicientur uobis: quod auium & liliorum, quæ hodie ſunt, & cras in clibanum mittuntur, exemplo confirmat. Et in ſumma, ut Antoninus Flor. præter eximiam eruditionem, titulo etiam ſanctitatis percelebris, inquit, Communiter iſta differentia reperitur, inter eos, qui audiunt prædicationes frequenter, & eos, qui negligunt, ideſt, qui nolunt audire, quia non audientes eas, ſunt homines ferales, immodeſti, diuerſis erroribus infecti; è contrario frequentantes prædicationes, ſunt homines ciuiles, modeſti, fidei zelatores; & meritò, quia doctrina Eccleſiæ, quæ prædicatur, eſt tota ciuilis, & ſecundum philoſophiam moralem. Hactenus ille.

Quòd chriſtianus teneatur de neceſsitate ſalutis, frequenter audire uerbum Dei. Cap. VIII.

SOlet inter doctos uiros in quæſtionem conuerti, quare de re tam utili, & neceſſaria, nullum in Eccleſiaſticis ſanctionibus inueniatur præceptum, cum de pluribus minutioribus rebus, & quæ minus, cùm ad Eccleſiæ promotionem, tum ad ſingulorum hominum ſpiritualem ſalutem, uidentur conducere, ſint altiſsimi præceptorum & conſtitutionum acerui. Sed ei quæſtioni, priorum ſæculorum feruor, & audiendæ euangelicæ prædicationis auiditas, qua tunc ob fidei & charitatis integritatem, fideles æſtuabant, ſatis reſpondet. Cõfluebant undique longiſsimo itinere, prioribus ſæculis, ad uerbum Dei audiendum, quaſi ad uerum animæ paſtum, & multis milliaribus, quaſi ad feſtiuos ludos turmatim, rei familiaris cura contempta, properabant. Suſcipiebantur Euangelij miniſtri, quaſi Dei angeli, & quaſi cœleſtis regis legati Chriſtiano à populo audiebantur. Benignè audiebant, deuotè ſuſcipiebant, ſolicitè conſeruabant quicquid *Bernard. in quodam ſermo.* ad animarum ſalutem pertinebat, & non ſicut uerbum hominum, ſed, ſicut uerè erat, Dei uerbum, ſiue eſſet illud conſolatorium, ſiue comminatorium, ſiue etiam increpatorium, quaſi ab ore Dei audiebatur. Perſuaſum habebant totius ſpiritalis & chriſtiani ædificij fundamentum, in nulla re magis ſitum eſſe, quàm in uerbi Dei auditione, atque à Deo nulli magis rei inhærebant. Currebant uniuerſi ad Euangelicas epulas, quòd ex eis ingens animi robur ad proterendos hoſtes, ſe uiderent concipere. Currebant ad ſanctæ doctrinæ fortiſsimum muſtum, quo ſancta quadam ebrietate, præſentis uitæ ſolicitudines pellerent, & cœleſtis patriæ gaudia prægustarent. Renuebant animæ illorum conſolari in falſis his & fluentibus gaudiis, quæ mundus offerebat, conuertebantur ad cœleſtem ſermonem, quo memores facti Dei, delectabantur. Cupie- *Pſal. 76.*

Iſa. 1. bant ſcire uias Domini, & cœleſtis ſapientiæ illuſtratione perfundi, atque adeo, nullo præcepto, nulla Eccleſiaſtica ſanctione, eoſdem ad uerbum Dei audiendum, conſtringi oportebat: cum tamen ad minutiora quæque, in quibus ſpiritalis ſalutis cardinem conuerti non credebant, præceptis traherentur. Quanquam non omnino in hac parte, Eccleſiaſticas leges ſiluiſſe crediderim. *De euangelicis concionibus audiendis leges etiam eccleſiaſticas eſſe latas.* Cum enim Epiſcopis & cæteris Eccleſiæ paſtoribus, præceptum docendi & prædicandi Euangelium, frequentiſsimis conciliis Eccleſia tradiderit, credenda eſt & ſubditis populis, illo eodem præcepto, legem impoſuiſſe. Nam ſi quid ratiocinium Apoſtoli ualet, quo concludit fidem ex auditu deſcendere, auditum uerò ex Dei uerbo, quod à prædicatore docetur, ualebit etiam illud, quo ocioſa lex ea probetur, qua prædicatori, Euangelici ſermonis ſeminatio mandetur, ſine auditore.. *Rom. 10.* Quomodo inquit ille, audient ſine prædicante? Quomodo, dicam ego, prædicabunt ſine auditore? Cum ergo (ut inferius dicemus) Euangelico miniſtro, potiſsimè uerò paſtori, præceptum prædicandi, Eccleſiaſticis legibus imponatur, imponetur etiam perinde Chriſtiano populo præceptum audiendi. *De reg. iur. lib. 6. c. Acceſſorium.* Quo loco potiſsimè uim obtinere arbitror Eccleſiaſticam regulam, non modò Pontificio, ſed ciuili iure celebrem, qua ſanctum eſt ipſa ratione adhortante, acceſſorium naturam ſequi principalis, & illud, quod iuris prudentes magna concordia notarunt, quod nimirum, cum principale præcipitur, intelligitur & omne aliud, ſine quo nel omnino, uel congruè præſtari non poſsit, *L. 2. cum ſequent. ff de in. om. iud.* fuiſſe præceptum. Qua profectò colligendi ratione, non admodum arduum eſſet probare, non tantùm eccleſiaſtica conſtitutione, ſed ex diuino ptæcepto, ad audiendum Dei uerbum, chriſtianos uniuerſos conſtringi: quæ forſan ratio, etiam priorum ſæculorum eccleſiaſticos patres retinnit, quominus prauorum hominum deſidiam facta conſtitutione cauerent. Cum enim antea multò, in hoc Chriſti prouidentiam uigilaſſe cognoſcerent, in re præſertim tam ardua, & in qua tantùm auditotis uegocium agebatur, à nouæ conſtitutionis labore, quaſi à re penitus ocioſa ſuperſedere decreuerunt. Sed uiros Apoſtolicos, & in eis, qni iuxta eccleſiaſticas leges, ad ſanctæ prædicationis officium promouentur, præceptum accepiſſe, non uno loco docet Euangelica hiſtoria; Prædicate, inquit, ad eos Chriſtus, Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur, &c. Et apud Matth. *Marci ult. Matth. 28.* Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui uobis. Quod præceptum quantum *1. Cor. 9.* urgeret, ad Corin. ſcribens docet Apoſt. Si euangelizauero (inquit) non eſt mihi gloria, neceſsitas enim mihi incumbit. uæ enim mihi ſi non euangelizauero, ſi enim uolens hoc ago, mercedem habeo, ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Vides nimirum apoſtolicos uiros, & qui eis iuxta Eccleſiaſticas leges, uel in paſtorali regimine, uel in uerbi miniſterio ſucceſſerunt, prædicandi euangelium mandatum à Chriſto habuiſſe? Habuerunt igitur & gentes uerbi Dei audiendi præceptum, niſi ſine auditoribus poſsit prædicari Euangelium: quò profectò alludit comminatio illa, in eos, qui non crediderint & baptizati fuerint, æternæ damnationis, adiuncta.. Simili enim ratiocinio ſacramentalem confeſsionem, ex Euangelico textu neceſſariam Catholici eli- *Ioan. 20.* ciunt. Nã quòd Chriſtus Apoſtolis dixerit, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, erunt retenta, quo uerbo, non aliter nobis remitti delicta, quàm ex ſacerdotali remiſsione colligimus: cumque regnum Dei aut ſpiritalem ſalutem acquiri, ſine peccatorum remiſsione, non poſſe perſuaſum habeamus, certa illatione deducimus, nos diuino præcepto ad id genus confeſsionis teneri, nec aliter poſt admiſſum peccatum poſſe remiſsionem recipere, quàm ſacerdotis officio. Similique ſyllogiſmo ſuſcipiendi baptiſmi neceſsitatem deducimus, ut ſolùm quòd Chriſtus Apoſtolis dixerit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. intelligamus, non modò Apoſtolis tradendi baptiſmi diuinitus præceptum incumbere, ſed & cunctos in uniuerſum mortales ad illum ſuſcipiendum teneri. Cum igitur eodem loco & uerborum contextu dicat, docentes eos &c. imminebit etiam eiſdem Chriſtianæ doctrinæ ſuſcipiendæ præceptum. Dices, uerum eſt ad Euangelicam doctrinam audiendam, eos, qui nunquam audierunt, diuino præcepto conſtringi, non tamen inde rectè concluditur, *Hebr. 5.* teneri eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaueruntque ſemel bonum Dei uerbum, ſciunt enim huiuſmodi homines quæcunque ad ſpiritualem ſalutem conducunt, unde noua il-

luſtratione

luſtratione non indigent. Audi, cofitendi peccata & ſuſcipiendi baptiſmi neceſsitas, ex
eadem forma uerborum non uniformiter ligant, ſed iuxta rei, quæ præcipitur naturam
& genium. Quoniam enim baptiſmus ſacramentum eſt initerabile, nec pluties quàm
ſemel ex diuina conſtitutione ſuſcipitur, uerba illa Chriſti, quæ Apoſtolos ad traden-
dum baptiſmum, directè conſtringunt, ſuſceptores uerò in directè, ad unicam tantùm
ſuſceptionem, ſicut & ad unam tantùm traditionem, utroſque compellunt, contrà quia
pœnitentia, ſacramentum eſt iterabile, uerba quibus Apoſtoli ad remittenda peccata
directè, peccatores uerò, indirectè ligantur, non ſemel, ſed quoties neceſſarium fuerit,
uel illos ad tradendam remiſsionem, uel hos ad confitenda peccata conſtringunt. Ea-
dem ergo loquendi forma, ex rei, quæ præcipitur diuerſa natura, diuerſè obligat.
Illud ergo præceptum, quo Apoſtolici uiri prædicare directè, gentes uerò indirectè,
eorum prædicationẽ audire, iubentur, cùm doctrina non ſit res initerabilis, ſed ſemper
uel ad illuſtrandum intellectum, uel ad erigendum affectum, ſit neceſſaria, non ad unam
aut alteram Euangelij tantũ auditionem, ſed ad frequentem, quoties nimirum uerbum
Dei publicè prædicetur, niſi neceſsitas obſtet, aſtringet. Ridiculum uerò, quòd cogi-
tent quidam, quoniam docti fuerint, elementa exordij ſermonum Dei, & inchoatio-
nis Chriſti ſermonem, fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, baptiſmatum *Hebr.5.*
doctrinam, impoſitionis quoque manuum ac reſurrectionis mortuorum, & iudicij æter *& 6.*
ni, cæteroſque fidei articulos, aut diuina mandata ex tabella elementaria puliones di-
dicerint, quæcunque ſunt ad ſalutem neceſſaria, iam ſe didiciſſe. Sunt multa alia, quæ
ad uitam Chriſtianè agendam, ſunt neceſſaria. ſunt hæc etiam intelligenda. Quid
enim memoriæ mandaſſe prodeſſet, niſi etiam, quantum per ingenium tibi cœlitus in-
dultum, & Eccleſiaſticam diſciplinam & eruditionem licuerit, comprehendere tentes?
Sunt iſta in prima Chriſtianæ uitæ pueritia elementa quædam, ſunt ædificij Chriſtiani
fundamenta, ſunt lac, quo Chriſtiani hominis infantia nutritur. Omnis autem, qui *Hebr.5.*
lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus eſt enim, perfectorũ autem eſt
ſolidus cibus, & eorum, qui pro conſuetudine, exercitatos habent ſenſus ad diſcretio-
nem boni ac mali. Nutritur catechiſmo, quaſi lacte quodam, Chriſtiana pueritia, ſed
adulta in Chriſto ætas, ſolido cibo. Porrò ſicut illud ad ſpiritalis hominis ſalutem &
uitam eſt neceſſarium, ita ut ſine illo non poſſet conſiſtere; ita & ſine hoc non poſſet ado-
leſcere ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Propinabat Apoſtolus paruulis lactis *1.Cor.15.*
liquorem, ſed inter adultos in Chriſto, ſapientiam fundebat. Quoniam, nimirum *1.Corin.2.*
utrunque pro diuerſis ætatibus ſpiritus, neceſſarium credebat. Non tantum ueri Dei
cognitio, quæ utcunque per puerilem catechiſmum præſtatur, nobis eſt neceſſaria, ſed
quotidie noua exhortatione, ad ſuperanda uitia, ad uirtutum officia præſtanda, ad
mundi perſecutiones & diaboli tentationes proculcandas, ad carnis illecebras uincen-
das egemus. Quotidie nos uitia quatiunt, quotidie nos mundus, nunc perſecutioni-
bus terret, nunc illecebris pellicit; quotidie nos caro nouo genere tentationis aggredi-
tur. Semper igitur egemus ſancta exhortationis medela; ſemper diuini uerbi malag-
ma, quo antiqui ſerpentis uirus reuomamus, nobis eſt neceſſarium; ſemper Euangeli- *Sapien.16.*
cum uerbum, quod nobis diuinitus mittitur, ut ſanemur, quaſi præſentiſsimum reme- *Pſal.106.*
dium oportet ſuſcipere. Eſt & in hanc ſententiam alia ratio, quã communis Theologia *S. Bonauẽ.*
nobis miniſtrat. fatentur ſcholaſtici auctores, non quancunque Dei notitiam, ſed expli- *Ricardus,*
catam quandam, maximè in ſtatu Euangelico, ad ſalutem ſufficere: cum enim dupli- *Scotus, & alij 4.ſent.*
cem notitiam Dei conſtituant, confuſam unam, qualem Plato, Ariſtoteles, & cæteri, *diſt.49.*
qui tantùm humanæ rationis uirtute uiguerunt, habuiſſe creduntur, diſtinctam & ex- *Vide Scolaſticos au-*
preſſam alteram, de uniuerſis articulis, quos ad uitam Chriſtianè agendam neceſſarios, *ctores di-*
quos quaſi Euangelicæ diſciplinæ præcipua capita nobis Chriſtus exhibuit illam concor- *ſtinct.25.*
di ſententia ut in ſequenti libro dicemus, in ſufficientem dixerunt, iſtam autem ſufficere *& Alexã.*
crediderunt, quam tamen non aliunde quàm ex Euangelica prædicatione acquiri poſſe, *3.par.ſumma &c.*
quis dubitet? Fides, inquit Apoſt. Paulus, ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. *Rom.10.*
Eſt tandem in hac parte non parua ratio, quam Auguſtini dictum, in quo Euchariſtiæ ſa
cramentum cum uerbo Dei confert, nobis ſuggerit, Interrogo inquit, interrogo uos
fratres & ſorores, dicite mihi, quid plus uobis eſſe uidetur, corpus Chriſti, an uerbum
Chriſti? Si uerum uultis reſpondere, hoc dicere debetis, quòd non minus ſit uerbum

 Dei

Aug. in quodã ſermo. & habetur 1.q.1.c.Interrogo.

Dei quàm corpus Chriſti; & ideo quanta ſolicitudine obſeruamus, cùm nobis corpus Chriſti miniſtratur, ne de manibus aliquid in terram cadat, tanta ſolicitudine obſeruemus ne uerbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud cogitamus, aut loquimur, de corde puro depereat, quia non minus reus erit, qui uerbum Dei negligenter audierit, quàm qui corpus Chriſti in terram, negligentia ſua cadere permiſerit. In quæ uerba ſic ait Archidiaconus, Auguſtinus non æquiparat uerbum Dei corpori Chriſti quoad excellentiam & dignitatem, quia hoc modo corpus Chriſti eſt dignius, ſed quo ad efficaciam & utilitatem, quia non minorem fructum recipiet ille, qui attentè uerbum Dei audit, quàm ille, qui corpus Chriſti deuotè aſſumit. Gloſſa uerò, quam ordinariam uocant, Plus inquit, utile eſt audire uerbum Dei, quàm ſumere corpus Chriſti. Per corporis enim Chriſti, ſuſceptionem, ſolùm nobis remittuntur uenialia, de conſec.d.2.c. Iteratur. per auditionem autem uerbi Dei, ſemper aut quaſi ſemper deuotè illud audientibus, acquiritur compunctio & contritio, per quam mortalia etiam remittuntur. In

Bernardi. in Euangelio æterno.

eandem etiam ſententiam ſanctus Bernardinus Senenſis, ſi aliquis, inquit, populus ſtaret per triginta annos ſine miſſa, ſed omni ſeſto audiens uerbum Dei, & alius populus ſtaret per alios triginta annos omni ſeſto audiens miſſam, ſed nunquam audiens uerbum Dei, profectò ille, qui uerbum Dei audiſſet, inueniretur melior quàm audiens miſſam, & plura enormia peccata diuerſi generis inuenirentur in eo, qui non audiuit prædicationem, quàm in eo, qui non audiuit miſſam. Ex his uerò non prorſus inutili ratiocinio colligimus, ingens eſſe peccatum, nolle uerbum Dei audire, quando tantum peccatum eſt negligenter audire. grauius profectò peccat, qui prorſus non audit, quàm qui negligenter audit. cum igitur negligenter audientem Auguſtinus, tam damnet quàm eum, qui Chriſti ſacroſanctum corpus in terram conculcandum demitteret; quid putamus eum dicturum de eo, qui nihil æquè fugit ac Dei uerbum? Deinde, ad id ipſa ratione naturali docente magis tenemur, quòd nobis maiores fructus & utilitates conciliat, ſed uerbi Dei auditio nobis maiores fructus & utilitates conciliat, quàm miſſæ auditio, ad eam igitur magis tenebimur. Cum autem miſſæ ſacrificio, dominica die non tantùm Eccleſiaſtico, ſed & diuino præcepto, ut libro tertio de præcepto & diſpenſatione, ex Apoſtolica traditione & obſeruatione docuimus, uniuerſi fideles intereſſe teneantur, tenebuntur perinde Euangelicæ prædicationi intereſſe, ſi ſuppetat. nam ſicut in Euchariſtia dominicæ paſsionis, ita in Euangelica prædicatione totius myſterij redemptionis noſtræ, & eorum, quæ à mundo condito, humanum genus beneficia ſuſcepit, qua Fides, Spes, & Charitas incrementum accipiant, memoria recolitur. Non ſunt hæc, fateor, mathematicæ demonſtrationes, quas quorundam craſſiſsimæ argutiæ, qui,

Rom. 1.

credentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, non poſsint diluere: ſunt tamen Chriſtianæ rationes, quæ Chriſtianè doctos, ad cohercendos populos, & ad uerbi Dei auditionem alliciendos, forſan permouebunt. Attendant qui in hac parte mitioribus opinionibus gaudent, quantum nocumenti Chriſtiano populo ingerant, dum eidem euagandi licentiam indulgent, præſertim his temporibus, quibus continua prædicatione ne hæreſum zizaniæ pululent, animi fidelium ſunt excolendi. Non omnia ſunt in uulgus ſpargenda, non uniuerſa, quæ ſapientes uera eſſe cognoſcunt, profundunt in plebem, ſed quæ ad eandem in officio uirtutis retinendam, conducant quantumuis aſpera, quantumuis rigida. Caueant'ne potius nobilium & magnatum, gnatonum, quàm Theologorum officium exerceant; caueant'ne de ipſis Apoſtolus dixerit, Erit tempus cum ſanam doctrinam

2. Timo. 4.

non ſubſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Non ſubſtinent peccatores, præſertim, qui nobilitatis titulos cum diuitiarum theſauro aggeſſerunt, ſanam doctrinam, ideſt quæ eorum uulnera, Euangelicæ ueritatis aceto lota, potuiſſet ſanare, ſed non deſunt, nec deerunt diaboli miniſtri, qui diuinæ ſapientiæ, quam nunquam deguſtarunt, titulis, apud eos præſignes, hanc, ſi ita libuerit, in omnem uitam licentiam indulgeant, quò prorſus à ueritate auditum auertentes, intereant: ſed neque deerunt tormenta. quæ hos pſeudoprophetas, ſimul cum diſcipulis, in extremis inuadant. Scio de audiendo Dei uerbo affirmatiuum eſſe præceptum, quod non ſemper obligare creditur, niſi cum occurrat neceſsitas; ſed ſcio etiam eum eſſe animæ noſtræ campum, qui ſi diuini ſermonis ſarculo diligentiſsimè non fuerit excultus, continuò in

pesſimas

peſsimas & uenenatas herbas luxuriet, & hirceſcat, aut ſaltem ſpinis, quas Chriſtus mũdi huius ſolicitudines docuit, Euangelicum ſemen, quod fuerat antea conceptum, ſuffocet. *Math. 13.* Quemadmodum, inquit Cicero, ager quantumcunque fertilis, abſque cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ita ſine diſciplina animus & doctrina. *Lib. 2. Tuſculan. q.* Et Ouidius,

Adde, quòd ingenium longa rubigine læſum,
Torpet, & eſt multò quàm fuit ante minus,
Fertilis aſsiduo ſi non renouetur aratro,
Non niſi cum ſpinis germen habebit ager.

Cum igitur nunquam deſit audiendi neceſsitas, neque unquam deerit in præcepto, de audiendo uerbo Dei præſertim hoc ſæculo uis obligandi.

An vero ſit mortale peccatum, tempore publicæ prædicationis, uerbum Dei ſine rationabili cauſa dimittere, alia quæſtio eſt. *An ſit peccatum mortale, tēpore publicæ prædicationis, uerbū Dei ſine cauſa dimittere.* Et in illo quidem, qui, quæ ad ſalutem ſpiritalem neceſſariò conducunt, cum ignoret, ſperneret, nequaquam dubitandum arbitror; qui enim media ad ſalutem neceſſaria ſpontaneus reſpueret; ipſam quoque ſalutem iudicaretur ſpernere, quod eſt peccatorum grauiſsimum. De eo uerò, qui cum ſit doctus, non auditet, potiſsimè ſi ſanctæ ſcripturæ lectioni eo die uacaret, quò uerbi Dei omiſsi, compenſationem faceret, iudicare non audeo. nam etſi ſciat quæ ad ſalutem conſequendam ſufficiant, habet tamen ipſa uox prædicantis neſcio quid latentis energiæ, & in aures auditoris ipſa transfuſa, fortius ſonat. *Hierony.* Quî ſcit an prædicatoris actione & Spiritus ſancti uirtute, qui in Euangelici uerbi miniſtris loquitur, det illi Dominus ſpiritum compunctionis & reuertatur, & ſanetur? Quî ſcit an etiam ſi iuſtus ſibi uideatur, poſsit adhuc magis iuſtificari, dum uerbi cœleſtis uirtute in Chriſti amorem uehementius accenditur? magnæ ſunt prædicationis Euangelicæ commoda, quæ nunquam ex lectione, quamuis aſsidua & docta recipiet, præter hoc quod hos publicos doctrinæ congreſſus nunquam declinare ſine ſcandalo poterit. Vidi ego ſæpe doctiſsimos uiros, ignorantiſsimos prædicatores, attentiſsimè audire, quo populo diuini ſermonis audiendi præberent exemplum. Neque ob hanc cauſam quicquam honoris illis deceſſiſſe. Neque enim tam nominis noſtri quàm charitatis rationem habere Chriſtiani præcipimur, ſed in hac parte lectori Chriſtiano liberum eſto iudicium.

De uerbi Dei miniſtris. *Cap. IX.*

Verùm quoniam magni referre ſemper eſt creditum, quo fonte haurias aquam, aut quo uaſe medicam potionem ſumas, de Euangelicis miniſtris, qui ſunt uaſa electionis, ad portandum nomen Domini, ideſt Euangelicam prædicationem, qua ſalus acquiritur, & qui ſunt fontes Saluatoris: de quibus in gaudio ſunt aquæ diuini ſermonis, quo & uirtutum radices rigantur, & peccata concepto dolore purgantur, hauriendæ, nunc pauca dicamus. *Act. 8. Iſai. 12.* Neq; enim tantus eſt diuini ſermonis & rerum cœleſtium audiendarum amor, ut à quocunque quaſi à diuino inſtrumento (ut par eſt) accipiantur, ſed plurimùm à uita, plurimum ab auctoritate docentis, auditores dependent. In quo tamen maximè noſtræ fragilitatis infirmitas deprehenditur, qui non tam quod nobis dicitur, quàm quis dicat attendimus. Quis eſſet adeò demens, ut cum longiſsimo temporis ſpacio, patria exularet, à ſordido & à paupere nuntio, nollet, quæ ſibi afferuntur, lætiſsima nucia ſuſcipere? Non eſt aliud Euangelicus ſermo quàm cœleſtis epiſtola, quæ nobis, uel quò citò affuturum diuinum furorem intelligamus, niſi malefacta pœnitentia emendemus, uel quò diuina beneficia ad mentem reuocemus, uel quò ad cœleſtes diuitias aſpiremus, diuinitus mittitur. non igitur quis, aut qualis eſſet, qui portat, ſed quid eſt aut quale, quod in ea nobis denuntiatur, debuiſſemus attendere. Dum ſumus in corpore, Apoſtolo auctore, peregrinamur à domino, nullusq; hic permanentem habet ciuitatem, ſed omnes futuram inquirimus. *2. Cor. 5. Hebr. 13.* nihil ergo nos aut prædicatoris uita, aut auctoritatis defectus, nocere debuiſſent, ſed ſimplici animo, quæ diuinitus offeruntur, per quoſcunque mininiſtros ad uitæ ſpiritualis fomentum, accipere oportuit. Eduxit olim Moſes largiſſimas dulciſsimasq; aquas de petra duriſsima, quæ tamen nõ minus Iſraelitico populo, *Num. 20.*

dum eremi exilio detentus, ſitiret, ſatietatem inducerent, quàm ſi ex Iordane aut Nilo
Iudi. 14. hauſtæ fuiſſent. Legit etiam fortiſsimus Sanſon ex leonini cadaueris ore, dulciſsimi mellis liquorem, & apes plerunque ex amaris floribus, fauorum cellulas ducedine replent.
Non ſunt Euangelici miniſtri, qui loquuntur, ſed Spiritus ſanctus, patris legatione
2. Corin. 5. funguntur, ut Deo recõciliemur; non ſunt diuini ſermonis auctores, ſed inſtrumenta quædam, per quæ nobis diuina nuntiantur: non igitur qui ſint aut quales, ſed quid apportent, deberemus attendere. Scimus olim Balaam Cananæum, hominem alioqui
Num. 13. idololatram, immo eiuſdem aſinam, diuini ſermonis inſtrumenta fuiſſe, ſciamus igitur non eſſe contemnenda, quæ per quoſcunque aut qualeſcunque miniſtros, nobis offeruntur diuinitus, Sed pij & uerè Chriſtiani hominis eſſe, in quocunque & per quemcunque non hominem, ſed ſpiritum patris loquentem audire.

Sed iam, quæ ad Euangelicum prædicatorem pertineant, dicamus. Sunt autem in his quædam, quæ naturam, quædam quæ munus, quædam quæ muneris exequutionem concernunt; de quibus omnibus pauca ſunt perſtringenda. Sed prius diui patris Bo-
in apologia pro religionibus. nauenturæ, in hac parte ſententiam audiamus. Vt ad prædicationis officium, inquit, quis ſit idoneus, præter habilitatem illam, quam confert gratia, quæ eſt efficacior omnibus, quæ non in noſtra poteſtate conſiſtunt, ſed in beneplacito Dei, ſingulis, prout uult, dona ſua diuidentis, iſta conſiderare in promouendis ſolemus. Primò quòd ſit competentis ætatis, non multum à trigeſimo anno diſtans; quia quæ à pueris fiunt, puerilia reputantur. Secundò, quòd non ſit etiam facie aut moribus puer, quia iſta multum minuunt auctoritatem apud homines, tam dictorum quàm factorum: Tertiò, quòd non ſit ualde notabiliter deformis, in corpore, ſcilicet nimis breuis, uel craſſus, uel gibboſus, uel aliter turpiter deformatus, ne per hoc eius prædicatio, riſui uel deſpectui habeatur. Quartò, quòd non ſit ualde debilis, ut labores exſequi uiriliter ualeat. Quintò, quòd ſit competentis facundiæ, ut poſsit ea, quæ debet proponere, ſine auditorum faſtidio. Sextò, quòd ſit ſaltem in Grammatica, & ſacra ſcriptura tam ſufficienter inſtructus, quòd ſine errore uel confuſione, ſciat coram populo & clero, proponere ueritatem, & in conciliis competenter ſatisfacere de cauſis neceſſariis. Septimò, quòd ſit talis in uita & moribus, quòd fratres interius & alij exterius, nihil uideant, uel audiant, per quod doctrina prædicationis apud audientes, quoquo modo uileſcat. nam cuius uita deſpicitur, reſtat ut eius prædicatio contemnatur. Octauò, quòd etiam tantùm polleat induſtria, quòd per fatuam ſimplicitatem non reddat contemptibile, quod per acquiſitam ſcientiam apprehendit, ut ſciat ſe honeſtè gerere apud homines, & prudenter in omnibus ſe habere. Nonò, quòd non ſit minus ad hoc uoluntarius, quàm ſi motu proprio id faceret, aut ſaltem, quòd ad hoc per obedientiæ meritum trahatur, ſicut Iſaias, Hieremias, Ezechiel, &c. Et ſubiude, His donis, inquit, ornato ſi gratia affuerit, poteſt, & debet, officium prædicationis & confeſsionis imponi, ſi fuerit neceſſarium. Qui uerò, alios pro priuata ſocietate promouent, ordini confuſionem, & animabus nocumentum, & ipſis promotis detrimentum, procurant, cum negligentiæ talium inutilium & imperitorum, tam in conſiliis quàm in abſolutionibus, inefficacibus & aliis nocumentis animarum, meritò ab eis requirantur. tales enim in multis ſæpe poſſunt offendere, uel ſcandalizare, dum non dicenda populo prædicant, uel ſeducendo, errorem inducunt, aut aliter fortè minus compoſitè ſe habendo. Hactenus uir ſanctiſsimus, cuius promouendi ad hoc Apoſtolicum munus rationem, utinam & Epiſcopi & ſummi præpoſiti religionum ſeruaſſent, haud profectò, tanto contemptui uerbum Dei haberetur, dum ſine diſcrimine plerunque, nullius horum habita ratione, quoſcunque in diuini uerbi miniſterio conſtituunt. Res eſt maximè ardua Apoſtolicum & Propheticum munus iniungere, nec Deus ipſe, qui tamen & gratiam cum Apoſtolatu contribuit, paſsim, ſed pro grauiſsimis cauſis miniſtros, qui po-
Rom. 1. puli uicia carperent creare aſſueuit. pro populi nimirum totius idololatria, pro publica peccatorum licentia, nec tamen multos, ſed unum aut alterum. Falſi prophetæ, ſemper multi, ueri paucißimi. Sed neque quoſcunque prophetas creabat, ſed quos ſumma ſanctitas & uitæ religio, in uniuerſo illo populo celebriores effecerat: cum tamen Deus ab humana uirtute non pendeat, ſed ſubitò, quoſcunque ex peccatoribus, ſanctos per ſolum uoluntatis imperium, & perinde legitimos ſui uerbi miniſtros, poſsit efficere.

cere. Denique quanta prudentia quantaq; circunſpectione, in creandis diuini uerbi mi-
niſtris ſit opus, & ueteris & noui teſtamenti docet hiſtoria. Crearur Iſaias, ſed poſt *Iſai. 6.*
quàm diuina uiſione illuſtratus, & cunctis humanis affectibus igne de altari deſumpto
purgatus eſt, ſed poſtquã gloriæ cœleſtis imagine, in duplici illo choro Deum collaudan-
te, in diuinum amorem fuerar allectus. Mittitur Hieremias, ſed poſt miſſam diuinitus *Hiere. 1.*
manum, & tactum os, ſed poſtquam in ore ſuo diuina uerba receperar, ſed poſtquam
datus fuerat in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum. In-
iungitur Ezechieli propheticum munus, ſed poſtquam ex Dei tremenda & admiranda *Ezech. 2.*
uiſione, timorem conceperar, ſed poſtquam diuinæ legis perfectam cognitionem, codi-
ce deglutito, hauſerat. Neq; uerò uanè aut fruſtrà putandum eſt inſtitutiones propheta-
rum in ſacra hiſtoria deſcribi, ſed quo ſciamus quantum ſtudium in diuini uerbi mini-
ſtris creandis, ſit adhibendum. Lucas euangeliſta, cum Chriſti natiuitatem deſcripſit,
tantùm Romani Cæſaris meminit, Ioannis natiuitatem, nullius principis facta mentio-
ne narrat, cum uerò eius ad Euangelicum miniſterium creationem recenſet, non tan-
tùm Cæſaris, ſed & ſacerdotum, & minorum, principum meminit, Anno, inquit, quin-
todecimo Imperij Tyberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha Gali- *Luce 3.*
leæ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis, &
Lyſania Abilinæ Tetrarcha, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha, factum eſt uer
bum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium. Maxima profectò totius Euangelicæ hiſto
riæ periphraſi, in ſanctum hoc miniſterium, Ioannis unctionem Lucas enarrat, nimi-
rum ut innueret, quantum eſſet opus, prophetæ, aut Euangelici prædicatoris creatio.
Non ſufficit profectò habitum religionis induiſſe, ut quis Apoſtolicum munus exerceat,
non ſufficit tribus aut quatuor annis, ſcholæ aridis ac ieiuniis plerunque diſputationibus
inſudaſſe, ſed ultra uitæ ſanctitatem & auctoritatem doctrinæ, ſumma quoque prudentia
requiritur, qua congruentem auditoribus doctrinam apponas, qua (inquam) paruulis in
Chriſto lactis liquorem propines, inter perfectos uiros ſapientiam loquaris. Non tã haud
dubium refert, quos & quantos prædicatorum greges Euangelicæ diſciplinæ magiſtros
habeamus, quàm quales. Immo nihil eſt, quod maiorem contemptum rebus etiam
præcioſiſsimis afferar, quàm earum frequentia, præſertim ſine auctoritate. Præſtaret
Chriſtiano populo paucos uitæ grauitate, eruditione, & rerum humanarum & diuina-
rum uſu præditos habere, quàm tot ſine ullo diſcrimine confertiſsimos greges. Sed
in hoc forſan maiorum eſt negligentia notanda, laudoque concilij Tridentini ſtatutum,
quo Eccleſiaſtici prælati, non alios ad prædicationis officium admittere iubentur, quàm
quos doctrina & moribus, ex rigoroſo examine ad id muneris ſufficientes intelligant.
Erat Apoſtolico tempore meſsis multa, operarij pauci, atque adeò nihil referre ducebat *Ioan. 4.*
Apoſtolus, per quos Chriſtus prædicaretur, dum tamen prædicaretur. nunc contrà meſ- *Philip. 1.*
ſis pauca, operarij multi, ex his igitur optimos quoſq; oporteret eligere, ne uerbi Dei
reuerentia, quæ, in animis auditorum neceſſariò requiritur, miniſtrorum abundan-
tia & uilitate ſordeſceret. Hoc unum ſcio, nullo unquam ſæculo, plures prædicatores,
nec plures peccatores fuiſſe. uiluit nobis præ abũdantia, mãna cœleſte, nec amplius iam
à quibuſdam utilitatis ex concione deſumitur, quàm forſan, quòd aptè brachia prædi-
cator iactarit, quòd aptè loquatur, quòd ingenti uerborum torrente, & plerunque qui-
dem ſine mente, auditores infatuet, &c. Nec hoc aliunde, quàm ex abundantia & im-
menſa multitudine, quæ quemadmodum cætera, faſtidium inducit. Admirabantur
olim Chriſtiani, dum hominem ſuggeſto eleuatum, de Deo loquentem audiebant. at-
que ſumma ueneratione & religione, plerunque longiſsimo itinere, patria relicta, quæ
dicebantur, audiebant; nunc uiculi quoq; cõductitiis prædicatoribus, & frequenter pro
ipſa prædicatione iurgantibus, concrepant, nec tamen multò Dei populus in Chriſtiana
illa morum ſimplicitate, parentibus præſtat. Nolo ora prædicatorum occludere, immo
utinam omnes prophetarent, ſed uellem, non quoſcunque, cuiuſdam honoris ambitio-
ne, ad id muneris promoueri, ſed eos tantùm, quos iſtæ, ſanctiſsimi & prudentiſsimi
uiri, conditiones extollerent: quæ profectò omnes ſimul ſunt rariſsimæ inuentu.

Facilè uerò hæc prædicatorũ turba minueretur, ſi quantũ eſſet prædicationis onus, ani *Quàm ar-*
mis attentis, qui promouentur attenderent. Videre eſt quàm rarò libenter ueri prædica *duũ ſit p̃di-*
tores, etiam poſtquam ſe diuinitus mitti, ſciebant, hoc munus obirent, quantumque in *cationis mi*
niſterium.

hac

hac parte diuinum Imperium detrectarent. Cauſatur Moſes uir alioqui ſanctiſsimus,
Exod. 3. & omni diuina & humana ſapientia inſtructiſsimus, etiam poſteaquam ſibi Deum affu-
turum audierat, quòd non eſſet eloquens, ab heri & nudiuſtertius, quaſi non uitæ ſan-
ctitatem, non theſaurum ſapientiæ, non ipſum diuinum robur, niſi quam populus ca-
ptat, eloquentia adeſſet, ſufficere crederet. denique promiſſa ſibi nerborum, quam cau
ſabatur facundia, uſque ad diuinam iracundiam & indignationem reſiſtit, Obſe-
cro, inquit domine, mitte quem miſſurus es. iratuſque eſt Dominus in Moſem &c.
Hieremias quoque poſteaquam à Deo audierat, Priuſquam te formarem in utero noui
te, & antequam exires de uentre, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. quaſi
adhuc ſe ineptum ad prædicationis officium agnoſceret, Deo ipſi reſpondet, Ah, ah, ah,
Hiere 1. domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum. quaſi nondum perfectum animi robur,
Ione 1. & eloquentiam illam, quam uulgus requirit, ſe adeptum agnoſceret. Ionas ne in Ni-
niuem prædicaturus legationem acciperet, à facie Domini fugit in Tharſis. unus eſt
Iſai. 6. Iſaias inter illuſtriores prophetas, qui prædicationis onus uoluntarius ſubiret, ſed poſt-
quam dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, omnem terram gloria
replentem uidiſſet, & ſeraphicos choros ter ſanctum illum conclamantes audiſſet, ſed
poſtquam angelico miniſterio, labia ſua purgata cognouerat, ſed poſtquam Deum quæ-
rentem quem mitteret, nec inueniente uidens, tactus fraterna charitate compungitur.
Deum immortalem, quàm paruo prædicationis obeundæ deſiderio teneretur, qui ſe
non ad honorem, ſed ad immenſum laborem & ſummum uitæ huius corporalis diſcri-
men, immo certiſsimam mortem, per legitimam Apoſtolatus functionem ordinari ui-
deret. Veritas, apud uniuerſos mortales res eſt odioſiſsima, ergo qui eius ſinceram
tractationem ſuſcipiunt, quales ſunt euangelici miniſtri, non applauſum, ſed mundi cer-
tiſsimum odium expectent. Non ſumus profectò meliores quàm patres noſtri; ſcrutare
ſcripturas, ſcrutare eccleſiaſticas hiſtorias, & uidebis Apoſtolico munere legitimè fun-
ctos, mundus quo premio remuneret. Iſaias, poſt illuſtrem prædicationem, in duas
partes ſectus, occubuit. Hieremias poſt carceres, poſt ciſternas, poſt catenas, lapidi-
bus obruitur. Ezechiel, eo quòd auctoritate ſacerdotali, Iſraelitici populi principem,
Iſido. lib. de ob admiſſum ſacrilegium, apud Babylonem corripuiſſet, ab eodem occiditur. Amos,
Patri uete poſt Amaſiæ ſacerdotis frequentiſsimas plagas, tandem Ozia iubente uecte per tem-
ro teſta. pora transfixo, crudeli morte necatur. Micheas, quòd ſacrilegum Achab reprehende-
Epipha. lib. ret, ſub Ioram filio eius, præcipitatus, occubuit. Et quis non legit, grauiſsimas Heliæ
de uitu pro perſecutiones, inedias, itinera, fugas &c. quibus plerunque actus, tolli animam ſuam
phe. poſtulabat obnixè? Quis non minas Heliſeo intentas, quòd perditiſsimos principes
Deo ita præcipiente, corriperet? Iam in Euangelico ſtatu, illa Euangelici prædicatoris
1. Cor. 11. ſunt præmia, quæ Paulus Apoſtolus ad Corinthios enumerat, Ter uirgis cæſus ſum, ſe-
mel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itine-
ribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, &, quod eſt acerbius, periculis ex
genere, periculis ex falſis fratribus, in labore & ærumna, in uigiliis multis, in fame &
ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa, quæ extrinſecus ſunt: Inſtan-
tia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Poſt hæc uerò illa quoque certò
ſequuntur, cruces, flagella, infamiæ, lampades ardentes, gladij & denique mors. Hæc
profectò Euangelici miniſterij, ſi rectè geratur, certa ſunt præmia, non ſacerdotia, non
publici honores, non principum gratia, non populi applauſus. Grande portentum, mun-
dum, legitimum Euangelicæ functionis miniſtrum, fauoribus & honoribus proſequi.
Idem eſt mundus qui antea, eadem ſeruis Dei præmia pro benefactis compenſabit, ſi
eius opera quemadmodum olim arguantur. non eſt ſeruus maior domino ſuo, ait Chri-
ſtus, primus Euangelici muneris exſequutor, ad eos, qui id miniſterium ſubituri erant.
Si me perſequuti ſunt, & nos perſequentur. Qui ergo ad Euangelici miniſterij labores
ſubeundos ſe idoneum exiſtimat, non temporalis commodi gratia, ſed cœleſtis fœlici-
tatis intuitu, Apoſtolicum munus prædicationis aſſumat.

Verùm ut quantum poterit ad huius ſancti miniſterij legitimam functionem annita-
Quæ ad Euangelicũ miniſtrum pertineant. tur, aut quidam ab eius uſurpatione deſiſtant, quæ ad Euangelicum prædicatorem ne-
ceſſariò pertineant, ſubiiciamus oportet. in his enim quaſi in Socratico ſpeculo, legiti-
mus diuini uerbi miniſter, quid ſibi deſit, intelliget. Principiò aduertere debet Euan-

gelicus

gelicus prædicator, ſe medicum eſſe, non quidem eius medicinæ miniſtrum, quæ cor-
pora curat, ſed illius de qua dicitur, Non herba neque malagma ſanauit eos, ſed ſermo Sapien. 16.
tuus. & alibi, Miſit uerbum ſuum & ſanauit eos &c. Vnde & apud Lucam prima illa Pſal. 106.
Euangelica expeditione, qua Apoſtolici uiri, ad regnum Dei prædicandum mittuntur,
curare languores iubentur, certo profectò indicio medendi munus, cum ipſo Apoſtoli- Luca 9.
co miniſterio coniunctum, quod & Ambroſius notauit. Studeat igitur, quocunque lu- Ambro. in
cro aut propria conſolatione poſthabita, ut his, qui lætantur ſuper muros cocti lateris; exame.
ideſt his, qui terrenæ fœlicitatis uallo ſe tutos exiſtimant, neque ab ſpiritalibus hoſti- Iſai. 16.
bus inflicta, in interiori homine uulnera timent, fideliſſimè plagas loquantur, ne de illis
Deus aliquando quæratur, Omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis Iſai. 1.
uſque ad uerticem non eſt in eo ſanitas, uulnus & liuor & plaga tumens, non eſt circum-
ligata neque curata oleo, neque fota medicamine. Non quoſcunque, ſed regis æterni
filios curat, ſponſæ Chriſti languoribus medetur. Væ ergo illi, niſi eorum penitus ſpreta
querela, ſi ita oportuerit, acetum infuderit, niſi chirurgica induſtria carnem abſcide-
rit, niſi medicam potionem quanuis amaram, ſi languor poſtulet, epotare coëgerit.
Attendat ſe nubem eſſe, in qua quaſi in diuino uaſe, Deus Euangelicas aquas, ad agrum
Eccleſiæ rigandum, ligauerit. Qui ligat, inquit, aquas in nubibus ſuis ne erumpant Gregor. 17.
pariter deorſum. Quid hoc loco, inquit Gregorius pontifex, aquam niſi ſcientiam; mora. c. 12.
quid nubes, niſi prædicatores appellat? Nam quia in ſacro eloquio, aliquando aqua,
ſcientia dicatur, Salomone atteſtante didicimus, qui ait, Aqua profunda, uerba ex ore
uiri, & torrens redundans fons ſapientiæ. Aqua ſignari ſcientiam, Dauid propheta te-
ſtatur, dicens, Tenebroſa aqua in nubibus aëris. ideſt occulta ſcientia in prophetis, qui
ante aduentum Domini, dum occultis ſacramentis grauidi, myſteria immenſa geſta-
rent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat. Nubium uerò nomine, quid
hoc in loco aliud quàm prædicatores ſancti, ideſt Apoſtoli deſignantur, qui per mundi
partes circumquaque tranſmiſsi, & uerbis nouerant pluere, & miraculis corruſcare,
quos Iſaias propheta longè ante intuens dixit, Qui ſunt iſti, qui ut nubes uolant? Ha-
ctenus Gregorius. Sed & in illa uerba, Nubes ſpargunt lumen ſuum; Nubes inquit, lu- Iob 37.
men ſpargere, eſt prædicatores ſanctos uerba, exempla uitæ & loquendo & operando, di- Gregorius
latare. Spargat igitur lumen ſuum, ideſt Euangelicæ prædicationis, uſquequaque illuſtra- 26. mora.
tionem effundat, effundat imbres cœleſtis ſermonis, non in hos aut illos, ſed in omnes,
quos diuini uerbi pluuia concepta, bonorum operum fructus allaturos exiſtimat. Hoc
pacto profectò, lux mundi prædicatores dicuntur, quòd Solis naturam imitari debeant, Matth. 5.
qui non huic aut illi, ſed omnibus locis gratiſsimi luminis radios communicat. Sol, in- Matth. 5.
quit Eccleſiaſticus, illuminans, per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus Cap. 42.
eius. Non igitur diuitibus aut ampliſsimis urbibus tãtùm, ſed pauperibus & uiculis Euan-
gelicus prædicator, debitorem ſe iudicet. Agnoſcat ſe eius eſſe miniſtrum, qui de ſe-
ipſo inquit, Spiritus Domini ſuper me, euangelizare pauperibus miſit me. Non paupe- Luca 3.
rum tantùm, ut quidam faciunt, ſed diuitum etiam Euangelica luce peccata reuelet, ut
Ioannes ille, qui inceſto olim tyranno dicebat, Non licet tibi habere uxorem fratris Mar. 6.
tui. Omnibus ſine ullo diſcrimine, quanta bona ſub Euangelicæ uitæ (ut mundò uide-
tur) duriſsimo cortice, deliteſcant, quo in rerum cœleſtium deſiderium illecti, diuini
amoris calore ſuccẽdantur, apertè patefaciat. Hac enim ratione gloria Domini plenum
opus eius erit. Aduertat tamen, ne ſine cœleſtis iuſsionis imperio, munus ſanctæ prædi Eccl. 42.
tionis aſſumat. Neque enim ſol ſine cœleſti iuſsione, orbem terrarum illuſtrando cir-
cummeat, aut nubes pluuiam, aut lumen, ſine eadem ſpargit. Vnde de his ipſis nubibus
protinus ſubditur, Quæ luſtrant cuncta per circuitum, quocunque eas uoluntas guber-
nantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis, ſuper faciem uniuerſæ terræ. Luſtrant Iob 37.
Euangelici prædicatores cuncta per circuitum, non ultronei, ſed imperio diuino, quod
detrectare non poſſunt. Alioqui quomodo prædicabunt niſi mittantur? Nemo ſibi ſu- Rom. 10.
mat hunc honorem, ſed qui uocetur à Deo; nemo ſibi altiſsimum opus prædicationis
uſurpet, ſed qui cœlitus, aut maiorum ſuorum imperio obligetur. Multi olim erant pro- Hebr. 5.
phetæ, ſed hi ſoli cum fructu cœleſtis uerbi tractationem obibant, qui ad id operis diui-
no imperio cogebantur inuiti. Multi ſunt modò in Eccleſia, qui elaborato ſermone, in-
genti facundia, magna ſcientiæ opinione, Euangelium diſſeminant, ſed in eadem bono-

rum operum fructus paucisſimi. Timendum igitur, ne à ſeipſis, ideſt à proprij honoris
In cõmen. epiſt. ad Galathas. concupiſcentia mittantur. Quatuor, inquit Hieronymus, Apoſtolorum ſunt genera,
unum quod neque ab hominibus eſt, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum &
Deum patrem: Aliud quod à Deo quidem eſt, ſed per hominem. Tertium quod ab ho-
mine, non à Deo: Quartum quod neque à Deo, neque ab homine, neque per homi-
nem, ſed à ſemetipſo. De primo genere, poteſt eſſe Iſaias cæterique prophetæ & ipſe
Apoſtolus Paulus, qui neque ab hominibus neque per hominem, ſed à Deo patre miſ-
ſus eſt. De ſecundo, Ieſus filius Naue, qui à Deo quidem eſt Apoſtolus conſtitutus, ſed
per hominem, Moſem. Tertium genus eſt cùm hominum fauore & ſtudio, aliquis or-
dinatur, ut nunc uidemus plurimos non Dei iudicio, ſed redempto fauore uulgi, in
ſacerdotium ſubrogari. Quartum eſt pſeudoprophetarum & pſeudoApoſtolorum, de
2. Cor. 11. quibus Apoſtolus, Iſtiuſmodi, inquit, operarij iniquitatis traſfigurantes ſe in Apoſto-
los Chriſti, qui dicunt, Hæc dicit dominus. & dominus non miſit illos. Hactenus Hiero
nymus. Initiò igitur, primi generis Apoſtolos, ideſt prædicatores, accepit Eccleſia: ſe-
cundi generis illi ſoli dicentur, quos ad Apoſtolicum munus, aut onus paſtorale ſuſce-
ptum obedientia coëgit. tales, Ioannes ille Chryſoſtomus, Baſilius, Cyrillus, Auguſti-
nus, Ambroſius, Gregorius, Antonius, Bernardinus, Vincentius, &c. Quarti generis
Apoſtolos (ſi quo alio tempore) noſtra memoria frequentiſsimos, diuina permiſsione
Diabolus armat, quo falſis doctrinis Eccleſiaſticam à maioribus acceptam diſciplinam,
ſubuertat. Minus his ſunt perincioſi, qui cùm catholicè doceant, à proprio tamen de-
ſiderio mittuntur, quos in tertio genere Hieronymus collocat. Hi certè, quoniam per
Chriſtum non accipiunt Apoſtolatum, neque quà, eorum uerba efficaciter peccatores
percutiant, gratiam ſuſcipiunt. Totum eſt humanum quod agitur, non aguntur ut diui
na inſtrumenta, non ſunt organa cœleſtis artificis, atque adeò loqui poſſunt, delectare
poſſunt, ſeſe mundo facundos & ſapientes oſtentare poſſunt, mouere non poſſunt; ho-
mines à peccatis auocare non poſſunt. Videre eſt in Apoſtolicis uiris ſanctam quandam
ſimplicitatem, de ampliſsimis prouincijs, de Regibus, Imperatoribus, philoſophis, &
demum de uniuerſa mundi ſapientia, prudentia, & potentia, triumphos agentem, cum
modò qui his ſucceſſerunt, præter profundam ſanctarum ſcripturarum notitiam, præter
Platonis, Ariſtotelis, & cæterorum prophanæ ſapientiæ cultorum lectionem ampliſsi-
mam, Ciceronis & Quintiliani quoque neruis præditi, tam paruos & exiles fructus bo-
norum operum in Eccleſia proferant. Mittebantur illi profectò à Deo, diuini artificis
erant inſtrumenta certiſsima, atque adeò tam amplos manipulos in Domini aream,
poſt labores portabant. De noſtris metus eſt, ne ideò non afferant, quod quidam eo-
Ioan. 4. rum miſsi non fuerint. Rogemus ergo dominum meſsis, ut mittat operarios in meſ-
ſem ſuam.

De Euangelici prædicatoris officiis. *Cap. X.*

QVi ſe cœleſti beneficio, in uineam Domini colendam miſſum eſſe cogno-
uerit, Dei ſe legatum intelligat: Pro Chriſto (inquit Apoſt. de prædica-
toribus loquens) legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos,
2. Cor. 5. obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Rogabat & Epheſ. Vt per
omnem orationem, omni tempore, in ſpiritu uigilantes, in omni in-
Ephe. 6. ſtantia & obſecratione, pro omnibus ſanctis, & pro ſe orarent ut dare-
tur ſibi ſermo, in apertione oris ſui, cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij,
pro quo legatione fungebatur, in catena, ita ut in ipſo auderet, prout oporteret; loqui.
Fideliter igitur Euangelicus miniſter legatione fungatur, ne ſcilicet quod à cœleſti prin-
L. j. ff. de legat. l. 11. C. eod. l. furti. §. mandato ff. de his qui notã. infamia. cipe mortalibus denuntiare iubetur, ſilentio retineat. ſciat in huius ſanctæ legationis deſer
tores, multò maiores pœnas eſſe ſtatutas quàm in eos, qui ciuilem legationem deſtituũt.
Fili hominis, inquit ad Ezechielem Deus, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies
de ore meo uerbum & annunciabis ex me. Ecce legationis iniunctio. Si dicente me ad
impium, Morte morieris, non renuntiaueris ei, neque locutus fueris ut auertatur à uia
Ezech. 3. ſua impia, & uiuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de
manu

manu tua requiram: ſi autem tu annuntiaueris impio, & non fuerit conuerſus ab impietate ſua, & à uia ſua impia, ipſe quidem in impietate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti. ſed etſi conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipſe morietur, quia non annuntiaſti ei, in peccato ſuo morietur, & non erunt in memoria iuſtitiæ eius, quas fecit: ſanguinem uerò eius de manu tua requiram. ſi autem annuntiaueris iuſto, ut non peccet iuſtus, & ille non peccauerit, uiuens uiuet, quia annuntiaſti ei & tu animam tuam liberaſti. Et alibi ad eundem, Terra cum induxero ſuper eam gladium, & tulerit populus terræ uirum unum, de nouiſsimis ſuis, & conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem, & ille uiderit gladium uenientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annuntiauerit populo. audiens autem quiſquis ille eſt, ſonum buccinæ, & non ſe obſeruauerit, ueneritque gladius & tulerit eum, ſanguis ipſius ſuper caput eius erit, ſonum buccinæ audiuit, & non ſe obſeruauit, ſanguis eius in ipſo erit. ſi autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſaluauit. Quòd ſi ſpeculator uiderit gladium uenientem & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, ueneritque gladius & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraëli, audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me, ſi me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus ut ſe cuſtodiat impius à uia ſua mala, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. ſi autem annuntiante te ad impium, ut à uiis ſuis conuertatur, non fuerit conuerſus à uia ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porrò tu animam tuam liberaſti. Hactenus oraculum. quæ non ſunt profectò humanitus excogitata terriculamẽta, ſed certiſsimæ minæ diuinæ iuſtitiæ, in eos, qui ſpeculatores agunt, aut Euangelicæ legationis munus aſſumunt, ſi non legitimè utrunque præſtiterint. Sunt Euangelici miniſtri præcones quidam, ergo nec cœleſtis principis illis imperium detrectare, neque alia, aut alio modò quàm fuerint iniuncta, denuntiare licebit. Clama ne ceſſes (inquit ad Eſaiam Dominus) & quaſi tuba exalta uocem tuam, annuntia populo meo ſcelera eorum & domui Iſraël peccata eorum. et ad Hieremiam, Sta (inquit) in atrio domus Domini, & loquêris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus ueniunt, ut adorent in domo Domini, uniuerſos ſermones, quos ego mandaui tibi ut loquaris ad eos, noli ſubtrahere uerbum, ſi fortè audiant & conuertantur unuſquiſque à uia ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitias ſtudiorum ſuorum. Nulli igitur parcat Euangelicus miniſter, quoniam præco nulli, quanuis ingenuo, quanuis potenti, quanuis diuiti parcit, ſed in omnes, quæcunque ſunt à cœleſti maieſtate præcepta, fideliter nuntiet. Ioannes ille Baptiſta, quòd non Euangelij auctor, ſed uox eſſet clamantis in deſerto, ideſt cœleſtis præco, non extimuit Herodis potentiam, non Phariſæorum & Sacerdotum auctoritatem: non utrorumq; reuerentia, qua illum adeò uenerabantur, ut Meſsiam putarent, eundem fregit, ut ab his denunciandis, quæ in gentem ſceleſtam dicenda uidebantur, ceſſaret. de Herode dicitur, Herodes autem metuebat Ioannem, ſciens eum uirum iuſtum, & obſeruabat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat: ecce ſummi principis gratia. de Phariſæis autem, quòd miſerint ad eum legatos, quæſitum, an Chriſtus eſſet, ut illi nimirum regios honores impenderent, quòd uenerint ad eum, ubi erat in Iordane baptizans, ut baptizarentur ab eo. ſed ad illum ſancta quadam libertate dicebat, Non licet tibi habere uxorẽ fratris tui, ad hos uerò, Genimina uiperarum, quis demonſtrauit uobis fugere à uentura ira? facite ergo dignos fructus pœnitẽtiæ, & ne uelitis dicere intra uos, Patrem habemus Habraham &c. Hanc ergo ſibi Euangelicæ libertatis formam conſtituat, quicunque Euangelij legitimus cupit eſſe miniſter, ut nullo temporali detrimento, nullà mundi perſecutione à ueritate, cui denuntiandæ à Deo conſecratur, abſtineat. Eorum enim, qui diuinos legatos aut præcones agunt, eſt, nullum timere quoniam potentis principis mandata denuntiant. Ecce (inquit ad Hieremiam Dominus) dedi uerba mea in ore tuo, ecce conſtitui te ſuper gentes & ſuper regna, ut euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. Et ſubinde, Tu ergo accinge lumbos tuos & ſurge, & loquere ad eos, omnia, quæ ego præcipio tibi, ne formides à facie eorum, neque enim timere te faciam uultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, in columnam ferream, in murum

Marginal notes: Ezech. 33. — Iſai. 58. — Hiere. 26. — Mar. 6. — Ioan. 1. — Matth. 3. — Hiere. 1.

ſuper omnem terram, Regibus Iuda, & principibus eius, & ſacerdotibus, & populo ter
ræ, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus,
ut liberem te. Ad Ezechielem uerò, Tu ergo fili hominis, ne timeas, eos neque ſermo-
nes eorum metuas, quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus
habitas, uerba eorum ne timeas, & uultus eorum ne formides. Et paucis interiectis,
Ecce dedi faciem tuam ualentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem fronti-
bus eorum, ut adamantem & ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, ne metuas à fa-
Ezech. 3. cie eorum, quia domus exaſperãs eſt. Habes quanta Euangelici præconis aut legati de-
beat eſſe libertas, quanta animi fiducia, quantus mundi & omnium, quæ in eo conti-
nentur contemptus. Neminem igitur formidet, neminem timeat, neminem uereatur,
cui tam certus eſt fauor, non quidem terreni principis, ſed eius, quem omnis mundi po
tentia perhorreſcit. Si quando Reges terræ, ideſt, qui terrena ſapiunt, & principes eius
In commẽ. Hier. l. c. & ſacerdotes & populi, Epiſcopi uidelicet, & presbyteri & diaconi, & uulgus uile atque
ignobile (inquit Hieronymus) contra ſanctum uirum conſurgere tentent, habeat fidei
firmitatem, & timere deſiſtat, quia Domino auxiliante ſuperabit. ſemper amanda eſt
Ibid. ueritas, nec timenda hominum multitudo, qui increpati correctionem non ſuſtinent.
Hierony. in Ezech. Gratiæ eſt Dei, hominum impudentiæ reſiſtere, & cum res popoſcerit, frontem fronte
concutere. Nec tamen Cynicam quorundam petulantiam laudo, qui prorſus ſine Euan-
gelico ſale, & ea urbanitate, quæ Dei miniſtrũ decet, in uitia inuehuntur. ſunt Euangelici
Matth. 5. miniſtri non tantùm lux mundi, quæ uitia declaret, non tantum ciuitas munita, ſupra
montem poſita, quæ mundi potentiam in uerbi propagatione non timeat, ſed ſal quo-
Coloſſ. 4. que terræ, quo ſapidè mundus à peccati corruptione ſeruetur. Sermo ueſter (ait Paul.)
ſemper in gratia ſale ſit conditus. Eſt ſuus lepos Euangelicis uerbis, eſt ſua urbanitas
Euangelico miniſtro, non illum decet Diogenem imitari, ſed Paulum, Prædica (inquit
2. ad Timoth. 4. uerbum) inſta oportunè importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & do-
ctrina. Hoc ergo ſancto animi robore munitus Euangelicus piſcator, ingenti fiducia in
huius mundi uaſtiſsimum pelagus, rete demittat, ut ab aquis delitiarum ad terram ui-
Matth. 4. uentium, rationales piſces trahat, Non impediat periture cito dignitatis ambitio, non
terrena ſolatia, non lucra, non uitæ mortalis iactura certiſsima, quò minus etiam ſæ-
uiente procella, huic operæ inuigilet. tunc enim potiſsimè certum ſolet eſſe piſcatoris
lucrum, cùm mare tempeſtate iactatur. Ne deſperet ſtatim, ſi retis iactus non proſperè
ceſſerit, quoniam nec piſcatori ſemper ex animi ſententia ſuccedit. Quòd ſi in dexte-
Ioan. 20. ram nauigij partem rete iecerit, id eſt ſi recta animi intentione, & ſolo placendi Deo
ſtudio, uerbi prædicationem exerceat, iam forſan præ multitudine, ad terram non po-
terit trahere. Nihil eſt profectò, quod tam noſtram prædicationem efficacem reddat,
quàm rectus animus, quo non noſtram, ſed ſolam Dei gloriam & animarum ſalutem
quærimus; ſicut nihil eſt è contrariò, quod tam eandem eneruet, quàm propriæ gloriæ
aut proprij commodi intuitus. Multos ex his, quos mundi ſapientia contemptibiles
credit, uidimus, maiori cum bonorum operum fructu, uerbum tractare, quàm eos,
quos ingens auctoritas, & magna literatum commendabat peritia, nimirum quòd ſoli
Deo placendi animo, illi prædicationem exercerent, iſti uerò præter Deum, ſe ipſos
1. Corin. 5. mundo commendandos iactarent. Oret Dei ſeruus ne ſit eius inanis prædicatio, oret ut
2. Theſſ. 3. ſermo Domini currat & clarificetur. nam & agricola, poſt abditum terræ uiſceribus ſe-
men, orare ſolet, ut ad meſſem ueniat. Iam uerò illud eſt magnopere attendendum,
ne aliud operetur, aliud uero populo ingerat. gallus alios cantu excitaturus è ſomno,
1. Corin. 9. prius ſe ipſum alis uerberat. caſtigabat corpus Apoſtolus ne cum aliis prædicaſſet, ipſe
reprobus fieret. Ingens monſtrum prædicare non furandum & furari, dicere non mœ-
Rom. 2. chandum, & mœchari, abominari Idola, & ſacrilegium committere, in Euangelio
gloriari, & nihil in lingua frequentius habere, et per Euangelij præuaricationem Chri-
Bernar. ad Eugen. ſtum inhonorare & contemptui exponere. Ingens monſtrum fides prima, uita ima, ſer-
mo multus, fructus nullus. Sunt quidam atque utinam non multi, ranis perſimiles,
qui cùm totum corpus in lacunis delitiarum immerſum habeant, ſolo ore uirtutes mo-
leſta blacteratione coaxant: ſunt multi, qui cùm uocem Iacob aſtuta quadam ſagaci-
Gene. 25. tate prætendant, manus tamen Eſau habent. Sunt multi cornicines, qui cùm contra
uitia claſsicum canant, ipſi tamen nunquam in bellum deſcendunt. Sunt multi qui por-

tant

tant lucem à tergo more ſeruorum aulícorum, ut alios illuminent, ſeipſos autem in fo-
ueas peccatorum præcipitent. Sunt multi inſtar cymbalorum, qui ſeipſos continua pul-
ſarione atterentes, alios ad animi religionem & pietatem inuitant, ipſi uerò in altiſsi-
mæ ſuperbiæ turri, inſolubili uitiorum nexu cohærent. Sunt multi, qui cum quaſi lu-
cernæ, aliis, quà ad uitam ſit eundum, demonſtrent, ſe ipſos conſumunt. Sunr multi,
qui, uſurpant ſibi cotis officium, quæ cùm ferrum exacuar, prorſus eſt ad ſecandum in-
utilis. Sunt demum multi, qui, quaſi inertes muſici, ſolo oris flatu, non item digitis,
inconditè ſonant, iuſtitiam, ſobrietatem, pudicitiam, &c. atque hi aures obtundunt,
harmoniæ dulcedine mentes nõ recreant. Non ſic Euangelicus tibicen, qui non audebat Rom. 15.
aliquid eorum loqui, quæ per illum Chriſtus non effeciſſet, uerbo & factis prædicabat
Euangelium, ſed die ac nocte operabarur, quò ſuaui concenru, quaſi alter Orpheus, 1. Theſſ. 2.
duriſsima ſaxa, id eſt duriſsima corda, & antiquæ peccandi conſuctudinis glacie con-
creta, poſt ſe abduceret, ita ut ab Hieruſalem per circuitum, uſque ad Illyricum Euan- Rom. 15.
gelio repleuerit. Non ſic Ioan. ille Baptiſta, qui, ut diceret, Pœnitentiam agite, pelle
cameli indutus, proceſsit, non aulicis deliciis, non opipara menſa uentrem exrendens, Matth. 3.
ſedlocuſtis & melle ſyluestri, uitæ neceſsitatem ſuſtentans. non ſic cæteri legitimi uerbi
miniſtri, quos multos Chriſti benignitare ſuſcepit Eccleſia, qui non tam uerbis & elo-
quentia ad cateros abundare, quàm in ſe ipſis uirtutum theſauros ſatagebant acqui-
rere. Sciebant uni tantùm teſti in indicio non credi, ſed pluribus, atque adeò non
ſola uoce uitia arguebant, ſed ueſtitu, uictu, geſtu, aſpectu, & ſummo rerum tem-
poralium & uitæ contemptu. Delicatus magiſter eſt, qui pleno uentre, de Dei ie- Hieron. ad
iuniis diſputat, qui Chriſtum pingui uentre, & rubentibus buccis prædicat. Effica- Nepotian.
cior eſt uox operis quàm oris, inquit Seneca, & orationes, ut inquit Ariſt. de his, quæ Epiſt. 6 ad
in affectibus & actionibus conſiſtunt, minorem quàm opera ipſa habent probabilitatem, Luc.
quando itaque diſcrepant ab iis, quæ ſenſu percipiuntur, contemptæ, ueritatem quo-
que ipſam inſuper tollunt. nam qui uituperat uoluptatem, ſi appetere ipſam quando- 9. Ethi. c. 1.
que conſpiciatur, declinare ad ipſam uidetur, qua profectò ſententia nihil philoſopho
dignius. Quî enim ego credam ei; qui multis magniſque uerbis auaritiam proſcin-
dit, & paupertatem commendat, ſi contrà, illum ſua pauperibus erogare non uideo,
ſed undique, quaſi nunquam moriturum diuitias aggerere? Quî ei homines credant,
qui cum ſummis encomiis caſtitatem cõmendet, carnalis tamen uoluptatis æſtu diſſolui-
tur? Quî illi fidem impertiam, qui cum nihil frequenrius quàm in mundum declamet,
ingenti tamen curarum quotidie procella concutitur, quo pacto ſit principum amicitia
uenanda, quo pacto ſit emercandum ſacerdotium; quo pacto non multos in Chriſto
filios generet, ſed multos ex ſummatibus amicos conciliet, qui eius non profectò Euan-
gelicas, ſed uerè mundanas operas, inter ructus & pocula, ſummis laudibus afferant?
Hac certè ratione, tractandi Euangelij, tantum abeſt ur Eccleſia promoueatur, ut po-
tius ſit eius uicem dolentibus, ſummis uotis, optandum, ut ſpurij iſti Euangelij mini-
ſtri, è medio tollantur. plus enim nocent quàm proſunt, dum ex diſcordi uita prædica-
tionem infamant. Hinc factum eſt, ut Euãgelicæ conciones in Tullianas declamationes,
ſint uerſæ, dum uerbi miniſtri non quo pacto ſir uiuendum, ſed quo pacto ſit loquen-
dum, ſtudioſè perquirunt. non ad uitæ peculiaris rationem, ut olim ſed ad artem elo-
quentiæ, noſtro ſæculo, officiũ prædicationis ſpectat. Ille magnus prædicator uocatur,
non qui nihil portet in uia, neque uirgam, neque peram, neque panem, neque pecu- Luc. 8.
niam, neque duas tunicas domi poſsideat, ſed qui cultiori ſermone, qui maiori boatu,
qui maiori facundia, qui maiori auctoritate, auditores ſuſpendat, quanuis inanes, quã-
uis frigidos, quãuis penitus Euangelici ſpirirus expertes dimittat. Summis laudibus ex-
tollitur continuò, quanuis auaritia ſordeſcat, quanuis libidine fæteat, quanuis ambi-
tione torqueatur, ex quo Sathanæ inuento factum eſt, ut penitus medendi peccatis re-
medium conciderit, dum uel ruſticus agricola non proficiendi ſtudio, ſed iudicandi
propoſito, an qui prædicat, rectè & expeditè loquatur, concionem ingreditur. omnia
ficta putantur, quoniam ſciunt, cum rectis uerbis plerunque uitam prauam latêre, ſciunt Hieron. ad
iam tandem, quòd accuſare auaritiam & latro poſsit, ſciunt aſellos non leones eſſe, Nepo.
qui leonina pelle tecti, leonino furore in peccatores inuehebantur. Qui itaque, cu-
piat his, quæ dicit fidem aſciſcere, caueat'ne quod uerbis ædificat, contraria uitæ ra-

tione peſſundet. Sciat legem eſſe prædicantibus impoſitam, nt inquit Gregorius, ut ipſi uiuendo illuminent, quæ loquendo ſuadere feſtinant. nam loquendi auctoritas perditur, quando opere non adiuuatur. Mundari potius oportet, ut ait Nazianzenus, & ſic alios mundare, ſapientes prius fieri & ſic alios facere ſapientes, lumen fieri; & ſic alios *In Apolog.* illuminare, ad Deum accedere & ſanctificari, & ita ſanctificare, manus habere rectas, & ſic indigentibus porrigere manũ. Ille uberes fructus colligit, qui ſemina bonæ opera- *Gregor. in Paſto.* tionis præmittit: nã loquendi auctoritas perditur, quãdo uox opere non adiuuatur, Nihil certius, quàm quòd cuius uita deſpicitur, eius quoq; prædicatio contemnatur. Et doctri- *Boëth. lib. de Doctrina ſchol.* na certè uileſcit ex mala uita docentis. non conſundant opera ſermonem illius, ne cum in eccleſiam loquatur, tacitus quilibet reſpondeat, Cur ergo quæ dicit, ipſe non facit? *Hiero. epiſt. ad Nepo.* Aduertat Apoſtolicos uiros (hi ſunt quicunque Apoſtolicum munus exercent) ſpectaculum factos mundo, angelis, & hominibus, ergo ſeipſum exemplum bonorum ope *1. Cor. 4.* rum præbeat, in doctrina, in integritate, in grauitate, in uerbo ſano & irreptæhenſibili, ut is, qui ex aduerſo eſt, uereatur, nihil habens malum dicere de illo. Quòd ſi hæc *Matth. 6.* fecerit, maximus profectò uocabitur in regno cœlorum, ideſt in ſancta Chriſti Eccleſia, maximam auctoritatem obtinebit, qnãuis Platonis & Ariſto. archana non nouerit, quanuis non multos annos ſcholæ diſputationibus dederit, quanuis ſermoni ſuo Ciceronis, & Quintiliani pigmenta non miſceat.

Oportet primo Euangelicum miniſtrũ eruditionẽ præſertim ſcripturarum cõparare, quàm officium prædicationis aſſumat.

Nec tamen eruditione deſtitutos, uelim Euangelicos miniſtros ſuggeſtum aſcendere, his præſertim temporibus, quibus omnium maximè literæ florent, & quibus præter eruditionis auctoritatem, parum habemus, quomodo ſermoni fides accedat, quod ſummopere eos, qui ad hoc opus promouendi curam habent, aduertere uelim. Oportet prius animal ſemen concipere, quàm lacte nutrire, oportet prius Euangelicam nutricem, quæ Euangelici lactis nutrimentum, paruulis in Chriſto debet infundere, ſemen diuinæ ſapientiæ concipere, ut lacte paruulos cibet in Chriſto. nam & terra nunquam poterit fructus producere, niſi de agricolæ larga manu ſemen acceperit. Luna & ſtellæ, non prius mundo ſuam lucem communicant, quàm eam à ſole mutuò receperint, ſed neq; uas prius ſitim extinguit, quàm aquam ſuſceperit, puer prius audit & ſermonis ſignificationem animo concipit, quàm loquatur. ergo prius Euangelici uerbi miniſter diuinæ ſapientiæ poſſeſſionem obtineat, quàm eam liberaliter hominibus tribuat. Aduertat, nihil eſſe, quod magis huius ſancti miniſterij auctoritatem extenuet apud uulgus, quàm ignorantiam. turpe eſt doctorem ignorantia notari. Nullum genus eruditionis deſpiciat, quoniam, omnes diſciplinæ theologo ſeruiunt. Mallem mediocrem uitæ rationem cum eruditionis opinione coniunctam, præſertim apud plebem, quàm egregium ſanctitatis ſpecimen, cum ignorãtiæ infamia; nihil certius, quàm perditiſsimos quoſque, cum corriguntur, aut cum in eorum uitia clamant, etiam ſanctiſsimos uiros, inſanos, ſtultos, & moriones uocare. confeſtim cauſantur ita eos locutos, quòd literarum ignorãtia, non haberent quid dicerent. Ingens eſt apud populum eruditionis auctoritas, & ad cõpeſcenda uita, quàm ſola recta uita plerunque potentior. Peſsimè profectò de Chriſti Eccleſia prælati merentur, qui poſt Ariſtotelis dialecticam, & aridas quaſdam & ieiunas theologiæ quæſtiones, Euangelicum miniſterium indulgent, uerſanda prius eſſet ſancta ſcriptura, & ſacrorum auctorum, quos Euangelico ſpiritu nerè polluiſſe cognoſcimus, ex quibusq́ue ſpiritus pinguedinem anima concipit, libri terendi, quàm tantum commendaretur negotium. Nec ſatis æqua qnorundam excuſatio eſt, quòd hac ratione expeditiores prædicatores prodeant, cum ab adoleſcentia prædicationi operam impendunt: multo enim ſatius eſſet, induſtria illa & uerboſitate carere, qnàm Apoſtolici muneris auctoritatem deterere. Sic etiam & medici ſeipſos excuſare contendunt, qnòd cum nondum medicinæ rudimenta contigerint, pulſus tangant, & plerunque pro ſalubri pharmaco, uenenum propinent, unde ingentes cadauerum aceruos accumulent. Comparanda eſt & medico. corporis humani perfecta cognitio, comparanda eſt & Euangelico miniſtro ſacundia & expeditus ſermo, ſed ſicut illi medicinæ cognitio cum tanta mortalium pernitie & ſtrage non debet committi, ita nec iſti, cum tanto Euangelicæ doctrinæ detrimento & incommodo debet accreſcere. Diſcat domi; meditetur prius Apoſtolicum munus. nam nec rhetorculi prius ueras cauſas agunt, quàm fictitias declamationes exerceant. nec miles prius in ueras pugnas deſcendit,

ſcendit, quàm domi gymnica certamina colat, & infenſiſsimos hoſtes ſibi ex aduersò
confingat. Dei cauſas agunt diuini uerbi miniſtri, contra mundum & Satanam, non fi-
cta ſed omnium ueriſsima bella pugnaturi deſcendunt: ergo utrunque domi prius me-
ditentur, quàm in publicum prodeant. Ad prædicandum, inquit Grego. plus conſcien- *Gregor. homil. 10.*
tia ſancti amoris ædificat, quàm exercitatio ſermonis. qui enim uitam ſuam interius
penſat, & exemplo ſuo alios admonendo ædificat, quaſi in corde, linguæ calamum tin-
git, in eo, quod manu uerbi, proximis exterius ſcribit. Ergo eo tempore, quo non dum
per ſcientiæ ſufficientiam munus Euangelicum liceat obire, in diuino & proximi amore,
ſe exerceat, uitam ſuam interius penſet, exemplo ſuo prædicet, quæ omnium eſt elo-
quentiſsima ratio ſuadendi, linguæ calamum tingat in corde, quo proximis poſtea ef-
ficaciter de ſapientiæ theſauro promat noua & uetera. Chriſtum imitetur, qui triginta *Matth. 6.*
annos in ſumma uitæ perfectione ſe exercuit, ut tribus doceret. Qui ſpeculator Dei fu-
turus eſt, ait Hierony. multo tempore debet quieſcere & dolere ea, quæ uidet, ni- *In com. ſup*
hilque habere in conſcientia, quod in aliis correcturus eſt, aduertat. Ergo quæ potiſsi- *Ezech. li. 1.*
mùm in mortales uitia graſſantur, ea prius animi compaſsione defleat, & tandem ad eo-
rum medelam officio prædicationis aſſumpto, uerba depromat. Quæ ratio ſemper
apud me obtinuit, ut adoleſcentiam, quanuis doctam, quanuis ſubtilem, quanuis
facundam, idoneam Euangelio non crederem. Multum (crede mihi) Euangelicæ do-
ctrinæ auctoritati recedit, dum à iuuene traditur. puerilia ſunt, quæ à pueris fiunt,
ut ſanctus doctor Bonauentura dicebat. Non tam quid dicatur quàm quis dicat, uul-
gus ſolet attendere. Nequaquam, inquit Grego. debènt homines in ætate infirma præ-
dicare, quia ſermo doctrinæ non ſuppetit niſi in perfecta ætate. Redemptor noſter cum *Greg. ſuper*
cœli ſit conditor, & angelorum doctor, ante tricennale tempus in terra magiſter uoluit *Ezech. ho-*
fieri hominum, ut ſcilicet præcipitatis, uim ſaluberrimi timoris infunderet, cùm ipſe *mil. 2.*
etiam, qui labi non poſſet, perfectæ uitæ gratiam, non niſi perfecta ætate prædica-
ret. Hactenus Grego. Vides ſanctiſsimi & prudentiſsimi uiri de prædicatorum ætate
iudicium, uides & Chriſti exemplum. Ioannes Baptiſta, ante trigeſimum annum præ- *Luc. 3.*
ceptum prædicandi non accepit, eodemque pacto ſancti prophetæ, non iuuenili ætate,
ſed perfecta, diuini ſermonis miniſterium acceperunt, quod ſummopere maiores atten-
dere debent. Videant, inquit Grego. quos à prædicationis offitio ætas uel imperfectio
prohibet, & tamen præcipitatio mouet, ne cum intempeſtiuè arripiant, quod non ua- *Grego in*
lent, perdant illud, quod tempeſtiuè aliquoties, implere poſſent. nam & pulli auium, *Paſtor.*
ſi ante pennarum perfectionem uolare appetant, unde in alta ire cupiunt, inde in ima
cadunt, ſic & conceptam ſobolem, ſi priuſquam formetur, fœmina profert, non tam do-
mum quàm tumulum replet. Hactenus Grego. Ad prædicationem rectè obeundam,
non ſola ſcientia, non ſola uitæ probitas ſufficit, ſed prudentia quoque, quæ nulla ra-
tione ſine uitæ diſcurſu poteſt haberi, requiritur. Prudentiam experientia generat, hæc
uerò à multarum rerum experimentis deſcendit: res multæ imperfecta ætate tractari
non poſſunt, ergo nec prudentia, quæ omnium, quæ in hominum ſocietate uerſantur *2. Met. c. 1*
eſt maximè neceſſaria, abſque perfectæ ætatis acceſſu, contingit. In antiquis (inquit
ſapiens) eſt ſcientia, & in multo tempore prudentia. & minores (crede mihi) ſunt ho- *Sapien. 9.*
mines exigui temporis, ad intellectum iudicij & legum. ſpecioſa autem in ueteranis ſa-
pientia & intellectus & conſilium, & corona ſenum multa ſapientia, & gloria illorum,
timor Dei. Vnde non ineptè ueteres, quos prudentes & optimos iudicarent, eoſdem *Eccl. 25.*
etiam ſenes appellare ſolebant: quin & ſummo conſilio, Romani, Senatus nomen indi-
derunt, Senatum, ipſum, quod ex ſenibus & prudentiſsimis uiris, conſtaret, uocantes.
uulgo quoque receptum eſt, ut quæ grauitatem in ſe habent, prudentiamque aliquam
præferunt, ſenilia, contrà quæ leuia uidentur, & mentis expertia, iuuenilia uocemus.

NON quòd uelimus in ſolos ſenes prædicandi miniſterium reiicere, abſit, eſt enim
robur quoq; tum mentis, tum corporis ad Apoſtolicæ uitæ labores ferendos maximè ne- *De laudi. Pau. homil. 6.*
ceſſarium. nam ut inquit Chryſoſtomus, qui prædicationis ſuſcipit officium, non opor
tet mollem quendam eſſe, atque reſolutum, ſed fortem & per cuncta robuſtum. neque
enim uel tantùm attingere quiſquam debet, præclari huius muneris functionem, niſi pa
ratus ſit millies animam ſuam in mortem tradere, atq; diſcrimina: ſed quòd ſentiamus
cuncta iuuentutis ſtudia, & ad doctrinæ auctoritatem, & ad Euangelicæ diſciplinæ ſu-
blimitatem

blimitatem prorſus inepta. Mallem profectò decrepitum ſenem, quàm elegantem & ro-
buſtum iuuenem Euangelium tractare. Sunt tamen inter hæc extrema ætates quædam,
quæ cum uegeto intellectu & prudentia uigeant, ſunt tamen ſenilis infirmitatis expertes,
in quibus & ſeria negotia, & in quibus magna rerũ momenta uertuntur, ſolent homines
Lib. de ſenectute. deligi. Variæ ſunt ætates, ut Cicero docet, & unicuique, quod ſuum erat, natura dona-
uit. infantium, puerorum & adoleſcentium, infirmitas, ferocitas iuuenum, graui-
tas iam conſtantis ætatis, maturitas ſenum, ſenij autem labor & dolor peculiaria cre-
duntur. Inter has uerò ætates, quædam ſunt expertes prudentiæ, ut infantia, pueritia,
decrepita ætas, quædam conſilia quidem habet, ſed ea fragilia, & infirma, ut adole-
ſcentia, quædam firma quidem, ſed nec dum uſu & experientia corroborata, ut iuuen-
tus, quædam matura, ſolida multaque rerum cognitione, uſu, & exercitatione firmata,
ut media ætas. hanc ad Apoſtolicæ uitæ rationem, quaſi ad rem omnium grauiſsimam,
maiores Eccleſiæ deberent eligere. hoc apud ſe cogitantes, quod ſuperius dicebamus,
non tam Euangelij promotionem in multitudine miniſtrorum ſitam, quàm in eorum
auctoritate & opinione apud uulgus. Iuuenis erat Timotheus, fateor, ſed Apoſtolico
ſæculo, ut antea diximus, meſsis multa, operarij pauci: uniuerſo enim mundo prædi-
candi Chriſtum paucisſimi homines præceptum habebant, unde nec iuuenibus, præſer-
tim in quibus tam ſplendidè relucebat & gratia Dei & Euangelica uirtus, quique nul-
lum iuuenile deſiderium præſeferebant, indecens erat Euangelium: nunc iam hæc dies
aliam uitam affert, alios mores poſtulat. Etiam ſi iuuentus ad tam ſerium opus non pro-
Ariſtoteles 1 Ethic. c. 3. moueretur, ſatis eſſet in Eccleſia doctrinæ & forſan grauioris. Non iudicant iuuenes
ſummi philoſophi, moralis diſciplinæ idoneos auditores, quantò minus iudicaſſent ma-
giſtros, non iam moralis diſciplinæ, quæ tantùm in perituram quandam fœlicitatis ſpe-
ciem per humanarum uirtutum culturam dirigit, ſed cœleſtis doctrinæ, quæ prorſus per
altiores uirtutes uniuerſos affectus humanos exterminat.

His igitur Euangelicis armis munitus, uir a, inquam, proba & inculpabili, perfecta
ætate, ſanctæ ſcripturæ & eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienti cognitione, ſi eidem
mediocrem eloquentiam natura conceſſerit, immo etiam ſi non conceſſerit, Chriſti
Pſal. 67. ſeruus munus prædicationis confidenter aſſumat. Dominus enim dabit uerbum Euan-
2. Tim. 4. gelizanti uirtute multa, prædicet, arguat opportunè importunè; ſciens, quòd qui abſcon
Prouer. 11. dit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem ſuper caput uendentium. fru-
menta abſcondere, eſt, ait Grego. prædicationis uerba apud ſe retinere: in populis au-
tem talis maledicitur, quia in ſolius culpa ſilentij, pro multis, quos corrigere potuit,
damnabitur. Sciat ingens eſſe diſcrimen, Dei tacere ſermones, uel propter timorem, uel
propter pigritiam, uel propter adulationem. Væ illi ſi cum uiderit non eſſe, qui paruulis
Hieron. in Ezech. Chriſti panem diſpertiat, non Euangelizauerit. neceſsitas enim illi ſiue à fraterna cha-
ritate, ſiue à maiorum imperio, incumbit. eſt enim altera harum rationum, ſpeculator
1. Cor. 9. Ezech. 3. datus ſuper populum Dei. Væ igitur illi ſi dicente Deo ad impium, Morte morieris,
non continuò annunciauerit, ut conuertatur ab iniuſtitia ſua. Frequentet autem, qui
2. Thim. 4. huiuſmodi eſt, prædicationis laborem: inſtet, ut Paulus diſcipulo præcipit, & ſicut bo-
nus magiſter, continuo labore, ſibi non parcens, diſcipulos formet. nam ut quidam ſa-
Plin. in quadam epiſt. pienter inquit, ſicut faces ignem aſsidua concuſsione cuſtodiunt, ſic & docentis calor
& erudientis intentio, continuatione ſeruatur. Et profectò ſicut in unoquoque opere
Boeth. de diſc. ſcho. mater eſt conſtantia, ſic uniuerſæ doctrinæ nouerca eſt negligentia: opportunè importu
nè peccatorum uulneribus medicinam exhibeat. nam neque corporalis medicus, fletus &
ſauciorum geniſus, & calcitrationes moratur, cum eſt examinandum per chirurgicam
ſciſſuram tabidum uulnus: nihil infirmo inuiſius Chirurgo, cum debet uulnus adurere,
ſed nihil ſalubrius. Nutricis munus exercet uerbi miniſter, Facti ſumus, inquit ad Theſſa
lonicenſes Paulus apoſtolus, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. ergo licèt infans bis ac
1. Theſſ. 2. ter cibum ore reſpuat, non continuò deſperet, ſed rurſus in os paruuli uel reluctantis
imponat. nam & ſi non totum, ſaltem uel ſuccum traiiciet, qui mortem prohibeat.
Cribrum, licèt non retineat, à ſordibus tamen, ſi in id aqua infundatur, abluitur.
Eccl. 1. Quòd ſi modò dum eſt in peccatis, auditori prædicatio non prodeſt, proderit poſtea,
cùm animus peccandi ceſſauerit, ad memoriam reducta. Quòd ſi praui obſiſtant, neq
tunc deſinat. nam Qui obſeruat uentum, non ſeminat, qui conſiderat nubes, non metet,

Nubes ait Grego. quæ à uento feruntur, ſunt malorum hominunı aduerſitates, propter
quas, non debemus dimittere prædicare ueritatem. nam quia piger propter frigus ara-
re noluit, mendicabit in æſtate.

Iam illud etiam eſt Chriſtiano prædicatori, qui non tam ſibi & hominibus quàm *Vtilia, non*
Chriſto placere deſiderat, ſummo opere obſeruandum, ut non quæ ſibi uidentur, aut *curioſa ſunt*
humauæ curioſitati ſunt placitura, ſed quæ populo Chriſtiano ſint neceſſaria, auditori- *populo præ*
bus ingerat. In qua profectò parte latiſsimè patet, quorũdam noſtræ memoriæ prædica- *dicanda.*
torum grauiſsimus error, qui, uel quòd ita in albiolis, quæ auita hæreditate accepe-
runt, traditione receperint, uel neſcio qua alia ratione, ſe omnium mortalium fœliciſ-
ſimos putant, non modò cum uel phyſicas quaſdam uel methaphyſicas quæſtiones, aut
Scholaſticas pugnas theologorum, utrinque factioſis ratiũculis prolatis, ſtupidis prorſus
auditoribus uomunt, ſed & cum ſumnıæ trinitatis, incarnationis, &c. ueneranda miſte-
ria, quæ nec ipſi intelligunt, ingenti uocis conatu rudi populo intorquent, & hoc ſine ul-
lo auditorum diſcrimine, cum tamen paruulos in Chriſto lactaret Apoſtolus, inter
profectos ſapientiam loquens, ſapientiam inquam, non huius ſæculis neque principum
huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed ſapientiam in myſterio abſconditam, quam prædeſti- *Corin. 2.*
nauit Deus ante ſæcula, in gloriam noſtrã. Hi in primi prudentia deficiunt, quæ ut ſæpe
docuimus, huius Euangelici muneris eſt fundamentum, unde uel ob hoc ſolum à maio-
ribus, hoc prudentiſsimo miniſterio fuiſſent interdicendi. Aliquando in ſancta ſcriptu- *Deute. 32.*
ra, ſtillari dicitur ſermo propheticus, quòd ueri prædicatores, non tam effundant, quòd *Iob. 2.*
ſciũt, quàm, quòd, quæ pro auditorum capacitate neceſſaria uidentur, quaſi ſenſim in- *Mich. 2.*
fundant. Hoc eſt profectò panem partiri, non totum cui uis porrigere integrum, ſed uni-
cuique iuxta ſtomachi capacitatem & neceſsitatem, quod ſibi eſt neceſſarium diſtri- *Thren. 2.*
buere. Hac ratione Deus in nubibus ſuis aquas ligare, ne pariter erumpant, dicitur,
quòd ſcientiam intra mentes prædicatorum contineat, ne totum id, quod ſcientia aſſe- *Iob 27.*
quuntur, in uulgus effundant. unde Gregorius, de Iob loquens, Igitur uir iſte prophe-
tico plenus ſpiritu, in hac locutione ſua, ad laudem Dei initia naſcentis Eccleſiæ deſi- *Greg. li. 17.*
derat exordiri: ſtudet eius ordinem, ab Apoſtolorum prædicatione narrare, qui cura- *cap. 12.*
uerunt ſummo opere rudibus populis plana & capacibilia, non ſumma atque ardua præ-
dicare. nam ſi ſcientiam ſanctam, quæ hic aquæ nomine deſignatur, ut hauriebant cor-
de, ita ore funderent, immenſitate eius auditores ſuos opprimerent, potius quàm ri-
garent. unde religata intrinſecus ſcientia ut non pariter deorſum erumperet, auditores
ſuos diſtillatione uerborum nutriens, nubis illa loquebatur, dicens, Non potui loqui uo-
bis quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac uobis po-
tum dedi, non eſcam. Quis enim ferre potuiſſet, ſi raptus ad tertium cœlum, raptus
in paradiſum, etiam arcana uerba audiens, quæ loqui homini non liceret, tam immen-
ſos ſupernæ ſcientiæ ſinus aperiret, aut cuius non uirtutem auditoris opprimeret, ſi
ea, quæ intrinſecus, inquantum carnis lingua ſufficeret, extrinſecus mundans, aquæ
huius immenſitas emanaſſet? ut uerò auditores rudes non innundatione ſcientiæ, ſed
moderata prædicationis diſtillatione foueantur, ligat Deus aquas in nubibus, ut non
erumpant pariter, deorſum, quia Doctorum prædicationem temperat, ut auditorum
infirmitas, doctorum rore nutrita conualeſcat. Hactenus Gregorius. Subdit autem in
eandem ſententiam. Quod ideò Iesvs apud Lucam nauiculam Petri aſcendens, à ter-
ra abduci puſillum rogauit, ut in ea ſedens prædicaret, turbis: quòd innuere uellet, *Luc. 5.*
Euangelicum miniſtrum, in naui ſedentem, ideſt in eccleſiæ fidei unitate manentem,
nec terrena, nec rudibus populis, alta nimis, de cœleſtibus prædicare debere. Hi igitur,
qui ſubtilia, & quæ uix in ſcholis, poſt magnum philoſophiæ cultum poſſunt intelligi,
ſtupido populo imprudenter effundunt: ſicut non ſunt cœleſtes nubes, quibus Deus
aquas ligat, ne pariter erumpant, ita ſe probant à Deo non miſſos, ſed à propriæ glorio-
læ, forſan ſtudio ac deſiderio. Prædicatoris Euangelici munus eſt, non ſubtiles quæ-
ſtiones diſſerere, ſed aceto ueritatis, uulnera peccatorum abluere. prædicatoris Euan- *Quod ſit pro-*
gelici munus eſt, non ſe populo ſapientem oſtendere, ſed Chriſtum auditoribus per ui- *prium Euan-*
tiorum profligationem infundere, prædicatoris Euangelici munus eſt, non unius aut al- *gelici prædi-*
terius docti curioſitati placere aut ſatisfacere, ſed totius Chriſtiani populi, in iis, quæ ad *catoris mu-*
ſalutem neceſſaria iudicantur, ignorantiam excludere. Profectò nullus mihi minus eſt *nus.*

doctus, quàm qui in plana, & Euangelica doctrina, communi illo Euangelij gymnaſio,
ſe non continet. ſumma eſt enim ſapientia, omnia iuxta temporis & loci conditiones
præſtare. Si quis eſt ſapiens, ſeorſum prædicatorem conueniat; in publica illa ſchola
ubi uulgus eſt erudiendum, ubi lac prædicationis paruulis in Chriſto propinari ſolet,
altiora non quæret. ibi tantùm ea doctrina tractabitur, quæ ſapientes & inſipientes con-
uincet, de peccatis nimirum, de uitiis, de uirtutibus, de cæteris, quæ uel credere, uel
exhibere tenemur, non ſubtili, ſed populari modo, non exactiſsimè, ſed utiliſsimè;
Ezech. 3. nec enim ſubtiles & admirandas quæſtiones, ſed peccata populi miniſter diuini ſermo-
nis annunciare præcipitur. Annuntia, inquit, populo meo ſcelera eorum, & domui
Iſraël peccata eorum. De illis itaque, qui non tam imperium Dei exſequi peccata de-
nuntiando, aut utilia docendo, quàm inanem, & ieiunam quandam gloriolam ex ſub-
tilium tractatione, ſibi ab inſano populo conciliare contendunt, de his inquam, qui non
tam uulnera cauterio prædicationis adurere, quàm adulationis oleo linire, aut, quod
eſt peius, illa nullo medicamento attingere, apud ſe ſtatuerunt, poſt ſanctæ urbis exci-
Thren. 2. dium, quaſi in illos tota culpa reiecta, per prophetam dicitur, Prophetæ tui falſa uide-
runt tibi & ſtulta, nec aperiebant tibi iniquitatem, ut te ad pœnitentiam prouocarent.
falſa uident prophetæ, dum illo loco opiniunculas quaſdam, quæ etiam ſi ueræ eſſent,
non multum chriſtiani hominis uitam iuuarent, quaſi falſas explodunt, contrà alias
quaſi cœlitus oraculo accepto, uerisſimas uendunt, ex quibus nullus alius Chriſtiano
populo fructus accreſcit quàm zelus & contentio, dum alteri, quod illi ſcholæ placue-
rit, arridet, alter putat à ueritate prorſus alienum: ſtulta uident, dum ſubtilia rudi
populo ingerunt. non quòd omnia ſubtilia ſint. Stulta (abſit) ſed quòd in rude gy-
mnaſium ſtultè effundantur; alia enim cathedram, alia decent ſuggeſtum, & qui ho-
rum nullum ponit diſcrimen, nondum eſt limina prædicationis ingreſſus, quamuis
magna ſapientiæ opinione ſit turgidus, quamuis uocaliſsimi diſputatoris fama ſit ce-
lebris. Hos ſapientiſsimos uiros, qui officio prædicationis aſſumpto, non peccato-
rum chirurgos, ſed diſertiſsimos theologos agunt, quaſi in infideles miniſtros, apud
Hieremiam diuina maledictio percutit, Maledictus, inquit, qui opus facit fraudu-
Hiere. 47. lenter. & rurſus, Maledictus, qui prohibet gladium domini à ſanguine ſuo. opus Dei
facit fraudulenter, qui munus Euangelicum, quod medendis peccatis à Chriſto de-
ſtinatur, in curioſas quaſdam diſputationes, aut adultam chriſtianæ componendam
impertinentes deflectit. gladium Domini à ſuo ſanguine prohibet, qui Dei uerbum
quod eſt gladius ſpiritus, à peccatorum amputatione defraudat. Et, ut planè quod
1. Cor. 6. ſentio dicam, hi ſummi Theologi, dum non ad Chriſtum prædicandum, ſed ad ſeipſos
mundo oſtentandos, officium prædicationis conuertunt; dumque non tam quot animas
à peccato auocauerint, quàm quot in urbe admiratores infatuarint, procurant, ſe pla-
niſsimè uerbi Dei adulteratores demonſtrant; quod tamen à ſe alienum dicebat Apoſt.
2. Cor. 2. Non enim (ait) ſumus ſicut plurimi, adulterantes uerbum Dei, ſed in ſinceritate, ſicut
ex Deo, coram Deo, in Chriſto IESV loquimur. Adultera profectò dicitur, mulier,
quæ relicto marito, alterius libidini & uoluptati ſubſeruit. ita diuina ſapientia, ab iſtis
adultera redditur, dum nō Dei ſed propriæ gloriæ deſeruire compellitur. Hi non pias nu
trices, quæ præmanſum cibum, in infantium oribus placidiſsimè collocent, ſed crudeles
nouercas, agunt quæ ſceleſtiſsimo luſu, cibum miſeris paruulis in auribus ponant. Hi tā-
tum abeſt, ut auditorum mentes in ampliorem religionem ſua prædicatione promo-
ueant, ut potius miſeris, pedicas & ſcādala, quò ruant, & in barathrum perditionis præ-
pites tendant obiiciāt, Nihil magis curæ fuit Apoſt. Paulo, quàm ab Euangelico miniſtro
huiuſmodi quæſtiones & ſubtilium tractationes arcere, Stultas, inquit, & ſine diſcipli-
1. Thim. 2. na quæſtiones deuita, ſciens quòd generant lites. ſeruum autem domini non opor-
tet litigare, ſed manſuetum eſſe, ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia
corripientem, eos, qui reſiſtunt ueritati, ne quando det illis Deus pœnitentiam ad co-
gnoſcendam ueritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad
Tit. 1. ipſius uoluntatem. Et ad alium, Rogaui te ut remaneres Epheſi, cum irem in Macedo-
niam, ut denunciares quibuſdam, ne aliter docerent, neq; intenderēt fabulis, & genea-
logiis, interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem, finis autem
præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide nō ficta. Vides quas uo-

cet Apoſtolus ſtultas quæſtiones, quæ ſcilicet ſunt ſine diſciplina, ideſt quæ uitia & peccata non corrigunt, aut uirtutes non promouent. Vides rurſus, quam formam prædicandi Timotheo præſcribat, nempe cum manſuetudine & patientia, homines de peccatis corripere, ſi forte illis Deus ſpiritum compunctionis infundat. Vides deinde hac ſola ratione, genealogias interminatas damnari ab Apoſtolo, quòd quæſtiones, potius quàm ædificationem præſtent, quæ ſola debet eſſe prædicationis Euāgelicæ ſcopus. Vides deinde quid quaſi totius legis certam epitomem uelit à uerbi miniſtris doceri, nimirum charitatem de corde puro, cōſcientia bona, & fide non ficta. Ergo hanc docendi rationē ſectare, quicunque Pauli contendis imitari ueſtigia. nam curioſa & ſubtilia, quæ quidam delicata puncta uocant, ſemper ſunt ad Chriſti negotium inutilia, aut (quòd frequentius euenire ſolet) multum proficiunt ad ſubuerſionem audientium, cuius tu rationem reddes, tātum abeſt, ut pro tua prædicatione mercedem recipias. Sed iam audi Gregorium, Plerunque, inquit, ſi auditorum cor uerbi immenſitate corrumpitur, lingua docentium indiſcretionis pœna mulctatur, unde ſcriptum eſt, Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritq́; bos uel aſinus in eam dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum. Quid eſt enim aperire ciſternam, niſi intellectu ualido, ſcripturæ arcana penetrare? quid autem per bouem & aſinum, mundum ſcilicet & immundum animal, niſi fidelis quiſque & infidelis accipitur? qui ergo ciſternam fodit, operiat, ne illuc bos aut aſinus ruat, ideſt qui in ſacro eloquio iam alta intelligit, ſublimes ſenſus coram non capientibus, per ſilentium tegat, ne per ſcandalum mentis, aut fidelem paruulum aut infidelem, qui credere potuiſſet, interimat. Ex morte enim iumentorum debet precium, quia illud, ſcilicet admiſiſſe conuincitur, unde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quiſquis nanque ad alta ſcientiæ fluenta perueniens, cum hic apud bruta audientium corda, non contexerit, pœnæ reus addicitur, ſi per uerba eius in ſcandalum ſiue munda ſiue immunda capiantur. operienda eſt itaque ciſterna, quia coram paruulis mentibus tegenda eſt alta ſcientia, ne unde cor docentium ad ſumma attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur. Rectè igitur dicit Iob, qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorſum: pariter nanque, aquæ erumperent, ſi coram infirmis auditoribus, quanta eſt ſcientia, ex ore loquētis emanaret, & ſi ſimul ſe omnis plenitudo prædicationis effunderet, & nil ſibi cum proficiente reſeruaret: dignum quippe eſt, ut qui prædicat, audientis modum conſideret, quatenus ipſa prædicatio cum auditoris ſui incrementis creſcat. ſic quippe agere unuſquiſque prædicator debet; ſicut cum illo diuinitus agitur, nequaquam uniuerſa, quæ ſentit, infirmis inſinuet, quia & quouſque carne immortalitatis infirmus eſt, ea, quæ ſuperna ſunt, cuncta non ſentit. Prædicare ergo rudibus non debet quantum cognoſcit, qui & ipſe de ſupernis myſteriis cognoſcere non ualet, quanta ſunt. Hactenus Gregor. Cuius uerba prolixè produximus, quoniam in hac parte his meliora cogitare non poſſumus. id uerò quod in calce inquit, ſummopere, ab his, qui contraria ratione officiū prædicationis exercent, uelim animaduerti: Nam cùm ipſi non humanarum diſciplinarum expertes, ſed poſt prolixam grammaticæ, dialecticæ, rhetoricæ, & totius philoſophiæ tractationem poſt metaphyſicos apices, poſt aliarum ſcientiarum diligentem diſcurſum, uix theologicas illas ſubtilitates intelligant, quî fieri poſſe iudicant; ut ea, ſtupida plebs, quæ nihil unquam diſciplinarum hauſit, ſed rerum temporalium infatigabili ſolicitudine fluctuat, quæ humanarum paſsionum, quæ alioqui ualidas mentes peſſundant, continua concuſſione turbatur, intelligat? Hinc fit ut miſeri auditores, non aliud quàm uerborum furibundum torrentem, in prædicatore conſiderent, nihil ad animarum ſalutem domum ſecum ducentes, & nihilo quàm antea meliores effecti: niſi quòd uirum illum admiracu lum ſapientem, doctum, eruditum, facundum, plenis buccis collaudant, qui ſibi ingentes ſapientiæ theſauros effoderit, ad quos tamen propter ſcientiæ eminentiam aſpirare non poſsint: quo tandem laudis rumore beatulus ille, mentis ecſtaſin paſſus, ſibi ſummopere placens, immo ſui admirabundus impotentiſsimè tumet,

Illumque populi fauor attonitum,
Fluctuque magis mobile uulgus.
Aura tumidum, uoluit inani.

Ad eum confeſtim quaſi Herculis Gallici habenis tracti proceres cōfluunt, cæteros legitimos

Grego. lib. 17. c. 13.
Exod. 21.
Seneca in Hercule.

timos Euangelij miniſtros, quòd uitia carpant, quòd plano & placido ſermone uirtutes commendent, quòd Chriſtum non ſeipſos, hominibus ingerant, quòd Dei gloriam non propriam uenentur, indoctos, inſipientes, ſtupidos, fungos, truncos appellanr: idque illos agere cauſantur, quòd egregia illa ſapientia & admiranda eruditione deſtituantur, & non habeant aliud quod populo obtrudant, quàm humilem illam ac ruſticorum doctrinam: cùm re uera ita agere non ignorantia, ſed ſumma ſapienria & ex Euangelici miniſterij, ratione conſtituant. Non ſemper, quæ uulgus com-
Vulgi ingenium. mendat, uera laude ſunt digna, plerunque laudat, quæ non inrelligir, & ea ſolùm admiratur, quæ menris capacirarem exſuperant, nullumque eſt (meo quidem iuditio) ue-
Hierony. hemenrius argumentum inſipienriæ & omnium, quæ illam comitari ſolent, quàm uulgi publica acclamatio & applauſus. Multitudini, qui placuerit, inquit Plutarchus,
Lib. de educan pue. is ſapientibus diſplicear oportebir, qui periris contemptui ſunt, ij ad perorandum in mulritudine magis idonei habentur. quod & Euripidis teſtimonio confirmar. Itaque non ſi quid etiam turbidum uulgus eleuet, ſtatim eſt accedendum, examen'ue im-
Perſi. 1. Satyr. probum in illa populi caſtigandum trurina. Sũmè autem propudioſum eſt, Chriſti prædicarori, cui, ſi legirimè gerar officium, non aliud eſt à mundo præmium expectandum quàm quod olim uel prophetæ uel Apoſtolici uiri acceperunt, infamia ſcilicet, perſecutio, maledicta, perpetuum odium, & tandem exitium, ſi à uulgo, quæ mundi inſanior eſt pars, & minus rationis regulæ ſubiecta, publico clamore laudetur. neſcit uulgus eos, qui in ipſum digna caſtigarione inuehunrur, amare, nemo melior Apoſtolicis uiris, qui tamen odio fuerunt mundo, non igirur uerus Chriſti ſeruus &, qui nõ ad ſuam gloriam, ſed Chriſti, uerbi miniſterium ſuſcepit, continuò deſperet, ſi garrulos quoſdam & fuſos, quòd Euangelij inſtitutum non proſequantur, publica acclamatione commendari uideat, ſeipſum uerò, quòd rem agat Euangelij, uituperio mulctari. Attendat nunc ma-
1. Tim. 4. ximè illud tempus adeſſe, de quo Paul. admonuir, Erit rempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à ueritare quidem audirum auertent, ad fabulas autem conuertentur: ſanam doctrinam uocat Apoſt. non curioſa & ſubtilia, ſed eorum, quæ homines uel diuino uel naturali
Tit. 2. iure, aur alia quauis neceſſaria rarione præſtare renentur. Tu autem, inquit ad Titum, loquere, quæ decenr ſanam doctrinam. Et ne admirandas illas ſubtilitates, quæ poſt
Quæ uocetur ſana doctrina. longa ſtudia, ur diximus, uix uiq; inueniſti, multis euolutis libris, intelligas, protinus ſubdit, ſenes ut ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo uino ſeruientes, bene docentes, ur prudentiam doceant. adoleſcentulas, ut uiros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudenres, caſtas, ſobrias, domus curam habenres, benignas, ſubditas, uiris ſuis. iuuenes ſimiliter hortare, ut ſobrij ſinr. ſeruos dominis ſuis ſubdiros eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudanres, ſed in omnibus fidem bonam oſtendenres, ut doctrinam Saluaroris noſtri ornenr in omnibus. Ecce quam uocet Apoſto. ſanam doctrinam: in qua, qui ſit ad exhortandum homines potens, ad ſacerdotium, ab eodem iudicarur idoneus. Vt porens, inquit, ſir exhortari in doctrina ſana, & eos,
Tit. 1. qui contradicunt arguere, quæ duo in epiſcopo quærũtur à Paulo: quòd & ſana doctrina populum paſcere, & ad reddendam fidei rationem debet eſſe pararus. Non tamen debet utrunque in ſuggeſto præſtare, potiſsimè ubi nulla eſt hærericæ infectionis ſuſpitio, aut ubi iam fides radices egit: eſt enim utique horum ſuus locus idoneus. In turba planam ac ſanam doctrinam ſpargat, conrra hæreticos certet altiori ſapientia, omnia autem ſuo pondere ac menſura, ideſt prudenria metiatur. Qui enim apud Germanos aut Anglos Euangelicæ prædicationis munus exercet, ubi quæſtiones controuerſæ, ab omnibus propè ſciunrur, oportet ut de illis ad plebem carholicam ſententiam pronunciet, conrrariam, digno pondere rationum exrerminet. qui uerò ſine hac neceſsitate aur in hæreticos aut in philoſophos inuectiuas declamant, præter hoc quòd plerunque ſunt ineptiſsimi & apud paulò liberaliora ingenia riſu digniſsimi, ingenres aculeos rentationum miſeræ plebis conſcientiis infigunt. Vnde plerunque Satanica opera, uel uehementiſsimè
43. distin. c. Diſpenſatio. dubiranr, uel fidem abiuranr & randem in barathrum deſperationis immedicabiliter ruunr. Itaq;, ut uerbis Nicolai Pont. utamur; obſeruare debet ſacerdos aur prædicaror, ne indignis & non intelligentibus ſecreta myſteria, ſua prædicatione reſerare incipiat.

qui

qui enim ea docent, quæ ab anditoribus non ualent intelligi, non ad eorum utilitatē, ſed ſui oſtentationem faciunt. Vitium enim animi eſt, indignis ſecreta uulgare, quod fit uel loquacitate incauta, dum ſine iudicio uolat irreuocabile uerbum, uel adulatione, ut ei placeat, cui ſecreta reuelat, uel iactatione ſcientiæ, ut plura ſcire uideatur. Quòd ſi quis ſcire cupiat, quam prædicandi formam ſeruare debeat, eam, quam ſanctiſs. pater noſter FRANCISCVS ſuis prædicatoribus breuem, ſed elegantiſsimam normam prædicandi præſcribit, quamq; qui ſeruarunt, ingentes fructus in Eccleſia fecerunt, oportet obſeruet, Prædicent, inquit, uitia & uirtutes, pœnam & gloriam, cum breuitate ſermonis, quia uerbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. nemo profectò doctiori methodo formam Euangelicæ concionis, in qua animarum tantùm ſalus requiritur, potuiſſet præſcribere. Gloria finis eſt, ad quem cuncti, qui Chriſtiano nomine & uita cenſemur, aſpiramus; ad hanc uirtutes, ex quibus frugi deriuantur actiones, ſunt certiſſima media. debet ergo Euangelicus prædicator, fœlicitatis Chriſtianæ, eo pacto, quo nobis eſt poſsibile, quò eius deſiderio mortales afficiantur, bona proponere, debet & media, quibus ad fœlicitatem peruenitur, ideſt uirtutes exponere. rurſus Gehennæ grauiſsimas & interminabiles pœnas, quò earum horror & terror hominibus ingruat, in medium adducat, in eas uerò certiſsimo tramite præcipitem dari, qui uitiis ac peccatis diſſoluitur comprobet. In commendanda gloria, & pœnis exprimendis, ea portio eloquentiæ, quam demonſtratiuam uocarunt, tota occupatur, in ſuadenda uirtute & uitio diſſuadendo, altera, quæ deliberatiua dicitur, tota uerſatur, quæ tantum partes eloquentiæ chriſtianæ declamationi deſeruiunt. Sed de his ſatis, iam ad alia pergamus.

In regula cap. 9.

ILLVD uigilanter obſeruare debet, qui cum fructu Euangelium prædicare deſiderat, ne uitia carpens aut uirtutes commendans, generali tantùm ſermone loquatur: tantummodò ſuperbiam, auaritiam, ambitionem, luxuriam, intemperantiam, iniuſtitiam, & cætera uitia in generali condemnans, ſicut è contrariò neque generali ſermone commendare debet iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, liberalitatem, &c. Sermones uniuerſales, de uirtutibus, inquit Ariſtoteles, ſapientiores quidem ſunt, ſed minus utiles. Locus autem ille non oſtentandæ ſapientiæ ſed Chriſtianorum utilitati & animarum ſaluti conquirendæ, decernitur. Deſcendat itaque ad particularia, uitiorum & uirtutum conditiones exponat, formam tribuat huius aut illius peccati cauendi, regulam doceat, iſtius aut illius promouendæ uirtutis. Non hunc aut illum hominum ſtatum, ſed cunctos pulſet Euangelico plectro, ut gratam harmoniam Chriſto reddat. Quid ſunt, inquit Gregorius, intentæ mentes auditorum, niſi quaſi quædam in cithara tenſiones ſtratæ chordarum, quas tangendi artifex, ut non ſibimetipſis diſsimile canticum faciant, diſsimiliter pulſat. Et idcirco, chordæ conſonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, ſed non uno impulſu feriuntur. unde doctor quiſque, ut in una cunctos uirtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet. Aliter namq; uiri, aliter admonendæ ſunt fœminæ, aliter iuuenes, aliter ſenes, aliter inopes, aliter locupletes, aliter læti, aliter triſtes, aliter ſubditi, aliter prælati, aliter ſerui, aliter domini, aliter patientes, aliter impatientes, aliter beneuoli, aliter inuidi, aliter mundi ſapientes, aliter hebetes, aliter imprudentes, aliter uerecundi, aliter proterui, aliter puſillanimes, aliter impatientes, aliter patientes, aliter ſimplices, aliter impuri, aliter incolumes, aliter ægri, aliter qui flagella metuunt, & propter ea innocenter uiuunt, aliter qui ſic in iniquitate duruerunt, ut nec per flagella corrigantur, aliter nimis taciti, aliter multiloquio uacantes, aliter timidi, aliter audaces, aliter pigri, aliter præcipites, aliter manſueti, aliter iracundi, aliter humiles, aliter elati, aliter pertinaces, aliter inconſtantes, aliter gulæ dediti, aliter abſtinentes, aliter qui ſua iam miſericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapere contendunt, aliter qui nec aliena rapiunt nec ſua largiuntur, aliter & qui ea, quæ habent, ſua tribuunt, & aliena rapere non deſiſtunt, aliter diſcordes, aliter pacati, aliter ſeminantes iurgia, aliter pacifici, aliter admonendi ſunt, qui ſacræ legis uerba non rectè intelligunt, aliter qui rectè quidem intelligunt, ſed hæc humiliter non loquuntur, aliter qui cum prædicare digna ualeant, præ nimia humilitate formidant, aliter quos à prædicatione imperfectio uel ætas prohibet, & tamen præcipitatio non impellit, aliter qui in hoc, quod temporaliter appetunt, proſperantur, aliter qui quidem, quæ mundi ſunt

Quòd nō in generali tātùm, ſed in particulari etiam prædicator & uitia damnare, & uirtutes commendare debeat. Cap. 11. & lib. 1.

concupiſcunt, ſed tamen aduerſitatis labore fatigantur, aliter coniugiis obligati, aliter à coniugij uexibus liberi, aliter commiſtionem carnis experti, aliter ignorantes, aliter qui peccata deplorant operum, aliter qui cogitationum, aliter qui commiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, aliter qui deſerunt, nec tamen plangunt, aliter, qui illicita, quæ faciunt, etiam laudant, aliter, qui accuſant praua, nec tamen euitant, aliter qui repentina concupiſcentia ſuperantur, aliter qui in culpa ex conſilio ligantur, alirer, qui licèt minima, crebrò tamen illicita faciunt, atque, aliter, qui ſe à paruis cuſtodit, ſed aliquando grauibus demergitur, aliter qui bona, nec inchoant, aliter qui inchoata minimè conſummant, aliter, qui mala occultè habent & bona publicè, aliter qui bona, quæ faciunt abſcondunt, & tamen quibuſdam factis publicè, malè de ſe opinari permittunt. Hactenus Grego. In quibus, quàm magna in Euangelico prædicatore prudentia exigatur, qua ſingula peccata & ſingulorum peccatorum medicinas ſapienter aduertat, manifeſtè cognoſcitur. Atque hæc eſt profectò huius ſancti miniſterij ſublimitas, ut qui illud obierit, omnium ſpiritalium morborum, omniumque malagmatum, quibus illis ſubuenitur genia & naturas perfectè cognoſcat: omnium ordinum, quibus ſolent mortales contineri, immo aliquando ſingulorũ hominum perſonas induerit. Perdifficile

In Apolo.

negotium eſt, inquit Gregorius Nazianzenus, in multitudine permiſta atque diuerſa, ubi ætas & inſtitutio uaria eſt, de talibus diſputantem, & uelut multarum chordarum quandam citharam ferientem, inuenire & proferre aptum ad omnis prædicationis uerbum, & ita uelut plectrum ſingulis admouere, ut nuſquam ſonus offendat auditum. Hæc Grego. Theologus. Quæ uerba grauiſsimam habent ſententiam, & quæ uel ſola commouere debent maiores, ut non quoſcunque ad hoc ſanctum miniſterium admitterent. Non eſt profectò omnibus perſouis, ordinibus, temporibus, nationibus, gentibus, & urbibus, utilis eadem aut doctrina aut docendi ratio, ſed in diuerſa uitia, in diuerſos ordines, in diuerſis locis, diuerſa, ex ſanctæ ſcripturæ promptuario, eſt haurienda doctrina. Vnde Grego. Theologo in hac parte conſentiens Gregorius Pontifex, Vt longè (inquit) ante reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianz. edocuit, non una & eadem exhortatio cunctis congruit, quia nec cunctos par morum qualitas aſtringit, ſæpe nanque aliis officiunt, quæ aliis proſunt, quia plerunque herbæ, quæ alia nutriunt, alia occidunt, & lenis ſibilus equos mitigat, & catulos inſtigat, & medicamentum, quod hunc morbum curat, alteri uires iungit, & paſtus, qui uitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo doctorum, ut ſua ſingulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nuſquam recedat. hucuſq; Gregorius Pontifex. Non itaque in uniuerſum debet Euangelicus concionatot uitia traducere, ſed ſingulari morſu, cuncta ſugillet. medicum agit ſpiritus, medicum ergo corporis imitetur, non ille hominem in uniuerſum, ſed hunc aut illum hominem curat,

1. Meth. cap. 1.

ſed neque generali præcepto frigida calidis aut calida frigidis, ſiccis humentia, & humentia ſiccis, cum ad ægrum accerſitur, curanda docet, ſed uitium corporis, quo humore ſcilicet peccet, in particulari conſiderat, adiungitque ſubinde, hoc aut illud pharmacum, cuius eſt iam dudum uirtutem expertus. Mimum agit prædicator qui uirtutem & uitiorum naturam, & genium ad uiuum exprimat, quo uel illarum amore auditores inflammentur, uel his omnino reddantur infenſi. ergo non ſatis habeat, ea ſermone generali deſcribere, ſed ſingulorum naturas coram populo expendat, quemadmodum, & ille quempiam deriſurus, ſingula ejus, & corporis & animi uitia exprimit. Hanc enimuerò prædicandi rationem perpetua conſtantia conſeruarunt Apoſtoli;

Ca. 5. & 6. Coloſſ. 3.

unde Paulus ad Epheſ. ſcribens, mulieribus uirorum obedientiam, contrà, uiris uxorum amorem, filiis parentum obedientiam & honorem, contrà, parentibus manſuetudinem & bonam educationem, ſeruis carnalium dominorum ſubiectionem, contrà, dominis clementiam commendat. uno nimirum eodemque ſermone multis ordinibus doctrinam impartiens. Ad Coloſſ. etiam, Mulieres, inquit, ſubditæ eſtote, ſicut oportet in domino. uiri diligite uxores, & nolite amari eſſe ad illas; filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in domino: patres nolite ad indignationem prouocare filios ueſtros, ut non puſillo animo fiant: ſerui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum &c. Atque ita Euangelium prædicandum duobus diſcipulis Timotheo

& Tito

& Tito, quos in hoc opus legarat, ut anteà ex epiſtolis quæ ad eos directæ ſunt, attulimus, idem Apoſtolus tradidit. Petrus etiam hoc genus docendi prolixius proſequitur, nimirum quòd ſpiritu duce, uiri ſancti cognoſcerent, fructuoſiorem eſſe eam docendi rationem, quæ ſingulis ſtatibus & ordinibus prouidet, quàm eam, quæ generali ſermone uitia uituperat, aut uirtutem commendat. Sed in hac parte præter Apoſtolicos uiros, exemplum habemus in uirorum Eccleſiaſticorum concionibus, qui ſpeciali ſanctitate floruiſſe legũtur, Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorij, Bernardi, &c. in quibus hanc rationem docendi luculenter inuenies. Sunt ei ergo, qui ſeriò Chriſti negotium cupit agere, & animarum ſalutem ſitibundus deſiderat, cùm ad urbem aut gentem primum deuenerit, non aliena aut antiquorum laborum ſcrinia, ſed peccata, quæ potiſsima in ciuitate graſſentur, ſecreto ſcrutinio exploranda, ut quaſi cœleſtis imperatoris dux ſtrenuus, in eam partem aciem prædicationis conuertat, ubi impetus hoſtium irrumpere aduerterit. Habet dux, fideliſsimos milites, quos alterius exercitus potentiam, aut contrariæ ciuitatis munitiones exploraturos præmittat, habeat & cœleſtis regis dux, qui Chriſtianum exercitum, (cui non eſt aduerſus carnem & ſanguinem colluctatio, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ, in cœleſtibus,) armatura fidei munitum, firmam ſtationem, contra inſidias diaboli cuſtodire, deſiderat fideliſsimos uiros, non inuidia, non ullius odio ſuſpectos, non ſuapte natura ſuſurrones, & detractionis infamia inſignes, qui perniciosiſsima quæque peccatorum capita, quæ in ciuitatem, deſæuiunt ſine aliorum ſcandalo fideliſsimè ſuggerant; hoc profectò pacto, non quod quibuſdam frequentiſsimè accidit, ſine ullo fructu aërem uerberabit, ſine ulla ratione in phantaſtica uitia, uerba profundens, ſed ipſa hominum peccata, fideli ictu transfodiet. In mandatis habemus, inquit Origenes, de prædicatoribus loquens, ut uenientes ad ciuitatẽ, diſcamus, quis in ea dignus ſit, ut apud eam cibum ſumamus, quantò magis noſſe oportet, quis qualis ue ſit, is, cui immortalitatis uerba credẽda ſunt. ſoliciti enim debemus eſſe, ne margaritas noſtras immitamus ante porcos. Sed & ob alias cauſas utile eſt uiri huiuſmodi habere notitiã: ſi enim ſciã quia in his, de quibus nõ poteſt dubitari quòd bona ſunt, emendatus eſt, & inculpabilis, hoc eſt, ſi ſobrius, ſi miſericors, ſi iuſtus, ſi mitis & humanus eſt, quæ utiquè bona eſſe nullus ambigit, tunc conſequens uidebitur, ut ei, qui obtinet bona uirtutum, etiam quòd ſcientiæ & fidei conferatur, & in quibus maculari uita eius uidebatur, quæ eſt in reliquis probabilis, emendetur, ſi uerò in his, quæ palàm ſunt, peccatis inuolutus, permanet inquinatus, non me oportet aliquid de ſecretioribus & remotis diuinæ ſcientiæ proloqui, ſed magis proteſtari & conuenire illum, ut peccare deſiſtat & actus ſuos à uitiis emendet. Quòd ſi ingeſſerit ſe & prouocarit nos dicere ea, quæ eum minus rectè agentem, non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere. nam nihil omnino reſpondere auditorum cauſa, utile non uidetur, ne forte æſtiment nos reſponſionis penuria declinare certamen, & fides eorum lædatur, non intelligentium propoſitum noſtrum. hactenus Origenes. Cuius uerba quid Euangelico prædicatori ſit agendum, inſinuant; cum primùm in urbem aut prouinciam peruenerit, niſi quòd id quod ille de uno ſingulari ciue docet, Euangelicus miniſter de urbe debet accipere, quòd eadem per omnia ſit ratio.

1. Petri 2.
Quid agendum prædicatori cum ad urbẽ uenerit.
Eph. 6.
Diſtin. 44. c. In mandatis.

Cvm autem peccata deprehenderit, aduertat ſe Chriſti cœleſtis ac potentiſsimi regis, ut anteà diximus, legatum eſſe, nullum ergo formidet, nullum timeat, quoniam, cuius legatione fungitur, maior eſt omnibus. aduertat ſe ſpeculatorem in Dei populum datum, à quo, ſi tacuerit, arctiſsima ab hoſtibus fuſi ſanguinis, ratio ſit repoſcenda. Non reuereatur uultum potentium, ne formidet à facie eorum, nec enim timere faciet illum Dominus uultum eorum. uerba ergo eorum ne timeat, & uultus eorum ne formidet nobilem, in pauperum peccata, diuitum ſceleribus ſilentio contectis, ne inuehantur ut quidam faciunt, de quibus Gregorius, Sæpe rectores improuidi, humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimeſcunt, & iuxta ueritatis uocem, nequaquam, gregis ſtudio, ſed mercenariorum uice deſeruiunt, quia ueniente lupo fugiunt, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt, Hinc euenit plerunq; ut qui deberent eſſe generoſæ aquilæ tyrannos aggredientes, in degeneres miluos conuerſi, in pullos irruant, & qui deberent eſſe feroces leones, qui ad nullius pauerent aſpectum, fiant canes muti, qui uel ad umbram

Quid prædicatori agendũ cùm populi peccata cognouerit.
Hierony. 1.
Ezech. 2.
Grego. in Paſto.
Iſai. 56.

enſis

enſis latrare non ualeant. quanuis de potentibus & magnatibus in eorum abſentia, peſſimè loquantur, quaſi canes degeneres, qui cum in præſentia trement & cauda adulentur, cum hoſtis receſſerit ferociſsimè allatrant. Non ſic Eſaias, qui zelo accenſus Iudæorum proceres, principes & duces Gomorreorum & principes Sodomorum appellat: non
3. Reg. 22. ſic Micheas, qui quanuis à rege præuentus per nūtium, ut ſibi grata nuntiaret, conſtantiſsimè aiebat, uiuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar, quod poſtea, triſtiſsimo uaticinio declarato, compleuit. Non ſic Helias, qui poſt diui-
3. Reg. 21. num præceptum, ad Achab Samariæ regem ingreſſus, Occidiſti, inquit, & inſuper poſſediſti, hæc dicit Dominus, in hoc loco, in quo tinxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum, cui, cum rex mitiſsimè & amicè reſpondiſſet; Num inueniſti me inimicum, tibi? non tamen ſanctiſsimi uiri maſculum animum frangere potuit, quò minus homini peccatori, Domini ſententiam denuntiaret, & diceret. Inueni, quòd uenundatus ſis ut faceres malum in conſpectu Domini, ecce ego inducam ſuper te, & demeram poſteriora tua, & interficiam de domo Achab mingentem ad parietem, & clauſum & ultimum in Iſraël, & dabo domum tuam ſicut domum Hieroboam filij Nabath, & ſicut domum Baaſſa filij Ahiæ, quia egiſti ut me ad iracundiam prouocares & peccare feciſti Iſraël. Non ſic Ioannes Baptiſta, qui non homini plebeio & priuato ſed potentiſsimo regi, clara uoce dicebat, Non licet tibi habere uxorem fratris
Math. 3. tui: genimina uiperarum Phariſæos & reliquos totius Iſraëlitici populi principes uocans. Non ſic denique Paulus, qui ſciens denunciandæ ueritatis ſibi præceptum impoſi-
1. Cor. 9. tum, ut miniſterium ſuum impleſſe proteſtaretur, quibuſdam, quibus Euangelium
Act. 20. nunciarat, dicebat, Et nunc ecce ego ſcio quia amplius non uidebitis faciem meam uos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum, quapropter conteſtor uos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium, non enim ſubterfugi, quò minus annūtiarem uobis omne conſilium Dei. in quæ uerba Gregorius, ſi enim non annunciaſſet mundus à ſanguine non fuiſſet, ſed quibus omne conſilium Dei annuntiare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit.

In epiſt. ad Venan. & in Ezech. in illa uerba Speculatorē dedite.

De eorum Prædicatorum, qui in curiis Principum uerſantur officio, atque obligatione. Cap. XI.

AT, denuntiandæ ſolidæ ueritatis mandatum, cum uniuerſos prædicatores conſtringat, maximè tamen eos, qui in principum curiis, officium prædicationis exercent, à quibus (haud dubium) totius prouinciæ ſalus uel pernicies deſcendit, ſicut & eiſdem totius prouinciæ ſalus plerūq; quaſi auctoribus accepta refertur. Hi ergo, præſertim, qui prouinciæ aut regni cōſuetudine pro Euangelio prædicando ſtipendium accipiunt, ſi quod ad reipub. ſalutem aut Dei gloriam pertinere crediderint, & capta rerū & temporis opportunitate non continuò annuntiauerint, acerbiſsimā illos damnationis ſententiam manere
Ezech. 3. non dubitent. dati enim ſunt peculiari quadam ratione ſpeculatores in populo Dei, ergò ſi dicente Deo per eos ad impium, Morte morieris, non denuntiauerint, neque loquuti fuerint ut auertatur à uia ſua mala, ſanguinem eius de manu eorū requiret. Hi ſunt, qui Euangelij colendi in curiis, quoniam ſuſceperūt ſtipendiū, ſuſceperunt præceptum. Neq; uerò aliorſum detulerim noſtrorū ſæculorum miſeriam, quàm quòd nō multos habeamus Nathanes, Micheas, Iſaias, Hieremias, Baptiſtas &c. qui uirili uirtute regibus, & principibus malefacta denūtient, quò Dei timore, qui ſolus principum animos poteſt cōpeſcere, à peccando deſiſtant. Subuerendū eſt tamen, ne id prædicatorum ſilentium pernicioſum, ideo accidat quòd nō habeamus Dauides, Ezechias, Ioſaphates &c. quos diuina cle-
3. Reg. 22. mentia per prophetas illuminet. Vidit Micheas filius Iemla, dominum ſedentē ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitū cœli aſſiſtentem ei à dextris & ſiniſtris, & ait dominus, Quis decipiet Acab regē Iſraël ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus uerba huiuſcemodi, & alius aliter. egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram domino, & ait, Ego decipiam illū, cui loquutus eſt dominus, in quo? & ait, Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarū eius, & dixit dominus, decipies & præualebis,

egredere,

egredere, & fac ita. In qua uiſione certiſsimè deprehenditur, peccatorum principum
mentes, per falſos plerunque prophetas, diuinitus decipi, tantum abeſt ut ueros prophe-
tas & qui nudam ueritatem proponant, accipere mereantur. Eam ob rem Acab inſœlicſ-
ſimo Regi, cum non ibidem defuerint quadringenti falſi prophetæ, qui placentia quaſi ex
ore Domini denunciarent, nimirum ut in Ramoth Galaad, eã proſpere poſſeſſurus aſcen-
deret, deerat tamen uel unus ſaltẽ uerus propheta, qui prophetica libertate duram ueritа-
tem ediceret. Nequaquã enim ſanctus propheta Michæas ad peſsimum Regẽ fuiſſet aſcen-
ſurus, niſi ſanctũ regem Ioſaphat adeſſe cognouiſſet, quod ex alio loco deprehendere poſ-
ſumus. Congregati ſunt enim, ut contra Moabitas pugnarent, ad repetendum tributum,
quod auita obligatione regi Samariæ, iidẽ Moabitæ rependere ſolebant, rex idẽ Samariæ
& rex Edon, quibus ſanctus rex Ioſaphat tertius fuerat adiunctus, qui cum ſiti grauiſsima
totum illum exercitum periclitari uidiſſet, Rege Iſraël peccati conſcientia eiulante, om-
nes ſimul in manus Moabitarum traditos eſſe, Eſt, inquit Ioſaphat, hîc propheta Do- 4.Reg.3.
mini, ut deprecemur Dominum per eum? Cui cum eſſet reſponſum, adeſſe Eliſæum Eliæ
quondam prophetæ Domini ſeruum, continuoque ad eum cum rege Iſraël Ioram, do-
minum per illũ conſulturus deſcendiſſet, uidens Eliſæus regem Ioram, quem Deo infen-
ſum non tantùm propria, ſed paterna peccata fecerant, Quid, inquit, mihi & tibi eſt?
Vade ad prophetas patris & matris tuæ. à quo cum quæſiſſet Ioram quare Dominus tres
illos exercitus & reges congregaſſet, rurſus reſpondit, Viuit Dominus exercituum, in
cuius conſpectu ſto, quòd ſi non uultum Ioſaphat erubeſcerem, non attẽdiſſem quidem
te, neque reſpexiſſem. Vides nimirum, ſanctos prophetas, qui ingenuè ueritatem de-
nuntiarent, non niſi ſanctis Regibus, ſolitos mitti? Eſt profectò apertiſsimum diuinæ
pietatis indicium, de ſceleribus corripi, Quem enim diligit dominus, caſtigat: nihilq́; Hebr.12.
tum in Iſraëlitica, tum in Eccleſiaſtica hiſtoria frequentius deprehendimus, quàm opti-
mis quibusque regibus & principibus Dei honoris & gloriæ zeloſiſſimos uiros, qui tum
ſibi, tum populo ſincerè ueritatem denunciarent, tribui diuinitus; ſicut nihil contrà fre-
quentius; quàm principibus, qui Dei timore exuti, in peccata declinant (ſi non ſpiritus
mendax diuinitus detur, qui illos per falſos prophetas in certæ perditionis labyrinthum
detrudant) ora prophetarum tamen, & prædicatorum occludi, quò eorum ſilentio licen-
tioſè peccantes, menſuram tandem peccatorum impleant. Infœlix profectò principum
aut regum conditio, qui cùm falſorum prophetarũ greges Diaboli munere immenſos poſ-
ſideant, unũ tamen uerum, qui uitæ ſanctitate diuinam clementiam flectat, aut qui mor-
tis pauore contempto, ipſam rotundam ueritatem uel inuitis intorqueat, non habeant:
nullumq́ue hoc ultionis impendentis manifeſtius indicium, meo quidem iudicio exiſti-
mari poteſt. Ingens eſt igitur illis neceſsitas probitatis impoſita, magnaq́ue egent pro-
fectò prudentia ac circũſpectione, ut falſos prophetas à ueris diſcernant. Falſi prophetæ *Qui ueri &*
ſunt quicunq; aut falſa denuntiant, aut qui cum loqui debuiſſent, aut principis gratiæ, aut *qui falſi pro-*
dignitatis, quam ambiunt, aut uitæ amittendæ, quæ omnia pluſquàm Chriſtum amant, *phetæ ſint.*
ſacrilego timore, fiunt ſicut canes muti, non ualentes latrare. Veri prophetæ ſunt, qui ſin- Ezech.33.
ceram omnibus, prout à ratione ipſa aut à ſancta ſcriptura cõmonentur, quantũuis princi
pibus, quantumuis regibus, quantũuis pontificibus, cum ſumma tamen prudentia & ur-
banitate Chriſtiana, ueritatem exponunt: nulli parcentes, quia huius officij omnibus poſt
Euangelicum munus acceptum, ſunt debitores, & omnium à ſe ſanguis repetendus eſt.

QVOD SI in Principes & Reges totam cauſam cur careamus prophetico illo & uerè *Non in ſo-*
Apoſtolico zelo, id eſt, cur careamus ſincera ueritate, & iam non ſit propheta, & non *los princi-*
iam dirigat Dominus opera noſtra in manibus prophetæ ſancti, uelimus reiicere, certa *pes uerorũ*
eſt contra nos diuina ſententia, Erit ſicut populus ſic ſacerdos. Ingens eſt beneficium, *prophetarũ*
ueritatis illuſtratio, & inter munera diuina in primis numeratur. Ergo cum exuto Deo, *penuriam,*
peccato ſeruimus, lumen ſubtrahit, ueritatẽ repetit. Quondam profectò peccatis ſce- *ſed in popu-*
leſtiſſimæ urbis, quæ ueritatem Dei in mendacium commutarat, exagitatus Deus, ita illi *los quoque*
minatur, Ecce dominator dominus exercituum auferet à Hieruſalem ualidum & fortẽ, *reiiciendam*
omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & uirum bellatorem, iudicem & pro- *eſſe.*
phetam, & ariolum & ſenem, principem ſuper quinquaginta, & honorabilem uultu & Pſal. 73.
conſiliarium, & ſapientiam, & prudentiam eloquij myſtici, & dabo pueros principes eo- Sap.1.
rum, & effœminati dominabuntur eis. ergo prophetia, uniuerſa ſapientia, prudentia, Iſai.24. Iſai.3.

 conſilium

conſilium & robur, ſubtrahi propter grauiſsima populi peccata, merentur. Sed & ſanctus
Dani.3. Daniel, cauſam ob quam non eſſet in Iſraël populo princeps, dux, & propheta, in eiuſdẽ populi peccata refert, Peccauimus, inquit, iniquè egimus, recedẽtes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec ſeruauimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis. & poſtea, Et non eſt in tempore hoc princeps, & dux, & propheta. quòd nimirũ cum uniuerſum regimen, & gubernandi rationem, populi peccata peſſundẽt, tum cœleſtes illuſtrationes impediant. Dantur aliquando peccatori populo prophetæ, ſed tales, qui illum in errorem per falſam doctrinã adducãt, aut qui eius peccata ſilentio diſsimulent. de
Ezech.14. prioribus dicitur, Homo de domo Iſraël, & de proſelytis, quicũq; aduena fuerit in Iſraël, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola ſua in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & uenerit ad prophetam, ut interroget per eum me, ego Dominus reſpondebo ei per me, & ponam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in exemplum & in prouerbium, & diſperdam illum de domo populi mei, & ſcietis quia ego dominus. & propheta, cum errauerit, ego dominus decipiam illum. Et rurſus, Homo de domo Iſrael, qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & uenerit ad prophetam interrogans per eum me, ego dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, ut capiatur
1.Tim.4. piatur domus Iſraël in corde ſuo, quo receſſerunt à me. Ergo peccatori populo, non ue-
Ezech.13. ritatis amatores indulgentur miniſtri, ſed qui placentia dicant, qui pruriant auribus, qui abſque temperatura luto parietem liniant, qui pulnillos cubitis ſubſternant, ad capiendas animas, qui uideant uiſiones pacis cum non ſit pax, qui ſequantur ſpiritum ſuum, & nihil uideant, qui uiuificent animas, quæ non uiuunt, propter pugillum ordei, & mortificent quæ non moriuntur. Quo genere prophetarum noſtra memoria bonam partem Chriſtia-
Luthe.&c. niſmi refertam uidemus, qui ita commerentibus populi Chriſtiani peccatis, traditi in reprobum ſenſum, falſa & hæretica doctrina, incredibili Satanæ ſolicitudine eundem infi-
Hier.4. ciunt. De poſterioribus uerò Hieremias prophetico uaticinio prænuntiat, Erit in die illa; dicit Dominus, peribit cor Regis & principum, & obſtupeſcent ſacerdotes, & prophetæ conſternabuntur, quò ſcilicet per principum amentiam, per ſacerdotum & prædicatorum ſtuporem, populus miſer peccandi licentia & ad iuſtam peccatorum menſuram excreſcat, & tandem exterminio mulctetur. Nam duplex hoc falſorum prophetarum genus, aut ſua peſsima doctrina, aut ſuo pernicioſo ſilentio integras prouincias & potentiſsima regna peſſundediſſe, idem ſanctus propheta Hieruſalem alloquens lacrymabundus
Thren.2. ſcribit, Magna eſt uelut mare contritio tua, quis medebitur tui? cuius contritionis & deſolationis cauſam continuò ſubiungit, Prophetæ tui uiderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent. ergo hæretica & falſa doctrina, ſtulta, id eſt, quæ cum ſit alioqui uera, ſtultè & impertinenter profertur in uulgus: non aperire deinde iniquitatem, quo ad pœnitentiam populus prouocetur, id eſt, culpabile prædicatorum ſilentium, quibus alioqui Deus mediocrem uitæ rationem, cum eruditionis auctoritate coniunctam, indulſerat, populos, urbes, & nationes exterminant. Oremus igitur uniuerſi iterum atque iterum, qui Chriſtiani populi uicem dolemus, quique huius ſanctæ Eccleſiæ reliquiarum nos partes exiſtimamus, dominum meſſis, ut mittat Elias, Eliſæos, Michæas, &c. qui ſancto amoris zelo feruentes, pro domi-
2.Tim.4. ni ſui ſponſa, pro Dei honore, pro proximorum ſalute, ſcientes ſibi magnam eſſe repoſitam coronam iuſtitiæ, nomen Chriſti portent coram regibus & principibus & magiſtratibus, non attendentes minas hominum & principum huius mundi, qui deſtruuntur, & qui corpus tantùm poſſunt occidere, ſed eum ſolùm timentes, qui poteſt corpus &
Actu.9. Matth.10. animam in gehennam mittere.

Non est autem æqua quorũdam excuſatio, qui ideò ſe quæ ſentiunt, propalare & in uulgus afferre non audere aiunt, quòd his temporibus odioſa ſit ueritas, quaſi unquam ea quidpiam fuerit magis inuiſum. ſemper profectò obſequium amicos, & ueritas odiũ ſuis
Hieronym. in epiſt. ad Galat. c.4. cultoribus peperit, immo hæc eſt, ut ſapienter ait Ambr. ueritatis conditio, ut eã ſemper inimicitiæ perſequantur, ſicut per ambitionem pernicioſæ amicitiæ comparantur: & offendit alioqui ſemper omne, quod nolumus, & profectò ſemper liberè & ſine adulationę ueritatem prædicantes, & geſta prauæ uitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. Cauſemur ergo potius exiguam fidem noſtram, caritatis defectum, mundi amorem,

& quòd

& quòd nondum cum Apoſtolico miniſterio, Apoſtolicum quoq; mundi cōteptum coniunxerimus. Pendemus quidam noſtrum à mūdo, quomodo non mundū formidabimus? nondum ueteris hominis affectus exuimus, quomodo illi inimicabimur? perfecti hominis eſt, prædicationis ut decet, officiū peragere, eius (inquā) qui ſe ipſum reliquit & accepta cruce Chriſtum ſequitur. hoc qui fecerit, uidebit, nullum alind ſæculū magis idoneum ueritati dicendæ, quàm id noſtrū, quo tanta eius eſt apud mortales penuria. ſed de his ſatis.

Quæ pronunciationis ratio, uerbi Dei miniſtris ſit obſeruanda. *Cap. XII.*

NVnc autem de pronunciationis ratione, in qua tamen non parum à quibuſdā
peccatur, pauca dicamus. Sūt multi, qui nihil magis in concione laborant,
quàm auditorum aures inani & ſterili quodam uerborum uento concutere,
quaſi in ſermone eſſet regnum Dei, & non potius in uirtute. hi ſunt qui in *1. Corin. 4.*
uerborum cultu potiſsimam ſtudij prædicationis partem conſtituunt, non
tam quid dicant, quàm ut eleganter dicant, attendentes, id eſt, hi ſunt, qui non tam
Dei negotium quàm propriam gloriam per conciones uenantur, quæ tamen cum ſit in
uerbis & non in uirtute, uaniſsima eſſe omnino neceſſe eſt. hi ſunt, qui plerunque,
quò elegantiſsimi & facundiſsimi eſſe uideantur, uocabulorum ſynonimorum ridiculoſos cumulos inaniſsimè aggerunt, contra omnem profectò eloquentiæ rationem, quæ
damnat ſemper & ſermonis & copiæ affectationem. Hi ſunt, qui cum aquam è fonte ſanctæ ſcripturæ puriſsimam bibant, pedibus humanorum affectuum conculcando perturbant, & nec ſic conturbatam pro auditorum neceſsitate miniſtrant; plus enim appendunt, aptè ſuo loqui iudicio, quàm à ſimplici uulgo intelligi, quoniam eidem non tam
uitæ ſanctitatem & peccatorum pœnitentiam, quàm ſui ipſorum admirationem conciliare contendunt. hi ſunt, qui non corda hominum diuini uerbi ſagitta, quò Chriſto uictori dent manus, ſed aures percutiunt, quò ſemper uita carnali uiuentes, in æternum intereant. demum hi ſunt, qui non tam Chriſtum quàm Ciceronem in concionibus agere
ſtudent: qua parte, quantum à uero Euangelici prædicatoris inſtituto diſſentiāt, ad Co- *1. Corin. 2.*
rinthios ſcribens, uerus ille prædicator oſtendit, Sermo, ait, meus & prædicatio mea,
non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & uirtutis, ut
fides ueſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in uirtute Dei. et ad eoſdem, Miſit, inquit, *1. Corin. 1.*
me Chriſtus non baptizare ſed euangelizare, non in ſapientia uerbi, ut nō euacuetur crux
Chriſti. nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit
Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. in quæ uerba ſiue Theophi- *In epiſtolam*
lactus, ſiue Athanaſius, Non in ſapientia uerbi (ait) hoc eſt, non in eloquentia, ſermo- *ad Corin.*
niſque cum elegantia, tum uenuſtate, ut noxam patiatur & imminuatur crux Chriſti.
Poſtquàm enim in ſapientia, quæ per creaturas cernitur (cœlum enim & terra adeoque
omnis creatura, prædicat conditorem) non nouiſſet mundus Deum, per ſapientiam uidelicet, quæ in eloquentia cernebatur, linguæque politie; uiſum eſt Deo per prædicationis ſimplicitatem, quæ uidetur quidem eſſe ſtultitia, cùm minimè ſit, ſaluare credentes. Non in ſapientia uerbi, ait Anſelmus, quia prædicatio Chriſtiana non indiget pom-
pa, & cultu ſermonis. Efficacior fuit profectò in concilio Nicæno ſermo ſimplex Paphnu- *In epiſtolam*
tij aduerſus philoſophum, qui magno ingenij acumine contra fidē decertabat, quàm alio- *ad Corin.*
rum, qui dialecticis argutiis & cultiori ſermone, eius ſyllogiſmos diluere contendebant:
& certè multo plures ſanat medicus diligens, quàm uerboſus, & plures olim Sanſon aſini *Iudic. 9.*
mandibula, quàm gladio trucidauit. De ſcripturis diuinis diſputantem, inquit Hie-
ronymus non decet Ariſtotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquen- *In epiſtola quadam ad Damaſum.*
tiæ ducendus eſt riuulus, nec aures Quintiliani floſculis & ſcholari declamatione mulcendæ ſunt, ſed ſit loquutio pedeſtris, & quotidianæ ſimilis, quæ ſenſum Dei ediſſerat, non uerborum compoſitione frondeſcat. Sint alij diſerti, laudentur, ut uolunt, &
inflatis buccis ſpumantia uerba trutinentur, mihi ſufficit ſic loqui ut intelligar, ut de ſcripturis loquens, ſcripturarum imiter ſimplicitatem. Hactenus ille. Vulgi more, inquit
Rabanus, ſic dicatur, ut ambiguitas, obſcuritasq; uitetur, non ſic dicatur, ut à doctis, *Lib. 3. de inſtit. cleric.*

ſed potius ut ab indoctis dici ſolet, quid enim prodeſt loquutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientium, cum non intelligant propter quos, ut intelligant, loquimur? Qui ergo docet, uitabit uerba omnia, quæ non docent, & ſi pro eis aliqua, quæ intelligantur, integra poteſt dicere, id magis eliget, ſi autem non poteſt, ſiue quia non ſunt, ſiue quia in præſentia non occurrunt, utetur etiam uerbis minus integris, dum tamen res ipſa doceatur, atque diſcatur integrè. Et hoc quidem non ſolùm in collocutionibus, ſiue fiant cum aliquo uno, ſiue cum pluribus, uerùm etiam multò magis in populis, quãdo ſermo promitur, ut intelligamur, inſtandum eſt. quia in collocutionibus eſt unicuique interrogandi poteſtas, ubi autem omnes tacent, ut audiatur unus, & in eum intenta ora conuertant, ibi ut requirat unuſquiſque, quæ non intellexit, nec moris eſt, nec decoris, ac per hoc debet magis tacenti ſubuenire cura dicentis. Hactenus Rabanus. Prorſus itaq; ab euangelico miniſtro uniuerſa uerborum exquiſita curioſitas abſit, quæ penitus uerbi Dei

Iſai. 1. efficaciam eneruat. non miſceat uinum diuini ſermonis, exacto ſtudio aquæ humanæ elo-

In cõm. Iſai. quentiæ, ne ad inebriandas mentes fiat prorſus euanidum. Omnis doctor, inquit Hiero. qui auctoritatem ſcripturarũ, per quas poteſt audientes corrigere, uertit ad gratiam auditorum, & ita loquitur, ut non corrigat, ſed ut delectet audientes, uinum ſanctarum ſcripturarum uiolat, atq; ſuo corrumpit ſenſu. Neq; haud dubiè alia ratione Chriſtus, Euangelicæ prædicationis ſeminium, per piſcatores & artificioſi ſermonis prorſus ignaros homines, in Orbem ſparſit, quàm quòd Spiritus ſanctus humanas uires in humana ſalute ope-

Anſel. in Matt. Theophil. Aug. & Beda in illa uerba Pau. Nõ in ſapientia uerbi, &c. randa contemnat, alioqui non Petros, Andreas, Iacobos, Philippos, Ioannes, Bartholomæos, ſed Demoſthenes, Aeſchines, Lyſias, Iſocrates, Graccos, Catones, Cicerones, qui Græca aut Romana eloquentia, animos mortalium allicerent, & picturatis ſermonibus flecterent in apoſtolicum munus elegiſſet. Totum humanæ ſalutis negotium Spiritus ſanctus ſibi uult tribui, nihil condonat humano artificio. Non quòd barbarum & agreſtem ſermonem approbem (abſit) nam & hunc publico illo magiſterio indignum prorſus exiſtimo, ſed quòd exquiſitum quendam & exactum uerborum cultum & ſtudium, ſancto huic apoſtolico muneri contrarium exiſtimem: idemq; de geſtibus, & cæteris, quæ ad pronũtiationem ſpectant, obſeruandum puto. Verum quod hac de re tum Auguſt. libris de doctrina Chriſtiana, tum Rabanus lib. tertio de inſtitutione clericorum, multa dixerint, plura loqui non placet, ſed tantùm Chriſti ſerui, qui hoc miſerando malorum diluuio ſunt ad apoſtolici muneris faſtigium aſſumpti, ſunt mihi per Chriſtum obteſtandi, ut animo aduertant, quantum gloriæ Chriſto & Euangelico negotio poſſunt afferre, ſi rectè & ex officio prædicatione fungãtur: ſi non ſeſe, ſed ſolum Chriſtum quærant, ſi non mundi gloriolam, quæ plerunque ante mortem marceſcit, ſed ſolidam illam, quam tanto muneri & tam

1. Tim. 4. digno labori decretam ſcimus, præmium expectent: de qua re Paulus Apoſt. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in die illa iuſtus iudex, ſi demum non tam hominibus placere, quàm Deo, qui probat renes & corda, diligenter ſtudeant.

Quòd Epiſcopi cæteriq́ Eccleſiaſtici paſtores, uerbum Dei prædicare teneantur. Cap. XIII.

S. Tho. 3. ſen. diſtin. 25. q. 3. & 3. p. q. 2. art 6. S. Bonauẽ 3 ſẽ. d. 25. q. 3. Scot. 3. ſen. d. 25. q. 1. Dur. 3. ſẽ d. 25. Ric. 3. ſen d. 25. q. 2. & quol. 3. q. 24. Io Baſol. 3 ſent. d. 25. q. unica. Gabr. 3. ſen. d. 25 q. unica concl 2. Almaianus 3. ſent. d. 25 q. unica

ADuertant autem, quicunq; in Chriſti Eccleſia ſunt ad paſtoralis officij dignitatem aſſumpti, non modò ſe ad perfectam Euãgelicæ doctrinæ cognitionem eiuſq; propugnationem, ſed etiam ad hoc apoſtolicum prædicationis munus exercendum, naturali, diuino, & eccleſiaſtico iure, ita eſſe conſtrictos, ut niſi id diligentiſsimè expleuerint, certum ſubituri ſint dãnationis ſuppliciũ. Non eſt paſtorale munus deliciari, ſed paſcere, non miſeras oues deglubere, ſed uerbo ſanctæ exhortationis reficere; non ingentes theſauros, aut filiis, quos malè aliquando nõnulli ſuſceperũt, aut cognatis relinquere, ſed filiis, quos patre mortuo (Chriſto nimirũ) per Euangeliũ ex Eccleſia genuerunt, immortales cœleſtis fœlicitatis diuitias theſaurizare; ſic enim filiis ſuis theſaurizabat Apoſt. Non quæro, inquit, quæ ueſtra ſunt, ſed uos. non enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. ego aũt libentiſsimè impendã, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus ueſtris. Nõ

eſt paſcere,

eſt paſcere, quod tamen opere diaboli uulgus credit quoſdã præficere, qui commiſſas oues
uerbo reficiant, immo nec præficere quidem, ſed eis quaſi ingens beneficium, facultatem
prædicandi indulgere; nam & hoc princeps ipſe, aut alius quicunque ciuilis magiſtratus,
fortè diligentius præſtaret, ſed perſonali doctrina & exemplo mores corrigere, uirtutes
formare. Cecidit cecidit profectò ſanctæ prædicationis auctoritas, poſteaquam Epiſco-
palis pompa ad Epiſcopos, ad ſolos uerò priuatos homines prædicatio conceſsit, poſtea-
quam Epiſcopi eſſe deſierunt arca teſtamenti, quæ & uirgæ correctionem cum mannæ
dulcedine coppulatam, & legem Dei in ſe continerent, poſteaquam deſierunt eſſe Leo-
nes, Gregorij, Auguſtini Hilarii, Chryſoſtomi, Cyrilli, Ambroſij, &c. qui cum eccle-
ſticis regulis, quos canones uocant, Chriſtianæ Theologiæ cognitionem copularent.
Scire tenetur Epiſcopus eccleſiaſtica iura (fateor) ſed illi ſanctarum ſcripturarum
ignorantia turpiſsima. duplex haud dubiè ille ſcopulus cidaris ſacerdotalis, non tam *In pontifi-*
utriuſque iuris integram ſcientiam, quàm utriuſque teſtamenti perfectam cognitio- *cali Roma.*
nem deſignare decernitur. Scient, inquit Toletanum concilium, ſacerdotes, ſacras *Diſtin. 38.*
ſcripturas, & canones, & omne opus eorum in prædicatione conſiſtat, atque ædi- *c. Ignoran-*
ficent cunctos, tam fidei ſcientia quàm operum diſciplina. Paulus Apoſtolus non *tia.* *Ad Tit. &*
litigioſum, ſed doctorem Epiſcopum eligi præcipit, & ne cuiuſcunque ſæcularis di-
ſciplinæ doctorem accipias, qui lites ſcilicet, uel iniuſtiſsimas defendere nouerit.
alibi cuius ſcientiæ doctorem intelligat, aptiſsimè exponit, Amplectentem, inquit, *1. Tim. 5.*
eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, qui potens ſit in doctrina
ſana, & eos, qui contradicunt arguere. Cautum erat olim apoſtolico canone, Vt
Epiſcopus aut presbyter, qui cleri, & populi curam non gereret, neque doceret eos *Canon 58.*
pietatem ac religionem, communione priuaretur: permanentem uerò in ea negligen-
tia & ignauia, deponi. In quem canonem Ioannes Zonaras ſic ſcribit, Ineſcuſabile
eſt hoc Epiſcopi debitum, docere (puta) ſibi ſubditum populum pia dogmata, dirige-
reque rectas in opiniones, & honeſtam uitam. Dicit enim Deus per prophetam, popu-
lorum prælatis, Si non annunciaueris, neque loquutus ſis, morietur iniuſtus in iniuſtitia
ſua, eius autem ſanguis de manu tua requiretur. Epiſcopus igitur, qui docendi curam
negligit, excommunicatur, etſi ne ſic quidem deſiſtat à negligentia, deponitur. Simi-
liter etiam presbyteri, exigit enim canon & hos, tales eſſe, qui docere quoque poſsint.
Et ille magnus etiam Paulus Epiſcopum iubet aptum eſſe ad docendum, ſobrium quoque
(uidelicet in ſobrietate ac uigilantia permanentem) non ocioſum, non animo remiſſo,
non pigrum, uel negligentem. Nomen enim Epiſcopi ad ſobrietatem ipſum excitat.
nam σκοπὸς. (ideſt, cuſtos, ſpeculator, obſeruator,) nominatus eſt. Cuſtodem uerò
uigilare oportet, non ignauiter, otio & inertiæ indulgere. Cathedra propterea conſti-
tuitur in edito & ſublimi templi loco, quæ quidem res denotat, quòd ab illa ſublimita-
te, unde proſpectus undiquaque patet, ſubditum populum reſpicere, ualdeque diligen-
ter obſeruare decet. Ibi uerò presbyteri ſimul cum Epiſcopo adſiſtere, unaque ſedere
iuſsi, ut per eam ſic in alto ſitam cathedram, ipſi pariter inducantur populum cum pro-
uidentia inſpicere, populique mores componere, tanquam dati collaboratores & coadiu
tores Epiſcopo. Hactenus Zonaras. Extat quoque ſynodi ſextæ canon decimusno-
nus, qui præfectos omni die, maximè dominicis, omnem tam clerum quàm popu-
lum docere præcipiat. Quòd uerò & presbyteros, ſiue canon, ſiue Zonaras ad Euan-
gelium aſtringunt, docendum, id de ſolis presbyteris, qui paſtoralem quoque curam ſu-
ſceperunt, oportet intelligas.

Fateor, iuris, præſertim Canonici, ſcientiam, ſi rectè colatur, rem eſſe ſanctiſsimã, &
regendis eccleſiaſticis populis maximè neceſſariam: ſed non hodie ſic colitur, ut eradi-
candis uitiis, & promouendis uirtutibus, ſed ut propagandis litibus, etiam ſine ciuili di-
ſciplina uel abundè ſufficiat. An non, quæſtibus tota legum & canonum diſciplina inſu-
dat? Vbi eſt lex aut ciuilis aut eccleſiaſtica, de peccato uitando, uel de cleri aut populi *Bernar.*
honeſtate promouẽda, paruiſsima gloſſemata. ubi uerò de reſcriptis de priuationibus, de *lib 2. de*
uiſitationibus, de procurationibus, de canonica portione, uel de ſepulchrorum funera- *conſider.*
libus agitur, immenſos aggeres gloſſematum uideas. Sed quoniam; iſta quibuſdam & ſi *ad Euge-*
ueriſsima, odioſiſsima tamen fortaſſe uidebuntur, & quoniam quidam ex ueteribus omni *niũ.*
ſuſpitione maiores, prolixo ſermone de ea re loquũtur, nõ amplius dicemus, quàm eos, qui

uel aſsignandorũ, uel præficiendorum paſtorũ curam habent, ſiue principes, ſiue reſpubli-
cas, ſiue alios quoſcunque magiſtratus, per Chriſti mortem obteſtari, ut uideant quos
huic ſancto miniſterio, à quo totius Chriſtiani populi religio pendet, præficiant. Ipſi
enim ſunt, qui potiſsimam hac de re apud Chriſti tribunal rationem ſunt redituri, po-
ſtea quàm ad eos, Romanorum Pontificum indulgentia & priuilegio, deſignandi uiros
huic operi idoneos, poteſtas eſt deuoluta. Attendant, non tam eis labores pro ſe, aut
pro Republica toleratos, eccleſiaſticis redditibus compenſandi neceſsitatem impendere,
quàm optimos quóſque & uita & ſapientia integerrimos uiros undique cogere, qui exem-
plo & perſonali doctrina, fidem & Chriſtianos mores in populo ædificent. Non in hac
parte ualere debent apud eos paterna aut auita quorundam merita, memorialibus (quæ
uocant) moleſtiſsimè expoſita, non humana ſuffragia aliorum, qui non tam principum
conſcientiæ quàm propriis commodis, quanuis aliud proferre uideantur, ſolerter ſtudent,
ſemperque inuigilant. Propria merita, uitæ ſcilicet integritas, ſinceraque doctrina cum
auctoritate coniuncta, ſacerdotium obtineant: nec multum obeſt, ſi Baldi, Bartholi aut
Abbatis in tractandis ſecularibus aut eccleſiaſticis cauſis, ſolertiam quis non polleat,
Ad Titum cap. 1. dum potens ſit, populos ſibi commiſſos exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradi-
cunt arguere: quæ duo Paulus Apoſtolus in Epiſcopo neceſſariò requirit. Neque uerò
modò Epiſcopi quantumuis in tractandis cauſis iudicialibus ſagaces, per ſe ipſos celeſti-
cas lites decernunt, ſed per iudices uicarios, quos prouiſores appellant. Et alioqui in-
dignum eſt profectò in Euangelico paſtore, qui nihil prius habere debet, quàm charita-
tis ſtudium, ciuilium litium technas inquirere, quæ Paulus Apoſtolus non multum cum
Chriſtiana charitate conuenire pronunciat. Iam, inquit, omnino delictum eſt in uobis
1. Cor. 6. quòd iudicia habetis: quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem pa-
timini? non quòd peccatum credat Apoſtolus, iudiciali proceſſu res noſtras aut acce-
ptas iniurias iuxta legum ſanctarum tenorem repetere, ſed quòd cum illa Chriſtiana ſim-
plicitate, quæ percutienti maxillam, alteram præbet, tollenti palium, concedit & tuni-
Matth. 5. cam & angarianti mille paſſus, uadit alios mille, iniurias perſequi non ſatis cohereat:
quamuis à communi & ſufficienti iuſtitia (modò abſit affectus) non recedat. Indignum
eſt profectò in Euangelico paſtore requirere, quæ idem Apoſtolus in eccleſiæ contempti-
biles reiicit. Sæcularia, inquit, iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in eccleſia
1. Cor. 6. hos conſtituite ad iudicandum. ac ſi apertè diceret, auctore Gregorio, Qui minoris me-
riti ſunt in eccleſia, & nullis magnorũ donorũ uirtutibus pollent, ipſi de terrenis negotiis
iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora ſuppleantur: quos & contem-
ptibiles nominat, & tamen ſapientes uocat, cum dicit, Sic non eſt Sapiens inter uos
quiſquam, qui poſsit iudicare inter fratrem ſuum? Qua ex re quid colligitur, niſi
ut hi terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum ſapientiam perceperunt? qui
autem ſpiritualibus donis donati ſunt, profectò terrenis negotiis non debent implicari;
ut dum non coguntur interiora bona diſponere, exercitati ualeant bonis ſuperioribus
deſeruire. Hactenus Gregorius. Ne autem prorſus ab Eccleſiaſticis præpoſitis ſubdito-
rum negotia arceat, protinus ſubdit, Sed curandum eſt magnopere, ut hi, qui donis
ſpiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deſe-
rant, ſed hæc aliis, quibus dignum eſt, tractanda committant. Vnde Moſes quoque ad
populum uiros ipſe ſeptuaginta conſtituit, ut quanto ſe ab exterioribus cauſis abſcon-
deret, tanto ardentius interna penetraret. Sicque fit ut ſummi uiri magis ad ſpiritualia
dona proficiant, dum eorum mentes res infimæ non conculcant, & rurſus uiri in eccleſia
ultimi, ſine bono opere non uiuant, dum in rebus exterioribus inueniant recta, quæ
agant. Hæc ille: quæ omnia deinde membrorum humani corporis exemplo demonſtrat,
quæ toti corpori, uiciſsim ſua officia impartiendo, copulantur. Sic, inquit, ſanctæ ec-
cleſiæ membra debent & officio eſſe diſtincta & charitate coniuncta, ut ſummi uiri, eo-
rum uiam prouideant, qui terrenis negotiis uacant, quatenus uelut ad lumen oculo-
rum pes ambulet, & rurſus quicquid terrenis negotiis implicati agant, hoc ad maiorem
utilitatem referant, ut pes cuius uia proſpicit, non ſibi tantummodo ſed etiam oculis
gradiatur. Vides nimirum ex Gregorij ſententia quàm parum ad Euangelicum anti-
ſtitem, & paſtorem, humanorum negotiorum gerendorum exacta peritia pertineat, quæ
abiectiorũ & minoris meriti hominum, in Eccleſia eſſe iudicatur? Vides eos, qui iudicio-

 rum

rum peritia cenſentur, tam à Paulo quàm à Gregorio ſapientes uocari, uerùm non ea ſa-
piétia, quæ cœleſtis uocatur, quæ ſcilicet circa interiora uerſatur, ſed ea, qua res externæ
ordinatè geruntur, quæ in Chriſtiana uita nō multi tamen fieri ſolet? Vides eos, qui ſunt
ſpiritualibus bonis nuncupati, ſæcularibns negotiis implicari non debere, ut altioris ordi-
nis bonis liberius inſeruire ualeant, ſed Moſis exemplo uiros præficere, qui dum ipſi ſpiri-
tualibus bonis inuigilant, tractént temporalia negoria, & iudicio decernant? Non igitur
magnopere refert, in his rerum temporalium negotiis, eos, qui ſanctarum ſcripturarum
ſcrutinio dicantur (ut quidam uolunt) ſtupidos eſſe, dum paſtu cœleſti & ſanctis moribus
plebem ædificent: ſed neque etiam magnopere refert, utriuſque iuris apices attigiſſe, & in
multis prouinciis ampliſsimos magiſtratus geſſiſſe, ut quis in euangelicum paſtorem eligi
debeat, ſi uerbum Dei rectè ſecare & quod ab illo in conſecratione requiritur, de utriuſq;
teſtamenti theſauro, noua & uetera producere nouerit. Non eſt opus magna iuris ſubtili- Matth. 6.
tate euangelico præſuli, ad quem potius amore fraterno & Chriſtiana caritate pertinet
diſsidia componere, quàm iuridiciali proceſſu cauſas peragere. Itaque ut ſemel dicam,
ea uniuerſa euangelico paſtori non conferunt, quæ ad euangelicum paſtum, cui uni mini-
ſtrando demandatur, non attinent. eſt autē paſcere, non cauſas agere, ſed animas uerbo
ſanctæ exhortationis reficere, enāgelica prædicatione uitia profligare & uirtutes inſerere.
Petro profectò non fuit à Chriſto dictum, iudica populum meum, ſed paſce oues meas, Ioan 20.
quaſi ſolus paſtus paſtorem efficiat. Iam cùm bonum paſtorem Chriſtus definiat, qui lu-
po uenienti & in greges graſſanti reſiſtit, & cuius uocem oues audiunt, quî fieri poſsit, ut Ioan. 10.
ille paſtoris officiū legitimè ſubeat, qui ſanctæ prædicationis uoce deſtituitur: qui euan-
gelico ſibilo ad interiora deſerti, greges dominicos minari non nouerit? qui lupis rapa-
cibus, qni ueſtimentis ouium greges aggrediuntur, ueræ & ſanæ doctrinæ gladio reſiſtere
nequeat? Ingens monſtrum paſtor mutus, ingens monſtrum paſtor ſine baculo, utroque
tamen maius Epiſcopus elinguis, & qui Chriſtiana ſapientia hæreticis ingruentibus non Exod. 3.
poſsit obſiſtere. ad arcendum lupos parum proſunt canes, niſi uoce quoque paſtoris inci-
tentur, ad arcendas hæreſes, aut corruptos mores, qui populum inuadunt, parum pro-
ſunt priuati prædicatores, niſi euangelici paſtoris uoce quoque adiuuentur. Caueant ita-
que qui eorum præficiendorum ſolicitudinem, & curam ſuſceperunt, ne ſumma ratione
à Chriſto arguantur, quòd cum equis ſuis, canibus & acipitribus, immo culinis, non
niſi maximè idoneos, & qui eam artem apprimè nouerint, præficiant, ſolis Chriſti eccle-
ſiis paſcendis, eos plerunq; deſignent ac proficiant, quibus paſcere ſit prorſus impoſsibile,
unde utriq; certiſsimæ dānationis diſcrimen incurrant. Non ſunt iſta in quibus de totius
populi Chriſtiani, & ſalute, & religione agitur, tam leuia, quàm quidam exiſtimant, quos
Dei timor & eccleſiaſticæ promotionis zelus omnino deſernit, qui nihil alind putant quē-
piam paſtorem conſtituere, quàm illi unde poſtea ſplendidè uiuat, uel iunito Chriſto, di-
uitias præbere. Extat, non tantùm diuino, ſed naturali iure certiſsima regula, illū peccare
lethaliter, qui publicum ſibi uſurpat officiū, cum alioqui ſit ad illud ineptus, in eoq; pec-
cato quandiu non fuerit idoneus, perpetuo permanere. Nemo eum, qui prætoris aut ta-
bellionis officium, cum eſſet alioqui ad illnd gerendū ineptus, ſubiret, quandiu in illo per-
ſeueraret, à mortali, & grauiſsima culpa, & ab uninerſorum detrimentorum, quæ reſpu-
blica incurreret, reſtitutione profectò excuſaret, nemo igitur illū excuſabit, qui cum pa-
ſcere neſciat, officium ſibi paſtoris uſurpet, præſertim cùm ampliſsimi theſauri, & diui-
tiæ ex eo ſibi miniſterio proueniant, & res ſit omnium quæ poſſunt excogitari, longe gra-
uiſsima. Maius tamen iudicium habent illi, qui per ſua ſuffragia hniuſmodi hominibus
efficaciſsimè, perpetuæ damnationis portas aperiunt, & ingenti detrimento Chriſti eccle-
ſiam afficiunt, quod nec totius orbis theſauris reſarcire aliquando poterunt. Immo uerò
non tantùm particulares eccleſiæ indigna prouiſione læduntur, ſed uniuerſalis eccleſia
quoq; ingens detrimentum accipit, dum ſanctarum literarum, ſapientiæ ac uirtutis ſtudiū,
in quibuſdam prouinciis, quòd nullum ſit præmium, uileſcit & contēptui habetur: Vnde
ſæpe accidere ſolet, ut erroribus & hæreſibus ſæuire liceat impunè. Nunquam profectò in
maiori precio fuit noſtra religio, nec magis ſuis hoſtibus formidabilis, quàm cùm hu-
mana gratia & fauor ab epiſcoporum promotione procul aberant. Cum, inquam, uel
à principibus, uel à populis, ſanctarum ſcriptutarum notitia & uitæ ſanctimonia, ce-
lebres uiri uel inuiti, ad ſacerdotia trahebantur: hinc Auguſtini, hinc Hilarij, hinc
Chryſoſtomi, hinc Epiphanij, hinc Cyrilli, hinc Gregorij, hinc Leones, à quibus to-
tum

tum quidquid eſt modo religionis accepimus, & quorũ doctrinam admirabilem uel nunc hoſtes eccleſiæ reformidant.

Querundã in Theologica ſtudia calumniæ.

VERUM illorum, qui uel ignorantiæ patrociniũ afferre, uel ſanctæ ſcripturæ ſtudio & cognitioni notam inurere moliuntur, friuola ſenrentia audienda eſt, qua dicunt, ex doctis Theologis, non itẽ ex aliis hæreſes progredi. Primùm enim id falſum eſt: neq; enim docti ſunt, qui propriũ ſenſum eccleſiaſtico ſenſui anteponunt; cùm Theologi ſit maiorum auctoritati parêre. deinde ſi res planè aduertatur, plures ex grãmaticis, rheroribus, medicis, iuriſprudẽtibus, philoſophis &c. quàm ex Theologis, hæreticos prodiiſſe, noſtræ memoriæ hiſtoriæ reſtantur. Demum, quid mirum ſi ab his, qui res ſacras tractant, circa res ſacras prauæ opiniones proficiſcãrur: neq; enim ex ſutoribus aur cerdonibus falſa fidei dogmata proditura ſunt, ſed ex doctis hominibus, qui uel diuino iudicio obcæcantur, aut ab eccleſiaſtica traditione ſalſa animi perſuaſione deficiũt. Quòd ſi rei abuſus faciat, ut res ipſæ alioqui maximè neceſſariæ tollantur, tollantur igitur e medio ſacri & prophani magiſtratus, quoniam plerunq; poteſtate aburuntur, immo rollantur omnia, quæ humana maliria peruertere poreſt. Non eſt mirũ, inter frequentiſsimas ſegetes pullulare zizania, non eſt mirum inter ſolidiſsimos fidei deſenſores, qui ſanctarum ſcriprurarum notitia fidem indefeſſo ſtudio propugnant, quoſdam exurgere bonorum cõpararione rariſsimos, qui eandem impugnenr, ſicut non eſt mirum, inrer tor ſortiſsimos milites, qui inuictis animis rẽpublicam protegunt, quoſdam eiuſdem reip. proditores emergere, qui eam nonnunquam hoſtibus tradãt. An'non etiã in cæteris quoq; diſciplinatum profeſsionibus, quotidie ſtultiſsimas opiniones ſuſcitari uidemus? An'non in medeudi arte, ingenti humanæ ſaluris incõmodo, & uitæ certiſsimo diſcrimine, quidam obſtinatiſsimè ſua placita defendunt? An'non apud iuriſprudentes, cum magno non modò noſtrarum rerum, ſed plerunq; honoris, famæ, immo & uitæ detrimento, circa res etiam ſummè ad ciuilirer uiuendum neceſſarias, hominum ſtultæ & perniciosæ opiniones plerunque, deſæuiunt; in quibus tamen, quod non diuina, aut naturæ aliqua myſteria contineantut, nulla futura erat ambiguitas? An'non uel in illis certiſsimis diſciplinis, quas Græci Μαθήματα uocant, quotidie uidemus nouas opiniones ſuboriri? Cur ergo neq; medendi ars, neq; iuriſprudentia, neq; mathematicæ diſciplinæ malè norantur, ſola uerò rheologia, id eſt, Dei cognirio, malè audit? Grauior eſt & pernitioſior (fateor) error in religione, quàm in humana ſalute, aut reipublicæ recta adminiſtratione, ſed tanto paratior & inſtructior, aduerſus maiorem hanc pernitiem & peſtẽ, cui nulla alia arte quàm theologica diſciplina ſubueniri poreſt, debet eſſe eccleſia. immo uerò nullo alio ſæculo, maiori theologiæ & ſanctarum ſcripturarũ notitia eccleſia eadem floruir, nec maiori diuina iſta ſapientia fuit in prætio, quàm cum hæreſes ſæuiebanr. tunc enim uel ex abditiſsimis antris, eius periria celeberrimi quiq; uiri, uel à principibus, uel à populo ad eccleſiaſticum regimẽ, uel reluctantes trahebantut: nimirum, quòd tunc potiſsimùm ſint in pretio milites quando hoſtilis impetus urbem inuadit. Nunc uerò præſertim apud Catholicas prouincias, ſunt quidam, qui quòd quoſdam hæreticos publicè pœnas dediſſe uiderint, uniuerſos à theologiæ diſciplina auocare contẽdunr, eo nimirum cõſilio, quò illi, qui quòd milites quidam ad hoſtes defecerint, prorſus militarem diſciplinam uel contemnendam, uel omnino de medio tollendam conſulerent; ut ſcilicer hoſtes ex animi ſententia & uoto, urbe inermi potiantur.

ATQUE hæc diximus, non quò alterius cuiuſpiam diſciplinæ profeſſores lædere uelimus (quod abſit) ſcimus enim plures è media iuriſprudentia, præſertim noſtra memoria, noſtrorum principum religione ac pietate, Ambroſios emerſiſſe, qui ingenti ſagacitate ac ſapientia eccleſias ſibi commiſſas adminiſtrarint, ſed quòd credamus magni referre, immo tum ſibi, tum eccleſiæ neceſſarium eſſe, omnino Epiſcopos uerbum Dei prædicare, & cætera, quæ ad euangelicum paſtum pertinenr, perſonali labore & non tantùm per uicarios prædicarores obire: ad auctoritatem nimirum euãgelij, & ut uerbum Dei in pretio habeatur. Nec enim alia ratione tot diuitiarum theſauri, tot ſeruorum greges, & (ut ſemel dicam) uniuerſus ille penè regius apparatus, euangelicis paſtoribus tributus, permittitur, quàm ut eo apud plebem, quæ non tam ſolo bonæ uitæ exẽplo, quàm imperio, & poreſtate, ad amplectendam uirtutem, uitaq; Chriſtianæ officia percolẽda permouetur, auctoritatem obtineant, qua eorum exhortatio & doctrina in pretio & admiratione quadam habeatur. Sed neque aliorſum illorum ſenrentia uergit, qui paſtores iure naturali, diuino & humano, in propriis eccleſiis reſidere teneri, uerìſsimè contendunt, quàm

ut ad

ut ad paſtum euangelicæ prædicationis miniſtrandum eoſdem aſtringat: hac enim po-
tiſsima ratione reſidere teneri dicuntur, quòd teneantur & paſcere, abſentes autem pa-
ſcere nequeant. Ergo ſi paſcere perſonali & propria doctrina & labore non tenetur
Epiſcopus, neque reſidere tenebitur. quid enim eorum præſentia populo præſtabit?
nam iudicia non per ſe, ſed per iudices, etiam cum ſunt præſentes, exercent. Neque
uerò ſunt tanti momenti prouocationis ab iudicibus uicariis ad prælatos ipſos, ut pro-
pter eas ſolas Epiſcopos præſentes futuros neceſſariò dicamus. habent enim pleri que po
tentiores alicubi præter nos iudices, conſilia quæ uocant, certum nimirum iurecon-
ſultorum, ad quos prouocationes fiant, quorum decreta ſolent prælati ipſi ratiſsima
habere, & ab eiſdem quaſi à propriis placitis, uel latum unguem nunquam diſcedere,
ſed & ut Gregorius docebat, in his omnibus, quæ in rebus exterioribus computantur,
ſiue ſint iudicia, ſiue pauperum ſubuentiones, uiros pietate & iſtarum externarum re-
rum uſu ac prudentia præditos, conſtituere poteſt Epiſcopus, qui ſibi hanc ſolicitu-
dinis partem pleniſsimè adimant, ut olim ſeptuaginta illi uiri Moſi, ſeptem uerò dia-
coni uiris Apoſtolicis, quorum locum Epiſcopi gerunt, feciſſe leguntur. Non igitur *Act. 6.*
iudiciorum eccleſiaſticorum aut pauperum ſubuentionis, aut alterius cuiuſque rei
temporalis, quæ omnia aliis demandare poteſt, ſed euangelicæ prædicationis ergò Epi-
ſcopus reſidere tenetur. Quæ profectò ratio me uel inuitum conuincit, ut ad prædica-
tionis perſonale exercitium, de neceſsitate ſalutis, in qua, quòd à diuino & naturali iu-
re deſcendat, nulla tantùm humana poteſtas diſpenſare ualet, Epiſcopum teneri, inge-
nuiſsimè fatear. ſemper excipio maiorum bonorum cõpenſationem, ut ſunt regni, pro-
uinciæ, aut totius eccleſiæ certiſsimum commodum, aut neceſsitas, quæ duo ſemper in
legibus excepta intelligũtur. atq; id Tridentina ſynodus, ſub Paulo tertio celebrata, opti
mè intellexit, cum inquit, Cùm Epiſcopi præcipuum munus ſit docere populum, non eſt
concedendum, ut Epiſcopi per alios præſtent. deligendi enim Epiſcopi ſunt, ut diuus
Paulus præcipit, qui ſint ad docendum idonei & uoluntarij. et rurſus, Quia uerò
chriſtianæ reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio quàm lectio, & hoc eſt præci-
puum Epiſcoporũ munus, ſtatuit & decreuit ſupraſcripta ſynodus, omnes Epiſcopos, Ar *Seſsion. 5.*
chiepiſcopos, primates, & omnes alios eccleſiarũ prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè
impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum IESV Chriſti euangelium. ſi autem le-
gitimo impedimento Epiſcopos & alios prælatos detineri contigerit, iuxta formam ge-
neralis concilij, uiros idoneos aſſumere teneantur, ad huiuſmodi prædicationis offi-
cium ſalubriter exequendum. Si quis autem adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubia-
ceat ultioni. Presbyteri quoque plebani, & quicunque parrochiales, uel alias curam
animarum habentes, eccleſias quocunq; modo obtinentes per ſe, uel per alios idoneos,
ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem dominicis & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi
cõmiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant, ſalutaribus uerbis docendo ea, quæ ſcire
neceſſarium eſt ad ſalutem, annũciandoque eis cum facilitate & breuitate ſermonis uitia,
quæ eos declinare, & uirtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam euadere, &
cœleſtium gloriam conſequi ualeant. Id uerò ſiquis eorum præſtare negligat, etiam ſi
ab Epiſcopi iuriſdictione, quauis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiam ſi Ec-
cleſiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio etiam extra diœceſim
exiſtenti, forſan annexæ, uel unitæ, modò in re ipſa in diœceſi ſint, prouida paſtoralis
Epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleatur, Paruuli petierunt panem & non
erat qui frangeret. Itaque ſi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpacio ſuo muneri de-
fuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur; ut
etiam, ſi fieri expedire uiſum fuerit, ex beneficiorum fructibus, alteri, qui id præſtat, ho
neſta aliqua merces perſoluatur, donec principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum im-
pleat. Hactenus Trident. concilium. Vbi nimirum uides, non tantùm Epiſcopos, ſed
in uniuerſum prælatos quoſcunque, quos legitima cauſa non impedit, ad officium prædi-
cationis aſtringi. Vocat autem legitimam cauſam, non ſocordiam, aut ignorantiam, aut
temporalia negotia, ſed uel corporis infirmitatem, aut iuſtam aliam occupationem.
Vides etiam præcipuum Epiſcoporum munus, prædicationem uocari, quaſi paſtorali fun-
ctioni ſint cætera extrinſeca. ſed & patres in concilio Toletano ſub Vitelliano Pontifice,
idem apertè docere uidentur, dum aiunt, Quantum quiſque præcelſi culminis obtinet *Can. 2.*

locum, tantum neceſſe eſt præcellat cæteros gratia meritorum, ut in eo, quòd præſidet
ſingulis, ſingulariter ornetur eminentia ſanctiratis, habens ſemper & in ore gladium ue-
ritatis, & in opere efficaciam luminis, ut iuxra Panlum, potens ſit hortari in doctrina ſa-
na, & contradicentes reuincere. Nos proinde noſtri ordinis gradum uel ſuſcepti regimi-
nis modum magnopere cogitare debemus; ut qui officium prædicationis ſuſcepimus,
nullis curis à diuina lectione priuemur. nam quorundam mentes Pontificum, torporis
ocio à lectione ſecluduntur, ut quid doctrinæ gregibus ſubditis exhibeat, non inueniat
præco mutus. Inſiſtendū ergo erit maioribus, ut quod ſub regiminis cura tuentur, famæ
uerbi Dei perire non ſinant. Hactenus Toletan. concilium. Sed & ſexta ſynodus gene-
Can. 19. ralis ſub Agathone Pontifice, & ſub Conſtantino quarto celebrata, ſic inquit, Oportet
eos, qui præſunt eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè diebus dominicis
omnem clerum & populū docere, pietatis ac rectæ religionis eloquia ex diuina ſcriptura
intelligentes, intelligentias & iudicia ueritatis & non rranſgredientes iam poſitos ter-
minos, uel dininorum patrum traditionem. Sed & ſi ad ſcripturam pertinēs controuerſia
aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ lumi-
naria & doctores ſuis ſcriptis expoſuerint, & maiorem laudem ex his aſſequantur, quàm
ſi quæ à ſe dicuntur componant, ne quando ad id hæſitant, ab eo, quòd conuenit ex-
cidant. Per prædictorum enim patrum doctrinam, populi ad eorum, quæ ſunt bona &
expetenda, & inutilia reiicienda cognitionem uenientes, uitam in melius compo-
nunt, nec ignorantiæ uitiis conuincuntur, ſed doctrinæ mentem adhibentes, ſeipſos ad id
ne mali aliquid eis accidat, excitant, & imminentium ſuppliciorum metu, ſibi ſalutem
procurent. Hactenus ſynodus. Vnde & Epiſcopalis prædicationis neceſsitas, & forma
colligitur. in Carthaginenſi Concilio quoque quarto, Epiſcopi homilias ſanctorum pa-
trum, prout omnes intelligere poſsint, ſecundum proprietatem linguæ, prædicare man-
dantur. in concilio Remenſi, Epiſcopus rei familiaris cura poſt habita, uni lectioni,
orationi, & uerbi Dei prædicationi tantummodò, uacare præcipitur. Demum, cum
Oeconomos, qui res temporales adminiſtrent, ſanctorum Conciliorum ſtatutis habere
præcipiantur Epiſcopi, nullibi tamen prædicationis Euangelicæ officium demandare ſi-
nuntur. qnod euidens indicinm eſt, prædicationis munus, ab Epiſcopo neceſſariò exer-
ceri debere. Quod profectò ſi quidam attenderent, non tam ſecurè deliciarentur, nec
tam auidè ſacerdotia ambirent: cognoſcerent utique non eſſe aliud ſacerdotium obire,
quàm ſeipſos in nero damnationis ſtatu reponere. Nec tamen ut iterum lectorem mo-
neam, hîc eos, qui ad Chriſtiana Sacerdotia, poſt publicorum magiſtratuum laudabi-
les functiones, & quos iam ipſe rerum humanarum uſus diſertiſsimos reddidit, præſer-
tim, quos uel principum, nel rerum publicarum æquiſsima iudicia comprobarunt, con-
demnare eſt animus, neque deinde eos, qui ex ipſa iuris prudentia, ſine eorundem ma-
giſtratuum perfunctione, eorundem principum aut rerum publicarum, non ſine magnis
rationibus delegerunt indicia, rectè non poſſe obire ſacerdotia crediderim, abſit, noui
enim ex his, tum morum grauitate ac ſanctitate, tum Eccleſiaſtico zelo maximè calen-
tes multos, ſed hoc tantùm contendo his atque illis, poſt ſuſcepta Eccleſiaſticæ guber-
nationis regimina, Apoſtolico, & Euangelico miniſterio, cui ſunt initiati, uacandi ne-
ceſsitatem impendere. Facile eſt profectò ac parabile, ut in præcedentibus multis con-
tendimus, Euangelicum negotium, neque putandum ad eos tantùm Euangelicæ fun-
ctionis munus attinere, qui Ariſtotelicis, Thomiſticis, aut Scoticis diſputationum ſpi-
netis in ſcholis totam uitam contriuerint: dehortari uitia, promouere uirtutes, quis
neſciat? Vidi ego nonnullos, qui licèt Metaphyſicos apices & Scholaſticas diſputationes
non attigiſſent, mediocri tamen ſanctarum ſcriprutarum & ſanctorum patrum lectione,
quæ duo potiſsimè cum ipſo uitæ uſu Euangelicum concionatorem perficiunt, plures ac
maiores operas exhibuiſſe, quàm nonnullos magnos Theologos. Magna proprij paſtoris
cum mediocri uita, uox à populo lætitia ſuſcipitur, eſtque in prauos affectus, ſancta
quædam ſimplicitas cum uitæ & honoris auctoritate coniuncta, uiolentiſsima peſtis.
Habeant, qui huiuſmodi ſunt, ſecum uiros doctos, quorum ſegetem ampliſsimam no-
ſtrum ſæculum attuliſſe uidemus, ij altiora prædicent, & quaſi gregarij canes Euangeli-
cæ uocis latratu feras & lupos fallaces, à gregibus arceant, ipſi formandis moribus, fu-
gandis uitijs, promouendis uirtutibus, ſi non recondita eruditione, ſaltem ipſa uocis

auctoritate ac maieſtate præſideant. Legat Paſtor ſcripturas, euoluat Eccleſiaſticas hiſto. uertat ſanctorum patrum, qui Chriſtianas Eccleſias in Chriſto pauerunt infatigabili labore ſcripta, quoniam nunquam non Paſtoris & Epiſcopi miniſterio defungitur. Tractauit olim quo pacto lites eſſent uincendæ, tracter modò, quo pacto Chriſtiana charitas, cuius tutor inſtitutus eſt, promoueri poſsit. Neque uerò putes me eandem omnino noſtris, quam primorum illorum ſæculorum Paſtoribus Euangelici muneris frequentandi obligationem inducere: ſunt enim multi hodie, qui doctè ac prudenter Paſtoralem ſolicitudinem leuigent. nam in hoc opus religionis emerſerunt; uerum aduertant Epiſcopi hos non operatores, ſed cooperatores & Euangelici laboris comparticipes eſſe. Verùm de Euangelica prædicatione eiuſque miniſterio, hæc dixiſſe ſufficiat.

Libri tertii finis.

F. MICHAËLIS MEDINAE HISPANI,

ORDINIS MINORVM, REGVLARIS OBSERVANTIAE, CHRISTIANÆ PARÆNESIS,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER QVARTVS.

QVAECVNQVE pro inſtituti noſtri ratione de fidei cauſis dicenda uidebãtur, ſuperioribus libris, Chriſtiane lector, in medium attulimus: cauſas uerò, non quaſcunque, ſed effectrices uocamus, quarum in hac parte habenda eſt potiſsima ratio: nunc de fidei ſubiecto, cuius conſideratio ad genus quoque cauſarum refertur, quòd accidentia, non tantùm ab effectricibus cauſis, ſed à materialibus quoque, quæ ſubiecta uocantur, pendeant, non nihil dicamus. Quanquam eius rei exacta tractatio ſcholaſticos maneat. Dicemus deinde, quæ fides quantaque rerum diuinarum cognitio, in omni naturæ humanæ conditione, & ſtatu, quantaque modò poſt inuulgatam lucem Euangelicam, ad uitam æternam promerendam & aſſequendam ſufficiat.

Quòd natura intellectualis, non quæcunque ſed uiatrix, ſit fidei ſubiectum in genere, in ſpecie uerò homo nondum fœlix. Cap. I.

FIdei igitur Euangelicæ uirtutis, quæque ad hominis iuſtitiam pertinet, proprium ſubiectum, in genere quidem natura intellectualis eſt, quæ (inquam) intellectu & uoluntate conſiſtit: neque enim in rebus inſenſibilibus, aut tantummodò ſenſibilibus, quæ bruta uocamus, fides eſſe poteſt: in ſpecie uerò, homo, non quocunque ſtatu ſed dum uita præſenti mortali fruitur. nec enim poteſt eſſe hæc fidei ratio, quæ meritum habeat, in beatis. Quod utrunque uno & eodem argumento, ad Corinthios ſcribens, confirmat

 Apoſtolus,

1. Cor. 13. Apoſtolus, Cum uenerit, inquit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt:
Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruu-
lus: quando autē factus ſum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpecu-
lum in ænigmate; tūnc autem facie ad faciem, nunc cognoſco ex parte, tunc autem co-
gnoſcam ſicut & cognitus ſum. Vocat hîc Apoſtolus ænigmaticam cognitionem, aut co-
gnitionem ex parte, ſiue paruulorum ſapientiam, ſermonem, aut cogitationem, fidei
doctrinam, ſicut per uiri ſapientiam, cogitationes, ſermones, loquutiones &c. beatam
ac fœlicem illam, quæ fidei ſuccedit, uiſionem intelligit. ſed neque eadem fidei Euange-
licæ ſpecies, iuxta propriam rationem, in damnatis erunt, quòd ſcilicet rectè operandi
principio deſtituti, uoluntatem non habeant, quæ adeò immediatè mota, ad aſſentien-
dum intellectum inclinet, quamuis in his infirma quædam & à noſtra conſideratione
prorſus aliena, ſit fidei ratio, quæ à quorundam principiorum euidentia deſcendit.
quam etiam in dæmonibus ponimus, iuxta Apoſtoli dictum, Dæmones credunt & con-
Iacob. 5. tremiſcunt. An uerò angelus ante cōfirmationem, fidem habuerit, an clariorem cogni-
tionem, quamuis multi multa dicant, & uariis coniecturis in hac parte philoſophentur,
non eſt noſtrum decernere.

Quòd in homine non quæcunque pars, ſed ſolus intellectus, & uoluntas ſit fidei ſubiectum. Cap. II.

VErùm cùm homo duplici parte, corpore & anima, & rurſus anima, tri-
plici portione, rationali, bruta, & uegetatiua, ex communis philoſo-
phiæ traditione conſiſtat, quid horum ſit fidei ſubiectum, non immeritò
quæritur? Et primò quidem certum eſt, corpus non eſſe fidei ſubiectum,
ſed humanam animam, ſed neq; cuiuis animæ parti, quaſi proprio ſubie-
cto fides tribuitur. Vegetatiuæ ſcilicet, quæ nobis cum plantis commu-
nis eſt, aut brutæ, quam etiam animalia ratione deſtituta ſortiuntur, ſed ſoli rationali
portioni, quam mentem uocarunt. Quorum omnium ratio eſt, quòd ſit habitus cogni-
tiuus ab ullo corporali organo nullo pacto dependens. quà eſt enim cognitiuus habitus,
cum uegetatrice animæ portione commercium non habet; quà uerò à nullo ſenſorio
aut ab inſtrumento pendet, ab oculo ſcilicet, & à reliquis animæ organis, niſi quatenus
mentis cognitio ſenſuum cognitionem ſupponit, quod cunctis mentis operationibus eſt
commune, à brutæ partis natura diſtinguitur, cuius uniuerſæ operationes, certa quæ-
dam ſenſoria quaſi inſtrumenta requirunt. Nec enim hos habitus, qui ad auditum perti-
nent, per oculum aut guſtum, quiſquam acquiret &c. cum tamen nullum ſenſum ſibi fi-
des uſurpet, niſi quòd inter uniuerſos ſenſus auditus, qui minus eſt euidens, magis fi-
Roma. 10. dei generandæ ſit idoneus; qua ratione docet Apoſtolus, fidem ex auditu progigni. Eſto
itaque fidem in mente ſiue intellectu (ſic enim eandem quandoq; Peripatetici uocant)
quaſi in ſubiecto conſiſtere, eſt tamen ulterior indagatio, qua parte mentis collocetur,
imperatiua'ne parte ſcilicet, quam uoluntatem dixerunt, aut ea mentis portione, quæ in
cognoſcendo uerſatur, quam uſurpato nomine totius, intellectum dixerunt? eſt autem
ambiguitatis non parua ratio, quòd fides, non tantùm cognitione conſtet ſed, ut antea
docuimus, uoluntatis imperio. rei enim propoſitæ cognitio cum uoluntatis conſenſu,
2. Cor. 10. fidem conſtituit. Nec ſola cognitio, fides, ſed cum conſenſu uocatur, præſertim Chri-
Scot. 3. ſent. ſtiana fides, quæ uoluntatis quoque denotat obedientiam, qua in fidei obſequium intel-
diſtinc. 25. lectum captiuamus. Et ſunt inter auctores ſcholaſt. quidam, qui totam fidei eſſentiam in
quæſt. 1. intellectu conſtituant, quòd ea ſit habitus cognitiuus, ac proinde ad potentiam cogno-
ſcendi rationalem ſpectās: uoluntatem uerò, quaſi quoddam extrinſecum mouens eidē
adiungunt. Sed horum ſententia in hac parte mihi profectò probari non poteſt, cum ui-
deam in fidei generatione non minores, immo potiores partes uoluntatem ſortiri. con-
ſtituimus enim non ſola cognitione, ſed uoluntatis imperio, immo & obedientia fidem
conſtare, quæ nulla ratione poſſunt ab intellectu proficiſci. Sed & cur, quemadmodum
ex actione cognoſcendi fidei articulum, habitus cognitiuus progignitur, ex actione illa
frequenti imperandi conſenſum, habitus quoque non profluet? porrò habitum illum
conſtituere

conſtituere in intellectu à ratione eſt (ut mihi uidetur) prorſus alienum. Sunt alij, qui, cum fidem in uoluntate conſtituant, harum forſan rationum uigore compulſi, in uoluntate alium habitum collocent, quò uoluntas ad credendum moueatur: atque hoc quidem, tum, quòd in fidei generatione, credibile (ſic enim uocant fidei obiectum) non ſit tantæ uirtutis, ut poſsit ſeipſo ab intellectu fidem extorquere, ſed requiritur ultrà in fidei productione uoluntas, tum deinde quòd intellectus in fidei generatione instrumenti, uoluntas uerò, principalis agentis rationem ſubeat: unde ſi in inſtrumento, intellectu ſcilicet, habitum collocamus, cur in agente principali, ideſt in uoluntate non collocabimus? ſed ij hunc habitum, non alium à charitate conſtituunt, in quo huic ſententiæ ſuffragari non poſſum. Primò, quòd quemadmodum intellectus operationes, uoluntatis actus; ita quoque intellectus habitus, uoluntatis habitum in fidei generatione neceſſariò ſupponit, non è conuersò, ergo ut intellectus ſuum actum producat, nulla ratio cogit ut uoluntas habitu informetur, & præſertim hoc uerum eſſe deprehenditur in fidei generatione, quæ ſuapte natura charitatem præcedit; charitas enim ex fidei notitia progignitur. Deinde habitus ille, qui ad credendum uoluntatem coadiuuat, magis habet obedientiæ quàm charitatis rationem: nec enim ſub boni, ſed ſub ratione ueri uoluntatem mouet, nec aliàs uoluntas conſenſum imperaret, niſi quia intellectus practicus concluſit, Deo aut primæ ueritati credendum eſſe. Exiſtimo ego, fidem, præſertim Chriſtianam, quæ præter intellectus aſſenſum, hanc uoluntatis obedientiam importat, non unicum eſſe habitum, atque adeò nec in unica animæ potentia conſtitui. nam quòd fides non ſit unicus habitus, hoc mihi ſatis apertè probare uidetur, quòd ad eius generationem non unica animi potentia ſufficiat, intellectus ſcilicet aut uoluntas, ſed ambæ ſimul neceſſariò concurrant: ſi enim Socrati proponatur Deum hominem factum, etiam cum omnibus congruentiis, quæ huic articulo poſſunt applicari, nequaquam fidei actum præſtabit, niſi uoluntatis ad eliciendum conſenſum, imperium acceſſerit. Eſt igitur fidei tam intrinſecum uoluntatis imperium, quàm intellectus conſenſus. Ergo cum neque imperium ab intellectu, neque intellectus aſſenſus à uoluntate, poſsit ulla ratione deriuari, à duplici potentia, intellectu nimirum, & uoluntate quaſi à duobus principiis hoc totum, quod fidem uocamus, oriatur oportet. Non igitur eſt unius habitus fides, ſed duo, quorum alter in intellectu, alter in uoluntate reponitur. neque ulla ratione fieri poteſt, ut à duobus diuerſi ordinis potentiis, & ſub diuerſa prorſus ratione motis, unicus & idem habitus generetur. potentiæ enim diſtinguuntur per actus, ut rectè docet Ariſtoteles; & actus per obiecta formalia. Impoſsibile igitur eſt, ut actus diſtincti, & diuerſæ rationis, uoluntatis ſcilicet imperium, & intellectus aſſenſus, ab eadem potentia deriuentur. Erunt igitur duo actus, & rurſus, ergo eorum frequentia duos habitus generabit diſtinctos, quorum uterque in ea potentia collocetur, à qua ſua cauſa, actus nimirum, ex cuius frequentatione fuit genitus, antea profluxit. Deinde uniuerſi docent, & fidei generationem, præter intellectus conſenſum, uoluntatem requiri, non utique nudam potentiam, ſed ſub actu, quem uocamus imperium. quemadmodum igitur ex aſſenſus intellectus frequentia gignitur habitus, qui poſtea eundem intellectum ad aſſentiendum inclinet, ita ex imperij quoque uoluntatis frequentia gignetur habitus, qui rurſus eandem uoluntatem, ad imperandum propenſam faciat. hic autem habitus, cum longè à ſpe, & charitate diuerſam naturam habeat, non erit charitas, aut ſpes: aut igitur erit ipſa fides, aut fidei portio, quæ cum altero habitu intellectus, hoc totum, quod fidem uocamus perficiat. Atque hoc quidem potiſsimè uerum eſt, ut diximus, de fide chriſtiana, ideſt qua credimus his, quæ religio docet. nam humanam fidem, nihil habere cum uoluntate commune, crediderim. cum enim dicitur mihi, Romam eſſe, non ideò aſſenſum præbeo, quia uolo, ſed quia intellectus prius apud ipſum practico ſyllogiſmo conuincit, grauibus, & ueracibus hominibus, in his, quæ non uidimus, adhibendum eſſe conſenſum, quemadmodum huic benefaciendum eſſe decernitur, quòd prius ille benefecerit: ſic enim ſine alterius ullius potentiæ adminiculo, apud ſeipſum colligit, benefactori benefaciendum eſt; hic eſt benefactor, huic ergo benefaciendum eſt. ſimilique forma, in his, quæ non uidimus, grauibus hominibus aut hiſtoriis credendum eſt, alioqui totius uitæ humanæ conuictus periret. huic igitur hiſtoriæ aut uiro graui, dicenti Romam

S.Tho. 2.p. q.23.art.

eſſe, quem ego non uidi, credendum eſt, præſertim, cum non appareat contrarium, quo ſtatim ſyllogiſmo compulſus, ſine uoluntatis imperio producit aſſenſum. In altera uerò fidei ſpecie, qua religioni credimus, præter intellectus, practici collectionem, uoluntatis quoque imperium eſt neceſſarium, quò fides formetur, quamuis diuinæ auctoritati fidem eſſe adhibendam practicus intellectus conuincat, non tamen an illa, quæ aſſerit, auctoritas diuina ſit, euidenter cognoſcit, ſed ut accipiatur neceſſarium uoluntatis imperium, & animi pietas, qua non omnia ad rationis naturalis libram reuocemus. Eſt igitur fides, qua religioni credimus, non una, ſed duplex uirtus, altera, quæ à frequenti actione intellectus originem ducens, ipſum rurſus intellectum ad facilem religionis aſſenſum coadiuuat, altera, quæ ex frequenti uoluntatis imperio, ad promptè rurſus exhibendum imperium, quo producatur intellectus aſſenſus, in eandem uo-
Lib.6.Ethi. luntatem fouet. Vnde Ariſt. cùm uniuerſos, tum practici, tum theorici intellectus habitus enumeraret, nullam de fide mentionem facit, nimirum quòd non ſit unica ſimplex uirtus, quales ibi deſcribit, ſed prorſus compoſita, & ex uoluntatis & intellectus
S. Tho. 12. q.4.a.6. actionibus conſtans. Neque huic ſententiæ, illorum auctorum aduerſatur opinio, quæ unam uirtutem fidem conſtituit. illi enim non de quauis unitate, ſed de obiectiua loquuntur, de fidei (inquam) ratione formali non unitate ſubiectiua aut integrali, de qua nos in præſentia ſermonem facimus. quamuis enim fides non ſit unica uirtus, ſed duplex ſubiecto diſtincta, nihil tamen minus erit una unitate creditorum, quòd eadem credantur à cunctis fidelibus & unitate obiectiua, quòd nimirum in ea pars illa, quæ ad intellectum pertinet, ſub eadem ratione feratur in omnia credibilia, & ea, quæ ad uoluntatem ſpectat ſub eadem ratione in omnibus credibilibus ad producendum conſenſum, uoluntatem inducat. Neque uerò ſequitur, ſi fides ſit in duabus potentiis, quaſi in ſubiectis, eredere perinde utriuſque potentiæ intellectus (inquam) & uoluntatis actionem eſſe, ſed eſt elicitiuè ab intellectu, imperatiuè uerò à uoluntate, quaſi à remoto principio. Eſt enim fides, id, quod ad credendum religioni requiritur, id eſt uoluntatis imperium, aut habitus imperatiuus, & inſuper intellectus aſſenſus, aut ad aſſentiendum ex frequenti actione collecta promptitudo; credere uerò non integer fidei effectus, ſed is tantùm, qui ab intellectus habitu proficiſcitur. nam qui à uoluntate deriuatur, obedientia aut obſeruantia uocabitur, obedientia (inquam) non eorum operum, quæ fides præcipit præſtari (alioqui nulla fides deſtitueretur operibus) ſed qua aſſenſum diuinæ auctoritati exibere præcipimur. Quando igitur credere, eſſe fidei actum, auctores aiunt, aut communi nec omnino exacta ratione, aut de principali effectu loquuntur. Fides enim religioſa eſſentialiori ratione aſſenſum intellectus inſinuat quàm uoluntatis imperium, immo actionem uoluntatis non diceret, niſi quia, quòd credibili appoſito intellectus ad producendum aſſenſum neceſſariò non cogitur, ſit neceſſarium. In cæteris enim habitibus, qui ad intellectum pertinent, nullo pacto ad producendum aſſenſum, uoluntas requiritur, quòd ſcilicet ipſemet aſſenſus uirtute præmiſſarum neceſſariò reſultet, ut in ſcientia prudentia, aut arte, aut (quòd ſtatim dicebamus) in humana fide uidemus contingere: in quibus ſolo ſyllogiſmi uigore conſenſus exprimitur, in fide uerò quòd uel rei excellentia, uel ineuidentia, concluſio ex præmiſsis neceſſariò non fluat. Vt conſenſus habeatur, uoluntas requiritur, ergo principaliori ratione, fides aſſenſum intellectus, ideſt credere, dicit, quam uoluntatis actionem atque adeò fidei effectus credere dicimus, quod eius tantùm quaſi principalioris rationem habeamus.

Quæ neceſſarium ſit homini credere. *Cap. III.*

AGe uerò, quæ fidei ſubiecto, homini ſcilicet, fuerit neceſſarium credere, paucis dicamus, de qua re tamen non eſt abſolutè loquendum, ſed ſingulos ſtatus hominis conditi, diſcutere oportet, quoniam non ad eadem omni tempore credenda fuit obligatus, ſed pro ampliori luminis, quod diuinitus indulgebatur, illuſtratione, pluribus fidem præſtare, illi fuit neceſſarium. Fuit ſemper Eccleſia à mundi naſcentis initio, quaſi aurora conſurgens, atque adeò, quantò minus ab Euangelico ſole homines diſtarunt,

tanto

tanto maiore lumine fuerunt perfuſi, tantoque plura cognoſcendi obligatio increſce-
bat. Ergo præter id, quod omni ſæculo, homini accedenti ad Deum, neceſſarium do-
cet Apoſt. Paulus, credere nimirum quòd ſit Deus, & quòd inquirentibus ſe remune- Heb. 11.
rator ſit (alioqui, nec iuſtitiæ, nec religionis ullam poſſet habere rationem, ſi hac du-
plici notitia deſtitueretur) in quouis poſt conditam naturam ſtatu, quædam peculiaria
credere tenebatur, ita ut hæc duplex generalis notitia nequaquam ſufficeret. In ſtatu *Ad quæ cre-*
igitur innocentiæ non tantùm Deum eſſe, & eſſe remuneratorem, neceſſarium illi fuit *denda tene-*
credere, ſed etiam Deum eſſe conditorem omnium uiſibilium & inuiſibilium, eſſe de- *retur homo*
inde ſupremum quoddam genus fœlicitatis, quod eum aliquando cum corpore, tum *in ſtatu na-*
anima in cœlum aſſumptis maneret, quorum omnium, an eſſent aliqua ſacramenta, *turæ inte-*
quæ uiſibilibus ſignis de his rebus eundem inſtruerent, in quarto libro ſententiarum tra- *gra.*
ctamus. In uero itaque ſtatu, quem naturæ uocamus (is eſt, qui à peccato primorum *Naturæ ſta-*
parentum, ad Moſaicam uſque legislationem cucurrit) & ſub ipſa Moſaica legislatio- *tus.*
ne, uſque ad Chriſti aduentum, iam graſſante peccato, unanimi conſenſu ſanxerunt
Theologi teneri uniuerſos mortales, ſi modò uellent eſſe ſalutis participes, Chriſti Sal-
uatoris fidem habere, ita ut qui ea prorſus deſtitueretur, etiam ſi alioqui bonis ope-
ribus abundaret, nequaquam ſalutẽ conſequeretur. Patres noſtri, inquit Paulus Apoſt. 1. Cor. 10.
de utriuſque ſtatu naturæ, ſcilicet & legis cultoribus loquens, omnes ſub nube fuerunt,
& omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari, & om-
nes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum biberunt.
Bibebant autem de ſpiritali conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus. His
uerbis myſtica ratione deſignat Apoſtolus ueteris teſtamenti cultores, Chriſtum & eo-
rum ſacramentorum, quibus continetur Euangelica gratia, participaſſe uirtutem, quòd
cùm re ipſa non potuerit illis contingere, reſtat ut id factum per fidem intelligat. Hoc
ipſum idem Apoſt. ad Romanos ſcribit, dum inquit, Omnes peccauerunt, & egent glo- Rom. 3.
ria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV,
quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter
remiſſionem præcedentium delictorum, ut ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui ex fide
IESV Chriſti. Vnus eſt enim Deus, qui iuſtificat circuncisionem ex fide, & præputium
per fidem. Vides Chriſtum non alia ratione à Deo propitiatorem propoſitum, quàm
per fidem: uides non quemcunque, Deum iuſtificare, ſed eum, qui fuerit ex fide: ui-
des demum, tam circuncisionem quàm præputium, ideſt tam Iſraelitici populi homi-
nes, quàm gentes, quæ diuina illa legislatione deſtituebantur, non niſi ex fide aut per
fidem in Chriſtum, accepiſſe iuſtitiam. Hoc etiam ſingillatim probat idem Apoſtolus,
tum de his, qui ſub naturæ ſtatu uixerunt, tum de illis, qui legem à Moſe latam co-
luerunt. Ad Hebr. ſcribens, inquit, In hac (loquitur autem de fide) teſtimonium con- ad Heb. 11
ſequuti ſunt ſenes: & ſubinde, Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo,
per quam teſtimonium conſequutus eſt, eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente operibus
eius Deo, & per illum defunctus adhuc loquitur, fide Enoch translatus eſt ne uideret
mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Dominus: ante translationem enim
teſtimonium habuit, placuiſſe Deo, ſine fide autem impoſsibile eſt placere Deo: fide
Noe reſponſo accepto de his, quæ adhuc non uidebantur, metuens aptauit arcam in ſa-
lutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum, & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt hæres, eſt
inſtitutus: fide qui uocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat
in hæreditatem, & exiit neſciens quò iret: fide demoratus eſt in terra promiſsionis,
tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob cohæredibus promiſsionis
eiuſdem: expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor
eſt Deus: & fide & ipſa Sarra ſterilis, uirtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam
præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſit: iuxta fidem
defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſsionibus, ſed à longè ea aſpicientes, &
ſalutantes & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui hæc enim
dicunt, ſignificant, ſe patriam inquirere: fide obtulit Abraham, Iſaac, cum tentare-
tur & unigenitum offerebat, in quo ſuſceperat repromiſsiones: fide de futuris benedixit
Iſaac, Iacob, & Eſau: fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & ado-
rauit faſtigium uirgæ eius; fide Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſraël memora-

tus

tus eſt, de oſsibus ſuis mandauit: fide Moſes natus, occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quòd uidiſſent elegantem infantem & non timuerunt regis edictum. Hactenus Paulus. Et ne de quacunque fide eundem loqui tibi ſuadeas, de fide in Chriſtum mediatorem hæc omnia fore intelligenda, protinus ſubdit, Fide Moſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti. Atque hac ratione profectò in ſancta ſcriptura Chriſtus
Apoc. 13. agnus ab origine mundi occiſus, ideſt oblatus & Deo pro peccatis hominum mactatus uocatur, quòd uimirum nemo mortalium Deo ſine huius ſancti agni per fidem oblati ſacrificio placuerit, & hanc eandem Chriſti mediatoris fidem, idem Paulus fundamentum non tantùm Apoſtolorum, ſed & prophetarum, cui noui teſtamenti cultores ſuperædificamur, appellat. Iam (inquit) non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues
Ephe. 2. ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit, in templum ſanctum in domino. Tota igitur Eccleſiaſtica fabrica, ſiue quæ Chriſti aduentum in carnem ſequuta eſt, ſiue quæ eundem uel naturæ ſtatum, uel Moſaico præceſsit, eidem Chriſto quaſi fundamento, & quaſi lapidi angulari connititur, Chriſto, inquam, non quacunq; ratione ſed fide concepto. Fundamentum aliud, dicebat
1. Corin. 3. idem Apoſt. nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS, quòd ſcilicet totius Eccleſiæ à mundi initio Chriſtus per fidem fundamentum exiſtat. Et demum, in hanc ſententiam celebres illæ tres epiſtolæ, Ad Romanos, Galatas & Hebræos, à Paulo diriguntur, quòd ſcilicet uelit, nec legis naturalis, Moſaicæ, circũciſionis, aut aliorum rituum obſeruantiis potuiſſe homines à peccato mundari, ſed fide, quæ erat in IESVM Chriſtum. Fuit hæc ſententia apud priores Theologos ſemper
Auguſt. in epiſtola ad Optatum. firmiſsima, eandemque omnes, uariis ex Apoſtolicis, & Euangelicis locis ſemper comprobarunt, Illa, inquit Auguſt. ſit fides ſalua, qua credimus nullum hominem, ſiue maioris, ſiue paruulæ quamlibet recentis ætatis, liberari à contagione mortis antiquæ & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, niſi per unum mediatorem Dei & hominum Chriſtum IESVM, cuius hominis eiuſdemque Dei ſaluberrima fide, etiam illi iuſti ſalui facti ſunt, qui priuſquam ueniret in carnem, in carne crediderunt eſſe uenturum: eadem nanque fides eſt noſtra & illorum, quoniam hoc crediderunt illi futurum, quod nos credimus factum. Et ſacramenta quidem potuerunt eſſe pro temporum diuerſitate diuerſa, ſed ad unitatem eiuſdem fidei concordiſsimè recurrentia. Proinde, cùm omnes iuſti ſiue ante incarnationem ſiue poſt, nec uixerunt, nec uiuât, niſi ex fide incarnationis Chriſti, profectò quod ſcriptum eſt, non eſſe aliud nomen ſub cœlo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, ex illo tempore, ualet ad ſaluandum genus humanum, ex quo in Adam uitiatum eſt. Hactenus Auguſtinus. Repetit & eandem ſententiam in epiſtola ad Dardanum, Sacramentum, inquit, regenerationis noſtræ, manifeſtum eſſe uoluit, manifeſtatus mediator. erat autem antiquis iuſtis aliquid occultum, cum tamen illi eadem fide ſalui fuerint, quæ fuerat ſuo tempore reuelanda. non enim audemus fideles noſtri temporis præferre amicis Dei, per quos nobis iſta prophetata ſunt, cùm Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob, ita ſedens commendet, ut hoc dicat ſuum nomen æternum. quòd ſi circumciſio antiquis ſanctis pro baptiſmo fuiſſe creditur, quid reſpondebitur de his, qui antequàm hoc præceptum eſſet, Deo placuerunt, non tamen ſine fide, quia ſine fide, ut ſcriptum eſt ad Hebræos, impoſsibile eſt placere Deo. Habêtes, inquit Apoſtolus, eundem ſpiritum fidei, propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod loquimur, non diceret eundem, niſi & illorum idem eſſet ſpiritus fidei. Sicut autem illi, quando idem ſacramentum occultum erat, credebant Chriſti incarnationem futuram, ſic & nos credimus factam. Et à nobis autem & ab aliis futurus expectatur ad iudicium, eius aduentus. Hæc Auguſtinus illo loco, & in epiſtola ad Innocentium Romanum Pontificem, ſimul cum Alipio, Aurelio, Euodio, & Poſsidio contra Pelagium ita inquit, Ex quo per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, proculdubio à corpore mortis huius, ubi alia lex repugnat legi mentis, neminem liberauit aut liberat ſua poſsibilitas, quæ perdita, indiget redemptore,

demptore, ſaucia Saluatore, ſed gratia Dei per fidem unius mediatoris Dei & homi-
num hominis Chriſti Iesv, qui Deus cum eſſet, hominem fecit, & manens Deus, homo
factus, refecit ipſe quod fecit. puto autem quòd eum lateat (loquitur auté de Pelagio)
fidem Chriſti, quæ poſtea in reuelationem uenit, in occulto fuiſſe temporibus patrum,
per quam tamen ipſi etiam Dei gratia liberati ſunt, quicunque omnibus temporibus li-
berari potuerunt. Hactenus illic, adducitque eundem locum ex Epiſtola ad Corinthios,
Habentes eundem ſpiritum fidei &c. adducit & Chriſti ad Hebræos dictum, Abraham 2.Corin.4.
pater ueſter exultauit ut uideret diem meum &c. adducit & factum Melchiſedech, qui Ioan.3.
prolato ſacramento menſæ dominicæ, nouit æternum eius ſacerdotium figurare. pro-
ducit ex Apoſtolo in epiſtola ad Romanos multa alia, quæ cauſa breuitatis omittimus.
ad Hilarium etiam ſcribens in ea Pauli uerba, Sicut per inobedientiam unius &c. ita in
eandem ſententiam, Vide (inquit) quemadmodum cõmendat unum & unum, ideſt
Adam & Chriſtum, illum ad condemnationem, hunc ad iuſtificationem, cum tamen
poſt Adam uenerit Chriſtus in carne, ut ſciamus etiam antiquos iuſtos, quicunque eſſe
potuerunt, non niſi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem ſcili-
cet incarnationis Chriſti, quæ illis prænuntiabatur, ſicut à nobis facta annunciatur.
Ideo Paulus Chriſtum hominem uocat, cum ſit & Deus, ne quis exiſtimet antiquos iu-
ſtos per Deum tantummodò Chriſtum, ideſt per uerbum, quod erat in principio, non
etiam per fidem incarnationis eius, qua & homo Chriſtus dicitur, potuiſſe liberari.
Sententia enim iſta deſtrui non poteſt, de qua & alibi dicit, Per unum hominem mors,
& per unum hominem reſurrectio mortuorum. ſicut enim in Adam omnes moriuntur,
ita & in Chriſto omnes uiuificabuntur. Et paucis interpoſitis, Hinc & in ueteribus ſa-
cramentis circuncisio paruulorum, octaua die fieri præcepta eſt, quoniam Chriſtus, in
quo fit delicti carnalis expoliatio, quam ſignificat circuncisio, die dominico reſurre-
xit, qui poſt ſeptimum ſabbati octauus eſt. Hæc ergo fides antiquorum etiam iuſtorum,
unde & Apoſtolus dicit, Habuiſtis eundem ſpiritum fidei &c. Et ſtatim. Non diceret
(ait) habentes eundem ſpiritum fidei, niſi admonens, antiquos iuſtos habuiſſe etiam
eundem ſpiritum fidei incarnationis Chriſti, ſed quia illis futura pronunciabantur, quæ
iam facta nobis annũciantur, & tempore ueteris teſtamenti uelabantur, quæ tempore
noui teſtamenti reuelantur, ideo eius ſacramenta uaria fuerunt, ut alia eſſent in ueteri
teſtamento, alia in nouo, cùm fides uaria non ſit, ſed una ſit. Libro præterea de pecca-
to originali contra Pelagium, Erat (inquit) illo tempore qui diceret, credidi propter Cap.25.
quod locutus ſum, eadem quippe & ipſi mundabantur fide, qua & nos. Vnde & Apo-
ſtolus dicit, Habentes eundem ſpiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt, & nos cre-
dimus, propter quod loquimur. Ex ipſa fide dicebatur, Ecce uirgo concipiet & pariet
filium &c. ex ipſa fide dicebatur, Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo &c.
ex ipſa fide dicebatur, Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi &c. Eodem ſpiritu fidei ab
illis hæc futura uidebantur, quo facta ab illis creduntur. In pſalmi etiam ſeptuageſimi ſe-
ptimi expoſitione, Quid eſt, inquit, quòd Iſraeliticum populum per prophetam incre-
pat, dicens, Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit? Sed profe- Iſai.1.
ctò erant etiam in illo populo, qui intelligerent habentes fidem, quæ poſtea reuelata eſt,
non ad legis literam, ſed ad gratiam ſpiritus pertinentem. Non enim ſine fide fuerunt
qui eius in Chriſto futuram reuelationem præuidere & prænuntiare potuerunt: cum &
illa uera ſacramenta ſignificatiua fuerint futurorum, an ſoli prophetæ habebant hanc fi-
dem, an & populus? immo etiam qui prophetas fideliter audiebant: ſed utique ſacra-
mentum regni cœlorum uelabatur in ueteri teſtamento, quod plenitudine temporis re-
uelatur in nouo. Hactenus Auguſt. inducitque ſubinde Apoſt. Pauli ad Corin. locum,
Nolo uos ignorare fratres, quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt &c. Quibus
omnibus locis, uides quàm certum habeat, neminem abſque Chriſti fide poſt primum
illum caſum potuiſſe ſaluari. Cyrillus etiam Alexandrinus patriarcha libro priori con-
tra Iulianum Apoſtatam, eandem patrum noui, & ueteris teſtamenti fidem fuiſſe docet,
quòd ab uno eodemque ſpiritu, ſiue hi, ſiue illi fuerint edocti: quamobrem, nos filios
Abrahæ per fidem, à Paulo Apoſtolo in epiſtola ad Galathas uocari ſuadet. Hieronymus Galat.2.
in commentario epiſtolæ ad Galathas in ea uerba, Scientes quòd non iuſtificatur homo
ex operibus legis niſi per fidem Chriſti Iesv, Admonere (inquit) debemus ſanctos, qui

antiquitus fuerunt, ex Chriſti fide iuſtificatos, ſiquidem Abraham uidit diem Chriſti & lætatus eſt, & Moſes maiores diuitias exiſtimauit theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem: & Iſaias uidit gloriam Chriſti, ut Ioannes Euangeliſta cōmemorat, & Iudas de omnibus generaliter. Hactenus Hieron. Quam ſententiam & in expoſitione illius loci eiuſdem epiſtolæ, Quandiu hæres paruulus eſt, &c. in hæc uerba confirmat, Hæres iſte paruulus, qui nihil differt à ſeruo, ſed ſub tutoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à patre, totum humanum genus uſque ad aduentum Chriſti ſignificat. quomodo enim omnes in prothoplaſto nedum nati moriuntur, ita & omnes & hi, qui in aduentu Chriſti nati ſunt, in ſecundo Adam uiuificantur. iſte intellectus, Eccleſiæ catholicæ conuenit, quæ & ueteris & noui teſtamenti unam aſſerit prouidentiam, nec diſtinguit in tempore, quos conditione ſociauit. omnes ædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, continente nos angulari lapide Chriſto IESV: omnes unus panis ſumus, & unus conſenſimus ſuper terram, & quomodo nos ſuper Prophetas fundati ſumus, ita & Patriarchæ in Apoſtolorum fundamento conſtiterunt. Hæc Hieronymus. Gregorius etiam Romanus Pontifex homil. 16. in Ezechiel. In huius rei figuram docet, turbas in publica illa lætitia, qua fuit, Hieroſolymas ingrediens, exceptus, tam quæ præibant, quàm quæ ſequebantur, Chriſto acclamaſſe, Oſanna filio Dauid, benedictus, qui uenit in nomine domini &c. quod nimirum tam illi, qui ueteri teſtamento, Chriſti incarnationem præceſſerunt, quàm qui poſtea Euangelico ſtatu ſequuti ſunt, omnes Chriſto, per fidem, acceptam ſalutem referant: atque in hoc, nullum fuit aliquando in Eccleſia diſsidium, ſed tam uetus quàm noua Theologia, nulli abſque Chriſti fide, poſt primi hominis caſum, docet potuiſſe ſalutem contingere.

Quòd ſub lege naturali & Moſaica, fides tantùm implicita ſufficeret ad ſalutem. Cap. IIII.

VErùm, cùm duplex à ſacræ diſciplinæ profeſſoribus fides conſtituatur, implicita una, & explicita altera, hæc, quæ in ſingulari omnia conſiderat, illa, quæ generali cuidam principio, in quo cæteri particulares articuli concludantur, aſſentiat; uidendum nunc eſt utrius horum generum illa Patriarcharum, & eorum, qui carnis aſſumptionem præceſſerunt, fides extiterit. Quemadmodum autem omnes ſacri auctores, ab illis, Chriſti mediatoris neceſſariò fidem exigunt, ita uniuerſi, non explicitam ſed implicitam, ſatis eo ſæculo fuiſſe ad ſalutem, ſtatuunt. Concluſit, inquit Paul. ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſsio ex fide IESV Chriſti daretur credentibus. Prius autem quàm ueniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Quibus uerbis planè docet Apoſtolus, antequam Euangelium ueniret, eorum ſæculorum mortales nondum Euangelicæ diſpenſationis exactam habuiſſe notitiam, ſed confuſam tantùm & prorſus implicitam. Vnde Auguſtinus, Tunc, inquit, occulta erat fides; nam eadem credebant, eadem ſperabant, omnes iuſti, & ſancti, etiam illorum temporum, & promiſsiua erant omnia ſacramenta, omniſque ritus illorum ſacramentorum. Nunc autem reuelata eſt fides, in quam concluſus erat populus, quando ſub lege cuſtodiebatur, & quod fidelibus promittitur, in iudicio, iam completum eſt in exemplo, per eum, qui legem & prophetas non uenit ſoluere, ſed adimplere. Credebant itaque generali quadam & implicita fide eius ſæculi homines, Deum aliquando miſſurum, qui generis humani delicta, in ſeipſo pœnam ſumendo, perſolueret.

Scotus. 3. ſen.d.25.

Mag. ſententiarum diſtin. 25 3. & ibi ſcholaſtici.

Galat. 3.

Lib. 19. contra Fauſtum c. 14.

HAEC uerò fides cùm Euangelicæ fidei reſpectu, in uniuerſis ante incarnationem mortalibus fuerit implicita, fuit tamen tempore legis naturæ implicatior & magis obſcura quàm ſtatu Moſaico, quo multiplici typorum & figurarum inuolucro ſinguli articuli, quos in ſingulari nunc credimus, fuerunt propoſiti: nihil enim aliud erant illa ſacramenta, & ueteris religionis ceremoniæ, quàm Euangelicæ diſpenſationis figuræ, quibus, pro ſtatus illius imperfecta ratione, quæ re ipſa Euangelico tempore præſtanda erant, obſcurè adumbrarentur. ſed & inter eorum ſæculorum iuſtos magnum erat diſcrimen. neque enim omnes uno eodemque fidei genere pollebant, ſed pro Spiritus ſancti pleniori

niori illuſtratione, magis aut minus implicitè futuræ diſpenſationis myſterium credebãt. alio enim pacto prophetæ, alio plebs credebat. Prophetarum eniniuerò fides, popularis fidei reſpectu, explicita erat, quia clarior & diſtinctior: plebis uerò, prorſus implicita, quia uel fidem ſuam de Euangelico myſterio in maiorum fidem refundebant, aut Chriſti uenturi tantùm fideli confeſsione contenti, cæterorum myſteriorũ, quæ ad Euangelicæ fidei integritatẽ ſpectabant notitiã, in eius temporis Eccleſiam renuntiabant: neque multum aberat prophetarum & ſanctorum patriarcharum fidei explicatio, á fidei, quæ uiget Euangelico tẽpore, explicatione, cum, ut rectè contra Montanũ docet Hieronymus, quæcunq; prophetica uiſione denuntiabant, perfectè intelligerent. Neq; uerò, inquit, ut Montanus cum inſanis fœminis ſomniat, prophetæ in ecſtaſi ſunt locuti, ut neſcirent quid loquerentur, & cum alios erudirent, ipſi ignorarent, quid dicerent: de quibus Apoſt. ait, Neſcientes, quæ loquantur, neq; de quibus affirmant: ſed iuxta Salomonem, Qui loquitur in prouerbiis ſapiens, intelligit quæ profert, de ore ſuo, & labiis ſuis portabit ſcientiam, etiam ipſi ſciebant quid dicerent. Hactenus Hieronymus. Intelligebat igitur Iſaias, ſanctum incarnationis myſterium, non tantùm implicitè, ſed explicitè, cùm prophetico uaticinio prædiceret, Ecce uirgo cõcipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Videbat ſanctam natiuitatem cum diceret, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius &c. Intelligebat dominicæ paſsionis ſacramentum, & fructum, cum diceret, Et aſcendit ſicut uirgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, non eſt ſpecies ei, neque decor, & uidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. deſpectum, & nouiſsimum uirorum &c. Idemque iudicium eſto de reliquis Chriſtianæ religionis myſteriis, cæteriſque prophetis. Erat nihilominus prophetica cognitio, quàm Euangelica, qua nunc pollemus, magis implicita, quòd eſſet rerum nõdum exhibitarum, ſed tempore plenitudinis futurarum præuiſio quædam. Atque hæc dæ duobus humani generis tẽporibus, quæ Euangelium præceſſerunt, ſint dicta.

Varii fidei gradus apud ueteres patres.

In prolog. Iſai.

Iſa. 7.

Iſai. 9.

Iſai. 53.

Quòd Euangelico ſtatu, non quæcunque fides, ſed explicita, ſit neceſſaria ad ſalutem. Cap. V.

De Euangelico uerò ſtatu, qui ab Euangelicæ legis prædicatione ſumpſit exordium, communis eſt Theologorum ſententia, regulariter, fidem explicitam ad ſalutem requiri, dico autem regulariter, quod non prorſus ſit extra controuerſiam apud quoſdam, an ſemper & in omni retũ locorum, & temporum conditione, ſit neceſſaria, ut poſtea dicemus. Tenentur igitur, qui Chriſtiana profeſsione cenſentur, non tantùm in generali aliquo & uniuerſali principio, Dominicæ incarnationis concluſa ſacramenta credere, ſed in particulari, eius quoſcunque præcipuos articulos explicita religione profiteri. Prius, inquit ad Galathas Paul. quàm ueniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eã fidem, quæ reuelãda erat, Fidem, Chriſtianæ religionis profeſsionem intelligit, quæ cum ſub Moſaico ſtatu latuiſſet occulta, tempore gratiæ reuelata, ſe prodidit. Atq; hoc eſt quòd alibi Euangelicos homines, docet idem Apoſtolus, reuelata facie, domini gloriam ſpeculari, cum tamen Moſis facies, ad filios Iſraël uerba facturi, tegeretur uelamine. Per uelamen profectò Moſis, ſanctorum & Eccleſiaſticorum uirorum ſententia, figuras & umbras illas, quibus in lege Moſaica Euangelica occulebantur myſteria, Paulus intelligit: per faciei domini reuelatæ contemplationem, apertam, explicitam, & claram Chriſti, & eorundem myſteriorum notitiam inſinuat. Hoc eſt enimuerò, utriuſque ſtatus, Moſaici & Euangelici certum diſcrimen, quòd illo, uelamen tantùm uidebatur, non ipſa ſub uelamine deliteſcens Moſis imago: hoc uerò ſublato uelamine, non tantùm uera Moſis facies, ideſt uera legis intelligentia, conſpicitur, ſed & domini, ideſt ipſius Chriſti, qui ea lege quaſi umbra uelabatur, facies, aperta cognitione uidetur. Huc etiam contendit, quòd Euangelicæ legis prædicationem, reuelationem appellat Apoſtolica phraſis, quaſi ea Chriſtus & Euangelica myſteria, quæ olim ſub ueteris legis umbra latuerant, lucem acceperint. Deus, inquit Apoſtolus Pau. Domini noſtri Iesv Chriſti, pater gloriæ, det uobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos

Galath. 3.

Eph. 1.

cordis neſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes uocationis eius, & quæ diuitiæ hæreditatis in ſan-
1.Cor. 14. ctis &c. Et alibi, Nunc autem fratres, ſi uenero ad uos linguis loquens, quid uobis prodero,
niſi uobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia &c. reuelationem; myſteriorum laten-
tium, expoſitionem intelligit, quæ apud alios quoq; ſanctos auctores frequentiſsima eſt
phraſis. Reuelatur itaq; fides, quæ antea ſub Moſe latuerat, Euangelico ſtatu, quòd ni-
mirũ fuerint Euangelicæ legis myſteria, eiuſdem cultoribus, iam tandem expoſita. Vnde
niſi uana ſit eorum explicatio futura; hi, quibus ſunt ex diuino præcepto annunciata, ea
quoque explicitè profiteri tenebuntur. ea enim ratione, qua nobis diuinitus exponuntur,
fidẽ illis præſtare tenemur, alioqui ocioſa eſſet explicita prædicationis ratio, quã nũc diui
na prouidentia præſcribit. Ergo quando fides implicitè & ſub tenebrarum inuolucro ho-
minibus proponebatur, implicitè quidem, cũ uerò ſub apertam lucem religio ſuggeritur,
explicito fidei aſſenſu conſentire tenentur. Eſt & illud optimum huius rei argumentum,
Matth.28. quòd Chriſtus docere omnes gentes, quæcunque mandauit, Apoſtolis præcepit, & ſic tan-
dem eaſdem baptiſmo coornare, ut à peccatis ſoluantur. requiritur ergo ante peccati pur-
gationem, eorum, quæ Chriſtus credere & operari præcipit, perfecta notitia: hæc autẽ
Mar. 16. eſt fides, quam ſcholaſtico uocabulo uocamus explicitam. Atque id apud Marcũ manife
ſtius innuitur, cum in cœlum abiturus, eis Euãgelici myſterij diſpenſationem iniungit.
Euntes, ait, in mundum uniuerſum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ: qui crediderit &
baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui uerò non crediderit, condemnabitur. Euangelium, &
totam Euangelicæ legis œconomiã, & Chriſtiani hominis catecheſim, in qua credenda &
operanda continentur, intelligit. ſic enim ſemper Chriſtus, & Apoſtolici uiri hoc nomine
utuntur. Ergo ſi ante traditionem baptiſmi eſt Euangelium prædicandum, & illi per fidẽ
præſtandus conſenſus, ita ut qui non crediderit, condẽnetur, oportet homines Euange-
lici ſtatus, eiuſdẽ ſtatus myſteria ſi ſuggerãtur explicitè credere. Varias in hanc partem
Theologi rationes proferunt, ſed quas pro rei claritate huc adducere non ſit neceſſarium.

Quòd non ſit omnino neceſſarium omnibus in uniuerſum Chriſtianis, eccleſiaſticam catecheſim, ſiue uniuerſos fidei articulos, ſacramenta, &c. ut quidam putarunt, memoria retinere. Cap. VI.

AN uerò cunctis hominibus, qui uiuunt Euangelico tempore, ex æquo ſit neceſſarium, integram hanc Chriſtianæ religionis catecheſim, ideſt uniuerſos, quos uocant, fidei articulos memoria continere, aut explicitè credere, meritò quæritur: quod noſtra memoria quidã Theologi, editis libellis, quos doctrinas Chriſtianas inſcribunt, docuerint, quemcunq; Chriſtianum, poſt diſcretionis (ut uocant) annos, peccare mortaliter, niſi eos omnes uiua memoria conſeruet; idemq; de Chriſtianæ religions ſacramẽtis, immo & decalogi mandatis perſuadere conantur. Quæ ſententia tum quòd ſit uniuerſis eccleſiaſticis auctoribus prorſus aduerſa, tum quòd grauiſsima ſcandala, poſtquam opera quorundã, bono fortaſſe zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, in populos Chriſtianos emerſit, pepererit, mihi non ſummè diſplicere non poteſt. Vidi ego non tantùm ex plebeiis & extremis, ſed ex mediocri, immo ex ſupremo ciuium ordine plures, in profundam deſperationem demerſos, quòd parũ memoria ualentes, Apoſtolicum ſymbolum, fidei articulos, decalogi præcepta, Eccleſiaſtica ſacramenta, &c. quæ iſti de neceſsitate ſalutis, memoriæ mandanda docebant, continere non poſſent. Vidi & quoſdam in immedicabiles phreneſes incidiſſe, ex eadẽ cauſa, quòd ſe, quos impotes prorſus ſatis ſciebant, ad hæc omnia memoriæ commendanda, prædeſtinatos non crederent. Eò autem quorundã ſacredotum in hac parte ſuperſtitio proceſſerat, ut nemini abſolutionis beneficiũ impenderent, qui non uniuerſum Chriſtianũ catechiſmum ſe coram, imperturbatè proferret. Sunt autem hi Theologi duplici nomine mihi arguendi; tum quòd cunctos Chriſtiani populi ordines ad fidem explicitam neceſſariò compellant, tum quòd memoria eandem tenere neceſſarium exiſtiment. quæ duo collidere atque comminuere ſuo ordine oportet.

In hac uerò parte, Theologorũ, qui de hac re ſcholaſticè egerunt, recitatæ ſententiæ, quàm excogitatæ rationes, quæ ex Eccleſiæ hierarchica ratione ducantur, plus habebunt

momen-

momẽti; atq; adeò non tam argumentis, quàm eorum auctoritate in hac concertatione
mihi erit utendũ. D. Th. Aquinas, quem tamen hi maiore ex parte præceptorẽ elegerunt, *S. Tho. 3. ſẽ.*
Explicare articulos fidei, inquit, contingit dupliciter, uno modo quantum ad ipſorum ar- *diſ 25. q. 2.*
ticulorum ſubſtantiã, ſecundum quod homo ipſos articulos diſtinctè ſcit, alio modo quã *q. 3.*
tum ad ea, quæ in articulis continentur implicitè. quod quidem contingit, dum homo
ſcit ea, quæ ex articulis conſequuntur, & uim ueritatis ipſorum articulorum, per quam
poſſunt deſendi ab omni impugnatione. Ad primam quidem explicationem totalem, te-
nentur omnes, qui officium habent docendi fidem, ſiue ex gradu dignitatis, ſicut ſacer-
dotes; ſiue ex reuelatione, ſicut prophetæ; ſiue ex miniſterio, ſicut doctores, & prædica-
tores: non autem alij, quibus non incumbit officium docendi fidem: quia cum ipſi non
habeant niſi ſeipſos regulare, ſufficit illis articulos cognoſcere, per quos poſſint propriam
intentionem dirigere in finem ultimum. Ad ſecundam autem explicationẽ articulorum,
non tenetur aliquis totaliter, ut ſciat omnia explicare, quæ in articulis de ſalute continen-
tur, quia hoc non poteſt, niſi in patria &c. Vbi uides ad integram explicationem arti-
culorum, quantum ad eorum ſubſtantiam, ideſt ut integrè & diſtinctè ſciantur, tantùm *3. par. q. 2.*
eos de ſalutis neceſsitate compelli, qui munus habent docendi. Neq; uerò in partibus, ubi *art. 6.*
plura ex his, quæ antea probauerat, ſolet reiicere, huic contrarium docuit, immo ex hie- *In reſp. ad*
rarchica ratione, qua fidei illuſtrationem, per maiores in minores deſcendere, inquit, idẽ *primũ arg.*
confirmare uidetur. Explicatio (inquit) credendorum, non æqualiter quantum ad omnes,
eſt de neceſsitate ſalutis, quia plura tenentur explicitè credere maiores, qui habent offi-
cium alios inſtruendi, quàm alij. Docet id clarius D. Bonauentura, Si quæratur (inquit) *Diuus Bo-*
an omnes aduentum Chriſti ſubſequuti, teneantur explicitè credere uniuerſos articulos fi *nau. 3. ſen.*
dei? reſpondendum, quòd immo. quod tamen tripliciter poteſt intelligi; primò quòd te- *diſt. 25. q. 3*
nẽtur credere omnes articulos fidei implicitè; ſecundò quòd explicite; tertiò quoſdam
explicitè, quoſdam implicitè. credere omnes implicitè, eſt fidei diminutæ, nec ſufficit
modò alicui uſum rationis habenti, credere in communi, redemptorem & remuneratO-
rem. in tantum enim notitia quorundam articulorum fidei manifeſta eſt, quòd nullus ra
tione utens, eos ignorat, niſi omnino ſit negligens & contemnens Dei cultum & ſalutem
ſuam. Credere autem quoſdam implicitè & quoſdam explicitè, ſufficit ad ſalutem, quia
ſimplicium fidei, hoc poteſt ſufficere. nempe illos tenentur explicitè credere, quos eis
manifeſtat, non ſolùm prædicatio, ſed & Eccleſiaſticus uſus, & conſuetudo, ſicut eſt fides
de Trinitate, quam poſſumus nos ſcire ex ipſo actu conſignationis: conſignat enim ſe in
nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. ſicque eſt de Chriſti natiuitate, paſsione, reſur-
rectione, & peccatorum remiſsione: quos omnes articulos cognoſcere poſſumus ex ipſis
ſolennitatibus Eccleſiæ. idcirco ab horum notitia nemo ratione utens excipitur, neque
ignorantia ſe excuſat, cùm talis ignorantia eſſe nequeat, ſine negligentia & contemptu.
Alios autem articulos non tam manifeſtos, tenentur credere implicitè. Credere au-
tem implicitè, uoco, ut in generali, credant omne, quod credit ſancta mater Eccleſia.
ita quòd in particulari à nullo illorum diſſentiant, neque alicui contradicant, neque
aliquem illorum diſcredant. Porrò credere omnes articulos fidei explicitè, eſt fidei iam
prouectæ, nec neceſſarium generali fidei neceſsitati, ſed ſi alicui neceſſarium eſt, illis po-
tiſsimè, qui in fidei profecerunt notitia, & qui alios habent fide inſtruere ſeu prædican-
di ac præſidendi ſumunt officium. Multi tamen ſunt ſimplices boni, qui quanuis ſint *Alber.*
paruæ cognitionis, attamen ſunt magnæ deuotionis. Hactenus Bonauentura. Albertus *3 ſen. diſt.*
magnus, non modò explicitè ſed neq; implicitè credit uulgus ad omnes articulos obligari, *25. art. 4.*
niſi inquantum à maioribus docentur. Scotus autem de eadem re diſſerens, enumeratis *Scot. 3. ſen.*
omnibus fidei articulis, in eandem ſententiam ſic quærit, Sed eſt'ne neceſſarium, habere *d. 25. q. 1.*
actum circa omnia hæc uel aliqua illorum? Cui quæſtioni ſic reſpondetur, Dico, quòd
neceſſarium fuit pro omni ſtatu, habere actum implicitũ de omnibus. tunc enim habetur
actus implicitè, quando habetur habitus; ſed habere ſolùm talem actum, non ſufficit: ſed
in habenti uſum rationis requiritur actus diſtinctior & explicitus, ſed non requiritur ne-
ceſſariò in quolibet pro ſtatu iſto, ſcilicet quòd omnes illos articulos explicitè, & di-
ſtinctè credat, quia Deus nullum obligat ad impoſsibile. & ideò ſi ſit aliquis rudis, qui
non poſsit concipere, quid eſt natura, & quid perſona, non eſt neceſſe quòd habeat actũ
explicitè de articulo pertinente ad eſſentiæ unitatem, & perſonarum Trinitatem, ſicut

habent clerici literati, ſed ſufficit quòd ſi non poteſt talia intelligere, quia nec nouit terminos, quòd credat ſicut Eccleſia credit. Quilibet tamen habens uſum rationis, tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum, & maximè ad illa, quæ ſunt facilia ad capiendum, ſicut quòd Chriſtus natus eſt & paſſus, & alia, quæ pertinent ad redemptionem. Sic igitur omnes tenentur ad aliquem actum explicitum pro aliquando, & ad alios in generali, ut ſcilicet credant quod Eccleſia credit, ſed ad omnia credenda explicitè tenentur maiores in eccleſiis, qui præficiuntur aliis, & tenentur alios inſtituere uerbo ueritatis, & exemplo honeſtatis. & de huiuſmodi loquitur Auguſt. 14. de Ciuit. Dei. c. 1. Aliud eſt ſcire tantummodò quid homo credere debeat, propter adipiſcendam uitam beatam, quæ non niſi æterna eſt; aliud eſt ſcire quemadmodum opituletur, & contra impios defendatur, quod eſt maiorum in Eccleſia. Hactenus Doctor ſubtilis. Duran-
Duran. 3. ſent. diſt. 25. dus præterea cum duplicem poſuiſſet implicationem, unam ſicut actum in potentia, alteram ſicut particularem in uniuerſali, cumque quid credere tenerentur illi, quibus primitus fidei facta eſt reuelatio, dixiſſet, de his demum ſtatibus, quibus modò continetur eccleſia, ſic docet, Quidam, inquit, ſunt ſupremi, ut Papa & Epiſcopi, quidam medij, & quidam infimi, ut communis populus. ſupremi, ſcilicet Papa & Epiſcopi, tenentur ſcire explicitè omnes articulos, & non ſolùm hoc, ſed etiam qualiter defendantur contra hæreticos, declarentur, & perſuadeantur: quod patet ſic. Ad paſtores Eccleſiæ pertinet gregem nutrire & multiplicare, ſed Papa & Epiſcopi ſunt ex officio ſummi paſtores Eccleſiæ, ergo ad eos pertinet ex officio gregē fidelium nutrire in doctrina fidei, quantum ad credentes, & multiplicare quantū ad diſpoſitos ad credendum, & defendere à lupis, ideſt à ſubuerſione hæreticorum, & pro his ſi neceſſe eſſet, tenerentur mortem ſubire. ſed hoc non poſſent facere, niſi explicitè ſcirent omnes articulos, quos debent docere, & ſcirent eos perſuadere ex dictis ſcripturæ ad trahendum efficacius illos, qui diſpoſiti ſunt credere, & ſcirent defendere contra impugnationem hæreticorum ſacram ſcripturam peruertentium, ergo &c. Medij autem ſunt in eccleſia curati ſimplices, & qui ex officio uel miniſterio alios docere habent, ut prædicatores & doctores, & hi tenentur ſcire explicitè quantum pertinet ad ſuum officium, hoc eſt articulos fidei, quantum ad ſubſtantiam eorum: in difficultatibus autem & hæreticorū impugnationibus debent ſe uertere ad ſuperiores: infimi autem ut communis populus, non tenentur ſcire explicitè uel credere, niſi quantum eis traditum eſt ex maiorum doctrina, & communi ritu Eccleſiæ, qui nemini latet, niſi ob culpam ſuam ad hoc impediatur. Puto autem quòd pro moderno tempore nullus poteſt excuſari, ſi ignoret articulum Trinitatis, incarnationis, reſurrectionis, aſcenſionis, & aduentus ad iudicium, cum ex publico ritu eccleſiæ & feſtiuitatum celebri ſolemnizatione & uulgata prædicatione, omnibus hæc innoteſcant. Hæc Durand.
Richardus Mediauillanus, poſitis in hac quæſtione utrinque ſcholaſtico more argu-
3. Senten. di 25. q 2. mentis, ſic decernit, Reſpondeo, quòd qui aduentum Chriſti ſequuti ſunt, quidam ſunt, quibus uel ratione officij, ut doctoribus; uel miniſterij, ut prædicatoribus; uel ratione gradus dignitatis, ut prælatis, uel ratione ſpecialis actus illuſtrationis, ut prophetis, incumbit, non tantùm dare operam ut ſe ipſos diſponant, ad hoc ut perducantur in finem, quamuis hoc principalius teneantur, ſed etiam incumbit eis dare operam, quantum in eis eſt, ut alij perducantur in finem. Alij ſunt minores, quibus doctrina fidei à maioribus determinata eſt, & ſic uidemus fieri quòd diuinæ illuminationes deriuantur à ſuperioribus ad inferiores. Dico ergo quòd oportet ſuperiores habere in Eccleſia notitiam pleniorem, quàm inferiores, unde ſuperiores prædictos credo teneri ad credendum omnes articulos fidei explicitè, quamuis non teneantur quilibet eorum credere numerum illorum, aut artificialem diſtinctionem illorum. Minores uerò tenentur explicitè credere omnes articulos, qui magis ſunt neceſſarii ad dirigendum in finem, & qui in Eccleſia ſolemnizantur communiter, & publicè, ut ſunt articuli pertinentes ad perſonas, & articuli pertinentes ad unitatem eſſentiæ, & Chriſti natiuitas, paſsio, reſurrectio, aſcenſio, aduentus ad iudicium: non tamen tenentur ad credendum omnes articulos fidei explicitè. Hactenus Ricard. Ioannes cognomento Baſolus, uir præter magnam eruditionem in ſcholaſticis diſputationibus acer, In lege, inquit, gratiæ dico quòd
3. ſen. di. 25 q unica, artic. 3. omnes adulti tenentur credere explicitè aliqua, quæ tenet fides, præcipuè aliquos de articulis magis uulgatis & ſenſibilibus uel perceptibilibus communitati, & plura tenentur

credere

credere explicitè quàm tenentur adulti communiter ſub lege ſcripta, ſicut etiam illi plura quàm ſub lege naturæ: alia uerò omnia implicitè ſaltem credere, uolendo credere quod credit mater Eccleſia, in ſuis prouectioribus & doctioribus in fide, quaſi comittendo ipſis fidem ſuam. De doctoribus & Paſtoribus Eccleſiæ præcipuis, ſaltem ſicut ſunt Epiſcopi uel ſuperiores prælati, qui ex officio habent populum regere & inſtruere, dicitur quòd debent omnia explicitè ſcire, quæ tenet fides, ſaltem quantum ad articulos fidei, quos debent credere & alios docere, & ſimiliter præcepta decalogi, quæ debent implere, & peccata mortalia, quæ debent uitare, & ſimilia neceſſaria, quæ communiter occurrunt hominibus ad ſalutem uel impedimentum ſalutis. Hæc Ioannes Baſolis. Gabriel Biel ſtatuta de hac re concluſione, ſic inquit, Ad quædam articulatiter tenentur maiores, ad quæ non tenentur minores. cuius enunciati priorem partem, cum *Gab. 3. ſen. d. 2. q. unica. con. 2.* iuſtis rationibus ſuaſiſſet, de poſteriori, ſic inquit, Simplices, qui nullum habent docendi officium, neque aliud miniſterium docendi habent in Eccleſia, non habent niſi ſeipſos regulare, & ideo ſufficit eis illos articulos explicitè credere, per quos poſſunt ultimam intentionem dirigere in finem ultimum. Præterea Deus nullum obligat ad impoſsibile, ideò minores & rudes, non potentes capere ſiue diſtinctè intelligere certos articulos, nō tenentur eos explicite credere, quia nihil poteſt explicitè credi, niſi appræhenſum per intellectum. Et ſubinde; Quæ autem ſint illa, quæ minores tenentur explicitè credere, particularius inueſtigando, dico quòd in genere tria colliguntur, ſcilicet quòd Deus eſt, quòd remunerator eſt, quòd mediator eſt, ſiue redemptor humani generis. De primis duobus, loquitur Apoſtolus Hebræ. 10. Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & quia inquirētibus ſe remunerator eſt. de tertio dicitur Actu. 4. ubi Petrus loquens de Chriſto, ait, Non eſt in aliquo alio ſalus, neque aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hactenus Gabriel. Subindeque multa ex Auguſtino, quæ nos antea adduximus, profert in eandem ſententiam. Ioannes Gerſon, de *Gerſon in cō-* hac materia diſſerens, ſic inquit, Denique an omnes teneantur ad fidem explicitam, du- *pendio theologicæ ueri-* bium eſt apud quoſdam. dicunt enim aliqui quòd nec ante aduentum, nec poſt aduen- *tatis, tracta-* tum Chriſti tenebantur homines ſcire omnes articulos fidei explicitè, nec etiam omnes *tu de uirtu-* explicitè credere, niſi inquantum docti erant à maioribus, & illam doctrinam in intelle- *tibus theolo-* ctu capere poterant. ſed tamen illi, qui præceſſerunt, minus tenebantur propter umbrā *gicis.* quæ tunc erat; iſti autem plus propter doctrinam & ueritatem expreſſam. Vnde nunc quilibet, quantumcunque ſimplex, qui humanam habet diſcretionem, tenetur ad minus explicatè ſcire & credere primum articulum, & reliquos nullatenus diffiteri, ſed in generali credere quicquid ſancta & uniuerſalis credit Eccleſia, & tenetur præter hoc ſe paratum exhibere addiſcendum amplius, cum doctorem catholicum habuerit. & quoniam obtuſum ſenſum habent ſimpliciores, non credo quòd teneantur ita explicitè ſcire, ſicut explanatur eis, quia ſufficit quòd ipſi accipiant explanationem ſecundum ſuam poteſtatem intelligendi, & non ſecundum uoluntatem aut facultatem explanatoris. Si autem primum articulum uel plures etiam alios explicitè crederent, uni tamen pertinaciter contradicerent, hæretici iudicarentur: ſecus de ſapientioribus, qui tenentur omnes articulos explicitè ſcire, & maximè prælati, aut quicunque alij, qui ſe fatentur doctores, cùm ignorantia iuris non cadat in principem aut doctorem. Hactenus Ioannes Gerſon. ubi uides ex eius & aliorum ſententia, ad prioris articuli tātum, quod eſt magnoperè aduertendum, notitiam, ſimpliciores arctari: quòd tamen Chriſti notitiam à ſalutis neceſsitate uideatur excludere, non omnino approbo, niſi fortè de illo, cui nunquam de Chriſto Saluatore prædicatio ſubuenit, intelligat, de quo tamen ſtatim. Iacobus Almainus parentum memoria Theologus celeber, Notandum (inquit) quòd fideles ſunt *3 ſēt. d. 25. q. unica.* in duplici differentia, quidam maiores ut prælati, alij minores ut laici, & non eadem ſufficiunt credenda maioribus & minoribus. nam minores tenentur credere explicitè articulos, qui feſtiuitatibus celebrantur, ut Eccleſia celebrat feſtum de natiuitate, de conceptione, & talia tenentur credere minores explicitè & non poſſunt prætendere ignorantiam, ſed maiores ex officio, multa alia tenentur credere. Hæc Almainus, quaſi ex communi & uulgatiſsima & uniuerſaliſsima theologorū ſententia ſine ulla contradictione producit. Nicolaus Orbellus Pariſienſis theologus, uir in ſcholaſtica diſciplina eruditus, poſteà quàm numerum articulorum ſcholaſtica ratione diſtinxit, Sed tunc, inquit,

oritur

oritur dubium, utrum omnes teneantur poſt Chriſti aduentum credere diſtinctè & explicitè omnes articulos. Cui quæſtioni, ex Bonauenturæ, Richardi, & Petri Tharantaſij ſententia, non teneri reſpondet. Simplices (inquit) illos tantùm tenentur explicitè credere, qui communiter prædicantur in Eccleſia, & quos manifeſtat eis Eccleſiaſticus uſus & conſuetudo, ſicut eſt de Vnitate & Trinitate, quam poſſunt noſſe ex ipſo actu conſignationis. conſignant enim ſe in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſicut etiam de natiuitate, paſsione, & reſurrectione, aſcenſione, & peccatorum remiſsione: hos ſiquidem articulos poſſunt cognoſcere ex ipſis ſolemnitatibus, quas Eccleſia celebrat, alios uerò articulos non tam manifeſtos, tenentur credere implicitè, ut ſcilicet in generali credant omne id, quod credit ſacroſancta mater Eccleſia: ita quòd in particulari à nullo illorum diſſentiant: non tenentur etiam ſcire numerum uel ordinem articulorum, cùm hoc uix ſcire poſsint homines multum literati, & periti. Hæc Orbellus. Poſſemusq; in eandem ſententiam Theologici ordinis innumeros alios auctores adducere, niſi ex horum uniformi conſenſu, apertè cognoſceretur quàm ſine contradictione fuerit omnibus ſapientibus ſemper perſuaſum, integram iſtam aut explicitam articulorum notitiã, nequaquàm eſſe de neceſsitate ſalutis, quod iſti contendunt, cum uix (ut rectè dicit Orbellus) doctiſsimi uiri, & qui bonam ætatis partem ſanctarum ſcripturarum cognitioni & Theologicis diſputationibus inſumpſerunt, omnes Chriſtianæ religionis articulos memoria contineant.

Chriſtiani omnes numerum ſacramentorum ſcire, neceſſariò ad ſalutẽ, non tenentur.

OMNINO uerò rationi contrarium eſt, & prorſus inauditum, quòd etiam Chriſtianos omnes ad numerum ſacramentorum ſciendum, de neceſsitate ſalutis aſtrictos pronuntiant, cùm nullus, quæ ad ſe non pertinent, ſcire teneatur, uniuerſa uerò ſacramenta, eidem homini conuenire non poſsint. Quamuis enim quæ ſingularibus hominibus medendis decernuntur, qualia ſunt, baptiſmus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, & extrema unctio, uni & eidem ſubiecto conueniant; matrimonium tamen, & ordo ſacer ex eccleſiaſtica conſtitutione, aut, ut quidam uolunt, ex diuino iure eidem homini conuenire non poſſunt. Quinetiam ex Chriſtianis ſacramentis quædam ſunt de neceſsitate ſalutis ſimpliciter, ut baptiſmus, quædam ex ſuppoſitione, ut pœnitentia, quædam nullam neceſsitatem niſi ad non contemnẽdum, Chriſtianis inducunt, ut confirmatio, eucharistia, & extrema unctio, quædã, quæ non ſingularibus hominibus, ſed uniuerſæ cõmunitati ſunt neceſſaria, qualia matrimonium, & ordo. Eſt igitur prorſus aduerſum, non modò rationi ſed omni theologiæ, pronuntiare, à quartodecimo ætatis anno, quẽuis Chriſtianum de ſalutis neceſsitate ad eorum numerum memoriæ continẽdum aſtringi. Idemque iudicium eſto de decem decalogi præceptis, quorum profectò, quæ ad ſecundam tabulam pertinent, ut opere ipſo exhibeantur, ſatis eſt implicitè, ideſt in generali, in his naturæ principiis, Quod tibi non uis, alteri ne feceris: &, Quæcunque

Matth. 8.

uultis ut faciant uobis homines, hæc & facite illis. in quibus auctore Chriſto, uirtute cõtinentur, eadem cognoſcere. in priori enim cuncta negatiua, in poſteriori uerò cuncta affirmatiua clauduntur. Includuntur & eadem, tum Chriſto, tum Apoſtolo auctore,

Rom. 12.

in Dei, & proximi charitatis præcepto. Non adulterabis, inquit Paulus, non occides, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc uerbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum; Dilectio

Matth. 22.

proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio &c. Quærenti uerò Phariſæo, quod eſſet maximum mandatum in lege, Chriſtus reſpondit, Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex tota mente tua, hoc eſt maximum & primum mandatum. ſecundum autem & ſimile huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, in his duobus mandatis uniuerſa lex pendet & prophetæ. Sufficit ergo ad decalogi præcepta præſtanda, hæc duo uniuerſalia principia memoria tenere,

Nicol. Orbellus in 3. ſen. d. 40.

ex quibus, Chriſto auctore, & uniuerſa lex & prophetæ dependent. Quo magis miror, quoſdam, qui alioqui neceſsitatem ſciendi omnes fidei articulos à Chriſtianis excludunt, ad horum decem præceptorum notitiam eoſdem obligare, quòd nemo præcepta, quæ ignoret, implere queat: quæ ratio nihil ultrà obtinet quàm quòd aliqua ratione ad eorum impletionem ſit neceſſarium præcepta cognoſcere, quod nec nos negamus. Cognoſcuntur enim quantum ad eorum obedientiam attinet, in his uniuerſalibus principiis abundè: qui enim, quod ſibi non uult, alteri non faciat, neminem occidet, nullius

thorum uſurpabit, nullius res furto ſubducet, falſum teſtimonium aduerſus quempiam non dicet, non uxorem, non ancillam, non bouem &c. concupiſcet. Contrà qui, quod ſibi fieri uult, aliis faciat, parentes uenerabitur, cætera quæ in præceptis illis iubentur præſtabit. Qui Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligat, non habebit profectò deos alienos, non eriget ſibi idolum, ſabbatum ſanctificabit, & externo aliquo cultu proſequetur. rurſus, qui proximum diligat ſicut ſeipſum, non occidet, non mœchabitur cum alterius coniuge, non furtum faciet, non falſum teſtimonium, non concupiſcet uxorem, ancillam, bouem &c. quæ proximus poſsidet. Ingens igitur eſt eorum audacia, qui ſine ulla ratione aut fundamento, contra ueterum theologorum placita, immo uerò contra Chriſti & Pauli ſententiam, qui ad nihil aliud, quàm ad hæc generalia naturæ dictamina obligarunt homines, ſola ſua auctoritate pronunciant, eum mortaliter peccare, qui uel articulos fidei, uel eccleſiaſtica ſacramenta, uel decem decalogi præcepta memoria non tenent, ſed maior & pernitioſior eorum ſacerdotum ſtupiditas, qui horum libellorum auctoritate, miſeros ruſticos, immo non uulgares ciues, abſolutione peccatorum fruſtrantur, quòd iſta omnia uiua memoria non ſeruent, & coram eis imperturbatè pronuncient. quòd ſi ab eis exquireretur forſan non eſſent facturi. Non damno, immo ſummis laudibus efferò eos paſtores, qui certis pœnis ad hæc omnia dicenda ſubditos urgent, præſertim, quò magis intelligant, uernacula lingua, ſed ita eſſe neceſſariam eorum omnium explicitam memoriam, ut ſine illis, ut iſti contendunt, nemo conſequatur ſalutem, omnino falſum exiſtimo.

Sed neque quiſquam eſt, his præſertim temporibus apud Chriſtianos, quanuis opilio, quanuis bubulcus (modo rationis ſit conſors) qui hæc omnia uel ex Chriſtiana, quanuis ruſtica educatione, uel ex aliorum Chriſtianorum conuictu, uel ex Euangelica prædicatione, quæ modò eſt frequentiſsima, ignoraret, quanquam eadem ordine, quo ſolent tradi, memoria non teneat. A' quo enim tam ruſtico quæras, an Deus ſit unus, an omnium rerum creator? glorificator, eorum qui bonis operibus illi placuerint, an in Deo ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui non protinus annuat, & contraria horum, religioni Chriſtianæ fateatur aduerſa? à quo quæras, an idem Deus fuerit aliquando incarnatus & natus ex Virgine, mortem paſſus, an reſurrexerit, an cœlos aſcenderit &c. qui non integra fide hæc omnia uera eſſe reſpondeat, contraria prorſus falſa & hæretica? à quo quæras an baptiſmus ſit ad ſalutem neceſſarius, an ſit in eccleſia confirmationis ſacramentum, an ſit euchariſtia, ideſt uerum Chriſti corpus & ſanguis ſub ſacramento contecta, an ſit extrema unctio, pœnitentia, ordo, & matrimonium, qui uel ipſa Chriſtiana ratione uiuendi, & paterna educatione, non annuat? à quo rurſus inquiras, an Deus alienus ſit colendus, an in ueri Dei iniuriam ſit erigendum ſculptile? an ueri Dei, quem colit nomen ſit peierandũ? an ſit eidẽ dies uel cultus aliquis externus, quẽ ſanxerit eccleſiaſticus uſus, ſacro ocio conſecrandus, an parentes, qui nos genuerũt, & aluerunt, ſint honorandi? an proximus ſit occidendus? an eius uxor ſit uiolanda? an fortunæ eius, quas labore proprio aut alio iure ſibi cõquiſiuit, ſint uſurpandæ? an aduerſus eundem proximum teſtimonium falſum ſit pronuntiandum? an demum uxor, ancilla, bos, & reliqua ſupellex ſit ambienda? qui uel ex naturali ratione, uel ex educatione Chriſtiana, uel ex ipſo Chriſtiano conuictu, hoc aut illud licere aut non licere reſpondeat? Hæc omnia profectò adeò natura ipſa mẽtibus hominum indidit, ut Apoſt. dicat, gẽtes, quæ legẽ non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt facere, præſertim ſi educatio accedat, & eius uitæ inſtitutio, quæ ea omnia, quæ hæc præcepta probant, probet, Rom. 1. & quæ damnent, omnino condemnet, qualis eſt Chriſtiana. Itaq; ocioſa eſt tanta hotũ indoctorum libellorum cura, tamque inexorabilis rigor, in Chriſtiana catecheſi ſub culpæ mortalis reatu exigenda, parumque Chriſtianæ pietati deperit, ſiquis dum fidem, dilectionem, & opera præſtet, quæ uel articulis, uel decalogi præceptis iubentur, eadem memoria non teneat, quanuis, ut dixi, eorum paſtorum opera multum ſit commendanda, qui ad hæc omnia uiua memoria tenenda pœnis populos adigunt. Tametſi ſemper impium & ſacrilegum credam, abſolutionem denegate illis, qui cum (ut par eſt de chriſtianis omnibus credere) in ſe explicitè, aut in his naturæ principiis quæ Chriſtus & Apoſtolica doctrina præſcribit implicitè uerè ſciant, ob memoriæ defectum recitare non poſſunt. Scio olim in Concilio Cabillonenſi præceptum fuiſſe, ut oratio dominica, Can. 4. Cabilo. 1.

in qua omnia neceſſaria humanæ uitæ (ut illic dicitur) comprehenduntur, & ſymbolum
Apoſtolorum, in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus diſce-
Dilutio. rentur. Verùm ſi quòd plebes admoneantur, ea memoriæ cõmendare, argumentum eſt,
quòd quicunque illa non retinuerit, mortaliter peccat; peccant igitur mortaliter qui-
Canon.5. cunque totius anni prædicationes, in quibus, iuxta eiuſdem concilij Cabillonenſis de-
creta, presbyteri plebem, de dilectione Dei & proximi, de fide & ſpe in Deum, de hu-
militate, de patientia, de caſtitate, benignitate, miſericordia, de eleemoſynis, de
confeſsionibus, de iniuriarum remiſsione, etiam docere præcipiuntur, memoria non
retinẽt. hæc enim omnia æquè in Euangelico instituto, immo magis quàm oratio,
Obiectio.2. à Chriſtiano exiguntur. Scio deinde in concilio Remenſi, presbyteris præceptum eſſe ut
parochianis ſuis, ſymbolum & orationem dominicam aut ipſi inſinuarent, aut aliis in-
ſinuanda iniungerent, & cum ad confeſsionem tempore quadrageſimali uenirent, ab
unoquoque decantari facerent, nec ante ſanctam communionem, alicui traderent, niſi
hæc ex corde pronuntiare poſſet, quòd ſcilicet (ut ibi dicitur) ſine horum ſcientia,
Dilutio. nullus ſaluus eſſe poſsit. nulli hi tamen in eo concilio peccatorum abſolutio denegata
refertur, quòd nimirum hoc nunquam fieri ſoleat, niſi cùm quis ſit impœnitens & in
peccati mortalis ſtatu deſideat. Euchariſtiæ uerò ſacramentum ſine peccato denegari
poteſt, quòd eius ſumptio ad conciliandum iuſtitiam, ſicut ſacramentum pœnitentiæ,
non ſit neceſſaria. Rationes uerò Remenſis concilij, quòd ſine fide nemo poſsit ſaluari,
& quòd hæc ſint tam parua, ut nullus ſtoliditatem ſenſus aut ingenij exiguitatem poſsit
cauſari, parum borum theologorum ſententiam promouent. neque enim nos dicimus,
quenquam ſine fide poſſe ſaluari, ſed eum ordinem aut orandi aut credendi, quem uel
dominica oratio, uel ſymbolum Apoſtolicum continet, de ſalutis neceſsitate requiri,
fuiſſet oſtendendum. Porrò licèt hæc parua ſint ac proinde pœnis temporalibus intor-
quenda fidelibus, peccare tamen mortaliter ignorantẽ (abſit contemptus) perſuaderi
non poteſt. An uerò rectè fecerit concilium Remenſe, quod ſcimus prouinciale fuiſſe,
orationem dominicam & ſymbolum memoria non retinentibus, euchariſtiam denegan-
do, alij diiudicent, ego profectò pios homines, & qui eadem memoriæ tenuitate con-
tinere non poſſent, ullum Eccleſiaſticum ſacramentum denegare non auſim; cum ad ea
memoria retinenda, nullo præcepto aut neceſſaria ratione conſtringatur fidelis, immo
uerò, cum Chriſtus, ſolùm illa generalia principia, quibus implicitè aut uirtute tan-
tum continentur, & poſt Chriſtum Paulus, hominibus ad ſalutem neceſſaria præſcri-
pſerint. iam quantumcunque ignorantia orationis dominicæ, aut Apoſtolici ſymboli,
ex borum ac ſimilium conciliorum decretis culpabilis foret, nulla tamen hîc aut ſacra-
mentorum Eccleſiæ præceptorum, aut mandatorum decalogi ſit memoria, quæ tamen
iſti quoque ut memoria teneantur & explicitè ſciantur, neceſſaria docent, immo dum
in iſtis duobus, ſymbolo ſcilicet & oratione dominica, omnia neceſſaria comprehendi
conſentiunt, cætera omnia ignorata, nullam culpam inducere, neceſſariò fatentur. at-
que hæc quidem tam acriter fuerunt urgenda, non quòd laudemus ignorantiam, & ho-
minum popularium deſidioſam inſcitiam (abſit) ſed quòd omnino infirmis plebium
conſcientiis, quibus iſti ſalutis efficacisſima obſtacula obiiciunt, ex animo Chriſtiano
cupiamus mederi. Solent autem nonnulli paſtores, inter eas temporarias pœnas, qui-
bus ad Chriſtianum catechiſmum memoriæ commendandum plebes adigunt, eam nu-
ptiarum ſolemnitatem, qua tandem uxor in mariti domum traducitur, quaq; uxor ipſa
materfamilias eſſe incipit, quam ſolemnitatem nos uelationem appellamus, interdi-
cere, quod maximè laudo. æquum eſt enim ut qui patresfamilias eſſe incipiunt, quo
pacto liberos chriſtiana fide moribus formare debeant, optimè nouerint.

Quòd ſola

Quòd ſola Dei notitia naturali, ſine eiuſdem Dei fide, nullus unquam potuerit conſequi ſalutem. *Cap. VII.*

QVoniam uerò abſque unius Dei & Chriſti fide, nemini ſalutem poſt pri-
morum parentum peccatum contingere diximus, non ab re futurum eſt,
ſi eam quoque ediſſeramus quæſtionem, qua quæri ſolet, an hoc in omni
rerum conditione, & euentu ſit uerum, id eſt, an adeò uel unius Dei uel
Chriſti mediatoris ad ſalutem fides ſit neceſſaria, ut quicunque, quocun-
que pacto uel Deum uel Chriſtum ignorauerit, ſaluari nequeat. aliud
enim eſt de his, qui cum audire poſſent Euangelium, repulerunt; aliud de his, qui,
quòd ad eos Euangelica prædicatio non uenerit, uel alia inculpabili ratione, Chriſtum
non audierũt, futurum iudicium. Si non ueniſſem, ait Chriſtus, & loquutus eis non fuiſ- *Ioan.15.*
ſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.
Longè igitur alia habenda eſt ratio, de eo, qui Euangelicæ prædicationi conſentire non
uoluit, quàm de illo, qui nunquam Chriſtum auribus hauſit. Eſt profectò fidei igno-
rantia prorſus ineuitabilis his, quibus Chriſtus nondum eſt prædicatus. Quomodo, *Roma.10.*
inquit Apoſtolus Paulus, credent ei, quem non audierunt? aut quomodo credent ſine
prædicante? non ergo infidelitatis eſt his imputandum delictum, qui ſola impotentia,
fidei profeſsione priuantur, ſed illis, de quibus idem Apoſtolus. Sed dico, nunquid
Iſraël non cognouit? Primus Moſes dicit, Ego ad æmulationem uos adducam in non
gentem, in gentem inſipientem, in iram nos mittam. Iſaias autem audet & dicit, Inuē-
tus ſum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant. ad Iſraël
autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradi-
centem mihi. Quæ uerba, populi rebelles animos, & diuino ſermoni inobedien-
tes inſinuant.

TORSIT autem hæc quæſtio non modò antiquiores Theologos, ſed noſtri ſæculi do-
ctiſsimos quoſque, dum uel ſine fide quenquam ſaluari, affirmare non audent, uel incul
patè uiuenti, & legem naturæ ſeruanti, ſalutem ſpiritualem non poſſe contingere, du-
rum exiſtimant. alterum enim horum dandum eſſe neceſſariò conſequitur, niſi ad illud
quod quidam excogitarunt, confugiant, uitæ probitate, Euangelicam prædicationem
promereri: poſtquàm tandem iuſtificatio contingat, quod non magis quàm prudentia
nonnullis probatur, quòd nimirum nollent miraculis, quorum certitudo non habetur,
ex lege, rem prorſus committere.

IN hac uerò parte cum ordinem, quem in præcedenti diſputatione ſeruauimus, ſu-
mus conſeruaturi, ut prius de unius Dei quàm de Chriſti mediatoris fide, quæ nobis ui- *Andreas Vega. lib.6. c.20.*
debuntur, afferamus in medium. Sunt itaque inter ſcholaſticos auctores primarios non
pauci, qui ſine Dei unius fide, poſſe hominis ſalutem accidere, aſſeuerantiſsimè doceāt;
non in quocunque, ſed in eo ſolùm, qui cum in remotiſsimis inſulis aut deſertis re-
gionibus ageret, uniuerſam uitæ ſuæ rationem, legi naturali afformaret, in eo inquam,
qui recta naturæ dictamina ſibi legis præfigeret. quam ſententiam his rationibus com-
probant. Facientem quod in ſe eſt, ideſt quod ſuarum uirium poteſtati ſubeſt, Deus *Ratio 1.*
nunquam propriæ ſubuentionis auxilio deſtituit; qui autem leges naturales & præcepta
cōſeruat, quod in ſe eſt facit: Deus igitur illi nunquam eſt defuturus; ſed ſuam gratiam
& perinde gloriam eidem pro legis obſeruatione retribuet, præſertim ſi horum, quæ
contra eandem legem deſignauit peccatorum, quatenus naturali rationis dictamini diſ-
ſonant, uero cordis dolore pœniteat. Idem ſecundò ſuadent, quoniam ſi ſtatim, huic *Ratio 2.*
homini facienti quod in ſe eſt, gratia non daretur diuinitus, ſed eſſet expectanda Euan-
gelica prædicatio, quæ fidem infunderet, cùm ea uno temporis momento non poſsit ha
beri, utpote quæ auditum, & diſcurſum requirat, daretur tempus, in quo quicquid
homo uiator faciat, maneat extra gratiam, & tandem morte præuentus damnetur,
quod prorſus diuinæ legis dulcedini contrarium uidetur, quæ nō impoſsibilia, ſed quæ
humana fragilitas poſſet exhibere, mandata præcepit. Quòd ſi dicas, Deum facienti
quod in ſe eſt, non expectata Euangelica prædicatione, ſine miniſtro fidem infundere,

Ii ij ut

ut quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria cognoſcat, unde, aiunt, id conſtat cùm Paulus dicat,
Roma. 10. Quomodo credent ſine prædicãte? Quòd ſi facienti, quod in ſe eſt, Deus fidei infuſione
ſuccurrit, cur non ſimul largiatur & gratiam, cum ad eam ſit idoneè diſpoſitus; cur diſ-
Ratio 3. ferat, cur expectet? cum, quo minus id faciat, nihil obſtet? Deinde non quærimus,
aiunt, quid miraculoſè, & antiquo ordine ſuæ conſtitutionis peruerſo Deus ſit effectu-
rus, ſed quid communis lex prouidentiæ requirat: eſſe uerò talem legem diuinam, ut ſe-
cundum illam multi citra miraculum iuſtificari non poſsint, derogat ſuauiſsimæ Dei
prouidentiæ, & incomparabili ipſius miſericordiæ, eximiis Chriſti meritis; & demum
Ratio 4. eſt contra uiæ rationẽ, in qua nulla debent eſſe ſalutis obſtacula. Accedit quòd pronior
eſt Deus ad miſerendum, quàm ad puniendum: ergo cùm iuſti citra ullum miracu-
lum poſsint iuſtificationem amittere, poterunt & iniuſti citra miraculum eandem ac-
Ratio 5. quirere. Amplius, rigor iſte in nullis aliis præceptis diuinis inuenitur, ſed ſi opere præ-
ſtari non poſsint, ſatis eſt uotum implendi, etiam implicitum, quod in baptiſmi & pœ-
nitentiæ, quæ tamen ſunt neceſſaria ſacramenta, præceptis, communi Theologorum
ſuffragio docetur. Immo nullum eſt, aiunt, grande, neque paruum præceptum, cui ſi
opus ipſum imperatum, reddi non poſsit, uoto ipſo & implendi uoluntate ſatis non fiat.
Ratio 6. Quòd ſi ea cognitio, quam humanitus habere non poſſumus; ad ſalutem neceſſariò re-
quiritur, requirit igitur à nobis Deus, ut ſimus prophetæ, & ut ſciamus quæ prorſus ca-
Ratio 7. ptum noſtrum exuperant, quod eſt abſurdiſsimum. Cur demum cùm, ut modò diceba-
mus, reliqua omnia præcepta mites habeant interpretationes, unum fidei præceptum
cæteris omnibus rigidius, & inclementius, interpretabimur, quod nullo maiori rigore
fuit traditum, præſertim cùm fides, quòd ſit bonorum cunctorum initium, quemad-
modum in rebus omnibus principia eſſe ſolent cæteris, quæ in Chriſtiana religione iu-
Marci. 9. bentur, ſit magis difficilis? ſuſcepta uerò fide procliuiora ſunt reliqua, & credentibus
omnia ſunt poſsibilia. ſufficit ergo ei ſua difficultas, nec eget iſto rigore, qui ab in-
terpretationis inclementia proueniat.

His iſti, ac ſimilibus rationibus colligunt, fieri non poſſe, ut qui ratione naturali
ductus, uitia caueret, & uirtutes excoleret, uniuerſamque legem naturæ ſeruaret, ſolo
fidei defectu damnaretur, ſed continuò credunt eum ipſa legis naturalis obſeruantia,
iuſtitiam accipere, neque oportere ullam Euangelicæ fidei prædicationem præcedere,
quamuis ingenuè fateantur communiter, fidem unius Dei eſſe, ac ſemper fuiſſe neceſſa-
riam, tum quòd uix quiſquam mortalium ſine Dei fide poſsit legem naturalem ſerua-
re, tum quòd tam prouida noſtri fuerit ſemper diuina bonitas, ut non ſit ueriſimile
quenquam abſque culpa ignorare poſſe aut potuiſſe, Deum eſſe. Decreta itaque con-
ciliorum, & uniuerſum auctoritatum examen, quæ uel à ſancta ſcriptura, uel ab
Eccleſiaſticis patribus, contrà petuntur, quæ docent, ſine fide nullo pacto poſſe iuſtifi-
cationem obtineri, de eo, quod re ipſa accidit, non de eo, quod contingere poſſet, lo-
qui decernunt: quaſi uelint concilia, ſanctos, & ſanctam ſcripturam, ubi de fidei neceſ-
ſitate loquuntur, non prorſus abſolutam, & ineluctabilem, ſed moralem, quæ penes id,
quod ſit, non penes id, quod fieri potuiſſet, attenditur, neceſsitatem inducere: docent,
inquam, ea omnia huc tendere, quòd nemo ſine fide conſequatur ſalutem, ſed neque
conſequi poſsit potentia morali, cùm id legis naturalis obſeruantia fieri debuiſſet, quæ
tamen ſine Dei fide haberi uix poterit: Quæ uerò ſuaptè natura ſunt difficilia, com-
muni ratione loquendi, impoſsibilia uocamus. Hactenus iſti: Quorum profectò ſentẽ-
tiam, quòd ſit ab ingenti animi pietate profecta, ſemper deſideraui tam ueram quàm
clementem uideri: odi ego ſemper ex animo quorundam tetricam & rigidam Theolo-
giam tractandi rationem, qui tunc ſeſe ueros Theologos agere exiſtimant, cùm acer-
Matth. 23. uos mortalium ad inferna detrudunt: alligant onera grauia, & importabilia, & impo-
nunt in humeros hominum; digito autem ſuo plerunque nolunt ea mouere: interpretan-
tur & exponunt diuina præcepta, tam durè & inclementer, ut qui audiunt, clamare
Matth. 10. cogantur, Et quis poterit ſaluus fieri? Contrà illorum Theologia uehementer delectat,
qui in omnibus interpretandis præceptis habuerint diuinæ miſericordiæ rationem. Eſt
Conuellitur tamen modus in rebus, eſtque attendendum, miſericordiæ prætextu, ne quid nimis.
præcedens Ego in hac parte, nequaquàm mihi à communi ſanctorum & Eccleſiaſticorum ui-
opinio. rorum ſententia, recedendum uidetur, qui cum Apoſtolo Paulo, ſine fide impoſsibile

eſſe

eſſe placere Deo, communi ſuffragio ſanxerunt, Oportet, inquit idem Paul. accedentem ad Deum, credere quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe, remunerator ſit. quaſi his uerbis declararet Apoſtolus, quòd ſaltem fides ad humanam iuſtitiam neceſſariò requiratur. Nec ſatis commoda eſt eorum in hac parte interpretatio, qui uolunt, locum hunc poſſe de infuſa fide accipi, quaſi uelit Paulus, ſine habitu illo infuſo neminem poſſe Deo placere. nam propter hoc quòd uix unquam Apoſtolus Paulus ab habitibus, quibus præmium non decernitur, præſertim his, qui non ſtudioſarum actionum frequentia reſultant, ſed diuinitus infunduntur in animos, fuit multum ſolicitus, utpote ad quos, quòd in noſtra non ſint poteſtate, nemo ſit exhortandus, hic ipſe locus manifeſtè ſe prodit, non de habitu fidei infuſo, ſed de actu, & fidei ipſius exercitio accipi debere. nam cum dixiſſet impoſsibile eſſe ſine fide placere Deo, protinus quam fidem intelligat, ſubdit, Oportet enim accedentem ad Deum credere &c. credere profectò non habitum, ſed actionem, & habitus fidei exercitium, inſinuat. Deinde cõmuni Theologorum ſentẽtia, fides infuſa, licèt in paruulis, quòd ſint omnino impotentes, ſine acquiſita fide infundatur, nunquã tamen id in adultis contingit, ſed fides acquiſita fidem infuſam præcedit. Ergo quamuis Apoſt. ſententia, de fide infuſa fuiſſet interpretãda, adhuc eoſdem neruos obtineret aduerſus hanc opinionẽ. rectè enim ſic colligitur, Sine fide infuſa impoſsibile eſt placere Deo, & fides infuſa in adulto fidem acquiſitã neceſſariò ſupponit, ergo ſine fide acquiſita impoſsibile eſt placere Deo. ſed neq; illa eorũdem uerborum expoſitio, æqua mihi uidetur, quòd ſcilicet, ea uerba non rei ipſius, fidei ſcilicet, ſed præcepti neceſsitatem inſinuent, quẽadmodum de baptiſmi præcepto Theologi docent. Illis enim uerbis quibus baptiſmus imponitur, non baptiſmi abſoluta neceſsitas indicitur, quaſi ſine illo re ipſa ſuſcepto, iuſtitia non poſsit ulla ratione contingere. poteſt enim quis eiuſdem baptiſmi uoto ſaluari, ſed tantùm præcepti neceſsitas ſignificatur, qua ex occulta diuinæ uoluntatis ratione, etiam, qui iam ſunt conſequuti iuſtitiam, ad baptiſmi ſuſceptionem tenentur; ita fidei præcepto ut hi uolunt, non ipſius fidei abſoluta indicitur neceſsitas, quaſi ſine illa non poſsit homo gratus Deo fieri, aut iuſtitiam accipere, ſed quòd aliquando etiam ſuſcepta iuſtitia, fides ſit neceſſaria, ideſt uel ante iuſtitiam ſuſceptam, ut fit regulariter, uel poſtea, ut in eo homine, qui cùm naturalis legis iuſtitiam excoleret, euangelica prædicatione caret: hæc (inquam) expoſitio, neque cum Apoſtoli mente conuenire uidetur, quæ non quacunque ratione fidei neceſsitatem inſinuat, ſed impoſsibile dicit, aliter quenquam Deo poſſe placere; neque ſatis fidei, & aliorum; quæ in Chriſtiana religione proponuntur, differentiam aduertit. Fides enim uerò, toti Chriſtianæ iuſtitiæ, non tantùm ex diuino præcepto, ſed propria natura, fundamentum ſubſternitur, Nemo (inquit alibi idem Paulus Apoſtolus) fundamentum aliud poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS, nimirum per fidem ſuſceptus: quaſi doceat, ubique locorum ſine fide impoſsibilem eſſe per internam animi iuſtitiam acceſſum ad Deum. Naturalis profectò legis, quà talis eſt, obſeruantia, abſque ullo diuinitatis intuitu, non eſt aliud quàm ex honeſtatis ſtudio uirtutum exercitium, & cultus, & legis naturæ quà talis eſt, uerus ille cultor dicitur, qui tantùm amore fortitudinis, fortis exiſtat, qui iuſtitiam ob eiuſdem ſplendorem admiretur, qui temperantiam, captus eius uirtutis excellentia, in nullum alium finem referendo ſuſpiciat, atque illa in cæteris uirtutibus, quæ in humanæ uitæ compoſitione uerſantur, ſe habeat. Huius uerò legis naturalis cultus, quà naturalis eſt, iuſtiſsimè à natura ipſa præmium ſtatuitur, infernarum uirium nimirum compreſsio, qua mens brutæ portionis catena reſoluta, in ſeparatas à materia ſubſtantias, contemplatione progrediatur. hoc enim ipſe rerum ordo poſtulare uidetur, ut naturali obſeruantiæ, naturalis legis, naturale quoque præmium ſufficienter reſpondeat. nec mirum, opera enim & actiones, finis, qui eiſdem præfigitur, naturam induere, uulgaris philoſophia nos docet. Ergo qui ſolam naturam, uirtutum, inquam, honeſtatem, ſibi finem præſtituunt, naturæ tantum ualorem habebunt, eiſdemque ſufficientiſsimè, finis ipſius adeptione, ideſt honeſtate ipſa, aut ea, quæ ex ipſis deſcendit uoluptate, ſatis fiet, neque diuinitatem, ad ſpiritualia & altioris ordinis infundenda chariſmata, ulla ratione pellicient, quemadmodum neque bos, neque leo, quòd rectè ſuas actiones naturales aut ſenſorias efficiant, amplioris alicuius doni capaces exiſtunt, quàm eorum, quorum

Rom. 3.

propria natura ſit capax. ſunt uirtutum exercitia quando ſolùm à naturali ratione, ideſt ab earum honeſtatis amore, imperantur tantùm hominis naturales functiones, quemadmodum bene currere equi, aut bene arare bouis. Eſt enim homo animal, non quoduis, ſed rationale, ideſt ſi propriā in agendo naturam ſequatur, ratione utens. ergo ex eorum operum ratione formali, nulla eiſdem ſpiritualis iuſtitia, ſed naturalis fœlicitas, quæ in abſtractu quadam contemplatione uerſatur, neceſſariò reſpondet, immo uerò nihil omnino proſunt ex propria ac formali natura ad internam iuſtitiam, niſi forſan remota quadam ac diminuta ratione. omne enim meritum, ut docet communior

Meritū duplex eſt.

Theologia, aut eſt condigni, cùm id, quod meremur ex iuſtitia debetur, aut eſt congrui, cum non quidem de rigore iuſtitiæ, ſed quia ita diuinam magnificentiam decet, præſtandum eſt aliquid. Vtrunque autem horum neceſſariò Dei notitiam ſupponit, immo non Dei notitiam, quocunque pacto, ſed eam, quæ Deum quaſi finem ultimum in operando reſpiciat. neque enim alio pacto meriti ratio ſeruabitur, quàm ſi in agendo Deus finis ultimus ſtatuatur. Quo pacto enim à me uel ex iuſtitia, uel ex cōgruo, tuis operibus mereberis aliquid, ſi mei notitia prorſus deſtituaris, aut in agendo mihi placere nunquam intendiſti? Quo pacto tua opera mihi referendi gratiam, aut ex iuſtitia aut ex congruo obligationem inducent, ſi non ut mihi, ſed ut tibi placeres, aut eorundem operum ratione, & gratia, ea es operatus? Quo pacto Deo cultus ille naturalis iuſtitiæ, aut legis, quâ eſt naturalis, ideſt quatenus ſolùm à natura imperatur, internæ iuſtitiæ donandæ ex condigno uel ex congruo obligationem inferet, ſi non Deo placendi ſtudio, ſed ipſo uirtutis amore, aut uoluptatis, quæ ex uirtute fluit, deſiderio præſtetur. Eſt quidem honeſtas uirtutum laudabilis, ſed non eſt Deus ipſe; ergo quæ ſolo uirtutis amore fiant, non perinde propter Deum fiunt. Quemadmodum itaque, ut ex tuis operibus, Socrates tibi uel ex iuſtitia uel congruo obligetur, oportet ut ſtudium ei placendi, tibi finem præſtituas, quod placendi ſtudium, abſq; Socratis eiuſdem notitia, impoſsibile eſt habere: ita prorſus eſt impoſsibile, ut his operibus, quibus Deum finem ſupremum non præſtituiſti, ulla ratione iuſtitiam ſpiritualem merearis. Deus autem humanis actionibus finis ultimus, ſine ſui cognitione præfigi non poteſt. quæcunque igitur, ſine Dei cognitione mortales efficiunt, neque ex congruo, neque ex condigno, ac proinde nulla meriti ratione, Deum, ad impartiendam interiorem iuſtitiam aſtringunt, niſi forſan illa diminuta, & imperfectiſsima meriti ratione, qua quis bene fungens officio ſuo, non propter Socratem, neque illi placere ſtudens, ſed ſui

Fides ad iuſtitiam aſſequendam, non ex præcepto, ſed ex rei natura, neceſſaria.

ſuorum'ue operum gratia, Socrati eidem diceretur obligationem inducere. Eſt igitur fides non tantùm neceſſaria ex diuino præcepto, quemadmodum baptiſmus & pleraq; multa, ſed ex ſua natura & ratione, quòd opera, quæ aliquo pacto placere Deo debent, placendi ſtudium, ac proinde Dei notitiam, ex qua in eum tanquam in ultimum finem dirigantur, in efficiente requirant, unde Apoſtolicam ſententiam non de impoſsibilitate quacunque, ſed de ea, quæ ex rerum ipſarum formali contradictione colligitur, intelligamus oportet, quod & eundem Apoſtolum ſenſiſſe, ex eiuſdem loci contextu, ma-

Hebr. 11.

nifeſtè colligitur. Fide, inquit, Enoch translatus eſt ne uideret mortem, & non inueniebatur quia tranſtulit illum Deus. ante translationem autem teſtimonium habuit placuiſſe Deo: ſine fide autem impoſsibile eſt placere Deo. credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit. Pronunciarat Apoſt. Fide Enoch translatum fuiſſe, ne uideret mortem, cuius rei, cum ex ſancta ſcriptura ſufficiens teſtimonium petere non poſſet, quòd eadem, licèt eum translatum à domino

Gen. 5.

doceat, non tamen fide translatum indicet; protinus ad naturæ dictamina ſeipſum conuertens, ex altero à ſancta ſcriptura, altero uerò ex natura ipſa petito enuntiato, miſto ſyllogiſmo ſic colligit, Enoch placuit Deo ante translationem, & impoſsibile eſt, ideſt repugnat, ſine fide placere Deo. Enoch igitur ante translationem, fidem habuit, ergo fide translatus eſt, ne uideret mortem &c. Prioris ſyllogiſmi prius enuntiatum à ſancta ſcriptura, ſecundum à naturali ratione, quæ docet, non modò diuinam amicitiam, ſed nullam prorſus, ſine ſtudio placendi Deo, haberi poſsibile, profectò deſcēdit. Quòd ſubſumptio illa quancunque, & non abſolutam & formalem impoſsibilitatem denotaret, nihil profectò uigoris ſyllogiſmus haberet, ſed & aſſumptio illa, Fide Enoch tranſlatum fuiſſe &c. nutaret omnino, quemadmodum ſiquis de Socrate aſſereret, quòd

fuiſſet baptizatus, per hoc quòd teſtimonium ex ſancta ſcriptura habuiſſet, quòd placuiſſet Deo, nequaquam efficaci ratiocinio illud comprobaſſe dicendus fuiſſet. nam quanuis de lege ordinaria & communi, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſit ſaluus, qui uerò non crediderit, condemnetur, & niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poſsit intrare in regnum Dei: quoniam ramen illa neceſsitas, aut introeundi in regnum Dei impoſsibilitas, non à rerum formali ratione, ſed à diuina prorſus uoluntate deſumitur (neque enim ulla eſt repugnantia formalis, hominem ſine baptiſmo regnum Dei intrare, ſed quia ita diuinæ ſapientiæ occultiori ratione placuiſſe probatur) nihil tali diſcurſu certi, aut penſi colligitur, quoniam nimirum potuerit Deus etiam urgente lege (quod & quotidie facit) illum ſine baptiſmo ſibi per fidem & charitatem cæteraſque uirtutes, quæ nequaquam ex ſua ratione formali à baptiſmo ſacramentali dependent, gratum reddere, uel tandem cœleſti fœlicitate donare. Itaque indignus eſſet diſcurſus hic Apoſtolico uiro, immo ſapienti quocunque, Socrates teſtimonium habet in lege Euangelica, quòd placuerit Deo, aut quòd tandem fuerit ſalutem conſequutus, ergo fuit baptizatus baptiſmo illo ſacramentali, de quo præcepta illa Euangelica neceſſariò intelliguntur, abs quorum impletione, neminem poſſe introire in regnum Dei, apertè docetur; nimirum, quòd hæc impoſsibilitas, non ab ipſarum rerum formali ratione, ſed à diuinæ uoluntatis arbitrio deſcendens, Deo libera maneat, ergo indignus eſſet Apoſtolico uiro, immo & uiro mediocri, hic Pauli diſcurſus, quo, quia Enoch Deo placuiſſe, ſanctæ ſcripturæ teſtimonio probatur, quaſi neceſſaria conſequentia ſubinfert, eundem polluiſſe fide, ſi fidei neceſsitas non ab ipſa iuſtitiæ ſpiritualis formali ratione, ſed à præcepti ſola neceſsitate deſcendat. Deinde iuſtos eſſe gratos Deo, aut illi placere, non eſt quacunque ratione accipiendum. neque enim ſunt grati Deo tantummodò, quòd ab eo diligantur, quemadmodum pomum aut aurum hominibus placent, ſed cum reciproco amore, quam rationem, diligendo amicitiam uocamus, unde amicitia, aut ſi amorem uelis appellare, actum illum, aut habitum uoluntatis diuinæ, quo adultum & rationis compotem hominem (de hoc enim ſemper loquimur) ad ſuam fœlicitatem admittat, ex propria ſui & formali ratione, in eo, qui admittitur, ideſt ex peccatore iuſtus, & Dei amicus efficitur, Dei ipſius amicitiam aut amorem ſupponit. homo enim à Deo humana ratione, non bruta aut inſenſibili, diligendus eſt. humana uerò diligendi ratio, non eſt quicunque, ſed reciprocus amor. diligimus pomum, equum, aut phyalam, ſed in noſtrum uſum, quòd nimirum noſtris uſibus apta credamus: non item quia redamemur aut ad uitæ, aut earum rerum, quæ uitam conſequuntur conſortium, quod amicitia requirit. Immo & ſeruos, quanuis ſint humanæ rationis participes, ac perinde humanæ amicitiæ, quoniam tamen eos in noſtros uſus, & non quia ament, aut in uitæ conſortium diligimus, non humana amicitia ſed diminuto illo commodi amore, quo equum & cætera bruta, aut inſenſibilia proſequimur, amare dicemur. Homo igitur ut homo, diligitur, quando in eodem homine reciprocus eſt amor, quo diligentem redamet, non item cùm tantùm amatur. Ergo cum ea dilectionis ſpecies, qua iuſti ut iuſti ſunt, à Deo diliguntur, ueram habeat amicitiæ rationem, quia ea non tantùm ut homines, ſed formaliter etiam ut amici diligantur, quia non commodi aut ſolius delectationis gratia, ſed in fœlicitatis conſortium, neceſſariò, in eo, qui diuinitus diligitur, aut iuſtus efficitur, redamationem ſupponit. Cum igitur nemo poſsit ſine Dei notitia Deum ipſum diligere, impoſsibile eſt, non quocunque pacto, ſed formali rerum repugnantia, ſine fide placere Deo. Quòd ſi ad habitus infuſos recurras, quos Deus ſine nobis poſsit infundere, ac proinde nos ſine fide, ſibi per gratiam infuſam reddere gratos, aduerte quòd licèt ex ſua eſſentiali ratione habitus infuſi habitibus acquiſitis non alligentur, quoniam habeāt omnino diſtinctas eſſentias, in adultis hominibus, tamen quantum ad rationes formales, ab eiſdem acquiſitis habitibus, neceſſariò dependēt. neque enim fides adulto infunditur, niſi fides acquiſita præceſſerit, neque ſpes, niſi habitus, aut ſaltem actus acquiſitus ſibi reſpondens prius in animo fuerit. Ita quoque charitas aut gratia, animi conuerſionem in Deum per acquiſitum amorem, neceſſariò ſupponit. Atque hoc eſt quod ubique docent propheticæ uoces, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos; & , Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſionem ueſtram &c. Quòd ſi infuſa gratia

Marc. 16.
Ioan. 3.
Ioan. 3.
Ariſtot. 8. & 9. Eth.
Zach. 1.
Hier. 3.

gratia aut charitas habitum acquiſitum, aut ſaltem actum charitatis ſupponunt, nunquam igitur poſſunt alicui infundi, ſine Dei notitia aut fide, quæ formali & neceſſaria ratione dilectionem præcedit. Incognita enim amare non poſſumus. Itaque totam hãc humanæ amicitiæ cum Deo ſiue per infuſos, ſiue per habitus acquiſitos rationem,
Ioan. 13. Chriſtus apud Ioannem depingit. Si quis, inquit, diligit me, diligetur à patre meo, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Deus ergo neminem ea dilectionis ſpecie, quæ iuſtos efficiat, quæque Deum, uel per habitus infuſos, uel per peculiarem illum illapſum, quo iuſtos inhabitat, in humanas mentes accerſat, quempiam diligit, niſi prius ab eo diligatur. Et ulterius, Ergo, cùm neceſſaria ac formali ratione, amor Dei fidem & cognitionem ſupponat, nemo ſine fide Deo placere poterit; quod docebat Apoſtolus.

Neceſſitas habendi fidem ad iuſtitiam, non moralis ſed logica aut Metaphyſica. Ex his & illa huius loci expoſitio colliditur, qua dicebant, impoſsibilitatem iuſtam, qua dicit Apoſtolus, impoſsibile eſſe ſine fide Deo placere, non impoſsibilitatem metaphyſicam aut logicam dicere, quæ à rerum uel uocabulorum formali repugnantia proueniat, ſed impoſsibilitatem moralem, qua quod multum eſt difficile, impoſsibile dicimus. Impoſsibilitas profectò moralis minor eſt quàm ea, quæ à præcepto deſcendit, utpote quæ tantùm ſit ipſa rei, quæ agitur difficultas; quo pacto impoſsibile eſt;
Marc. 10. diuitem intrare in regnum cœlorum, non quòd ſit ulla repugnantia formalis, ſed quòd difficulter diſponatur ad ingreſſum. Itaque ſi tantùm eſt moralis impoſsibilitas ſine fide, minus impoſsibile eſt, ſine fide iuſtificari, quàm ſine baptiſmo, quoniam ad baptiſmum re ipſa ſuſcipiendum lege tenemur, ad fidem uerò habendam nullo præcepto conſtringimur, ſed ſolùm erit difficile ſine fide conſequi iuſtitiam, non tamen aut ex rerum formali repugnantia, aut ex præcepto impoſsibile, immo magis erit impoſsibile ſine pœnitentia, ſine euchariſtia, & cæteris quibuſcunque, quæ in Chriſtiana religione præcipiuntur, iuſtitiam conſequi, quàm ſine fide, quoniam prior impoſsibilitas ab extrinſeco uoluntatis arbitrio, ideſt à præcepto proueniat, poſterior à rei difficultate; quæ tamen non eſt tanta, quæ uinci non queat. Sancit legem Imperator, ut quicunque pueritiam exceſſerit, in reipublicæ tutelam arma ſumat, alioqui & ſuarum fortunarum & uitæ iacturam faciat. hac profectò lege urgente, niſi arma, qui ſunt legitimam ætatem adepti, protinus ſumpſerint, impoſsibile eſt uiuere, non quòd eos prorſus uiuere repugnet (nec enim uita & hic homo, qui arma non ſumpſit, repugnant ex ſuis rationibus formalibus,) ſed quòd ab extrinſeco, ideſt à principis ſancientis legem, uoluntate, uiuendi impoſsibilitas huic homini incumbat. Hæc autem impoſsibilitas quanuis minor ſit illa, quæ prouenit à formali repugnantia, maior tamen eſt ea, qua cuipiam eſt impoſsibile, eum ſit diues, in regnum cœlorum intrare, aut cum ſit adoleſcens, cum uitæ licentia, caſtimoniam ſeruare. fuerit igitur ut, ſi apoſtolica uerba tantummodò moralem impoſsibilitatem inducerent, minor eſſet fidei neceſsitas, quàm quorumuis aliorum præceptorum, quæ in Chriſtiana religione iubentur. Poſtremò, nemo mortalium abſque ſacramento poteſt ab originali culpa purgari, ſine fidei & charitatis actu: ſola enim legis naturalis obſeruantia, abſque ullo diuinitatis intuitu, ut antea dicebamus, nequaquam culpa abſtergetur: ergo cùm uniuerſi poſt primi parentis delictum, ſimus fi-
Ephe. 5. lij iræ, Deo placere non poſſumus niſi per ſacramenta, quæ ille ſigna reconciliationis inſtituit, aut per pœnitentiam, aut demum per charitatis actionem. Originalis profectò culpa, in eo, qui actuale non habet, ſolo ſacramento deletur ſine ulla pœnitentia: in eo uerò, qui originali mortale quoque coniunxit, dolor quoque requiritur. in eo, qui ſacramento deſtituitur, aut uehementi charitatis actione, aut ingenti animi deuotione, quem fluminis baptiſmum ſolemus appellare. Is ergo, qui fide deſtitutus eſt, quantũuis legem naturalem obſeruet, culpa ſaltem originali expurgari non poterit, niſi aut ſacramenti uirtute, aut charitatis actione. ergo cum homo ille ſacramentum non habeat ex lege, niſi per actum charitatis, iuſtificari non poterit. charitas autem ſine fide, aut diuinitus infundi, aut humanitus acquiri non ualet. Eſt igitur impoſsibile, non quacunque ratione, ſed formali repugnantia, ſine fide placere Deo. Quòd ſi cũ originali, mortale quoq; coniunxerit, quod in adulto uel eſt neceſſarium ex quorundam ſententia, uel
Auguſt. ſaltem ſine illo eſſe, ſummè difficile, ſine pœnitentia iuſtificari non poterit; iuxta illud, Omnis, qui ſuæ uitæ conſtitutus eſt arbiter, inchoare non poteſt nouam uitam, niſi illum

lum pœniteat ueteris uitæ. Ergo cùm pœnitentia ſine Dei amore, amor antem ſine Dei notitia, haberi non poſsit, fides etiam in illo, qui legem naturalem obſeruar, ex ipſa rei natura neceſſariò requiritur. Eſt ergo Paulinæ ſententiæ legitimus ſenſus, impoſsibile eſſe, ſine fide placere Deo, ſine fide inquam, non tanrùm infuſa, ſed acquiſira, impoſsibile non tantùm impoſsibilitate, qnæ à præcepri neceſsitate proueniat, aut impoſsibilitare morali, qnæ non eſt aliud quàm rei difficultas, ſed impoſsibilitate formali, quæ ab ipſarum rerum formali ratione, & ab ipſa natura deſumitur. Nec tamen docemus, implicare contradictionem, hominem ſine fide præcedente, iuſtitiam accipere: quemadmodum contradictionem & repugnantiam includit, chimæram aut ſphyngem eſſe: poteſt enim Deus abſoluta potentia, non tantum hominem innoxium, qualis ab iſtis depingitur, ſed qui omni peccarorum contagione ſordeſceret, in ſuam amicitiam aſciſcere, ſi ita libêret: ſed docemus ſtante lege, qua neminem iuſtificare, niſi hoc uel de congruo, uel de condigno, per bonorum operum diſpoſitionem mereatur, decreuit, neminē ex illa naturali naturalis legis obſeruantia, & eius formali ratione, ullam meriti rationem contrahere: repugnat enim naturalis legis obſeruantiam naturalem, ideſt quatenus à nullo ſuperiori fine mouetur, Deo ullam obligationis rationē inducere. naturale enim quatenus tale, tantùm naturale merebitur, non item ſupernaturale: non tamen implicat contradictionem eadem opera, ſi Dens non leges, quas ſemel ſtatuit, ſed proprium uoluntatis arbitrium ſequetetur, ad uitam æternam idonea cenſeri, ſed hoc pacto & Iudæ proditio poſſet meriti rationem ſortiri. At iam ex his, ea, quæ eos Theologos ad contrariam opinionem impulerant, argumenta diluamus.

Paului legitimus ſenſus.

Ergo quod primo loco dicebant, hniuſmodi hominem, qui fide deſtituitur, & legem naturalem obſeruar, facere quod in ſe eſt, quaſi falſum negamus, immo prorſus repugnant, facere quod in ſe eſt, nt quis iuſtificetur, & quòd fidem non habeat. nam ſi quod in ſe eſt faciat ut iuſtificetur, ergo quod in ſe eſt facit, nt Dei amicus ex peccatore reddatur. nemo uerò ad Dei amicitiam anniti poteſt, niſi eundem per fidem, uel per alterius generis cognitionem cognoſcat. Abſurdum profectò eſt, eum quod in ſe eſt facere, ad conſequendam ſpiritualem iuſtitiam: qui nec ſpiritalem iuſtitiam ipſam, nec eiuſdem Iuſtitiæ doctorem agnouerit. facit ille quidem quod in ſe eſt, ad colendam honeſtatem & ad rectæ ac naturalis rationis amuſsim uitam afformandam, ſed non ad placandum Deum, aut expellendum peccatum, quod nunquam agnouit. Hic autem anniſus faciendi quod in ſe eſt, cum ſit ex ſua formali ratione quid naturale, ideſt naturam tantùm finem habens, nec de congruo nec de condigno aliquid ſpirituale meretur, ſicut ſi ego facerem quod in me eſt, non ut tibi placerem, ſed alia ratione, quæ nullum tui reſpectum nec actu nec uirtute includeret, nequaquam dicerer facere quod in me eſt, ut tuam amicitiam aſſequerer, unde nec de congruo nec de condigno mihi tuam gratiam aut amicitiam deberes. Et profectò iſti in hac parte, in foribus mihi delinquere uidentur, dum credunt, legis animalis obſeruationem qualemcunque, ad ſalutem ſufficere, quod eſt omnino falſiſsimum. non enim legis naturalis obſeruatio naturalis (ea eſt, quæ tantùm ſibi finem naturam præſtituit) diſpoſitio eſt ad gratiam, ſed ſnpernaturalis, quæ ſcilicet, non naturæ gratia, ſed diuinitatis, quaſi ultimus finis, intuitu fiat, cum nimirum homo parentes colit, non occidit, non adulteratur, non furatur, non falſum teſtimonium dicit, &c. non naturæ aut tantùm honeſti gratia, ſed Dei ipſius, qui naturam inſtituit. Itaque non qui quocunqne pacto opera à natura præcepta præſtat, quod in ſe eſt ut iuſtificetur facit, ſed qui ex numinis, quaſi finis ultimi intuitu, eandem exſequitur.

Soluitur prima ratio contraria ſententia.

Ex his ſecundæ rationis imbecillitas proditur. licèt enim non tantùm aliquod tempus, ſed multum detur, in quo quicquid homo uiator faciat, ſine Dei cognitione, & nequaquam Deo placere ſtudens, ſed naturæ colendæ gratia, aut ſtudio afformandæ uitæ rectæ rationi, non iuſtificetur, immo ſi tunc moriatur damnetur: quod libenter concedimns: non tamen dabitur aliqnod tempus, in quo uiator, quicquid faciat ſtudio conſequendæ gratiæ & ſpiritualis iuſtitiæ, non inſtificetur, immo confeſtim, cum huiuſmodi anniſu, ſpirituali inſtitia donabitur. Primum profectò nullum eſt inconueniens, poſterius, ſtante lege, maximum monſtrum. Scriptum eſt enim, Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos.

Secunda ratio diluitur.

Hierem. 3.

NEQVE nobis illa ſenteutia probatur, quæ huiuſmodi legis naturalis obſeruatoribus, cum eam tantùm natura imperante conſeruant, fidem diuinitus infundendam, aut Dei imperio, quod Cornelio Centurioni contigit, adminiſtrandam docet. fides enim, quemadmodum & gratia, charitas & cæteræ ſpirituales uirtutes, quæ interiorem iuſtitiam perficiunt, legis naturalis naturali obſeruantia, nec de congruo nec de condigno, ſub meriti rationem cadunt, quòd nimirũ ſint prorſus altioris ordinis, & quòd omnis actio aliquo horum modorum meritoria, ſibi Deum finem ultimum neceſſariò præfigat, quod hîc non contingit, quãuis gratiæ aut charitatis, quàm fidei, ad naturalem hanc rectè uiuendi rationem, maior ſit improportio, quod fateor. minus enim repugnat hominem iſtum iuſtum, naturaliter illa legis naturalis obſeruatione fidem promereri, quàm charitatem aut grariam, quòd immediatius cum Deo ipſo coniungat & ſpiritualiter iuſtum efficiat. Eſt tamen legis naturalis, naturalis obſeruantiæ, improportio & ineptitudo quæ ſufficit, ut ſub merito eius uel de congruo, uel de condigno fides aut prædicatio non cadat, nec ſit aliqua ratio iuſtitiæ, quæ ad impertiendam fidem, Deum ſic obſeruanti legem naturalem, deuinciat. Sed neque illud urget, quod tamen aliquam æquitatis imaginem habere uidebatur, quòd ſcilicet, qui ſolo ſtudio colendæ honeſtatis uirtutes excoleret, ſi eidem Dei notitia fuiſſet reuelata, & futuræ fœlicitatis brauium, quod iuſtos expectat, fuiſſet propoſitum, idem fuiſſet, immo maiori ſtudio facturus, & ad numinis uoluntarem uitam afformaturus, hoc inquam tantùm abeſt ut urgear, uel ad fidem, uel ad gratiam impertiendam, ut multos uideamus, qui cum Dei notitia polleant, in colenda & operanda uirtute, non Dei, ſed ipſius tantùm honeſtatis amore ducantur. In quo numero ſunt Stoici philoſophi, immo & Peripatetici, qui omnes, cùm unam principem cauſam faterentur, non tamen rectis ſuis operationibus, aut uirtutum culturæ, Deum finem præfixerunt, ſed honeſtum ipſum, cuius fruitionem ſufficientiſsimum præmium communi ſuffragio rebantur. Immo Auerroës inter naturæ cul-

Lib. de Re-pu. Plato. tores non omnino poſtremus, neque Chriſtianos, neque Arabes ueram aliquam uirtutem habere docet, quòd quæcunque faciant, non uirtutis amore, ſed diuinitatis cauſa praſtent, aut (quòd magis uirtutis rationem apud illum deterit) commodi, id eſt futuræ fœlicitatis gratia, aut pœnæ, quam malefactis poſt uitam rependendam credimus, timore. Non igitur naturalis iſta uirtutum cultura, ideſt quæ à natura tantùm imperatur, & religioſa earundem obſeruantia, ideſt quæ à Dei notitia, & eidem placendi ſtudio dirigitur, adeò ſunt affines & germanæ, ut una alteram mereatur, ut iſti putant, ſed ſunt potius res diſsitæ & impertinentes.

Tertia rationis dilut. EX his, tertiæ rationis uigor labaſcit. nec enim miraculum, ut de lege ordinaria quis conſequatur ſalutem, neceſſarium exiſtimo, ſed quoties ex fide & dilectione peccatorum pœnitet, iuſtitia donabitur, modò tamen ille, qui Dei iuſtitia deſtituitur, nec fidem habet, nec dilectionem. ergo ita manens nec iuſtificari poterit, quantumuis naturalem legem naturaliter colat.

Solu. 4. rõ. INGENS eſt quartæ rationis infirmitas. bonum profectò ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus. Vnde non mirum quòd toto uitæ tempore, iuſtorum ſpiritualis iuſtitia per eorundem mala opera ſit obnoxia diſcrimini, & rurſus ſine fide & charitate eadem non poſsit haberi. Itaque pronior eſt quidem Deus ad miſerendum quàm ad puniendum, ſed cum uidet in peccatore congruam diſpoſitionem, quæ profectò non eſt illa naturalis iuſtitia, quæ ex legis naturalis naturali obſeruantia, deſcendit; miſericors dicitur Deus, non quando tale nihil merentibus, aut cogitantibus, culpam remittit, ſed cum propter uerum dolorem, ueram animi dilectionem aut opera, propter illum, quaſi propter finem ultimum facta, peccatum condonat.

Quinta rationis dilut. HIS omnibus facilius quinta ratio diluitur. non enim ex hac doctrina ſequitur præcepiſſe Deum impoſsibilia, quòd ille, qui fide deſeritur, ſine fide ſaluari nequeat. Impoſsibile profectò uocamus, quod cùm totis uiribus annitimur, præſtare non poſſumus, ut cœlum digito attingere. neque enim ea, quæ nunquam ſomniaſti, tibi impoſsibilia dicuntur: qui autem omnino fide, aut Dei notitia deſtituitur, nunquam ad animæ iuſtitiam annititur. neque enim eam aut eius unquam datorem cognouit. non eſt igitur illi impoſsibile Dei præcepta implere. Annitentibus autem non modò non ſunt impoſsibilia, ſed neque difficilia. nam & ipſe niſus implendi, in diuino iudicio cenſetur imple-

tio, unde illi, qui iuſtitiam, & Dei amicitiam niteretur habere, niſus ipſe & conatus conciliaret iuſtitiam, atq; in hoc non parum Euangelicæ dulcedinis, quam Chriſtus iugum Math. 11. ſuaue & leue uocat, eſt ſitum. neque uerò Chriſtus ab hominibus neceſſariò exigit, ut ſint prophetæ. fides enim non tam hominibus præcepto proponitur, quàm totius ædificij Chriſtiani fundamentum ſubſternitur, quod ſi quacunque ratione deficiat, nihil prorſus ædificari queat, & ſi fuerit ædificatum. totum protinus concidet. eſt fides in ſpiritali iuſtitia quòd in cæteris quibuſcunque rebus ſolet eſſe cognitio: cognitio uerò, non præcipitur, ſed omnes leges & præcepta præcedit. nihil enim prorſus præcipi poteſt, niſi illius, qui præcipit & eius, quod præcipitur cognitio præcedat. Fides igitur non præcipitur hominibus, ſed per eam uniuerſa diuina præcepta innoteſcunt. non ergo ſi fides eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, tenemur eſſe prophetæ, aut diuini, quoniam fides non nobis præcipitur, niſi eo pacto forſan, quo gratiam aut charitatem infuſam habere iubemur. nec tamen hinc colligitur, fidem non eſſe neceſſariam, immo ſequitur adeo eſſe neceſſariam, ut nullo pacto poſsit indici præcepto. Eſt enim neceſſaria non neceſsitate præcepti, quæ ab extrinſeco uenit, ſed ex ipſa ſpiritualis iuſtitiæ natura, quæ nullo pacto ſine Dei notitia coaleſcere poteſt. Neque enim quis Deo aut amicus eſſe aut ab eo gratiam conſequi poteſt, ut ſæpe diximus, niſi eundem agnoſcat: quemadmodum, nec cum homine gratiam poſſum inire, niſi eundem agnoſcam. neq; uerò quod apud Ioannem Chriſtus inquit, Si non ueniſſem & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. & ſimilia, præceptum eſſe de fide conuincunt, ut quidam uoluerunt. non enim ibi peccatum illud, quod Chriſtus Iudæis imputandum minatur, à träſgreſsione præcepti credendi deſcendit, ſed docet eo damnandos eſſe, quòd oblatam gratiam Euangelij repulerint, atque adeò peccatum totam Euangelicæ legis tranſgreſsionem appellat, quam ſi credidiſſent, ſeruaſſent. Damnabuntur igitur qui fide prorſus deſtituuntur; damnabuntur & illi, qui oblato Euangelio, non conſenſerunt, ſed non eiſdem peccatis aut eadem ratione. Priores enim propter alia peccata, & originalẽ defectum; poſteriores propter hæc quidem & propter Euangelij repulſam, quod illic Chriſtus peccatum appellat. Non itaque eis præcepti credendi, ſed totius Euangelicæ legis tranſgreſsio imputabitur. Eſt igitur fides unius Dei neceſſaria ex natura ſpiritualis iuſtitiæ non ex præcepto, quæ tamen maior neceſsitas: atque ideò nullo diuino præcepto, aut eſſe prophetæ præcipimur, aut aliqua alia ratione ad impoſsibile cogimur. Quòd ſi quæras, quare non prorſus patulam & omnibus obuiam religionem, quæ eſſet medium conſequendæ ſalutis, nobis Chriſtus tradiderit, & in qua nihil eſſet noſtra ratione ſublimius, aut quare illos Euangelica prædicatione deſtituat, his uerò indulgeat? Reſpondeo, ſunt hæc altiora myſteria, quàm quæ humana ratio poſsit metiri, uel longiorem, & alterius loci diſputationem deſiderant. Solut. 7. ratio. ſeptimæ tandẽ rationis quæſtioni, in qua huius opinionis auctores inquirunt, quare in præcepto fidei maiorem obſeruamus quàm in aliis rigorem, ex his, quæ modò diximus, reſpondemus, quòd ideò, quòd non ſit præceptum. nam ſi eſſet præceptum, non modò eundem, quem in cæteris ſeruaremus rigorem, ſed multò minorem, quanto eſſet nimirum res magis difficilis, & magis ad ſalutem neceſſaria. ſed fidei neceſsitas prouenit à natura ſpiritualis iuſtitiæ uti diximus, quæ nullam temperationem patitur. quæ enim ad naturam pertinent, temperari non poſſunt, quemadmodum illa, quæ à uoluntate, & extrinſeca cauſa.

Quòd ſine fide, ſecundum rationem formalem fidei, ideſt, quatenus eſt notitia certa in Deum, quaſi in obiectum ſupranaturale animam mouens, nemo poſsit conſequi ſalutem, etiamſi aliunde eas res, quas fides docet, cognouerit. Cap. VIII.

NVnc iam alteram huic affinem controuertere licet, qua quæri ſolet, An, eſto quòd ſine fide, fidem pro quacunque notitia ſumendo, nemo poſsit adipiſci iuſtitiam, & cum Deo gratiam inire poſsit; nec qui Euangelica prædicatione deſtituitur, ac proinde fidei; ſecundum fidei formalem rationem, dum aliàs Dei notitia polleat, iuſtitiam ſpiritualem lucrati.

Eſto, aiunt, naturæ uir prudentiſsimus, qui uel rationis naturalis indagine, uel
parentum aut reipublicæ auctoritate, Deum eſſe cognouerit, ad quem tamen non-
dum Euangelica prædicatio peruenerit: hic ſciat eſſe non tantùm uniuerſalis natu-
ræ, ſed & rerum humanarum prouidentiam, ex qua & iuſtos præmia & peccatores poſt
mortem maneant certa ſupplicia, quod & Plato & nobiliores Philoſophi, & reſpublicæ
ſemper probarunt: agat & operetur hic omnia, ex ea prouidentiæ & diuinitatis noti-
tia, quaſi ex ultimo fine: poterit'ne hic ſine fide, hoc eſt, ſine reuelata iſta notitia,
quam fidem uocamus, quæ cum ſit certiſsima, eſt tamen ineuidens, iuſtitiam obtinere?
Nam non poſſe quidem, quòd impoſsibile ſit ſine fide placere Deo, docet Apoſtolus, ob-
ſtare uidetur. contrà tamen quòd poſsit, hæ rationes ſuadent. primò quidem quòd
Rom. 1. mundi ſapientes incuſet Apoſt. quòd cùm Deum cognouiſſent, non illi detulerunt diui-
nos honores, quodque ueritatem Dei in iniuſtitia detinuerint; unde uiæ reuelationem
de cœlo meruerint, immo eos lumine naturalis rationis ducente, iuſtitiam Dei cogno-
uiſſe teſtatur, Qui cùm iuſtitiam (inquit) Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quòd
qui talia agunt, digni ſunt morte; non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt
facientibus. Deinde fides nihil aliud operari uidetur in efficienda ſpiritali iuſtitia,
quàm finem oſtendere, in quem opera noſtra ſint dirigenda. cum hoc igitur naturalis
poſsit operari cognitio. (nam Dei eſſentiam & unitatem ſufficienter oſtendit, iuxta illud
Apoſtoli, A' creatura enim mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſem-
Rom. 1. piterna quoque eius uirtus ac diuinitas, ita ut ſint inexcuſabiles,) non multum neceſ-
ſaria ad operandam eandem ſpiritualem iuſtitiam, fides uidetur. Adde quòd fides,
quam neceſſariam ut quis Deo placeat, præſcribit Apoſt. naturali rationis indagine po-
Heb. 11. teſt conſtare, Oportet, inquit, accedentem ad Deum credere quòd ſit; & quòd inqui-
rentibus ſe remunerator eſt; quæ duo non modò nobiliores philoſophi, naturali cogni-
tione attigerunt, ſed illuſtres quæque reſpub. ſemper pro comperto habuerunt. Immo,
Aelianus de ut hiſtorici tradunt, nemo barbarorum, ad contemptum Deorum unquam excedit, ne-
uaria hiſt. que in dubium uocauit, ſint'ne dij, an'non ſint, curent'ne res humanas, an'non, neque
lib. 2. Aegyptius, neque Indus, neque Celta eam cogitationem in animum induxit, præter
quoſdam malè feriatos Græculos Euemerum Meſſenium, Dionyſium Phrygem, Hyp-
ponem Agrigentinum, Diagoram Melium, Theodorum Cyrenaicum, Epicurum, So-
ſiam, Democritum, & Lucianum: reliqui omnes uel propria ſapientia, uel auctoritate
maiorum cum Sophocle dicunt,

Eſt magnus in cælo
Iupiter, qui inſpicit & imperat.

Meta. li. 13 et cum Naſone

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.

In capti. et cum Plauto

Eſt profectò Deus, qui quæcunque facis, & uidet & iudicat.

De quibus multa Plato, tum aliis locis, tum dialogo decimo de legibus, & Ariſt. duo-
decimo libro de prima philoſophia, & apertius lib. de mundo ad Alexandrum (ſi mo-
dò eius libri ipſe auctor ſit) quo ueriorem & ſanctiorem philoſophiæ rationem, in epi-
tomes modum eidem principi tradidiſſe dicitur: Chryſippus apud Gellium lib. noctium
Atticarum ſeptimo, Plotinus Platonicus, & Alexander Aphrodiſienſis &c. & inter la-
tinos M. Tullius Cicero, cum alibi, tum libris de Natura deorum, de Fato, & de Di-
uinatione &c. & Seneca, quanquam & ipſe Stoicus lib. de Prouidentia, & ante hos mul-
tis ſæculis, ut Iamblichus teſtatur, Seleucus uiginti millibus uoluminum, Menetheus
uerò uigintiſex millibus. Quòd ſi dicas gentes, diuinitatis quidem obtinuiſſe notitiã,
& prouidentiã cognitione attigiſſe, multis tamen falſis opinionibus, & ſententiis eandem
Lib 2. nat. deturpaſſe, diuinitatem enim in multa numina diuiſerunt, & ut Plinius ſecundus inquit,
hiſt. c. 7. fragilis & laborioſa mortalitas in partes diuinitatem digeſsit infirmitatis ſuæ memor, ut
portiones coleret quiſq; quo maximè indigeret, & ſunt qui fato cuncta reſpiciant, quod
Cic. lib. de fecerunt Stoici, & inter eos, qui prouidentiam ſtatuunt, quidam, qui tamen elegantio-
fato. res cenſentur, eandem uſque ad lunæ tantùm ſphæram producunt, quaſi cætera temera-
Plutarchus de decre. phi rið ducantur, quin & Plato qui tamen in hac parte propinquius ad ueritatem acceſsiſſe
loſ. & pla- uidetur, ut lib. 2. diximus, triplicem prouidentiam ſtatuit, uniuerſalem unã, quam ipſi

Deo

Deo tribuit, minus communem alteram, quæ iuniorum deorum uirtutem ſuam terris effundentium eſt propria, tertiam propriam dæmoniorum, qui partem hanc mundi inferiorem adminiſtrant: Inter quas ſententias quanuis Platonica ueritati maximè accedat, nulla cum his, quæ de prouidentia, diuina reuelatione ſumus edocti, per omnia cohæret. nam eſſe Dei prouidentiam fides docet, in quo nobis cum his philoſophis conuenit: eam uerò, uel ad iuniores deos uel ad dæmones pertinere, quod Platoni uidetur, aut ad globum tantùm lunæ pertingere, quod, ut doctiores Peripatetici docent, & Ariſtot. uoluit, eadem abnuit, cùm Deus uel minima quæque prouidear, & ex æquo cunctis ui ſua adſit & conſulat. Quòd ſi hæc (inquam) obiicias, aduertas oportet quòd ex Platonicis quibuſdam lib.2. cap. poſtremo retulimus, Deorum multitudinem, non tam re ipſa creditam quàm diuerſis nominibus, quæ diuerſas proprietates exprimerent, ipſam diuinitatem à ſapientibus enuntiatam. Innumeros Deos (inquir Plinius) credere, atque etiam ex uirtutibus uitiisque hominum, ut pudicitiam, concordiam, mentem, ſpem, honorem, clementiam, fidem, aut (ut Democrito placuit) duos omnino pœnam, & beneficium, magnam ad ſocordiam accedit. Plato etiam unicum rerum principium, à quo cuncta proceſſerint, etiam illi quos iuniores deos appellat, in Timæo conſtituit, quod libro de prima philoſophia duodecimo & Ariſtoteli placuit: immo nõ tantùm cunctis ab initio ſapientibus, ſed plebi etiam diuinitatis uirtutem ſemper fuiſſe approbatam, apud Arnobium docet Octauius, cuius uerba quòd ſint elegantiſſima, & in hanc rem accommodatiſſima, nobis ſunt ſcribenda. Quid (inquit) quod de iſto (loquitur autem de Dei unitate) omnium habeo conſenſum, audio uulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicere, Et Deus magnus eſt, & Deus uerus eſt, & ſi Deus dederit. uulgi iſte naturalis ſermo eſt an Chriſtiani confitentis oratio? Et ſubinde, Audis poëtas quoque unum patrem diuûm, atque hominum prædicantes, & talem eſſe mortalium mentem, qualem parens omnium Deus induxerit. Quid Mantuanus Maro? non'ne apertius & proximius uero, Principiò, ait, cœlum & terras, & cætera mundi membra, ſpiritus intus alit, & infuſa mens agitat: Inde hominum pecudumque genus, & quicquid aliud animalium. Idem alio loco mentem iſtam & ſpiritum, Deum nominat. hæc enim uera ſunt; Deum nanque ire per omnes terrasque tractusque maris cœlumque profundum. Vnde homines & pecudes, unde imber & ignis. quid aliud à nobis, Chriſtianis ſcilicet, Deus quàm mens, & ratio, & ſpiritus prædicatur. Hactenus Octauius. Vbi uides ex eiuſdem ſententia, etiam uulgi opinioni, quam uel ipſa natura, ut Cicero docet, uel auita traditio, medullitus animis infunderat, cum Chriſtianis, quantum ad numinis unitatem ſpectat, per omnia conuenire. Recenſetque ſubinde omnium penè philoſophorum ſententias, quas omnes in hoc conuenire credit, ut Chriſtianæ doctrinæ de Dei exiſtentia & unitate, & quòd omnia ab eodem Deo quaſi ab unico principio deriuentur, dogmata comprobent. Vides ergo ferè conſonam nedum ſapientum (excipio ſemper Atheos illos, quos dixi) ſed & uulgi cum noſtra de Dei exiſtentia & uno numine profeſſione ſententiam. Vides deinde quàm conſono iudicio ab eodem numine cuncta, ſiue ſecretos à materia ſpiritus, quos deos minores aut iuniores uocabant, ſiue concretam hanc rerum materialium machinam, & demum uniuerſitatem hanc, quam mundum uocamus, deriuatam crediderint. Quàm uerò facilis fuerit, non falſæ & truncatæ prouidentiæ, qualem Plato, Ariſtoteles uel alij quicunque philoſophi docuerunt, appingit, ſed integræ & ueræ, qualem nos confitemur, perfecta cognitio, ita ut ſine fide per ſolum naturalis rationis inſtinctum appræhendi poſſet, ex eodem audiamus: Quo magis (inquit) mihi uidentur, qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum uolunt, ſed temerè fruſtis cohærentibus conglobatum, mentem, ſenſum, oculosque ipſos non habere. quid enim poteſt eſſe, tam apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra circaque luſtraueris, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum uide quàm latè tenditur, quàm rapidè uoluitur, in nocte aſtris diſtinguitur, uel in die ſole illuſtratur. Iam ſcies quàm ſit in eo ſummi moderatoris mira & diuina libratio: uide annum ut ſolis ambitus faciat, & menſem, uide ut luna auctu, ſenio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis dicam recurſationes, ut ſit nobis operis & quietis alterna reparatio?

[Marginal notes:] [Pla]tonici omnes, Iamblichus Plotinus &c. — Lib.2. nat. hiſt. cap.7. — Lib.8. contra gentes.

tio? relinquenda uerò Aſtrologis prolixior de ſyderibus oratio, uel quæ regant curſum nauigandi, uel quæ arandi, metendiq́; tempus inducant, quæ ſingula non modò ut crearentur, fierent, diſponerentur, ſummi opificis, & perfectæ rationis eguerunt, uerùm etiam ſentiri, perſpici, intelligi, ſine ſumma ſolertia & ratione non poſſunt. Quid cùm ordo temporum hac frugum uarietate diſtinguitur, non'ne auctorem ſuum parentemq́ue teſtatur? uer æquæ cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſsibus, & autumni maturitas grata, & hyberna oliuitas neceſſaria, qui ordo facilè turbaretur, niſi maxima ratione conſiſteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hyems ſola glacie ureret, aut ſola æſtas ardore torreret, autumni & ueris inſerere medium temperamentū, ut per ueſtigia ſua anni reuertentis, occulti, & innoxij trāſitus laberentur. Mari intende, lege littoris ſtringitur: quicquid arborum eſt, uide quàm & terræ uiſceribus animatur. Aſpice Oceanum, refluit reciprocis æſtibus; uide fontes, manant uenis perennibus; fluuios intuere, exercitis lapſibus. Quid loquar aptè diſpoſita tecta montium, collium flexa, porrecta camporum? quid animantium loquar aduerſus ſeſe tutelam multiformem, alias armatas cornibus, alias dentibus ſeptas & fundatas ungulis, & ſpicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pennarum? ipſa præcipuè formæ noſtræ pulchritudo, Deum fatetur artificem, ſtatus rigidus, uultus erectus, oculi in ſummo, uelut in ſpecula conſtituti, & omnes cæteri ſenſus, uelut in arce compoſiti. Longum eſt ire per ſingula, nihil in homine membrorum eſt, quod non & neceſsitatis cauſa ſit & decoris, & quod magis mirum eſt, eadem figura omnibus, ſed quædam unicuique lineamenta deflexa, ſic & ſimiles uniuerſi uidemur, & tamen inter nos ſinguli diſsimiles inuenimur. Quid naſcendi ratio? quid cupido generandi? non'ne à Deo data eſt, & ut ubera partu matureſcente lacteſcant, & ut tener fœtus ubertate lactei roris adoleſcat? Nec uniuerſitati ſolummodò Deus, ſed & partibus conſulit. Britannia ſole deſtituitur, ſed circunfluentis maris tepore recreatur, Aegypti ſiccitatem temperat Nilus, colit Euſrates Meſopotamiam, pro imbribus penſat Indus flumen, & ſerere Orientem dicitur & rigare. Quòd ſi ingreſſus aliquam domum omnia exculta, diſpoſita, ornata uidiſſes, utique præeſſe ei crederes dominum, & illis bonis rebus, multò eſſe meliorem. Ita in hac mundi domo, cum cœlum, terramq́ue perſpicias, prouidentiam, ordinem, legem, credere eſſe uniuerſitatis dominum, parentemq́ue ipſis ſideribus, & totius mundi partibus pulchriorem. Hactenus de prouidentia Octauius. Quæ omnia uides ſolius naturalis rationis inſtinctu, poſſe apprehendi, nec tantùm fidei cognitioni ſubeſſe. Nec eſt cogitandum hæc Octauium, hominem Chriſtianum, prius fide reuelante cognoſſe, naturali rationi conformia intellexiſſe, quod Chriſtiani ſapientes facere ſolent. His enim uel æqualia uel elegantiora de prouidentia, inter gentes, naturæ conſulti dixerunt, ut Plato Seneca, &c.

Ex his, quæ prolixiori ſermone protulimus, iam in hunc modum arguimus, Fides, quam ab his, qui Deo placere debent poſtulat Paulus, eſt credere quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe, ſit remunerator. per quæ duo unius Dei exiſtentiam & prouidentiam intelligit: at hæc duo immo alia plura abditiora, nuda ratio naturalis conſequitur. poſſunt igitur multi ex hac naturali notitia placere Deo, ac proinde ſpiritualem iuſtitiam accipere.

Dominicus Sotus lib. 2. de nat. & grana c. 2.

His ac ſimilibus rationibus, adduci potuerunt quidam noſtra memoria, ut multos, ſine fide, ſolo naturalis lucis radio illuſtratos, præſertim ſtatu illo naturæ, qui legem anteceſsit, aut poſt datam legem, apud gentes conſequi potuiſſe iuſtitiam, ſi ex eadem notitia rectè operarentur, conſtanter aſſererent. Tunc (aiunt) non erant myſteria ulla ſupernaturalia creditu neceſſaria, ſed id tantùm quòd eſſet Deus, & quòd idem eſſet remunerator: ad quod efficax erat acumen naturale ingenij. Ad quam ſententiam & ſanctum Thomam Aquinatem in epiſtolæ Pauli ad Romanos commentario, uolunt pertrahere, in eorum uerborum interpretatione, Naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt. Naturaliter, inquiunt, ideſt ex cognitione naturali, quæ ſufficiebat illo ſtatu ad ſalutem, quāuis neceſſaria fuerit gratia ad mouendum affectum.

Prioris ſententiæ improbatio.

At, eadem iſti docere tenentur de Euangelico ſtatu, apud eos, qui Euangelicæ religionis doctrinam, quòd eos non acceſſerit, non acceperunt. ſicut enim modò communi lege, quam uocant ordinariam, eſt neceſſarium, explicitam de Chriſto mediatore fi-

dem

dem habere, ita illo ſæculo nec apud Dei populum, nec apud gentes ullus conſequebatur ſalutem, ſine eiuſdem Chriſti fide implicita. Ergo ſi illo ſæculo ſine fide, quæ tunc erat neceſſaria, poterat ſalus conſtare, & hoc, ſine ea, quæ modò requiritur, quoque conſtabit. Itaque hi conſequenter docebunt, hominem in remotiſsima regione nutritum, qui prorſus religione deſtitutus, ſola ſagacitate naturæ in Dei prouidentiæ cognitionem aſcenderet, perinde conſequuturum ſalutem & cum Deo gratiam initurum. Verùm hæc ſententia mihi probari poteſt, utpote quæ & falsò prorſus fundamento connitatur, & fidei naturam non ſatis expendat. falſum eſt profectò & contra ſanctorum patrum communem ſententiam, ſiue de naturali ſtatu, ſiue de quocunque loquaris, duntaxat, duplicem illam, quam præſcribit Apoſt. notitiam requiri. Nam præter illam, quam ſemper fuiſſe neceſſariam in recentibus, ex communi Eccleſiaſticorum ſententia docuimus, Chriſti fidem, iuxta illud, Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. notitia quoq; unitatis Dei, itē mundi creationis omni potentiæ &c. in quocunque ſtatu neceſſariò expetuntur. crediderunt gentes multæ Deum eſſe, crediderunt & diuinam prouidentiam mundo proſpicere, nec tamen unum tantummodò numen fatebantur, ſed plura. ſed & illorum, qui unum Deū & prouidentiam docebant, & crediderunt, quidam ingenitum, & quidam genitum, & qui genitum, quidam à Deo, quidam ab inferioribus numinibus, ut lib. ſecundo docuimus, conditum docent: quos errores, non omni ſtatu impediuiſſe ſalutem, qui diceret, non rectè ſentiret. Nec illi ſunt audiendi, qui uolunt, in illis duabus notitiis, quas acceſſuro ad Deum præfigit Apoſtolus, implicitè, aut uirtualiter, omnes illas notitias includi, niſi forſan ea ratione, qua in eiſdem uel lex Moſaica, uel integrum Euangelium includitur, idest nullo pacto, id in alio includi uirtualiter dicimus, quod ex conceſſa conſequentia deducitur. nam cum uirtualiter continere, iuxta propriam loquendi formam, non ſit aliud quàm illud ineſſe poſſe producere, iuxta duplex eſſe rerum, duplex quoque continentia conſurgit. Habent res & eſſe reale & intentionale, quod quidam ſcholaſticorum, cognitum nocant. Nam Socrates, & eius proprietates, & in ipſa natura realiter & in intellectu conſiſtunt. Illud ergo ineſſe reali uirtualiter continet aliquid, quod potens eſt ad idem, quaſi proprium effectum producendum ineſſe reali, quo pacto & pater filium, & arbor fructum, & nubes pluuiam, uirtualiter continent, quoniam nimirum re ipſa, quaſi cauſæ, ſua propria uirtute, ad realem eſſentiam poſſunt illa producere. ſimiliter illa ineſſe cognito, aut intentionaliter, quæpiam continere dicuntur, quæ quaſi ueræ intentionales cauſæ, in eſſe quoque intentionali, aut cognito poſſunt producere, qua ratione propoſitiones præmiſſæ, concluſionem & ſubiectum quod uocamus attributionis, ideſt res, de qua agit ſcientia, uniuerſas eius ſcientiæ notitias continet & includit. in his enim quaſi in ueris efficientibus cauſis, ſubordinatis tamen in agendo, intellectui, uniuerſæ, quæ per logicum diſcurſum ex eiſdem poſſunt recta conſequentia & inferendi ratione deduci, uirtualiter implicari aut deliteſcere dicimus. unde qui formaliter nouit hominem eſſe rationis capacem, nouit quoq; eundem eſſe riſibilem, aut eſſe prudentem. nouit & cætera quæcunque de homine naturali poſſunt ſciri, non quidem formaliter, ut prius illud enuntiatum, ſed uirtualiter aut implicitè, quòd ſcilicet hæc uniuerſa, in priori enuntiato implicentur. Eadem ratione in rebus, quæ nullam habent à natura ipſa neceſsitatem, quas contingentes uocamus, qui nouit Socratem furem, nouit & iniuſtum, nouit & perfidum, & reliqua omnia, quæ illi priori notitiæ ſolent eſſe coniuncta. Nunc ad rem regrediamur. ſi in illa duplici notitia, quam Dei gratiam inituro præſcribit Apoſt. Chriſti fides implicita, quæ ſemper poſt caſum fuit neceſſaria, unitatis Dei notitia, creationis &c. implicitè, (ut aiunt) aut uirtute claudatur, cum non priori illo & reali modo, ſed intentionali, in eadem ſint latère dicendæ: poſſunt igitur, intellectus & ſententiarum formali ac neceſſario conſequio, ex illa deduci, aut duæ illæ notitiæ Apoſtolicæ, quaſi ueræ efficientes cauſæ, poſſunt illas poſteriores notitias intellectus, cui in efficiendo ſubordinantur auxilio, ineſſe cognito aut in intentionali deducere, quod idem eſt. Rectè igitur ſequetur; Deus eſt, ergo Deus eſt unus; Deus eſt, ergo Deus mundum ex nihilo condidit; Deus eſt, ergo intelligentias à materia ſecretas, ineſſe produxit; Deus eſt, ergo non fuit ab æterno, ſed in temporis initio conditus mundus; Deus eſt, ergo eſt omnipotens,

Act. 4.

Scotus.

potens, & ſimilia, quæ tamen poſt peccatum credere etiam apud gentes, qui Deo placituri erant, tenebantur omnino. Ex ſecunda etiam notitia, quæ ad prouidentiam ſpectat, rectè ſequetur, Deus inquirentibus ſe eſt remunerator, ergo peccatum originale eſt; Deus remunerator eſt inquirentibus, ergo aliquis inter Deum & homines futurus eſt aliquando mediator &c. Quàm uerò malè ex his aſſumpris, quamque parua rerum aut rationis neceſsitate hæ collectiones fiant, uel parum eruditis non eſt arduum cognoſcere. Primam illam illationem, qua ex Dei exiſtentia unitas infertur, profectò gentes, quæ diuinitatem in multa diſſecuerunt, negaſſent, neque ullæ rationes, quæ neceſſariò humanum intellectum conuincant, ex diuinitatis exiſtentia unitatem deducunt, ut libro de Theorematibus fidei, optimè docet Scotus. Secunda illatio, qua ex Dei exiſtentia, mundi creatio deducitur, prorſus eſt inualida. Summi enim philoſophi, & qui maximè ualuerunt ingenio, cùm Deum eſſe, perſuaſum haberent, mundum tamen fatentur ingenitum, & Deo coæternum, ut lib. ſecundo docuimus: eodemque defectu laborat tertia. docet Ariſtoteles Deum eſſe, nec tamen intellectuales illas, & à materia ſecretas ſubſtantias, à Deo ipſo concederet factas, quòd id, quod aliqua ratione acceperit eſſe, neceſſe ſit interire: quod rebus materia carentibus adaptari non poteſt. Quartam conſequentiam Plato negaret, qui cùm Deum eſſe, & ab eodem mundum genitum doceat, initio tamen temporis, & non ab æterno incœpiſſe eſſe, prorſus iret inficias. Demum quintam idem Plato nunquam concederet, qui tetum infernarum, immo & hominũ plaſmationem, aliis diis minoribus tribuit. quæ ſentẽtia modò multis Iudæis & initio naſcentis Eccleſiæ, multis hæreticis placuit. Immo neque Ariſtoteles eam concederet, qui iuxta ſapientiorum Peripateticorum ſententiam, primæ rantummodò intelligentiæ primam cauſam effectricem conſtituit, à qua, ſecunda gignatur, à ſecũda, tertia, uſque ad ultimam; quæ orbi lunæ præſidens, totam hanc rerum in iſtarum congeriem produxerit: cuius contrarium, ſolius rationis uigore non demonſtrari, magnis rationibus, docet Scotus. Quam ſententiam libro de mundo ad Alexandrum, ubi de prouidentia agit, ipſemet Ariſtoteles, aut quiſquis ille auctor fuit, qui librum eum conſcripſit, docere uidetur, dicens Deum non immediatè ſingulis rebus intendere, ſed quemadmodum olim Artaxerſes in Ecbatanis, tantùm throno aureo ſedens, per miniſtros latiſsimas prouincias gubernabat, toti mundo proſpiceret. Secundi etiam generis illationes, quàm prauè fiant, procliue eſt cognoſcere. grauiſsimi profectò philoſophi prouidentiam ſtatuerunt, qui nihil de peccato cogitarunt, nec de peccati remedio, quòd ſi (ut multum) de peccato, quod uniuerſum humanum genus inuaſiſſe cognoſcerent, & de remedio cogitaſſent, non perinde oportebat, ut adeò mediatorem dandum, qui nos eidem reconciliaret, aduerterent. fuerunt enim aliæ rationes, ut auctores ſacri, & ſcholaſtici docent, generis humani ſanandi. Quòd ſi tandem, mediatorem diuinitus dari, qui cœlo noſtrorum peccatorum medelam deferret, oportere, cognoſcerent, non perinde Deum & hominem, in quem cuncti iuſtificandi integra fide & ueritate contenderent, ſequebatur futurum. poterat enim noſtram redemptionem operari Deus, ſi ita libuiſſet, per hominem purum. Vides igitur illam duplicem notitiam, qua Deus & eſſe, & inquirentibus ſe remunerator cognoſcitur, nequaquam iſtarum notitiarum, quæ tamen omni ſæculo poſt peccatum fuerunt neceſſariæ, cauſas intentionales habere, quoniam eas ſcilicet in neceſſaria conſequentia, in eſſe intentionali, non poſsit producere. non igitur in illa Paulina notitia, uniuerſa alia, quæ ad ſalutem neceſſarium erat profiteri implicitè, aut uirtute latebant ni forſan (ut dicebamus) eo pacto, quo totum inſtitutum Euangelicum, in eiſdem lateret, ideſt, ut planè loquamur, nullo pacto. Non igitur ſatis erat, uel in lege naturæ, uel alio quocunque ſtatu, illa duplex notitia, ſed multa alia requirebantur non quauis ſed neceſſaria ratione. Eſt ergo Paulini loci legitimus ſenſus, non quòd acceſſuro ad Deum duplex illa (quæ tamen ſine fide poterat naturâ conſtare) notitia ſufficiat, ſed quòd ea quaſi fundamentum iuſtitiæ neceſſariò requiritur, quemadmodum amicitiam inituro cum Socrate, neceſſaria eſt eius notitia, & quòd eius amicitiam gratam habebit. Nam ſi Socratem non noſcat, nec eundem ambit, & ſi ſuam amicitiam eidem Socrati ingratam cognouerit, etiam ſi eum cognoſcat, non contendet cum eo amicitiam contrahere. Perſuadet eo loco Paulus Apoſtolus, Enoch habuiſſe fidem, partim ex ſancta ſcriptura, partim naturali ratiocinio, & ut

Ariſto. Plinius &c.

Auicen.

Libro de Theore. ſi.

Anſelmus. Auguſtin. S. Tho. Scotus &c.

Legitimus Pauli ſenſus.

antea dicebamus, in hanc formam ſyllogiſmum nectit, Enoch teſtimonium habet ex ſancta ſcriptura quòd placuerit Deo, at ſine fide impoſsibile eſt placere Deo, habuit igitur fidem: & ut magis rem urgeret, continuò ſubiungit, Oportet autem accedentem ad Deum credere quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator eſt. quaſi diceret clarius, ei, qui ad Deum eſt acceſſurus, quaſi totius acceſſus fundamentum, duplex iſta notitia requiritur, alioqui ſine priori mens prorſus eſſet cæca, & ſine poſteriori uoluntas hebeſceret. Vides ergo ſententiam illam ſuperſtructam fundamento, falſo & contrario, ueterum patrum ſententiæ, quæ docet præter illam duplicem notitiam, quæ naturali ratione poteſt haberi, alias quoque, quas ſola fides docet, neceſſariò requiri.

Sed iam ſecundum, quod nos ab ea deterrebat opinione, ideſt fidei conſideratio, diſcutiendum accedat. Noſtram ſpiritualem iuſtitiam, potiſsimùm in uoluntatis actione, quæ dilectione & operum obedientia conſtat, ſitam eſſe, quis neſciat? quis deinde ignorat non modò uoluntatem ab intellectu in operando pendêre, ſed etiam in operationis modo. quod enim intellectus cum aliqua aſſenſus formidine approbat, id tepidè uoluntas exequitur, immo nec exequitur quidem: quod uerò certò ſibi ſuadet, & quod ſine formidine comprobat, ad idem ſperandum protinus uoluntatis profertur imperium, niſi paſsiones naturales impediant. atque id quidem potiſsimè uerum eſt in rebus ſpiritualibus; in quibus quãuis non ſemper cum aſſenſus intellectus firmitate, uoluntatis ſit exequutio coniuncta, nunquam tamen cum languido intellectus aſſenſu, ſolet efficax in opus eſſe uoluntatis imperium. Quis deinde non uidet naturales diuinitatis notitias (eæ ſunt, quas intellectus naturalis indagine acquirimus) etiam illas duas, quas præſcribit Apoſtolus, non eſſe tanti uigoris ſyllogiſmo conſtructas, ut de eiſdem intellectus idem non poſsit formidare, cùm multi ſapientes in Orbe celebres, Deum eſſe & aliquam eſſe rerum humanarum, immo mundi totius prouidentiam, apertè negauerint? profectò priorem illam, quæ tamen omnium aliarum, quæ de Deo haberi poſſunt, eſt fundamentum, quãuis in ſeipſa ſit demonſtrabilis, nobis tamen ratione naturali, ſiue à priori, ſiue à poſteriori demonſtrari non poſſe, multitudo illa philoſophorum, qui deos negarunt, indicio eſſe uidetur, quãuis contrarium uiri doctiſsimi aliquando pro- S.Tho. 1.p. q.2. art.2. & q.10. de uerit. artic. 12.
bauerint, qui tamen non de exacta demonſtratione, quæ ſcientiam pariat, ſed de topica quadam, ualida tamen perſuaſione, quæ maximam uiolentiam inducat intellectui, loqui mihi uidentur. Nam rigoroſa illa demonſtrationis ſpecie, quæ ſcientiam gignit, non poſſe hoc ſtatu cognoſci Deum eſſe, uel hac ſola ratione non multum ceruicoſo intorquetur. Duplicem dialectici, demonſtrationem probarunt, unam, quæ ex cauſa, ineluctabili prorſus uigore demonſtrat effectum; alteram, quæ uice uerſa, per effectum cauſam, inſuperabili (hoc enim eſt demonſtrationis ratione) uiolentia conuincat. Priori illa, nemo adeò de lumine naturali præſumpſit, ut ea Deũ eſſe, poſſe demonſtrari doceat. poſteriore uerò, quòd in hac parte Ariſtotelem plurimùm laboraſſe, & huius efficaces attuliſſe rationes uiderent, credere potuerunt auctores illi, demonſtrari poſſe, cum tamen Ioannes Scotus, qui (abſit inuidia) cæteris omnibus Eccleſiaſticis auctoribus in his diuinitatis myſteriis inueſtigandis & impenſius & ſubtilius laboraſſe uidetur, libro de Theorematibus fidei, non modò Ariſtotelicas illas ἀποδείξεις, uerùm etiam multò efficaciores illis rationes, quas ipſe libro de primo principio, in Dei exiſtentiæ demonſtrationem armauerat, fidei pietate ſecluſa, omnino comminuat. Et certè uniuerſus ille demonſtrationũ, ſiue Ariſtotelicus, ſiue Scoticus apparatus, hoc quaſi totius ædificij fundamentum proſternit, quòd ſit ordo quidam cauſarum, quæ à ſeipſis eſſentialiter in agendo pendeant, ita ut unam ſine altera agere repugnet: quales ſunt mater, pater, ſol, & luna, & ſi quæ apud eundem philoſophum ſunt alia aſtra actiua, & demum Deus, ad prolem producendam: in quo ordine proceſſus aut abitio in infinitum non detur, atque adeò ſit tandem dandum unum primum efficiens, & unus ultimus finis, à quo & omnis efficientia, & omnis boni ratio deſcendat: Et cùm ſpecies eſſe ſicut numeros Ariſt. doceat, atque perinde, ſicut unus numerus alium exceſſu quantitatis exuperat, ita una ſpecies aliam metaphorica quantitate, ideſt quidditatiua perfectione ſuperare debeat, tandem ad unum primum ens, quod cum cæteris omnibus entibus perfectione immineat, à nullo alio ſit ſuperabile, naturalis rationis uiolentia inducat. Quæ profectò argumentandi ratio non eſt adeò ſolida, ut prorſus fidei auxilio deſtituta, de intel-

Ll lectu

lectu triumphum agat. primò enim qui illum eſſentialem ordinem cauſarum negaret,
nequaquam magnopere in naturale intellectus acumen delinqueret: parum enim peri-
ret philoſophiæ, ſi unumquodque ens naturale, ſuum effectum totum & integrum, uir-
tualiter continere quis diceret, ac proinde ſine alterius cuiuſque cauſæ adiutorio eun-
dem in natura poſſe producere aſſereret. Immo ſunt, inter Chriſtianos auctores non
Durandus & Petrus Aureolus, ſecūdo ſen. diſtin. 10. poſtremæ notæ ſcholaſtici, quidam, qui Deum ad cuiuſque effectus productionē imme-
diatè concurrere, impoſsibile uel ſaltem non neceſſarium, cōſtantiſsimè doceant: quo-
rum ſententiam, nec Scotus ipſe damnare fuit auſus, ſed iuſtis & æquis rationibus utrā-
que partem fouens, quòd nec naturali rationi, nec fidei, quāuis Deum doceat omnipo-
tentem, & creatorem omnium uiſibilium & inuiſibilium, detrimentum afferre credi-
derit, iudicium ſuſpendit: ſolis etiam & aliorum aſtrorum, ſiquis non aliam actionem
quàm caloris fomentum, quo in terra ſemina rerum tepeſcant, exiſtimet, ut lib. 2. contra
aſtrologos diximus, nequaquam in ſolem, quēadmodum olim Anaxagoras, impius pu-
tabitur: quo pacto eſt accipiendum, quod docet Ariſtoteles, ſolem rerum, quæ gene-
rantur & intereunt, cauſam exiſtere: unde nulla phyſica ratio conuincit, animantes,
quæ interno calore ſemina fouent, à ſole uel alio quocunque aſtro in generando pen-
dêre. Nulla igitur rationis neceſsitate ordinem hunc cauſarum ſtatuere cogimur,
ac ſine illo rectè naturæ opera ſeruare poterimus. Quòd ſi eundem ſtatuamus, abi-
tionem illam in infinitum, quam Ariſtoteles timet, ſi demus, nequaquam peruerte-
mus naturam, aut illud, quod ille formidat, incidemus, dari nimirum infinita numero
actu, quemadmodum neque unquam apud eundem infinitæ reuolutiones actu dabuntur,
etiam ſi mundus nec ſit aliquando deſiturus, nec incæperit eſſe. Exemplum deinde ſpe-
cierum & numerorum, tantum abeſt ut rem promoueat, ut eam potius euertat: nam ſi
ſpecies perfectior dicitur quòd plures entitatis gradus poſsideat, ſpecies perfectior, nu-
mero maiori conferretur: quemadmodum, igitur nunquam ultimus numerus dabitur;
ſed ſemper erit in infinitum abitio, ita nunquam ad perfectiſsimum ens illud, quod nul-
lum aliud ſuperare poſsit, intellectus perueniet. Quòd ſi, quod Pythagoræ placuit,
Deus ſit unitas, numeri uerò, qui ab unitate deriuantur, ſint ſpecies creatæ, ſunt igitur
infinitæ numero ſpecies, quod nequaquam Ariſtoteli placuit. Nam cùm ſpecies ſint res
neceſſariæ, quòd ſint de uniuerſitatis integritate, & in rebus neceſſariis idem ſit eſſe &
poſſe eſſe; tot igitur erunt ſpecies, quot eſſe poſſunt: poſſunt autem eſſe infinitæ ſicut
in numeris non datur poſtremus: ſunt igitur actu infinitæ rerum ſpecies. Itaque poteſt
humana ratio per creaturarum ueſtigia, Deum aliquali cognitione apprehendere, ſed
non demonſtratiuo ſyllogiſmo eundem ineluctabili argumento concludere, quod tamen
ad uoluntatis efficacem operationem, quam iuſtitia conſequitur, omnino requiritur.
Atque idem prorſus iudicium eſto de ſecunda illa portione fidei, quam Apoſtolus poſtu-
lat, Et inquirentibus ſe remunerator eſt: nam prouidentiam non eſſe demonſtrabilem,
multitudo eorum ſapientum, qui eandem non prorſus euanidis humano ſenſui ratio-
nibus negarunt, abundè indicat, præſertim ſi aliorum, qui eam ſtatuerunt, ſententias
aduertamus, in quibus paulò magis prouidentia promouetur. Talem enim Ariſtoteles
eam, & Plato, & quicunque ſoli rationi naturali nituntur, depingunt, ut multum à ue-
ra ratione prouidentiæ recedat. Vox illa multis non modò uulgaribus, ſed ſapientibus
Iob 22. placuit. Quid enim nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius
& circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat. Et illa,

Lucanus 7. phar. —*Mortalia nulli Sunt curata Deo.*

& illa,

Claudianus. *Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,*
Curarent ne ſuperi terras, an nullus ineſſet
Auctor, ſed incerto fluerent mortalia curſu.

Lib. 2. de Diuinat. Maximo cum applauſu fuit Ennius à uulgo ſuſceptus, ut docet Cicero, cum diceret,

Ego Deûm ſemper dixi & dicam cælitum,
Sed eos non curare opinor quod agat humanum genus.

Atque utinam tam ſuperabiles eſſent illæ rationes, quas ad improbandam prouidētiam
impij homines excogitarunt, ut etiam poſt fidei illuſtrationem non quoſdam peſſunde-
diſſent, & tranſuerſos egiſſent. Non fuerunt leues gentibus illæ rationes, quas Cæci-

lius

lius Epicureus philoſophus apud Arnobium cogit, Si mundus, inquit, aliqua proui- *Lib. 8. diſput aduerſ. gent.*
dentia, & alicuius numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris, & Dio-
nyſius regnum, nunquā Rutilius, & Camillus exilium, nunquam Socrates uenenum. ecce
arbuſta frugifera, ecce iam ſeges cana, iam temulenta uindemia imbre corrumpitur,
grandine caditur, adeò ut incerta nobis ueritas ocultatur & premitur, aut quod magis
credendum eſt, uariis & lubricis cauſis, ſoluta legibus fortuna dominatur. Non erat le-
uis Dauidi, homini non tantùm lumine naturali ualenti, ſed qui iam in ſeipſo magna
pronidentiæ ſigna fuiſſet expertus, immo qui diuino munere, & Rex erat & propheta,
ex hac parte Satanicus aggreſſus, ſed grauiſsimus omnium, quos nunquam pertulerat,
Mei (inquit) penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper ini- *Pſal. 72.*
micos pacem peccatorum uidens, quia non eſt reſpectus morti eorum: In labore homi-
num non ſunt, cum hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos ſuperbia, & operti
ſunt iniquitate & impietate ſua; prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in
affectum cordis, cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo lo-
quuti ſunt, poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra, & dixerūt,
Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo. Ecce ipſi peccatores & ambulantes
in ſæculo, obtinuerunt diuitias. & dixi ego, Sine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui in-
ter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.
Vides ſanctiſsimum uirum poſt cogitationum tentamenta, penè iam animo conſterna-
tum, ex proſperitate malorum apud ſe ſtatuiſſe, fruſtrà fuiſſe flagellatum & lauiſſe inter
innocentes manus ſuas &c. Grauiſsima eſt illa prophetæ querela, & quæ etiam fortiſ-
ſimos uiros poſſet anteuertere, Quare domine non reſpicis ſuper iniqua agentes, & ta- *Abacuc. 1.*
ces deuorante impio iuſtiorem ſe, & facies homines ſicut piſces maris, & quaſi reptile
non habens principem. totum in hamo ſubleuauit & traxit illud in ſagena ſua, & congre-
gauit in rete ſuum, ſuper hoc lætabitur & exultabit, propterea immolabit ſagenæ & ſa-
crificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius &c. Verùm priorem horum, tam
his cogitationibus fuiſſe obnoxium, quandiu ſola naturali ratione prouidentiam me-
tiebatur, quæ ibi ſubdit declarant, Exiſtimabam (inquit) ut cognoſcerem, hic la-
bor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſsimis eorum.
Quò ubi intraſſet (ait) Propter dolos poſuiſti eis, deiecisti eos dum alleuiarentur,
quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem,
uelut ſomnium ſurgētium; domine in ciuitatem imaginem ipſorum ad nihilum rediges.
Qua per fidem uera prouidentiæ notitia donatus, quod eum præcedentes illi fluctus
cogitationum ſubierunt, pœnitentia ductus ſuam illam humanæ rationis cæcam inda-
ginem, accuſare incipit, & gratias agere, quòd illa tentationum tempeſtate non fuerit
abſorptus, & demum nouo uoluntatis affectu Deo ſe aſtringit, Quia inflammatum eſt,
inquit, cor meum, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, &
neſciui; ut iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti dexteram
meam & in uoluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. quid mihi eſt in
cœlo & à te quid uolui ſuper terram, defecit caro mea & cor meum; Deus cordis mei,
& pars mea Deus in æternum, quia ecce qui elongant ſe à te, peribunt; perdidiſti om-
nes, qui fornicantur abs te. mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Deo
ſpem meam. Et demum poſtquam intraſſet in ſanctuarium Dei, & ueræ prouidentiæ
rationem accepiſſet per fidem, exclamare cogitur, Quàm bonus Iſraël Deus. non qui- *Pſal. 75.*
dē his, qui propriæ rationis alueolo, diuinæ prouidentiæ iudicia, quæ ſunt abyſſus multa,
continere nituntur; ſed his, qui recto ſunt corde, ideſt, qui per fidei notitiam ingruen-
tes cogitationes amoliuntur. Idem contigiſſe ſibi alter propheta recenſet. nam poſt iu-
ſtiſsimas illas, ut ſibi uidebantur, querelas, Super cuſtodiam meam (inquit) ſtabo, *Abacuc. 2.*
& figam gradum ſuper immunitionem, & contemplabor, ut uideam quid dicatur mihi,
& quid reſpondeam ad arguentem me: & reſpondit mihi dominus, & dixit, Scribe ui-
ſum, & explana eum ſuper tabulas ut percurrat qui legerit eum, quia aduc uiſus pro-
cul, & apparebit in finem & non mentietur, ſi moram fecerit expecta illum, quia ue-
niens ueniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſe-
metipſo. Iuſtus autem in fide ſua uiuet, & quomodo uinum potantium decipit, ſic
erit uir ſuperbus & non deuorabitur. qui dilatauit ſicut infernus animam ſuam. Vi-

des ergo quàm apertè ad cordis firmitatem, fidem poſtulet Deus, Qui incredulus, inquit, eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus autem ex fide ſua uiuet, quá-uis ex rerum, quæ in mundo cernunrur, ordine diuinæ prouidentiæ rationes appareant, ut rectè dicit Octanius apud Arnobium, non tamen tanti fiunt apud uoluntatem humanam, ut earum impulſu bonorum operum, quæ ad iuſtitiam exiguntur, executioni manus admoueat, quoniam nimirum ſint tantùm topicæ & non illa, quam fides habet, certitudine ſtabiles. Atque adeò magnificè quidem poſſunt mortales, ſolo lumine rationis adiuti, de prouideutia philoſophari, ſed non operari, aut in Deum ſeipſos per affectum refundere. quòd ſi hæ duæ notitiæ, quæ tamen, ut Apoſt. docet, totius humanæ inſtitiæ ſunt fundamenta, tanta certitudine, ut ex eis operari poſsit humana uoluntas, per ſolum naturale lumen haberi non poſſunt, nec reliquæ profectò, quæ has couſequuntur. Iam animorum immortalitas, quæ totius etiam iuſtificationis eſt baſis, quanuis de eadem mundi ſapientes magnificos tractatus ediderint, nullus tamen demonſtratiuis rationibus eandem oſtendit. neque enim omnes ſunt Cleombroti, aut Catones, qui perlecto Phædone Platonis ſibi manus iniiciant, immo ex eiſdem rationibus,
Lib. 2. diſpu. aduerſus gent. quibus immortalitatem Plato uenatur, mortalitatem Arnobius, eiuſdem philoſophiam eludens, efficaciſsimè oſtendit. neque ſemper apud eoſdem ſapientes fuit immortalitatis opinio, ſed primos omnium Chaldæos, Indos, & eorum magos eam in medium ad-
Lib. 4. rerũ Meſſanic. duxiſſe, ex quibus Pherecydis Syri opera, Græciæ fuerit inuecta, & Platoni probata, Pauſanias ſcribit. niſi ſit certius, quod Euſebius docet, illam quancunque immortalitatis notitiam, quam Plato habuit, non naturalis intellectus uirtute, ſed Hebraica tradi-
Lib. 11. de preparat. Euãg. c. 15. tione accepiſſe, ita ut non tantùm immortalitatis certitudinem, ſine cœleſti reuelatione, humana ratio poſsidere nequiuerit, ſed neque in eius unquam uel incertam cognitionem uenire. Nam & Chaldæos per eandem, reuelationem accepiſſe, qui priorum ſæculorum hiſtorias euoluerit, in quibus eæ gentes omnium antiquiſsimæ recenſentur, ut pote à quibus Abraham, & cæteri fidei patres deſcenderint, compertum habebit. Eſt igitur fides, ut immortalitatis animorum certitudo habeatur, ſine qua anima in Deum efficaciter conuerti non poteſt, adeò neceſſaria, ut ſine illa uix ipſa immortalitatis notitia poſsit acquiri.

Atque hactenus quidem de priori illa conditione fidei, quæ certitudo nocatur, quam ratio naturalis non poteſt obtinere, ſumus locuti; nunc iam de poſteriori dicamus, quæ eſt fidei ratio obiectiua. Ratio naturalis profectò, ſi fidei conſtituatur auxi-
Lib. de primo princip. & in 1. diſtinct. 2. 9. Met. lio, quantumuis multum laboret Scotus, Deum tamen noſtrarum actionum ultimum finem, inſuperabili argumento non docet. Nam præter ea, quæ in eiuſdem auctoris & Ariſtot. rationes, parum antea produximus, non leuibus argumentis contendit Auicenna, non tantum hominis, ſed intelligentiæ uoluntatem in aliquo, quod non ſit Deus, perfectè beari. credit enim, non omnium auctorem eſſe Deum, ſed prioris cuiuſdam intelligentiæ, à qua ſecunda deinde proceſſerit, à ſecunda tertia, à tertia quarta &c uſque ad ultimam, quæ rerum infernarum, & materia miſtarum, ſit auctor quarum ſingulorum fœlicitatem, in ſui immediati auctoris fruitione conſtituit. Tunc enim ex eius ſententia perfectus eſt circulus, cùm res effecta, in ſuum auctorem & principium reuertitur: unde hominis, non immediatè in Deum, ſed in poſteriorem intelligentiam, quaſi in ultimum finem, actiones aſcendent. ſed neque in Platonis philoſophia homines ſunt immediatè propter Deum, ſed propter dæmones, dæmones propter deos, dij propter primum illum, quem totius naturæ parentem conſtituit; immo fuerunt, qui nullum ens alterius gratia, ſed ſolius ſpeciei conſeruandæ fabricatum à natura
Lib. 11. de ſubti. cognoſcant. quorum ſententiam imitatus noſtra memoria uidetur Hierony. Cardanus, uir magis meo quidem iudicio ſubtilis quàm pius. docet enim muſcam (ut de uiliſſimo animali proſerat exemplum) ut in ſua ſpecie maneat, perfectam & ad ornatum mundi eſſe, & omnia ſibi neceſſaria, non ſolùm ad uitam, ſed ad beatam uitam ſortitam eſſe, ſuique gratia non hominis cauſa creatam. quam ſententiam Iulius Cæſar
Exer. 254. Scaliger dignis rationibus tundit, ſed quæ uel fidei, uel morali conſideratione, non mathematico rigore perurgeant. Eſt ergo fides neceſſaria, quæ humanam uoluntatem, in Dei, quaſi ultimi finis proſecutione confirmet.

Deinde quanuis ratio naturalis Deum noſtrarum actionum eſſe ultimum finem ap-

præhendere

præhendere queat, non tamen ſub obiecti beatifici; in cuius poſt uitam præſentem fruitione beatitudo conſiſtet, ut docet Chriſtiana fides, ſed ſub naturalis tantùm obiecti ratione, appræhendet, eo inquam pacto, quo Ariſtoteles docet, Deum, cæteraſque ſubſtantias à materia ſeparatas, eſſe contemplatiuæ fœlicitatis obiecta, quòd ſcilicet entis, quod eſt obiectum intellectus, ſit optima portio: ſub qua profectò ratione, licèt à Deo rerum temporalium forſan poſsint obtineri compendia, ſpiritualia tamen emolumenta, fides (inquam) ſpes, charitas, & cætera Spiritus ſancti chariſmata, prouenire non poſſunt. Fit igitur, ut iam tandem huic diſputationi extremam manum imponamus Apoſtolicum ſermonem, quo inquit, Impoſsibile eſſe ſine fide placere Deo, etiam formaliter, ideſt non tantùm ſumendo fidem pro quauis notitia, ut in priori quæſtione ſumebatur, ſed iuxta ſuam formalem rationem, qua eſt aſſenſus ineuidens, certus tamen, & oſtendens, quòd Deus ſupranaturali ratione ſit uerus; & hoc non ex neceſsitate præcepti, quod & in præcedenti diſputatione dicebamus, ſed ex fidei natura, quæ ſola poteſt originis labem ſua certitudine oſtendere, & ad operandum efficaciter uoluntatem mouere, & demum, Deum ultimum finem eidem & ſub ſupranaturali ratione diligendum, præfigere. Vniuerſæ uerò rationes illæ, ſiue quas pro Dei, & unius Dei numine, ſiue pro aſſerenda prouidentia, uel apud Arnobiū Octauius, uel alij quicũq; in hoc genere ſunt auctores, excogitarunt, non ſunt demonſtrationes cenſendæ, ſed uiolentæ quædam perſuaſiones, quæ ſine fide quidem confirmante, nihil aut ſaltem parum, præſertim in ſpirituali negotio, apud humanam uoluntatem obtineant, cum fide tamen, magni ſunt apud eandem momenti. Atque hæc eſt quidem non minima cauſa, cur tam eximia opera eidem fidei ſcriptura nuncupet, & eadem bonorum operum, ſola radix nocetur, nimirum quòd cæteræ quæcunque notitiæ Deum non ſub tam amabili ratione uoluntati oſtendant, neque (certitudinis defectu) ad rectè operandum tam efficaciter moueant. unde non quaſi fidei præparamenta uel propter uulgares articulus ille, quo nos in unum Deum credere confitemur, & ſi qui ſunt ſimiles, in ſymbolo ponuntur, ut quidam uoluerunt, ſed quaſi ueræ fidei portiones; licèt hi articuli ab illis, qui ſunt de rebus prorſus contingentibus, quales ſunt incarnationis articuli, id habeant diſcriminis, quòd illi quidem manuductiones quaſdam habeant à lumine naturali profectas, quæ tamen ſolui queant eiuſdem luminis beneficio, illi uerò non habeant, quòd à ſola uoluntate diuina ſint orti. Nam ſi naturales illæ manuductiones fidem euacuant; ergo nec Deum eſſe trinum & unum, nec cætera, quæcunque ad diuinam naturam ſpectant, per fidem habebimus: quoniam rationes illa, quibus Scotus hoc probat, tanti ſunt uigoris, ut quibuſdam demonſtrationes appareant.

Totius quæſtionis epilogus.

S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 8. & lib. 1. con. gen.

Quòd ſine fide, in ſtatu Euangelico, nemo poſsit conſequi ſalutem. Cap. IX.

VErùm iam certamen tertiæ diſputationis accedat, in quo nobis grauiſsima illa quæſtio poſt graues auctores eſt diſceptanda, An ſcilicet communiter, & ex lege ordinaria nemo poſt primorum parentum peccatum, ſine Chriſti fide, fuerit ſalutem conſequutus, ut antea ex ſanctorum patrum ſententiis ſtatuimus, poſsit tamen aliquando dari ille rerum ſtatus, & conditio, in qua unius Dei fidem habens, iuxta fidei formalem rationem, quam neceſſariam docuimus, queat obtinere ſpiritualem iuſtitiam. ſtatuamus, uerbi cauſa, Socratem, qui cum à quopiam Iudæo, Deum unum omnium rerum conditorem & gubernatorem acceperit, de Chriſto tamen nihil ab eodem audierit, uel quòd Iudæus ille (quales ſunt apud eos hæretici multi) nullum Chriſtum aliquando futurum exiſtimat, uel quòd, ut communior habet Hebræorum ſententia, Chriſtum tantummodò temporalem Regem, nullum cum hac, quam nos credimus, ſpirituali iuſtitia commertium habentem, eidem tradiderit, quod eſt ad conſequendam ſpiritualem iuſtitiam tantundem. Chriſtus enim non quocunque pacto, ſed per fidem quaſi medicus animarum acceptus, non corporum, per ſanguinaria bella trucidator, ſpiritualia peccati detrimēta reſtaurat. de hoc igitur quærimus, an ſi prorſus Euangelica prædicatione deſtituatur,

& ex unius Dei remuneratoris, & reliquorum, quæ ad diuinitatem ſpectant, attributorum fide, ſe in Deum per pœnitentiam uel animi efficacem dilectionem conuertat; ſine fide Chriſti conſequatur iuſtitiam.

Est autem ingens dubitationis occaſio, quòd licèt in antecedentibus, Chriſti fidem, poſt primorum parentum præuaricationem, uniuerſis hominibus ex ſanctæ ſcripturæ Eccleſiaſticorumq́ue patrum diffinitionibus neceſſariam ſanxerimus, docet tamen Apoſtolus accedentem ad Deum, credere oportere quòd ſit, & quòd inquirētibus ſe re-
1. Ratio. munerator ſit. quaſi has duas fidei notitias ad acceſſum ad Deum, ſatis eſſe uideatur ſentire, cum tamen in eis, ut antea oſtendimus, nec explicitè nec implicitè fides Chriſti
2. Ratio. claudatur. Quòd ſi hac ratione parum mouearis, quòd parum antea illorum Apoſtolicorum uerborum germanum ſenſum explicantes, diximus, ibi non ab Apoſtolo fidem ad iuſtitiam, & acceſſum ad Deum ſufficienrem tradi, ſed potius quòd ſit totius acceſſus aut ſpiritualis iuſtitiæ fundamentum, ea profectò non eſt inualida ratio, qua durum & inhumanum prorſus uidetur, hominem in ſyluis uel in nemore nutritum, ad quem nullus unquam Euangelicus prædicator acceſſerit, ſi fide unius Dei polleat, & ex ea rectè operetur, Dei gratia, & tandem æterna fœlicitate fraudari. Deinde, magnorum uirorum auctoritate decretum eſt, fidei Chriſti ignorantiam inuincibilem dari, & ueriſimile eſt, eas nationes, quas nuper à noſtris Hiſpanis inuentas Indos Occidentales uocamus, hac Chriſti & Euangelicæ doctrinæ laboraſſe ignorantia, cum apud eos nulla ſatis ſint apparentia ueſtigia, illuc ante hæc tempora perueniſſe Euangelium & ur demus illuc perueniſſe, cum hoc tempore nulla ſit apud eos Chriſti opinio, tantundem eſt, ac ſi non perueniſſet. Eſt igitur apud eos & apud ſimiles alios, quales patrum & noſtra memoria in Oriente reges Portugalliæ, ſuo imperio adiecerunt, ignorantia inuincibilis. ignorantia enim quæ culpa uacat, inuincibilis dicitur. non poteſt autem culpæ obnoxiū eſſe, quod ineuitabile eſt: ignorantia uerò fidei Chriſti, his prorſus eſt ineuitabilis, qui non audierunt. Quomodo enim credent ei, quem non audierunr, aut quomodo au-
Rom. 10. dient ſine prædicante? Arque hoc eſt, quod Chriſtus de Iudæis aiebat, Si non ueniſſem & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. quæ uerba de peccato infideliratis, cui nullus ſit obnoxius, priuſquam eidem credenda proponantur, eſſe intelligenda, & Auguſtinus, & ipſe contextus Euangelicus apertè inſinuant. Vnde protinus ſubditur, Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent. quaſi ſolus ille eſſet in Chriſtum infidelitate
In q q. no. notandus, qui eius prædicationi & admirandis operibus fidem non daret. Vnde Augu-
teſtamen. ſtinus, Si non fuit à quo quis diſceret, neque ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruênit, tunc non aliquo uicio ignorat, & immunis eſt à condemnatione. Damnabuntur igitur illi, qui Chriſti euangelio non ſunt delibuti, ob alia delicta, quæ contra legem naturæ aliquando patrarunt, non tamen propter infidelitatis peccatum, quod nunquam admiſerunt. Ergo ſi fide in unum Deum, & legis naturalis obſeruantia peccara uitarunt, non damnabuntur, ſed conſequenrur ſalutem, quemadmodum & illi, qui in Chri
3. Ratio. ſtum crediderunt. Eſt & illud per magni momenti, quòd Cornelius Centurio, ut tradit Apoſtolica hiſtoria, ante fidem Chriſti, & Euangelicam doctrinam, quam accepit à Petro, Iuſtus fuiſſe dicatur, Vir, inquit Apoſtolica hiſtoria, erat in Cæſarea Philippi, no-
Act. 10. mine Cornelius Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religioſus, & timens Deum, cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper. Is uidit in uiſu manifeſtè, quaſi hora diei nona, angelum Dei introēuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli? at ille intuens eum, rimore correptus dixit, Quis es Domine? Dixit autem illi, Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei, & nunc mitte uiros in Ioppen, & accerſe Simonem quendam, qui cognominatur Petrus &c. Vides nimirum Cornelium antequàm ad eū Petrus accederet, timentem Deū, & eum deprecantē, facientem eleemoſynas cum tota domo ſua, teſtimonio ſanctæ ſcripturæ uocari; immo, quod eſt luculētius, eius orariones & eleemoſynas aſcendiſſe apud Deum, Apoſtolico reſtimonio referri. Poteſt igitur quis, dum recta in unum Deum
Andreas mundi totius conditorem, & gubernatorem, fide polleat, adipiſci iuſtitiam. his ac ſimi-
Vega. lib. 6. libus argumentis permoti quidam uiri docti noſtra memoria, non tantùm publicè do-
cap. 20. & cuerunt, ſed ſcripto mandarunt, ſine fide Chriſti, poſſe illos ad quos nondum Euangelij
quidā alii.

notitia

notitia peruênit, iuſtitiam conſequi. Temperarunt alij ſententiam, docentes, ſine fide
quidem Chriſti abſolutè & ſimpliciter, nemini contingere poſſe ſalutem, poſſe tamen *Dominicus*
ſine explicita fide, cum implicita nimirum, etiam poſt Euangelij diuulgationem. Ve- *Sotus. li.2.*
rùm hi nihil à priori ſententia declinare uidentur, cùm fidem implicitam Chriſti, ut *de natu.& gratia.c.2.*
ex eorum exemplis poteſt intelligi, ſolam fidei in unum Deum notitiam intelligant,
immo non iuxta fidei formalem rationem, id eſt, ſecundum quod eſt certa notitia, in
euidens tamen, ſub ratione ſupranaturalis & beatifici obiecti Deum ipſum oſtendens,
ſed ſecundum quod eſt à creatura mundi uel aliunde, ab ipſa natura collecta cognitio. *Roma.1.*
loquuntur enim omnes de homine illo, qui eſſet in remotiſsimis inſulis, quò nullus un-
quam prædicator acceſsiſſet, perpetuò educatus, qui tandem conſideratione naturæ,
unum rerum auctorem & fortè prouidentiam agnoſceret. Quam profectò notitiam
nullo pacto uocandam eſſe Chriſti fidem implicitam, cum ex illa ſyllogiſtico diſcurſu fi-
des Chriſti explicita, immo nulla Chriſti notitia ſequatur, ut antea ex ipſa ratione lo-
quendi docuimus, uel parum eruditus cognoſcere potuerit. ex uniuerſa enim conſidera-
tione & contemplatione naturæ, nulla Chriſti notitia colligetur. Nec enim uerbi diui-
ni incarnatio, à creaturarum perfectiſsima cognitione, immo nec ab ipſius, quantum
ad naturam diuinam ſpectat, perfecta Dei compræhenſione, ſi poſsibilis eſſet, colligi
poterit. immo uerò, ne dum res contingentes, & quæ tantùm à Diuinæ uoluntatis ar-
bitrio dependent, qualis eſt incarnatio, ſed neque diuinæ ipſæ notiones, quæ tamen in
Deo ſunt tam neceſſariæ quàm ipſa diuinitatis eſſentia, ex uniuerſa cognitione naturæ,
ſiue quæ circa creaturas uerſatur, ſiue quæ diuinitatem conſiderat, cognoſcere poſſu-
mus. Quin, ſi ex effectibus & creaturis, ad notionales proprietates ſurgamus (ut re- *Scotus in*
ctè docet Scotus) potius in errorem contrarium incidemus, atq; hoc inde quòd tres per- *prolog.q.1.*
ſonæ non inquantum tres, ſed inquantum rerum principium cuncta producant. Vnde, *Rom.1.*
rectè Paulus à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpici (dicit), non
tres perſonas in unitate ſubſtantiæ, ſed ſempiternam bonitatem & diuinitatem, quæ
ſunt eſſentialia. Et ſapiens, à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter, non per- *Sap.13.*
ſonarum trinitatem, ſed creatorem, haberi poſſe nos docuit. Si igitur ea, quæ ſunt di-
uinitati intrinſeca, & quæ pertinent ad ipſam diuinitatis naturam, ex uniuerſa creatu-
rarum etiam perfectiſsima cognitione, cognoſci non poſſunt, qui fit ut homo ille, qui
apud Indos occidentales, uel in inſulis remotiſsimis nutritus, ſacroſanctum incarnatio-
nis myſterium aliqua ratione, ideſt implicita, uel explicita fide appræhendat? Fit igitur
ut poſteriores hi Theologi, qui hominem illum ſola contemplatione naturæ, in Deum
conuerſum, ſalutem ſpiritalem adipiſci teſtantur, quantùuis ore dicant, neminem ſine
fide implicita poſſe ſaluari, re tamen ipſa, ſine ulla fide ſiue implicita ſiue explicita, eû-
dem cum præcedentibus illis poſſe ſaluari, clariſsimè doceant. Fides enim Chriſti ſiue
implicita ſiue explicita, fides eſt: fidem autem ex contemplatione naturæ, quæ non eſt
aliud quàm ipſa philoſophia, poſſe deduci prorſus ſtolidum. Docent igitur hi Theolo- *Naturæ cō*
gi (ut ex duobus ſolo nomine differentibus unam efficiamus ſententiam) quòd quan- *templatio,*
uis ex communi lege, nemo ſine Chriſti fide iuſtitiam accipiat, eos tamen, ad quos nō- *non aliud*
dum Euangelicæ prædicationis gratia peruênit, ſi ex rerum naturalium contemplatione *quàm ipſa philoſophia*
conuertantur in Deum, & legem naturalem obſeruent, accepturos iuſtitiam: quæ ſen-
tentia clementiæ, quam inuoluere uidebatur, imagine, multis arriſit.

VERVM hoc eorum placitum, quatenus ex notitia illa naturali, aut legis naturalis na-
turali obſeruantia, ſine fide, quatenus fides eſt notitia certa & nobis Deum inſinuans
ſupernaturali ratione, ſalutem aut ſpiritualem iuſtitiam conciliare contendit, ſuffi-
cientibus argumentis non modò falſum, & ſanctorum patrum uniformi ſententiæ con-
trarium, ſed ex ipſa iuſtificationis natura & formali ratione prorſus impoſsibile & re-
pugnans, in antecedentibus diximus. Nunc quatenus, quod ad præſentem quæſtionem
attinebat, docet, ſine Chriſti fide etiam unius Dei prouidi remuneratoris &c. fide, ſe-
cundum ſuam rationem formalem, ideſt quatenus eſt notitia certa & oſtendens Deum
noſtræ fœlicitatis obiectum, firma conſtante, ſalutem contingere, idem eſt in gloriam
Chriſti diligenter præſtandum. Oſtendemus nimirum non modò in quocunque rerum
ſtatu, ſine Chriſti fide, aut contingere aut contigiſſe unquam alicui, ſalutem eſſe rectæ
Theologicæ ſanctorum diffinitioni contrariam, ſed, quod in præcedentibus quæſtioni-

bus

bus fecimus, ex ipſa iuſtificationis formali ratione, eſſe omnino impoſsibile: impoſsibile (inquam) non ſimpliciter ut implicare contradictionem contendam, ſed quod lege ſemel de ſpiritali iuſtitia ſtatuta, fieri non poſsit: quod genus impoſsibilitatis ex ſuppoſitione uocamus.

Et, ut quod prius polliciti ſumus, prius quoque præſtemus, in hoc profectò militant uniuerſa illa, quæ ex ſanctorum Eccleſiaſticorum patrum ſcriptis, pro neceſsitate fidei Chriſti, poſt primorum parentum delictum ſuperius produximus, quæ cunctis quacunque temporum, rerum, & perſonarum conditione adeò Chriſti fidei neceſsitatem imponunt, ut ſine illa nec ulli mortalium aliquando contigiſſe, nec poſſe contingere ſalutem euincant. Enimuerò patres Eccleſiaſtici ſine ulla prorſus differentia loquuntur, quanquàm non ignorabant multas eſſe Euangelicâ prædicatione deſtitutas prouincias, in quibus homines eſſent philoſophi, qui rerum creaturum contemplationi uacantes, in Deum ipſum rerum auctorem, per legis naturalis obſeruantiam aſſurgerent. Agedum, cur Auguſtinus, cur Hieronymus, Gregorius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus &c. quorum dicta citauimus, in naturæ contemplatores non inciderunt, immo cur in eos tam iniqui fuiſſent, ut eiſdem ſalutis, uniuerſali illa ratione loquendi, qua nemini ſine Chriſti fide, unquam obtigiſſe ſalutem conſtantiſsimè aſſerunt, portas occluſerint? Temperaſſent utique ſententiam, eosque excepiſſent, qui in ſyluis à mortalium conuerſatione longiſsimè abeſſent, qui in remotiſsimis inſulis agerent, quò nulla Euangelica prædicatio acceſſiſſet: non fuiſſet in hoc ſtupidus Auguſtinus, qui hiſce ſubtilibus diſputationibus inter ſanctos auctores magis indulſit. Sed age, ulterius contra hos à ſancta ſcriptura & à ſanctis patribus teſtimonia petamus. Nemo, inquit Chriſtus apud Ioannem, aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo: & ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat uitam æternam. non enim miſit Deus filium ſuum in mundum ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non iudicatur, qui uerò non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine filij unigeniti Dei. Docet Chriſtus auctore Auguſtino, huius ſententiæ prioribus uerbis, neminem in cœlum aſcendere poſſe, qui prius, cum illo non fuerit per fidem & charitatem unum corpus effectus. Si ergo, nemo, inquit, niſi ille deſcendit & aſcendit, quæ ſpes erit & cæteris? ſpes erit, quia ille propterea aſcendit & deſcendit, ut per illum & cum illo, unum eſſent qui per illum aſcenſuri eſſent. Hactenus eo loco Auguſtinus. Et libro de peccatorum meritis, Nemo (inquit) aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. ſic inquit, fuit generatio ſpiritualis ut ſint homines cœleſtes ex terrenis, quod adipiſci non poterunt, niſi mēbra mea efficiantur, ut ipſe aſcendat qui deſcendit. Hactenus ille. Ergo qui per fidem & dilectionem in Chriſtum, unum cum illo corpus non fuerit effectus, auctore Chriſto, non aſcendet in cœlum quantumuis agat in remotiſsimis inſulis. Ex ſecundo uerò loco ſic licebit colligere, Qui olim ſerpentem in ligno exaltatum non aſpiciebat, non conualeſcebat à morſu ſerpentis: ergo qui Chriſtum pro nobis exaltatum, per fidem non aſpicit, à morſu diaboli ſanari non poterit. Poſterioris loci ſententia collectione non indiget, ſed ſicut credentibus in Dei filium promittit ſalutē, ita non credentibus apertiſsimè minatur ſempiternum exitium. Qui non credit (inquit) iam iudicatus eſt. Quare? non alia ratione quàm quòd non credat in nomine unigeniti filij Dei. Qui igitur in ſyluis aut in remotiſsimis terris nutritur, nulla alia ratione damnabitur, quātumuis legem naturalem obſeruet, quàm quòd in nomine filij unigeniti Dei non crediderit. Et profectò ocioſum mihi uidetur in re tam aperta, ſcripturæ ſanctæ teſtimonia uelle undiq; cogere, cum, ut antea diximus, non aliud uelit tota illa ad Romanos epiſtola Paulus Apoſtolus, quàm utriuſque legis naturalis & Moſaicæ ad iuſtitiam tribuēdam, inſufficientiam oſtendere, & quòd omnes, ſiue apud Dei populum, ſiue apud gentes, ex Chriſti uiua fide fuerint aſſequuti iuſtitiam. Miror autem uiros alioqui doctiſſimos, tanti legis naturalis ſiue ſine unius Dei fide, ſiue cū illa, obſeruantiam appendere, ut illi uelint iuſtificationem attribui, cùm Paulus tam apertè totius Moſaicæ legis obedientiam, quæ tamen à Deo lata fuerat & eſſentiali & intrinſeca ratione fidem habebat adiunctam, ab hoc munere excludat. Profectò ſi lex, quæ à Deo lata eſt, eoque

Ioan. 3.

Tract. 12. in Ioan.

auctore

auctore inoleuit, quæque unius Dei ſine ullo errore cognitionem includit, ſine Chriſti fide, etiam ſtudioſiſsimè illi obedientium, à peccato conſcientias perpurgare non potuit, neque illa poterit ſine eadem, iuſtitiam infundere, quæ non Deum, ſed naturam ipſam habet auctorem. lex naturæ nunquam profectò tot notitiis, nec tam ab erroribus purgatis, hominis intellectum, quot lex Moſaica poterit, ſed neque uoluntarem & cæteras animi potentias tanta præceptorum mole potuiſſet imbuere. Si igitur ſine Chriſti fide lex Moſaica ad tribuendam iuſtitiam, prorſus inepta iudicatur ab Apoſt. Paulo, Cur non & idem eũdem dicemus de naturali ſenſiſſe? lex deinde Moſaica, quemadmodum & modò euangelica, naturalem includit. complectitur enim uniuerſum decalogum, & reliqua, quæcunque præcepta natura nos docuit. Quòd ſi lex ipſa Moſaica, quæ lege naturali & poſitiuis ſanctionibus diuinitus ad humanam uoluntarem per ſalubrem obedientiam edomandam inuentis, peccata cum unius Dei perfectiſsima fide, ſine fide Chriſti purgare non potuit, quî, obſecro, legis naturalis impletio, quæ tantùm legis Moſaicæ erat altera portio, ſine fide Chriſti donabit iuſtitiam? aut, ut apertius dicamus, ſi lex naturalis, unius Dei, ueræ prouidentiæ, & cæterarum, quæ in lege Moſaica traduntur, Dei notitiarum, fidei coniuncta, etiam cum aliis poſitis præceptis, quibus uel myſtica ratione, uel ad exercendam obedientiam diuina prouidentia populum illum aſtrinxit, ad tribuendam iuſtitiam, inualida decernitur ab Apoſt. Paulo, cur non ea ſola ſine hac præceptorum congerie, quæ quantumuis iudicetur inutilis, erant omnia illa tamen quaſi legis naturalis propugnacula fortia, ſine illa multitudine notitiarum Dei, ab eodem Apoſtolo, ad promerendam iuſtitiam inepta cenſebitur? An credendum erit, legis naturalis obedientiam, cum fide creationis mundi, quam uniuerſa natura ut antea dicebamus, non poteſt tribuere, ſine Chriſti fide iuſtificare non poſſe, & eandem ſine fide creationis & aliis Dei notitiis, quas lex tribuebat, ſine Chriſti fide iuſtitiam tribuere? Dicant mihi qui tantum huic legis naturalis, etiam cum integra unius Dei fide, obſeruantiæ tribuunt, an credant Apoſt. Paulo contrarium eum, qui in remotiſsimis inſulis, aut apud Indos Occidentales, Iudæum, qui per omnia legi Moſaicæ obediret, ſine ulla tamen Chriſti notitia implicita uel explicita fide, poſſe iuſtificari, contenderet? quòd ſi annuant, ergo ille quoq; Apoſtolo aduerſabitur, qui quãtumcunque ab hominum conuerſatione remotum, ſola legis naturalis obedientia, quẽpiam poſſe cõſequi iuſtitiam doceret. Illud deinde ad legis naturalis, etiam cum ex uera unius Dei notitia prodit in opera, inſufficientiam oſtendendam, maximè facere uidetur, quòd Abraham, qui tamen & integra Dei fide, & perfectiſsima legis naturalis obſeruantia pollebat, non eiuſdem legis obedientia, ſed fide iuſtificatum contendat
Apoſtolus, nimirum Chriſti, cuius in tota illa ad Romanos epiſtola cauſam agebat. de- *Roma.4.*
nique Dei inuocationem, quæ fuit omni ſæculo ad aſſequendam iuſtitiam neceſſaria, ad Chriſti inuocationem refert idem Paulus, Si confitearis (inquit) in ore tuo dominum
Iesvm, & in corde tuo, & credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. *Roma.10.*
corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura, Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo enim inuocabunt eum, in quem non crediderunt? aut quomodo audient ſine prædicante? aut quomodo prædicabunt niſi mittantur? Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Chriſti, ſed duo non audierunt, & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum. Tam igitur Apoſt. Paulo Chriſti fides neceſſaria cenſetur, quàm Dei inuocatio, ſine qua nullo ſæculo ad aſſequendam iuſtitiam quiſpiam profecit. Itaque rectè Bernardus ad Hugonem ſcribens, maiorem fidei Euangelij, ſine qua nemo poſsit ſaluari, quàm baptiſmi, qui per uotum ſuppleri poteſt, neceſsitatem attendit. explicans enim illa uerba, in quibus utriuſque neceſsitas imponitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur. Cautè, inquit, & uigilanter non repetiit, Qui uerò baptizatus non fuerit, ſed tantùm, Qui uerò non crediderit, con- *Ioan.2.*
demnabitur. nimirum innuens ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. Hactenus Bernardus. Iam ad Eccleſiaſticas diffinitiones deueniam, qui-
bus in hac parte nihil poteſt eſſe patentius, Sacroſancta (inquit Florentinum conciliũ) *Concil. Florem.*
ſynodus firmiter credit, nullos extra Eccleſiam catholicam exiſtentes, nec Paganos, nec Iudæos, nec Hæreticos, nec Schiſmaticos, æternæ uitæ fieri participes, ſed in ignem

æternum ituros, niſi ante finem uitæ, eidem fuerint aggregati, tantumque ualere Eccleſiaſtici corporis unitatem, ut nemo quantaſcunque eleemoſynas fecerit, poſsit ſaluari, niſi in catholicæ Eccleſiæ gremio & unitate permanſerit. Hactenus concilium. Idemque docet Innocentius Tertius Pont. max. in Lateranenſi concilio. Vna, inquit, eſt fidelium uniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur. Qui ergo Eccleſiaſtici huius ambitus muris non clauditur, quantumuis bonis polleat operibus, non conſequetur iuſtitiam; qui autem contineri poterit, aut eiuſdem cœleſtis ciuitatis pars eſſe dicetur, qui fundamentum fidem non habeat. Chriſtus profectò non quoduis fundamentum, ſed Petri, huic totius Eccleſiæ ædificio confeſsionem ſubſtrauit; Tu es (inquit Petrus) Chriſtus filius Dei uiui, Et ego dico tibi (ait Chriſtus) quòd tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Totum eccleſiaſticum ædificium fidei Chriſti confeſsioni connititur, ergo & quicunque lapis, qui pars ſit ædificij, & qui fidei fundamentum non habet, eccleſiaſtici ædificij non eſt pars appellandus; atque adeò neque ad Chriſti corpus ullo pacto attinebit. Neque uerò ſatis idoneè à quibuſdam huic (meo quidem iudicio) ſatis ualido argumento, reſpondetur, quòd ille, qui in remotiſsimis inſulis agit, per legis naturalis obſeruationem, iam ſit iuſtus, ac proinde intra gremium Eccleſiæ. Primò enim hæc reſponſio petit principium, quæ reſpondendi ratio ſemper ſapientibus iudicatur uitioſa. hoc enim eſt quod tota diſputatione contendimus, quod nemo, ac proinde nec ille conſequatur iuſtitiam: deinde fidem eſſe quæ nos in Eccleſiaſtico gremio contineat, nemo dubitat. Illum enim intra eccleſiam eſſe dicimus, qui eandem nobiſcum fidei confeſsionem habet. nam ſi aliam habeat fidem, uel omnino non habeat, nemo intra eccleſiam eſſe dicet. Vnum corpus & unus ſpiritus (dicebat Apoſt.) ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ, unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Quo pacto unum cum Eccleſiaſtico corpore poterit eſſe, qui nec fide, nec dilectione cum illo coniungitur? Quo pacto poterit unus ſpiritus eſſe cum Eccleſiaſtico ſpiritu, qui cum illo in unam fidei ſententiam non conſpirauit? Quomodo erit illa, quæ nulla eſt, una & eadem cum Eccleſiaſtica fide? Enimuerò nexus, quo in Eccleſia homines uniuntur, fides eſſe decernitur. nam licèt ſine charitate intra Eccleſiam eſſe peccatores non repugnet, prorſus tamen ſine fide, in Eccleſia contineri non poſſunt, ſine fide (inquam) non quauis, ſed Chriſti, qui totius eccleſiaſtici corporis caput eſt & uocatur. Eccleſiaſtici corporis membra, non quauis ratione, ſed fide cum Chriſto capite, & charitate cum cæteris membris Eccleſiaſticis coeunt: ergo qui fide caret, cum & charitate carere opus ſit, neque cum Chriſto, neque cum Eccleſiaſticis membris unitur. non eſt ergo eccleſiæ pars, non ergo ſaluabitur, quoniam extra Eccleſiam nemo poteſt ſaluari. Sed & illud apertè hanc ſententiam profligare uidetur, quod in ſymbolo Athanaſius docet, neceſſarium eſſe ad æternam ſalutem ut incarnationem quoque Domini noſtri IESV Chriſti fideliter credamus, quam neceſsitatem intelligat, ſubinde declarans, Hæc eſt, inquit, fides catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe non poterit. Eſt ergo non quocunque pacto neceſſarium, ſed impoſsibile, cuiquam mortalium, ſine fide Chriſti iuſtitiam contingere.

Cap. firmi. de ſum. tri. fide & cathol.

Epheſ. 4.

Qua ratione ſit impoſſibile, ſtāte lege, quēpiam ſine fide Chriſti, conſequi ſalutem.

HAEC uerò impoſsibilitas unde proueniat, quod ſecūdo loco nos præſtaturos promiſimus iam eſt declarandum. in hoc enim totus diſputationis neruus ſitus eſſe uidetur. Ergo quemadmodum in ſuperioribus, impoſsibilitatem gratiam ineundi cum Deo, ſine Dei cognitione, non à præcepto ſed ex ipſa amicitiæ formali ratione, manare tradidimus, ita & modò iuſtificationis Chriſtianæ, hanc eſſe naturam docemus, ut ſolùm per Chriſti fidem & dilectionem contingat; ita ut ſemel ſtatuta lege, qua neminem, niſi per Chriſtum ad gratiam, aut ad fœlicitatem acceptari decretum eſt, ipſi diuino ſtatuto, & decreto, in quàm longinquo uelis deſerto, aut terrarum ſpacio, ſaluari hominem aut iuſtitiam accipere, ſine fide Chriſti omnino repugnat. Hanc uerò repugnantiam non uno loco, ſed pluribus ac diuerſis tropis, & metaphoris ſcriptura nos docet, Ego, inquit apud Ioannem cap. 10. Chriſtus, ſum hoſtium, per me ſi quis introierit, paſcua inueniet. hoſtium ſe uocat Chriſtus, quòd in præſentem eccleſiam, quæ eſt domus Dei uiui, per eius fidem tantùm intretur, & in futuræ beatitudinis arcem, eius dilectione ſolùm aditus pateat. Hæc eſt, inquit, alibi uita æterna ut cognoſcant te ſolum uerum

Ioan. 10.

Ioan. 17.

Deum & quem miſiſti IESVM Chriſtum, quaſi trinitatis & IESV Chriſti fidem, ad æter- *Lib. de fide ad regi.*
nam ſalutem unicam eſſe uiam, ut Cyrillus docet, apertè doceret. Huc quoque & illud
ſpectat, quod idem Chriſtus ad Apoſtolos inquit, Ego ſum uia, ueritas, & uita, nemo *Ioan. 14.*
uenit ad patrem, niſi per me. Igitur qui in Chriſti fidem, quaſi ſalutis unicam uiam,
non ambulat, ad æternæ fœlicitatis manſionem, poſt uitæ præſentis functionem non
ueniet. Quicunque igitur aliam uiam obiuerit, non ueram ſed falſam uiam, & in ſem-
piternæ damnationis præcipitia ducentem, obiuit. Quicunque igitur Chriſtum non
arripuerit per fidem, non in uitam ſed in mortem perueniet. Quicunque igitur aliò iter
direxerit, ad patrem non ueniet. Benedictus Deus & pater Domini noſtri IESV Chriſti,
ait ad Epheſios ſcribens idem Apoſtolus, qui benedixit nos in omni benedictione ſpi- *Ephe. 1.*
rituali, in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut
eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate; qui prædeſtinauit nos in
adoptionem filiorum, per IESVM Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum uoluntatis
ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo ha-
bemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorum. Non ergo ex
Apoſtoli Pauli ſententia, quiſque mortalium, quantumcunque ab hominum conuerſa-
tione remotus, poterit ſpiritali benedictione perfundi, niſi in Chriſto: quemadmodum,
nec potuit eſſe electus ad æternæ fœlicitatis conſortium, niſi in Chriſto. Non ergo alibi
poteſt habere redemptionem, niſi in Chriſto, poſteaquàm ſecundum ſuum beneplaci-
tum, Deus propoſuit in eo, inſtaurare omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt. Et ne
dicas, hominem quidem illum Euangelica prædicatione deſtitutum, per Chriſtum qui-
dem benedici, & per Chriſtum habere redemptionem, & cætera uniuerſa, quæ toto
illo contextu docet Apoſt. licèt non Chriſti fide, Chriſti tamen merito illi continge-
re, ut indicet ſine Chriſti fide hoc eſſe impoſsibile, protinus ſubdit, In quo & uos cum
audiſſetis uerbum ueritatis, Euangelium ſalutis ueſtræ, in quo credentes ſignati eſtis
ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſi-
tionis, in laudem gloriæ ipſius. Propterea ego audiens fidem ueſtram, quæ eſt in Chriſto
IESV, & dilectionem in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro uobis memoriam
ueſtri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini noſtri IESV Chriſti pater det nobis
ſpiritum ſapientiæ illuminatos oculos cordis ueſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes uocationis
eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitu-
do uirtutis eius in nos, qui credidimus ſecundum operationem, uirtutis eius, quam
operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis. Non ergo ſignati fuiſſent ſpiritu pro-
miſsionis ſancto niſi Euangelium ſalutis audiſſent, non ergo accepiſſent pignus hæredi-
tatis æternæ in redemptionem acquiſitionis gloriæ Dei, niſi Euangelium, idest Chriſti
fidem crediſſent. Solos igitur eos, qui credunt ſecundum operationem uirtutis Dei,
quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis, &c. ſpes illa diuinæ uocationis &
diuinæ gloriæ hæreditatis eius, & ſupereminens magnitudo uirtutis eius manet, cæteros
omnes quantumcunque bonis operibus polleant, ſpes nulla, neque gloriæ diuitiæ ma-
nebunt. In eandem ſententiam profectò eundem Apoſtolum contendere ſuſpicor, cum
in epiſtola ad Romanos eleganti illa antitheſi Chriſtum cum Adamo confert, Non ſo- *Rom. 5.*
lùm, inquit, ſed & gloriamur in Deo per dominum noſtrum IESVM Chriſtum, per quem
nunc reconciliationem accepimus: propterea ſicut per unum hominem peccatum in
hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in
quo omnes peccauerunt; uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum au-
tem non imputabatur, cùm lex non eſſet, ſed regnauit mors ab Adam uſq; ad Moſem,
etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma
futuri: ſed non ſicut delictum ita & donum. ſi enim unius delicto multi mortui ſunt,
multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis IESV Chriſti in plures abun-
dauit. Et ſubinde, Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines, in condemnatio-
nem, ſic & per unius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem uitæ. Ex quibus
Apoſtoli uerbis ita licebit colligere, Vniuerſi mortales quantumcunque ab humana con-
uerſatione remoti, ex Adam iuxta carnalem propagationem deſcendunt omnes; ergo
iuxta ſpiritualem generationem, à Chriſto pendent. in Chriſto autem, iuxta eiuſdem
Apoſtoli teſtimonium, per Euangelium quis gignitur; nemo igitur ſine Chriſti fide ſpi- *Ephe. 2.*

rituali generatione gignetur. Deinde nullus homo, quantumcunque ab humana conuerſatione remotus, macula originali reſpergitur, niſi per Adami traducem: nullus igitur ſpirituali graria, niſi per Chriſtum donabitur ubicunque terrarum habitet: gratiam autem, quam remiſsio peccatorum ſubſequitur, non niſi ex fide in Chriſtum poſſideri, parum ſuperius eodem loco docuerat Apoſtolus, Iuſtificati inquit ex fide pacem *Rom. 5.* habeamus ad Deum, per dominum noſtrum IESVM Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in grariam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe filiorum Dei. Eſt itaque de humanæ iuſtificationis ratione, Chriſti fides, non quòd abſoluta potentia, ſi ira libuiſſet, ſine illa Deus homines ſaluare non poſſet, nihil euim repugnat, cum Dei unius fide, & rectis operibus ex ea factis, homines iuſtos efficere, ſed quòd poſteaquam unicam noſtræ ſalutis uiam Chriſtum fide ſuſceptum conſtituir, & in eo tantùm ſibi uniuerſos mortales gratificari decreuir, fieri non poſsit. Vnde magnum eſt in his tribus *Trium quæſtionum diſcrimen.* quæſtionibus in repugnantia diſcrimen. licèt enim in omnibus tribus ex iuſtificationis ratione formali, ſine fide Dei aut Chriſti, iuſtitiam ſpiritualem cuipiam contingere poſſe, dixerimus repugnare, alio tamen modo in prima, alio in ſecunda, alio uerò in tertia repugnat. In priori quidem ex natura repugnar, quòd ſcilicet nemo poſsit, quem non nouit, diligere: quod ramen ad iuſtificarionem requiritur. In ſecunda quoque ex natura; eriam rei, repugnanria ſumitur, quòd nimirum ſine certa notitia & ſine ſupra naturali illa rarione obiectiua, nec Deus quaſi beatificum obiectum, diligi poſsit, nec uolūtas in ueram dilectionem & operum bonorum efficacem procedere. Tertia demum, non ex natura rei, potuiſſet enim Deus homines ſine Chriſti fide iuſtos efficere, eſſetque tum inrer Deum & hominem iuſtum, nihilominus formalis amicitiæ ratio, quoniam tunc hominis ad Deum eſſe poſſet amor & dilectio, non quæcunque ſed efficax, quæ in illis duabus quæſtionibus dari non poterat, ſed tota in hac parte repugnantia ab ſtatuto diuino prouenit, quo decreuit, nullum niſi per Chriſtum, fide & dilectione ſuſceptum, iuſtum efficere. unde cum dicimus ex iuſtificationis formali ratione, ſine Chriſti fide repugnare, quenquam ſalutem conſequi, uon de quacunq; iuſtificatiouis ſpecie, & ratione loquimur: potuiſſet enim Deus alteram ſtatuere, quæ Chriſti fidem non includeret, qualis illa forſan erat ſpiritualis iuſtitia, qua olim integra & nondum per peccatum corrupta natura, noſtri ſruebantur parentes: ſed loquimur de hac, quam Deus poſt peccatum ſtatuit, in qua Chriſti fidem neceſſariò concluſit.

Quòd fides implicita Chriſti, Euangelico etiam ſæculo, ad ſalutem ſatis ſit; & quid propriè ſit fides Chriſti implicita. Cap. X.

SEd iam propter eas rationes, quas diſputationis initio faciebamus, quibus durum & inhumanum, immo (quod maius eſt) contra ſanctarum ſcripturarum doctrinam uidebatur, quibuſdam hominibus, qui Euangelica prædicatione deſtituebantur, ſalutis ſpiritualis portas occludere, ulterius eſt inquirendum; an eſto quòd ſine fide Chriſti, nulli mortalium ſpiritualis iuſtitia contingar, ad eam ramen conciliandam, præſertim Euangelico ſtatu, fides implicita Chriſti ſufficiat: nam & hoc non parum noſtra memoria, cum illarum rationum uigorem aduerterent, quoſdam exercuit. ſunt enim qui ſine fide Chriſti explicita, quantumcunq; bonis operibus polleat, neminem uolunt iuſtitiam aut ſalutem obtinere, ſed tantùm bona opera, aut legis naturalis ſeruationem ſine fide *Duran. in 3. diſ. 25 q. 1.* Chriſti factam, huc rantum ualoris progredi; ut Euangelicæ prædicationis miniſtrum, aut diuinam fidei reuelarionem, per quam poſtea iuſtiria ſpiritualis contingat, mereantur accipere: quod Cornelio Centurioni Apoſtolica hiſtoria contigiſſe recenſet. Eſt au- *Actu. 16.* tem huic opinioni tum libris, tum frequenti diſputatione, noſtra memoria à doctis *Salmanticen. theologi quidam.* quibuſdam uiris occlamatum, quòd cum Euangelica fides mora egeat, nec uno temporis momento poſsit infundi, iam daretur homo, qui faciens quod in ſe eſt (quod tamē ad ſalutem ſufficere uel ipſa ratio naturalis inſinuat,) damneretur, quod diuinæ miſericordiæ proculdubio repugnat, immo (ut quidam uult) impium eſt & hæreticum. Quòd ſi dicatur, hominem illum, qui bonis operibus & uitæ rectitudine, fidei reuelationem

mereretur,

mereretur, nequaquam moriturum, quòd eum diuina prouidentia conſeruet, niſi nouo peccato mortali, quo eiuſdem diuinæ prouidentiæ tutelam auertat, denuò fœdetur; reſpondent, id prorſus eſſe commentitium, & nullo uel rationis, uel ſcripturæ fundamento conniti. neque enim hæc conſeruatio lege diuina conſtat, aut ex diuinæ prouidentiæ ratione deducitur, præter hoc quòd (ut aiunt) illud non eſt ſtatus naturæ corruptæ, ſed integræ prorſus, ſine peccato mortali non poſſe mori: hoc enim olim innocentia donabat. Sunt deinde noſtra memoria, qui huius ſententiæ rigorem temperantes, duplicem ſtatuant ſpiritualem ſalutem, æternam alteram; ad quam iuſti poſt huius uitæ mortalis labores perueniant, temporalem alteram, qua in uita præſenti per gratiam à peccati originalis uel actualis languore homines conualeſcunt; quæ iuſtificatio uocatur. Ergo ad priorem illam, neminem ſine fide explicita peruenire permittunt, ad hanc ſecundam, fidem Chriſti implicitam, ſufficere docent. Credunt enim cum fide implicita Chriſti, poſſe hominem iuſtitiam accipere, licèt ſine fide Chriſti explicita, quam tamen ante mortem accipiet, niſi mortaliter peccet, ſaluari non poſsit. quod hiſce rationibus confirmare nituntur. Primò quidem facto Cornelij, qui, ut ex Euangelica hiſtoria manifeſtè colligitur, cum nondum Petri de Chriſto prædicationem audiſſet, iuſtus iam erat. cui ſimile eſt, quod de Eunucho Candacis Reginæ Aethiopum, & de Lydia purpuraria, eadem Apoſtolica hiſtoria recenſet, quorum prior bonis operibus, & ſpirituali iuſtitia, qua hominem à Dei ueri adoratione reuertentem, polluiſſe, par eſt credere, Philippi prædicationem & baptiſmi lauacrum; poſterior uero, cum coleret Deum, ac proinde iuſta eſſet, cordis apertionem, ad intendendum his, quæ dicebantur à Paulo etiam promeruiſſe uidetur. Secundò fides Chriſti, aiunt, explicita, ut ab homine percipiatur, mora temporis indiget, ſed in quolibet momento homo, qui credit in Deum poteſt iuſtificari: non igitur fides Chriſti explicita ad iuſtitiam accipiendam requiritur. Tertiò idem eſſe uidetur de baptiſmo & de fide iudicium, ſed ex quorundam ſcholaſticorum ſententia, homo remiſsionem peccatorum per uotum implicitum baptiſmi conſequitur: conſequetur ergo remiſsionem peccatorum per fidem implicitam. His ſunt ſimilia, quæ à quibuſdam aliis in hac parte afferuntur, ut quod hac ratione Paulus Apoſtolus, tantùm duplicem illam notitiam, qua fides Chriſti continetur implicitè, quòd Deus ſit & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit, Deum acceſſuro, ideſt iuſtificando, præſcripſerit, quòd ſolam illam neceſſariam exiſtimet &c.

Alphon. Caſtrus lib. 2. de poteſta. leg. pœna. c. 14.

Melchior Canus in relectione de Sacra. in com.

Verùm hoc paradoxon (abſit autem auctorum iniuria, quos doctiſsimos alioqui ſat ſcio) non tantùm ſanctæ ſcripturæ, ſed ipſis inuentoribus eſt apertè contrarium, nec tamen erroris notam illi inurere audemus, quòd ſciamus non tam ab opinandi peruicacia, quàm ab animi candore & pietate profectum, qua his, qui Euangelica prædicatione deſtituuntur, ſalutis aditum patefacere cupiunt. Sed iam prius probemus.

Profecto ſancta ſcript. & Eccleſiaſticæ diffinitiones, nõ minus hominis iuſtificationem & peccati excluſionẽ, quàm æternæ ſalutis conſequutionẽ appendunt, immo multò magis cùm magis multò arduum ſit, hominẽ ex filio perditionis & iræ, æternæ hæreditatis conſortem efficere, quàm poſt ius per gratiam acquiſitum, eãdem hæreditatem illi tribuere: ſicut multò maius eſt & magis arduũ, alicui titulũ domini, quàm poſt acquiſitũ dominium, eidem poſſeſsionem dare. ergo ſine fide Chriſti explicita, cum ſola implicita, ſpiritualis iuſtitia, ideſt æternæ ſalutis, poſt uitæ functionem habendæ ius, prouenit, poterit etiam eadem fide eiuſdem æternæ ſalutis conſequutio contingere. Enimuerò hæc ratio, à pari, immo à maiori uim habet. Quod autem his ipſis auctoribus etiam aduerſetur, hoc pacto ſuadetur, In omnibus locis, quos ad fidei explicitæ, in æternæ uitæ conſequutione, neceſsitatem uel ex ſancta ſcripturæ, uel eccleſiaſticis diffinitionibus proferunt, æquè docetur, nos per fidem Chriſti iuſtificari, & nobis iam iuſtificatis æternæ ſalutis conſequutionem contingere. Ergo ſi illa uniuerſa, ut uolunt ipſi, ut eos errores conuincant, qui fidem Chriſti explicitam in Euangelico ſtatu, ad ſalutis æternæ conſequutionem neceſſariam non credunt, de fide explicita ſunt accipienda, cur non & in iuſtificatione de explicita fide eadem accipientur? Et profectò quidam iſtorum, non tantùm periculoſum, ſed prorſus erroneum, immo niſi modeſtius iudicarent, huiuſmodi notam Eccleſiæ relinquere, hæreticum dicerent, aſſerere hominem ſine Chriſti explicita fide, in euangelico ſtatu conſequi ſalutem, neque ad hanc tam rigidam

cenſuram inurendam, alia loca ſcripturæ proferunt quàm ea, ex quibus fidei Chriſti ad
ſalutem habendam neceſsitas colligitur. neque enim ibi, quòd ſit explicita fides neceſ-
ſaria, ſed abſolutè, quòd fides Chriſti ſit neceſſaria, docetur. Cur ergo ſi loca ea de fide
explicita uolunt intelligi, quatenus ad conſequutionem fœlicitatis ſpectant, non ea-
dem quoque de fide explicita intelligent, iuſtificationis reſpectu, quæ (uti diximus)
multò eſt difficilius & magis arduum opus? aut cur, cùm utrunq; eiſdem locis ſcriptu-
ræ probetur, illud erroneum, hoc uerò catholicum docent? Sed iam ſingulos ſcripturæ
locos, quibus periculoſum & erroneum credunt, docere, Chriſti fidem implicitam ad
ſalutis æternæ conſequutionem non eſſe ſatis, in examen uocemus. Inueniemus pro-
fectò non tam illos de conſequutione finali ſalutis, quàm de iuſtificatione, & reconci-
liatione hominis loqui. Nam in primis ille, quem ex Ioanne euangeliſta proferunt,
nimirum, Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium homi-
Ioan.3 nis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam: qui credit in
eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine
unigeniti filij ſui. Et infrà, Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem in-
credulus eſt filio, non uidebit uitam æternam. de hominis iuſtificatione, & de ſpiri-
tuali uita, qua per gratiam, ſemel excluſo peccato, Deo uiuere incipit, fore intelligen-
Rom.10. dum, ipſa uerba demonſtrant. Apertius autem eſt illud, quod ex Paulo proferunt, Si
cõfitearis in ore tuo Dominum IESVM Chriſtum, & in corde tuo credideris, quòd Deus
illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. nam quòd hic locus non de finali conſequutione
ſalutis, ſed de præſenti iuſtitia ſit accipiendus, quod ſtatim adiungit Apoſtolus, do-
cet, Corde (inquit) creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Taliaq;
ſunt cætera uniuerſa, quæ ad inſinuandum errorem eius ſententiæ, quæ in euangelico
ſtatu fidem explicitam non docet neceſſariam, ab his proferuntur. Quòd ſi, cùm hi loci
de iuſtificatione loquantur, uiſi ſunt huius ſententiæ auctoribus ſufficientes, ut illam
opinionem, quæ ſine fide explicita ſalutem contingere docebat, periculoſam & erro-
neam, immo niſi eccleſiaſticam cenſuram uſurpare erubeſcerent, hæreticam uocarent,
cur non etiam ſufficient iidem loci ad eandem notam inurendam illi, quæ fidem ex-
plicitam ad ipſammet iuſtificationem, de qua loquuntur, non requiri docet, cum & illæ-
met rationes, quas aduerſus alteram illam ſententiam producunt, eam æquè uehemen-
ter, immo uehementius oppugnent? Quemadmodum enim extra eccleſiam nullus po-
teſt ſaluari, ita extra eandem nullus poteſt iuſtificari: & qui extra illam peccata remitti
doceret, tam hæreticus & eccleſiaſticis diffinitionibus contrarius haberetur, quàm qui
extra illam doceret, quempiam ſaluari. aut igitur qui fidem Chriſti habet implicitam,
intra eccleſiam continetur, aut non continetur: ſi intra eccleſiam continetur, non eſt
igitur cur eo argumento in alterius opinionis auctores inſurgant; quòd ſi non contine-
tur, cum ex horum ſententia cum fide illa implicita poſsit iuſtificari, iuſtificatur ergo
aliquis extra eccleſiam, & extra eccleſiam remittentur peccata, quod eſt prorſus hære-
ticum. Et profectò mirabile eſt & hucuſq; inauditum, quòd iſti nolint amicum eſſe
Dei, iuſtum eſſe, aut gratiam Dei poſsidere, ad uitam æternam conſequendam ſuffi-
cere: cum tamen uniuerſa Chriſtiana ſchola ſic rectiſsimè colligi ſemper putauerit: Iu-
ſtus eſt, ergo ſaluabitur; gratiam habet, ergo ſaluatur; Dei amicus eſt, ergo ſaluabitur,
nihil amplius quàm gratiam ad ſalutis conſequutionem neceſſarium exiſtimans. Sed il-
lud eſt mirabilius, quòd etiam ex eadem ſententia neceſſariò conſequitur, hominem
iuſtum, & Dei amicum, abſque nouo peccato aliquando damnari. Nam ſi Socrates
(uerbi cauſa) qui & legis naturalis obſeruantia, & Chriſti hac fide implicita pollens,
purgationem à peccato & iuſtificationem promeruit, ante prædicationem Euangelij
decedat, iam quòd non habeat fidem explicitam, cum ſit iuſtus, profectò damna-
bitur. Niſi ſit ſatis idonea reſponſio illa, quæ à quibuſdam horum ſtudioſis pro-
fertur, Socratem non deceſſurum quouſque fidem Chriſti explicitam per euangelicam
prædicationem acciperet. Quod unde compertum habeant, interrogare licebit. nec
Act. 10. enim Cornelij, Centurionis, Lydiæ purpurariæ, aut Eunuchi facta, quamuis Apoſtolica
Act. 8. hiſtoria ante Euangelij prædicationem iuſtos doceret, ad generalem inde regulam pro-
Act. 16. uidentiæ nectendam, ſatis eſſe uidentur, cùm hi uel inter ipſos Apoſtolicos uiros, qui
Chriſti prædicationem ferebant, aut non procul ab eiſdem habitarent. Quid? an quòd

ante

ante mortem Comelio Ceuturioni Cæſareæ agenti, Petrum Apoſtolum Deus deſtinaret, aut quòd Eunucho ab adoratione reuertenti, in ipſo Iudaicæ prouinciæ confinio, Philippum obuium fecerit, aut quòd Lydiæ purpurariæ, inter medias Pauli Apoſtoli uoces cor aperuerit, ut intenderet his, quæ dicebantur de Chriſto, iam inde colligemus, id ipſum præſtiturum iis, qui in remotiſsimis inſulis, aut regionibus habitent? Quòd ſi diuino miraculo Euangelicæ legis expoſitor, ad hominem illum remotiſsimè agentem, quaſi alter Abacuc ad Danielem per capillum eſt adducendus, quò ſine fide explicita Chriſti non moriatur, cur erit abſurdum, facilius & leuius miraculum, illius loco difficilioris & grauioris admittere? ut ſcilicet homo ille Euangelica prædicatione deſtitutus, præſertim (ut ipſis uidetur) iam iuſtus, ſine explicita fide conſequatur ſalutem? an non hoc eſt leuius? an non eſt facilius, quàm ad hominem tanto terrarum ſpatio, tot maribus diſsitum, miniſtrum euangelicum mittere, cui danda ſit linguarum ut ſuâ prædicatione proficiat, perfecta notitia, & reliqua uniuerſa, quæ ad eam legationem requiruntur, tribuenda? ſi homo ille ſine altero horum ſaluari non poteſt, hoc profectò ſecundum quod non in eo, ſicut in illo priori, ſubitò naturæ leges uiolentur, ſed in lege, quæ à ſolo pendet uoluntatis arbitrio, diſpenſatio fiat, eſt multò facilius.

Quanuis enim & lex poſitiua & lex naturalis à diuina uoluntate proficiſcatur, multò tamen mirabilius & eſt, & habetur, naturales leges quàm poſitirias infringere: mirabilius eſt enim hominem ſine uiri ſemine naſci, aut eundem, cum fuerit iam defunctus, ad uitam reſurgere, quàm aliquem ſine baptiſmo, aut ſine pœnitentia poſt peccatum ſaluari: non alia nimirum ratione, quàm quòd in his ſolum uolunratis arbitrium, quod in lege ſancienda uel à rerum conditione, uel compenſatione dependet, in illis, præter hoc, & naturæ præſcripta, quæ nihil horum admittunt, frangantur. Sed quid ſi bellum ingruat? quid ſi propinetur uenenum? quid ſi in uiolentas hoſtium manus hic iuſtus inciderit? an quòd nondum Euangelicæ fidei explicitam, prædicationem acceperit, non eſt moriturus? Transfodiatur hoſtili gladio, non morietur? Tranſuerberetur haſta, non interibit? ergo non ad hunc naturæ corruptæ ſtatum, ſed ad fœlicem illum, quem ſi primorum parentum peccatum non ingruiſſet, fuiſſemus habituri, homo ille attinebit, quod antea ex his quidam obiiciebat in eos, qui ſine fide explicita, quenquam, etiam cum legis naturalis obſeruantia uolebant peccati remiſsionē accipere.

Iam uerò, uel loci uel rationes, quæ hos in hanc ſententiam impulerint, quàm parum moueant, uel parum eruditus depræhendere poterit. primò enim nec Cornelium Centurionem, nec Lydiam purpurariam, nec Eunuchum Aethiopem, ante prædicationem Euangelij Apoſtolica hiſtoria iuſtos docet. Et ut id paucis de Cornelio probemus (cuius tamen iuſtitiæ maiora ſunt apud eandem hiſtoriam indicia) profectò quæcunque de illo in ea dicuntur, non omnino ſanctis auctoribus perſuaſerunt, ante Euangelij prædicationem eum fuiſſe iuſtum, Immo illorum ſententia, contrarium angelica uerba demonſtrant, Mitte (inquit) in Ioppem, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi uerba, in quibus ſaluus eris tu, & uniuerſa domus tua. Si his, quæ erant à Petro dicenda, ipſe & domus eius ſalua futura erat; nondum ergo, ut Chryſoſtomus colligit, fuerat ſuis operibus conſequutus ſalutem: ſaluus enim eſt, non tantùm, qui eſt uitam æternam per mortem adeptus, ſed qui excluſo peccato, quod creaturæ rationalis uerus eſt morbus, ſpiritualem ſalutem per gratiam accepit. ſaluus enim à ſalute dicitur, ſalus autem ſpiritualis ea propriiſsimè dicitur, quæ homini à peccato conualeſcenti conciliatur per gratiam. Immo illi angelum, non tam de finali ſalute, quæ iuſto homini per mortem contingit, quàm de ea, qua per gratiam morbus ſpiritualis expellitur, ſermonem facere, ſimilis utriuſque teſtamenti ratio loquendi haud obſcurè demonſtrat. Quicunque (ait Ioël propheta) inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: quæ uerba de iuſtificationis ſalute, eſſe accipienda, ad Romanos Apoſtolus docet. Corde (inquit) creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. dicit enim ſcriptura, Omnis, qui credit in illum, non confundetur. non enim eſt diſtinctio, idem enim dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum: omnis enim quicũque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. fidei & confeſsioni tribuit iuſtitiam Apoſtolus, & fidei quidem uirtutum, ex Iſaia, externæ uerò inuocationis potentiam, ex Ioele ſuadet. & cùm Angelus, Ioſeph ſacratiſsimæ uirginis ſponſo, naſcituri Chriſti, nomen,

Chryſoſt. ſerm. de fide & ſpiritu ſanc.

Ioel. 2.

Rom. 18.

Matth. 1.

per

per ſomnium oſtenderet, Vocabis (inquit) nomen eius IESVM, Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. quo loco, nemo non uidet, nomen, ſaluum, ſpiritualem, per quam à peccato iuſtificamur, ſalutem importare? ſed et mulieri peccatrici apud
Luca. 7 Lucam, cùm illi à Chriſto ſuorum peccatorum remiſsio denuntiatur, Vade, inquit, fides tua te ſaluam faciet. qua ratione loquendi, uel in corporalibus, uel in ſpiritualibus expellendis languoribus, Chriſtus in Euangelica hiſtoria frequentiſsimè utitur. Sunt & huius phraſis in utroque teſtamento frequentiſsima exempla, quale illud, quod ad Co-
1. Cor. 1. rinthios ſcribens Apoſtolus inquit, Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Vbi non tam de conſecutione fœlicitatis, quàm de ſpirituali ſalute, quæ ex Euangelica prædicatione concipitur, Apoſtolus loquitur. qualia alia complura, quæ, quòd ſint lectori notiſsima, cauſa breuitatis omittimus. Vides ergo ualidiſsimum eſſe Chryſoſtomi argumentum, quo nomen, ſaluus, ex Euangelica monitione, non finalis ſalutis conſequutionem, ſed à peccato iuſtificationem per gratiam, ſignificat. Quòd ſi hoc uerum eſt, nondum igitur iuſtus erat hac, quæ nos Deo gratos efficit, ſpirituali iuſtitia, ſed oportebat prius Petrum accerſere, qui ſua illi prædicatione Chriſtum inſunderet, ut corde crederet ad iuſtitiam, & ore confiteretur ad ſalutem. Scio inter Eccle-
Auguſtin. in expoſit. inchoata in epiſt. ad Roma. & in Leui. q. 84. ſiaſticos auctores eſſe nonnullos, qui Cornelio gratiam, & ſpiritualem iuſtitiam, ante baptiſmum permittant, immo antequàm aliquid de baptiſmo cognoſceret, quod & ipſa Apoſtolica hiſtoria illis inſinuare uidetur, dum narrat in ipſa Petri concione, non tantùm illum, ſed cæteros quoque, qui Apoſtolicæ concioni aderant, Spiritu ſancto perfuſos; ex celebrioribus tamen illis Theologis, nullum legi (fateor) qui ante Petri prædi-
Obiectio. cationem eidem iuſtitiam ſpiritualem indulgeat. At illic uocatur iuſtus, eſto uerum nō adeo ut olim Iob, aut ſi iuſtus uocatur, non tamen à Petro, qui diuino ſpiritu agente, eum iuſtum uocaſſe exiſtimari poterat, ſed à ſuis domeſticis & à milite quodam, quos Cæſarea Ioppen de ſe bene Petro loquuturos, & illum adducturos miſerat. Cornelius (aiunt) Centurio uir iuſtus & timens Deum, & teſtimonium habens ab uniuerſa gente Iudæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto, accerſire te in domum, & audire uerba abs te. In quibus profectò niſi omnia, quæcunque & à quibuſcunque dicantur in ſancta ſcriptura, neceſſarium ſit credere, nihil uides nos cogere, ut Cornelium iuſtum credamus. Vocant illum, ſiue miles ille, ſiue domeſtici, iuſtum, non iuſtitia, quæ nos Deo commendat, & gratos reddit, cuius illuc uſque ignorantiſsimi erant, miles & quicunque illum comitabantur, ſed morali iuſtitia, quæ tum apud gentes, tum apud populum Dei, tanquam mater uniuerſarum uirtutum fuit olim in pretio. qua iuſtitia Philemoni,

Apud Stobæum ſermone de iuſtitia.
Iuſtus eſt, non qui non fecit iniuriam,
Sed qui cùm iniuriam poßit, non uult tamen.
Neque qui à paruis capiendis abſtinuit,
Sed qui magna ſubſtinet non accipere,
Quamuis habere queat & poßidere ſine periculo.
Non ille, qui iſta facit omnia ut gloriam ſibi uenetur,
Sed qui ſincero & candido præditus ingenio,
Eſſe iuſtus, non modo uideri uult. Et Menander
Si cuſtos fueris, mores habebis tanquam leges,
De probo uiro, mali nihil cogites,
Iſti mores, iniuriam facere neſciunt.

in Alcibia de 2. Multaque ſimilia tum apud Ciceronem, tum apud Platonem, dicta de uiro iuſto repetias; Prudentes (inquit Plato) iuſtique ſunt, qui ſciunt, quæ erga Deum, atque homines & agere & dicere debeant. Iuſtus enimuerò apud hos appellatur, non qui Deo gratus eſt, & à peccato purgatus, ut nos ſumimus, ſed qui totam uirtutem, integrum inquam humanarum & diuinarum uirtutum ordinem & cumulum ſibi acquiſiuit. In quo iuſtitiæ genere Cornelius à milite & domeſticis, Petro commendatur. Sed hac ratione, & apud prophanos auctores, innumeros iuſtos appellatos legimus, qui tamen nedum Chriſti, ſed nec ueri Dei notitia pollebant, ac proinde nec iuſti eſſe iuſtitia Chriſtiana, quæ eſt remiſsio peccatorum, ullo modo potuerunt. At ais, Cornelius à Luca religioſus & timens Deum uocatur, & eius eleemoſynæ coram Deo aſcendiſſe referuntur,

tur, ab Angelo: ita eſt: ſed eſſe religioſum & timere Deum, tantùm arguit eundem non fuiſſe cultorem idolorum. hoc enim eſt in ſcriptura, timere Deum: eleemoſynas uerò eiuſdem coram Deo aſcendiſſe, non arguit eundem fuiſſe iam iuſtum, ſed illis bonis operibus, de congruo meruiſſe Petri prædicationem, quod etiam in cunctis, qui ſunt in peccato mortali, bonis tamen operibus pollent, docere aſſueuimus. dicimus enim hoc bonis illis operibus mereri, ut à Deo illuminati, tandem trahantur.

Tantundem ualet, quod quidam ex Petri confeſsione obiiciunt. cum enim illi, quos Cornelius miſerat, legationem expoſuiſſent; In ueritate (inquit) comperio, quia non eſt Deus acceptor perſonarum, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Aperte aiunt, Cornelius, qui timebat Deum, & fuerat operatus iuſtitiam, iuxta Petri teſtimonium, acceptus erat Deo, non ergo tantùm politica aut morali iuſtitia, ſed diuina iſta & Chriſtiana, qua peccatis per gratiam excluſis, corda purgantur, iuſtus erat. ſed tamen non ſatis admirationis Petri cauſam, neque de qua acceptatione loquatur, aduertiſſe uidentur. Nondum ſatis intelligebant Apoſtoli, gentes eſſe Euangelicæ gratiæ participes, quod ex ea diſputatione, quam aduerſus eundem Apoſtolum, coacto concilio, eo quòd ad Cornelium hominem Gentilem & Ethnicum fuiſſet ingreſſus, habuerunt, non obſcurè colligitur. Immo nec ipſe Petrus hoc intellexiſſet, niſi oranti illi circa horam ſextam, & eſurienti, linteum magnum, uniuerſis animantibus mundis & immundis plenum, ex quo occideret & manducaret, cœlitus fuiſſet oſtenſum, quod omnium mortalium ſiue Iudæorum, ſiue Gentilium, uniuerſitatem aptam eſſe Euangelio & Apoſtolico corpori, quaſi nutrimentum incorporandam, oſtenderet. Admirabundus itaque Petrus, quòd & gentibus aperuiſſet Deus hoſtium fidei, in hæc uerba prorumpit, In ueritate comperi, quòd non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, & in omni populo, qui timet eum, acceptus eſt illi: nimirum ad gratiam Euangelij recipiendam, qua tandem recepta, à peccato per gratiam purgatus fiat acceptus ad uitam æternam. Illa enim acceptatio, de qua Petrus illic loquitur, illa eadem eſt, de qua aliis quidem uerbis, ſed eodem ſenſu, coacto concilio, itidem admirabundi loquuntur Apoſtoli: ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad uitam. Non ergo ex Apoſtolica hiſtoria conſtare poteſt, Cornelium ante Petri prædicationem, hac Chriſtiana iuſtitia, per quam peccata ab anima expelluntur, iuſtum fuiſſe, idemq; iudicium eſto de Eunucho, & Lydia purpuraria. nec enim quòd nomine Reginæ Candacis ab adoratione reuerteretur Eunuchus, aut quòd Iſaiam legeret, aut demum quòd Lydia colens Deum, in Apoſtolica hiſtoria uocetur, manifeſtè oſtenditur, hos iuſtos, & ad uitam æternam acceptos fuiſſe: fieri enim poteſt, ut quis non modò alieno nomine, ſed ſuo, Deum uerum adoret & externè colat, nec tamen ſit iuſtus. Act. 10. Act. 16.

Demum, illa ultima ratio, quæ à uoto implicito baptiſmi ſumebatur, deficit dupliciter. primò, quòd neceſsitas baptiſmi, ut in præcedentibus diximus, non à iuſtificationis formali ratione, ſed à ſolo præcepto deſcendat. non enim repugnat dari hominem iuſtum, ſine baptiſmo, niſi præcepto ſuppoſito: nullo tamen præcepto ſuppoſito, ex natura iuſtificationis, quæ non eſt aliud, quàm Dei amicitia, ſine fide, repugnat dari hominem iuſtum. Secundò, quod uotum etiam uirtuale baptiſmi, fidem quoque explicitam Chriſti, in ſe claudat. fieri enim poteſt, ut quis fidem Chriſti explicitam habeat, & tamen baptiſmum ignoret, quemadmodum Cornelio contigiſſe credendum eſt. ante enim quàm aliquid de baptiſmo, à Petro audiuiſſet, cecidit in eum Spiritus ſanctus: & fieri poteſt, ut Turca, qui nihil de baptiſmo nouerit, Chriſtum ſciat totius humani generis reparatorem eſſe, cum nondum tamen aliquid baptiſmo apprætenderit. nec enim fides explicita totius Euangelicæ uitæ leges & ſtatuta complectitur, ſed Chriſti tantùm perfectam notitiam, id eſt, quòd Deus temporis plenitudine filium ſuũ factum ex muliere miſerit, ut eos, qui ſub lege peccati continebantur, redimeret & adoptionem filiorum reciperemus. Contrà uerò fides implicita, præſertim qualis ab iſtis cõſideratur, quæ uerè non eſt aliud, quàm unius Dei fides, ut antea docuimus, non modò eiuſdem Chriſti notitiam explicitam non includit, ſed neq; in bona & neceſſaria conſequentia, ex illa Chriſtus ullo pacto deducitur. Itaque non tantùm hi auctores prorſus à ueritate mihi aberraſſe uidentur, ſed inſuper nullam ita ſentiendi, uel à ſancta ſcriptura, uel ab ipſa ratione, occaſionem habuiſſe. neque enim, ut ſatis indicauimus, ante Galath. 4.

Chriſti prædicationem, quempiam iuſtum fuiſſe, ſcriptura commemorat, aut ſi Cornelius, Eunuchus, & Lydia, qui inter Euangelicos prædicatores conuerſabantur, fuerunt iuſti, non erat inde regula uniuerſalis ad remotiſsimos quoſque nectenda, ita ut ſi Cornelius, poſteaquàm erat aſſecutus iuſtitiam, diuina prouidentia fuiſſet ab Apoſtolo, Chriſti notitia perſuſus, ad oſtendendum nimirum & gentes eſſe cohæredes comparticipes regni, hoc idem in quocunque iuſto ſit quoque neceſſarium cenſendum. Eſt ergo unum ex duobus neceſſariò dicendum, nimirum, aut nullum ſine Chriſti fide explicita iuſtitiam aſſequi, aut ſi implicita fides iuſtificationem conciliet, æternam quoque per eandem ſalutem contingere, cum uno eodemque rigore de utraque ſalute ſcriptura loquatur. Prius, rigidum admodum mihi uidetur, propter eas rationes, quæ huius diſputationis initio fiebant: durum eſt enim uniuerſos mortales, Chriſtianis, qui audierunt Euangelium exceptis, à regni cœleſtis conſortio repellere.

Nihil ergo (meo quidem iudicio) uel ex ſancta ſcriptura, uel ex Eccleſiaſticis traditionibus obſtare uidetur, quominus fidem Chriſti implicitam, charitati coniunctam, & ad futuræ fœlicitatis acquirendam coronam ſufficere dicamus. nam quod ad peccati remiſsionem ſit ſatis, argumenta illa, quæ ex Apoſtolica hiſtoria à præcedentis placiti auctoribus producebantur, ſi cui placeat Cornelium, Eunuchum, & Lydiam ante Euãgelij prædicationem fuiſſe iuſtos, non nihil ſuadent. Neque hoc nobis hucuſque diſplicuit, ſed tantùm contendimus, ex ipſo Apoſtolico textu eos fuiſſe iuſtos, manifeſtè non elici, quo illi auctores ad tantum paradoxon inducendum adigerentur, ſcilicet fidem implicitam ad iuſtificationem, non item ad aſſequendam ſalutem ſufficere. ex illis enim locis præcipuam ita ſentiendi anſam ſumpſerunt. Quod autem ad aſſecutionem quoque ſalutis æternæ ſufficiat, ea, quæ contra eos diximus (niſi ego prorſus cæcutio) maniſeſtiſsimè oſtendunt.

Est autem in hac parte aduertendum, non quamcunque fidem, fidem Chriſti implicitam apud nos uocari, ut antea docuimus, ſed illam tantùm, ex qua Chriſtus ſaltem imperfectè cognitus ſyllogiſtico deducatur diſcurſu. Vnde eam fidem, quam communiter auctores ſcholaſtici uocant fidem Chriſti implicitam, ideſt unius Dei prouidi, &c. cum perfectiſsima legis naturalis, non tantum naturali, ideſt ex fine naturali, qui eſt honeſtas, ſed etiam theologica, ideſt ex fine theologico, qui Deus eſt, deriuata, penitus inualidam ad iuſtitiæ ſpiritualis & æternæ beatitudinis conſequendam coronam, crediderim. Neque enim ea fides quoquam pacto, Chriſti notitiam in ſe includit, implicitè, inquam, aut explicitè, cum in ea, nec implicitè, nec explicitè Chriſtus cognoſcatur. Voco ergo Chriſti fidem implicitam, notitiam quandam, ſiue ex antiqua traditione, ſiue per reuelationem acceptam, qua & generis humani corruptionis & mediatoris inter idem genus humanum, & Deum, imperfecta quædam habeatur notitia, qua nunquam eſt exiſtimandum gentes ubicunque terrarum habitarent, fuiſſe deſtitutas. Nam præter ea, quæ Euſebius Cæſarienſis & Lactantius Firmianus ex uariis gentium auctoribus in medium producunt, & quæ nos libro ſecundo Sibyllarum oraculis clariſsima teſtimonia de Chriſto protulimus, hanc notitiam, ſuis minoribus generis humani parentes, in ipſo mundi primordio, quaſi ad ſalutem neceſſariam tradidiſſe, & eandem poſtea per omnes ætates deuolutam fuiſſe ad poſteros, non eſt dubitandum. Enimuerò Athenis aras quaſdam Deo ignoto ſacras, olim in media ipſa ſuperſtitione fuiſſe, præter Pauſaniam & Philoſtratum, Diogenes Laërtius in Epimenide ſcribit, quam tamen Paulus Apoſtolus ante Areopagum ſtatutus, Deo, quem ipſe prædicabat, dicatam fuiſſe, conſtanter affirmat: Præteriens (inquit) & uidens ſimulacra neſtra, inueni aram in qua ſcriptum erat, Ignoto deo. quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio uobis. Et ſubinde, In ipſo, inquit, uiuimus, mouemur, & ſumus, ſicut & quidam ueſtrorum poëtarum dixerunt. Ipſius enim & genus ſumus. genus ergo cum ſimus Dei, non debemus exiſtimare auro, aut argento, aut lapidis ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile. In quibus uerbis uides Græcis poëtis & generis humani creationem, & quicquid de diuina prouidentia Chriſtiana religio docet; inſuper & de ipſius incarnatione: notum fuiſſe hoc enim eſt quod ait, Ipſius enim & genus ſumus. Nullo profectò pacto in mentem poëtarum uenire potuit, hominem ad diuinæ naturæ æqualitatem potuiſſe conſcendere: potuerunt tamen (quod fieri erat poſ-

Notitia implicita quid ſit.

Pauſa. li 1. Atti. Philoſ. lib. 6. de uita Apoll. Actu. 17.

ſibile) Deum ad genus noſtrum, per carnis aſſumptionem aliquando deſcenſurum, mente concipere; quanuis non ignorem, nobis diuinum eſſe genus, aliorſum à Pythagoricis accipi, quod ſcilicet, animorum origo ſit à Deo, iuxta illud,

Θάρσει ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν.

Vnde nanque genus diuinum, mortalibus extat.

Sed longè aliam mentem in hac parte quàm Pythagoræ, fuiſſe Apoſtolo, nemo negabit: Quod (inquit) ignorantes colitis, hoc ego annuntio uobis. Prædicabat autem Paulus non Deum carne nudum, ſed Chriſtum, & hunc crucifixum &c. Iob deinde quanuis 1.Cor.2. gentilis & inter nationes diuinæ cognitionis expertes nutritus, uel quòd diuinam, quam à patribus ſuſceperat de Chriſto naſcituro traditionem conſeruaſſet, uel quòd in ſui uel aliorum inſtructionem diuinitus fuiſſet ita edoctus, Scio, inquit, quòd Iob 17. Redemptor meus uiuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum: quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt ſpes mea in ſinu meo. quo loco Chriſti incarnationis non modò fidem implicitam, ſed maximè explicitam contineri uides; Profectò uel ſtatim poſt primorum hominum peccatum, uel poſt totius humani generis per uniuerſale illud diluuium, interitum, latam diuinitus fuiſſe legem quandam, quæ non modò mores componeret, ſed myſticis cæremoniis & ritibus Chriſtum præſignaret, ſanctæ ſcripturæ contextus indicare uidetur. enimuerò Abraham ſub legis Moſaicæ præceptis, & cæremoniis non uixit, & tamen à Deo poſt mortem, quòd ſuas leges & cæremonias ſeruaſſet, impensè laudatur. Multiplicabo (inquit ad Iſaac Deus) Gen.26. ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, daboque poſteris tuis uniuerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham uoci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesque ſeruauerit. Fuit ſemper apud Eccleſiaſticos auctores conſtitutiſsimum, gentium paruulos, parentum fide in Chriſtum, adultos uerò eiuſdem fidei in ſacrificia externa prodeuntis uirtute, à peccato mundari: quod profectò nunquam docuiſſent, niſi id firmiſsimum habuiſſent, apud gentes fidem Chriſti, in illis ſaltem ſacrificiis implicitam uiguiſſe. Quod apud nos ualet aqua baptiſmi, (ait Gregorius) hoc egit apud ueteres uel pro paruulis ſola fides, uel pro maioribus uirtus ſacrificij, uel pro his, qui ab Abrahæ ſtirpe prodierunt; myſterium circunciſionis. neque exiſtimandum eſt, diuinam prouidentiam ſolam Iſraeliticam gentem, ſalutis conſequendæ auxiliis fouiſſe, nec proinde Chriſti notitia, quæ poſt primi parentis peccatum exigitur, deſtituiſſe. Hinc facilè eſt, meò quidem iudicio, duorum amicorum noſtrorum, pro officio, controuerſiam componere, quorum unus Ethnicos philoſophos uniuerſos gehennæ incendio damnat, tum quòd ſeruandis naturæ præceptis, non faciebant quod erat in ſe, ut uiam ſalutis edocerentur, tum quòd, cùm præcepta naturalia cognoſcerent, eis tamen non parebant: tum demum, quòd Chriſti fidem, ſine qua nulla eſt ad ſalutem uia, non habebant. Alter uerò non quoſcunque, ſed uiros probos, & qui cum ſapientia, uitæ quoque compoſitionem copulabant potuiſſe ſaluari, his rationibus contendit. Primò quidem, quòd nullum fuerit hominum genus, cui Deus, qui uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, non aliquod iuris legumque præſidium, quo ſalui eſſe poſſent indulſerit. Deinde quòd Apoſtoli Petri ſententia, non ſit perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. In quam ſententiam ab exordio (inquit Auguſtinus) generis humani, quicunque in Deum crediderunt, eumque utcunque intellexerunt, & ſecundum eius præcepta piè & iuſtè uixerunt, quomodo libet & ubilibet fuerint, per eum proculdubio ſalui facti ſunt. ergo cum conſtet, ab Orbe condito, ad Chriſti aduentum, duo duntaxat iura à Deo mortalibus eſſe tributa, unum, quòd moribus conſtaret, ad normam rectæ rationis, quæ imago eſt æternæ legis, mentibus hominum naturaliter conſignata directis, quod ius naturale uocamus, perpetuum & immobile, quo mortales omnes uterentur: alterum ſcriptum, quod ius Moſaicum nominatur, quòd fuerit à Moſe datum, quo gens tantùm Iudaica uteretur, Iuxta illud Pauli, Quæcunque lex loquitur iis, qui in lege ſunt loquitur ſequitur eos, Rom.7. qui ſub lege naturali uixerunt, cui tantùm tenebantur, conſequi potuiſſe ſalutem, atque adeò temerarium eſſe docere, eos præſertim, quos nulla prauæ uitæ traducebat infamia

Petr. Serranus in cōm. lib.1. Ethic. Ariſto.

Ioan. Geſius Sepul lib.7. epiſtolarum Epiſt.1. ad Serranum.

1.Tim.1.

Act.16.

In epiſt. ad Deogra.

mia, immo ſummis laudibus antiquitas effert, damnatos fuiſſe. Lex demum Moſaica non quoſcunque ſaluabat, ſed eos tantùm, qui bonorum operum, quæ in lege præcipiebantur, ſimplici obedientia fructus reddebant. Ergo cùm, Apoſtolo auctore, gentes opera legis Moſaicæ, ſolius legis naturalis ducatu, ſine lege ipſa Moſaica præſtarent, lege Moſaica ad ſalutem non indigebant, non enim, ait, auditores legis iuſti ſunt apud Deũ, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habentes, naturaliter ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. & paulò poſt, in eundem ſenſum, Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, non'ne præputium illius in circuncisionem reputabitur? & præputium, legem ex natura conſummans, indicabit te, qui per literam & circuncisionem, præuaricator legis es? Quam ſententiam & Sanctum Thomam, & Alphonſum Toſtatum, Abulenſem Epiſcopum, olim approbaſſe commemorant.

Rom. 2.

Hactenvs iſti. in qua controuerſia prioris quidem rationes mihi probantur, non itẽ ſententia. contrà cùm poſterioris ſententia mihi non diſpliceat, rationes tamen, ut etiã pro iure amicitiæ ego ingenuè loquar, probare nec debeo, nec poſſum, cum Chriſti fidem ab hominis iuſtificatione uideantur excludere, cuius contrarium, non futilibus rationibus parum antea probauimus. Sed iam ad ſingulatum conſiderationem procedamus. prioris quidem primam rationem, ſi de his tantùm, qui ſola natura ductrice Deum agnoſcunt, loquantur, uerisſimum eſſe, non eſt dubitandum. hi enim quanuis eadem natura indicante, unum eſſe Deum, & eundem eſſe rebus humanis non modò in generali, uerùm in particulari prouidentem (quod quàm ſit difficile, in præcedentibus oſtendimus) intelligerent, non tamen ad eam cognitionem, qua Deus quaſi obiectum beatificum & noſtris operibus in gratia factis promerendum cognoſcitur, tota naturæ uirtute aſpirare poſſent, quod tamen ad omnem meriti rationem neceſſariò requiritur, ac proinde ad amuſsim illam, qua homo dicitur facere, quod in ſe eſt, ut gratia Dei imbuatur. non enim (ut antea dicebamus) quocunque pacto legem naturalem ſeruare, eſt facere quod in ſe eſt, ut quis gratia donetur, ſed legem naturalem propter Deum quaſi propter finem ſupranaturalem ſeruare, quod tota natura non poteſt oſtendere. Facere enim quod in ſe eſt, ad aliquid habendum dicitur, qui ut illud habeat, totis uiribus nititur, non item qui de illo nunquam cogitauit: ergo ille ſolus ut iuſtificetur, facere quod in ſe eſt, eſt dicẽdus, qui ut cum Deo gratiam ineat, totis uiribus nititur; is uerò, qui tantùm ex naturali illius, quam Ariſtoteles proponit, fœlicitatis appetitione, legem naturalem ſeruaret, cum prorſus diuina dilectione & intentione placendi Deo, quæ duo ad omnem, ſiue de congruo, ſiue de condigno meriti rationem, neceſſe requirũtur, deſtituatur, dicetur quidem rectè uiuere, ſed non dicitur facere quod in ſe eſt, ut ſalutem ſpiritualem, quam nunquàm nouit, aſſequatur: nimirum quòd non quodcunque facere quod in ſe eſt, ſed quod habet meriti ſaltem de congruo rationem, ad accipiendam fœlicitatem, uel ipſius fælicitatis media, qualia ſunt fides & gratia, de lege ſemel ſtatuta diſponat. Nec minus cum ueritate cohærere ſecunda ratio mihi uidetur: licèt enim Philoſophi, & prudentiſsimi illi naturæ indagatores, ipſius naturæ per humanam prudentiam præcepta cognoſcerent, non tamen tanti uigoris erat illa naturalis cognitio, ut eos ſua certitudine ad rectè operandum firmaret, ut antea docuimus, ſed uel contrariarum rationum non mediocres impetus patiebantur, uel contraria, cum nulla eſſet certa ueritatis regula, quarundam, nationum conſuetudine fluctuabant. Apud Perſas & Lacedæmonios omni genere laudis apud antiquitatem cumulatiſsimas reſpublicas, licita erant furta. nullum apud eoſdem Lacedæmonios uituperium habuerunt adulteria, & alienarum uxorum uiolationes. Fuerunt, & ſunt multæ modò prouinciæ, quæ homicidia non quæcunque, ſed parricidia, parentibus, uxoribus, filijs ante diem occiſis, pietatem exiſtimant. Otij damnatos, capite multandos Draconem apud Athenas legẽ ſtatuiſſe, quidam ſcribunt: cùm contrà apud Thraces & Lacedæmonios otioſum eſſe, pro honeſtiſsimo, ſicut & bello aut rapto uiuere, fuerit ſemper iudicatum. fuerunt non paucæ Philoſophorum ſcholæ, quæ nihil ex natura rei bonum, ſed omnia lege conſtare, ut lib. 2. tradidimus, docuerunt, inter quas, Stilco, Agatho & alij quidam non mediocris apud antiquitatem opinionis, Philoſophi, nec ſine rationis ſpecie, ut & ipſe fatetur Ariſtoteles. honeſta enim & iuſta, quæ ciuilis diſciplina conſiderat (ut idem fatetur)

Expenduntur rationes prioris ſententiæ.

Lib. 2. Ethi. cap. 2.

tantam

tantam differentiam, errorem que habent, ut lege tantùm eſſe uideantur, & non natura. Vides igitur opus fuiſſe his mundi ſapientibus, qui ſolius humanæ rationis præſidio præcepta naturæ cognoſcebant, firmiori quadam & ſtabiliori notitia, quæ ſua certitudine, in bonarum actionum ſtudio firmaret. Nemo profectò tantum ſibi tribuit, & fidit, ut ſuis ſolis cogitationibus, ad proprias naturæ paſsiones infringendas, & animam abnegandam, procedat, ſed prorſus certiori notitia opus eſt. Vnde erant quidam apud celebres illos Philoſophos & mundi ſapientes, celebres de ſectanda & amplectenda uirtute ſermones, ſed ipſa uirtus integra, & nullo humanorum actuum fumo turpata, profectò rariſsima, quod Paulus ad Romanos oſtendit, Et ſicut non probauerunt, inquit, habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione &c. Tertiæ demum rationis ueritas magno catholicorum conſenſu probatur: omnes enim docent, fidem Chriſti, quocunque ſæculo ad ſalutem requiri. Quòd autem aiunt ſatis eſſe implicitam & intectam, non imus inficias, dum tamen fidem implicitam Chriſti, ſolam eam duplicem notitiam, quam præſcribit Apoſtolus, non nocent: quanquam enim duplex illa notitia, fides Dei implicita poſsit uocari, quòd ex illa forſan diuinitatis articuli rationali diſcurſu deriuentur, Chriſti tamen implicita fides, ut ſuperius explicuimus, uocari non poteſt. nec enim, quanuis aliud quibuſdam uideatur, ſi Deus eſt remunerator, perinde ſequitur quòd per Chriſtum remuneratio fieri debeat. nam præter illa, quæ ſuperius diximus, Philoſophi, qui prouidentiam in ſingulari conſtituunt, remuneratorem concederent, nec tamen perinde Chriſtum agnoſcerent. Probant mea quidem ſententia, tres iſtæ rationes, neminem ex his, qui ſoli naturalis rationis cognitioni nituntur, potuiſſe ſalutem aſſequi; quanquam non probent, eoſdem fidei, quam à parentibus ex antiqua traditione acceperunt, ſuffragio non potuiſſe ſaluari.

Rom. 1.

S. Tho. in comē. epiſt. ad Hebræ. cap. 2.

ATQVI huc contendit prima illa ratio, quæ in alterius ſententiæ præſidium à poſterioribus fiebat. Credibile eſt enim & maximè diuinæ prouidentiæ conſentaneum, nullum hominum genus, ſine legum & fidei, quæ ad iuſtitiam habendam requirebatur, præſidio, Deum reliquiſſe. Atque hoc eſt, quod Petrus dicebat, in ueritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente, & in omni populo, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Neque enim quis operari iuſtitiam dicetur, niſi Chriſti fide polleat, quæ ad ſpiritualem, de qua loquitur Apoſtolus, iuſtitiam, neceſſariò requiritur. Quamobrem dictum Auguſtini, non aliter eſt accipiendum, quàm, Chriſti fide ſuppoſita, quam ipſe Auguſtinus, ut ſuperius oſtendimus, cum cæteris Eccleſiaſticis patribus in iuſtificando exigebat. Sit deinde ueriſsimum duo tantummodò iura à mundi exordio hominibus fuiſſe tributa, quod ſecunda ratione dicitur, dum tamen naturali legi non plus tribuatur quàm legi Moſaicæ, quam ſine Chriſti fide non potuiſſe iuſtificare, in epiſtolis ad Romanos, Galathas, & Hebræos, Apoſtolus indicat. Vnde quod idem Apoſtolus inquit, Quæcunque lex loquitur, his, qui ſub lege ſunt, loquitur, de Moſaicis præceptis & cæremoniis eſt accipiendum, à quibus cæteræ gentes, quæ eius legis iugo non premebantur, ſolutæ erant: non item de fide in Chriſtum, ſine qua ex diuina conſtitutione nullus potuit à peccato purgari. Eſt demum ſine controuerſia uerum, quod ultima ratione ex Apoſtolo Paulo docetur, gentes, quæ lege Moſaica deſtituebantur, per legem naturalem opera bona moralia præſtitiſſe einſdem legis Moſaicæ: ſed quemadmodum lex ipſa Moſaica ſine Chriſti fide ad peccati purgationem non ualuit, ita & lex naturalis, cum uniuerſis bonis operibus, homines Deo reconciliandi, ſine eadem Chriſti fide, uirtutem non habuit. quod utrunque in eadem ad Romanos epiſtola docet idem Apoſt. Atque ita eſt accipiẽdum, quod ibidem dicebat, Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, non'ne præputium illius in circunciſionem reputabitur? &c. hoc inquam non quanis ratione eſt intelligendum, ſed Chriſti fide, ſine qua ſuppoſita, nullius legis obſeruatio, ad uitam æternam conducit. Atque hæc de fidei ſubiecto dixiſſe ſatis ſit.

Expenduntur ſecundæ ſententiæ rationes.

Act. 10.

Libri quarti finis.

F. MICHAËLIS MEDINAE HISPANI,

ORDINIS MINORVM, REGVLARIS OBSERVANTIAE,

CHRISTIANÆ PARÆNESIS,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER QVINTVS.

EA, quæ ad fidei cauſas, & otigines pertinere uidebantur, quatuor præcedentibus libtis, Chriſtiane lector, utcunque ttadidimus, exactiorem earum terum tractationem illis permittentes, qui de his integros tractatus ſcribunt. Nunc iam ipſe rerum otdo poſtulare uidetur, ut qua ratione quo'ue pacto, in eadem excolenda fide, Chriſtianus homo gerere ſe debeat, eodem uerbotum & tractationis compendio, ſubinde dicamus. Parum nanque profectò prodeſſet, fidem comparare, niſi ea ipſa ab eius corruptoribus inuiolata ſeruetur. Eſt autem inter Chriſtianos multiplex ordo: ſunt qui & intellectus acumine, & ſanctarum ſcripturarum cognitione, non modò in generali, ſed in particulari quoque hæreticas technas depræhendere norunt; atque iis quidem, nihil ſcribimus. Sunt & qui mediocrem, tum ab ipſa natura, tum à literario exercitio, nacti ſunt eruditionem, quibus regulas quaſdam tradimus, ad quas, quaſi ad quædam ipſius fidei axiomata, ac prima principia, quæcunque proponuntur, exigere poſsint: ac quaſi lapide Lydio ueræ fidei aurum, à chymico illo hæreticorum cupro, prudenti attactu, ſolerter diſcernant. Sunt demum, qui & inrellectus, & eruditionis expertes, neque in particulari, neque in generali, hæreticam doctrinam à ueræ fidei profeſsione diſtinguant, ſed ſola maiorum auctoritate ducantur, quibus non regulas, & generalia principia, ex quibus uerum eſſe aut falſum quod offertur, ſibi rationali diſcurſu ſuadeant, ſed notas quaſdam ac ſigna, donabimus, quibus falſos magiſtros ac ueræ fidei corruptores, à ueris & Euangelicæ doctrinæ cultoribus, prudenter dignoſcant; ut iuxta Chriſti præceptum cum columbina ſimplicitate, ad hæreticos dolos depræhendendos, prudentia quoque ſerpentina proficiant. Quoniam uerò & ij ſunt plures, & præſentiori antidoto, pro ſui maiori diſcrimine indigent, eis prius, deinde illis, noſtra in hac parte commentatio deſeruiet. Tradenus itaque hoc libro, auctore Deo, quæ in deligendis ueræ doctrinæ magiſtris, falſæ notæ eſſe potuiſſent: deinde quæ ſint illæ notæ aut ſigna, quibus homo catholicus quaſi certiſsimis, uti debeat: tandem certiſsimam methodum quandam diſcernendi hæretica & catholica dogmata, quæ non ſolùm mediocribus, ſed etiam plebi poſsit eſſe utilis, exhibebinus. Nam exactiores, catholicæ & hæreticæ doctrinæ diſcernendi rationes, & quæ ampliorem eruditionem requirunt, ſequentibus libris teſeruauimus.

Math. 10.

Quòd crebra ſanctarum ſcripturarum iactatio, & uſus frequens, non ſit ueræ doctrinæ certum indicium. Cap. I.

ERgo ut ad primum accedamus, Euangelici prædicatoris & fidelis uerbi miniſtri certum indicium uideri potuiſſet, uel in concionibus, uel in dogmatibus confirmandis, crebra ſanctarum ſcripturarum iactatio, atq; uſus. Nam cùm Chriſtiani omnes, compertum habeamus, Chriſtianam religionem, ſanctarum ſcripturarum fundamento conniti, ille maiores profectus in ea feciſſe, à uulgaribus creditur, qui ampliorem eius cognitionem, adeptus fuiſſe uideatur. Et alioqui, quis eum Euangelicum miniſtrum non habeat, cui ſemper ſancta ſcriptura, Euangelium, Paulus, & denuum uerbum Dei, ſunt in ore? aut quotuſquiſque, ei ſe doctrinæ committere dubitet, quæ non humano ingenio, humaniſque inuentionibus, ſed diuinæ ueritati, prorſus inniti uideatur?

Verùm hic dolus, Chriſtiano homini in primis cauendus. multo enim nocentiora ſunt mellita, aut deaurata uenena, quàm quæ uel ipſo guſtu, uel coloris horrore, mortem intus deliteſcentem prætendunt. Nudum hamum piſcis non deglutiet, ſic neque Chriſtianus, hæretici erroris aconitum, animo excipiet, niſi Euangelica eſca, quam ab Euangelicis piſcatoribus aſſuetus eſt ſumere, fuerit circumlitum. Solent aucupes herbarum ementito colore, caſſes inficere, quò ſimplices auiculas mox occidendas, in captiuitatem illiciant. mos eſt quoque hæreticis hominibus, ſimpliciſsimos quoſque, diuini ſermonis ſpecie circumuentos, in ſuos laqueos latenter inijcere, quò in priſtinam filiorum Dei libertatem remigrare non ualentes, in diaboli protinus poteſtatem 2.Tim.2. concedant. In qua re Vincentij Lyrinen. non tam prolixus quàm utilis ſermo nobis eſt Vincentius audiendus. Fortaſſe aliquis interroget (inquit) An hæretici diuinæ ſcripturæ teſti- Lyrin. moniis utantur? Vtuntur planè & uehementer; nam uideas eos uolare per ſingula quæque ſanctæ legis uolumina, per Moſis, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue apud alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue in libris, ſiue in conuiuiis, ſiue in plateis, nihil unquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ uerbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſciliani, Eunomij, ac reliquarum peſtium, cernes infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ noui ac ueteris teſtamenti ſententiis fucata, & colorata non ſit. Sed tantò magis cauendi ac pertimeſcendi ſunt, quantò occultius ſub diuinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli fore citò placituros, iccirco cœleſti eloquio, ueluti quodam aromate aſpergunt: ut ille, qui humanum errorem deſpiceret, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod ij ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumliniunt, ut incauta ætas cum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos medicaminum uocabulis præcolorant, ut nemo ubi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur uenenum. Idemque & Saluator clamat, Attendite uobis à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouium: intus autem ſunt lupi rapaces. Quid eſt ueſtitus ouium, niſi prophetarum & Apoſtolorum proloquia, quæ iidem ouili quadam ſinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam uellera quædam texuerunt? qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper inſeſtant, & gregem Chriſti quaquà poſſunt dilacerant? Sed ut fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe ueluti quibuſdam uelleribus obuoluunt, ut cùm quiſque lanarum molliciem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Tales erant hi, quos percutit Apoſtolus Paulus, in ſecunda ad Corinthios, dicens, Nam eiuſmodi pſeudoApoſtoli, transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt, transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebant Apoſtoli diuinæ legis exempla, proferebant, & illi; proferebant Apoſtoli pſalmorum auctoritates, proferebant, & illi; proferebant Apoſtoli ſententias prophetarum, & illi nihilominus proferebant. ſed cùm ea, quæ ſimiliter protulerant, interpretari conſimiliter non cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à

peruerſis,

curas truculenter intetimant. Sicut quis, inquit Ireneus, aquæ miſtum gypſum dans *Lib.3.c.16.*
pro lacte, ſeducit per ſimilitudinem coloris, ita & hæretici imponunt fidelibus ſimilitu-
dine uerborum, cum exiſtimantur ſimilia catholicis dicere. Et ſolent huiuſmodi uulpes
(ait idem alibi) adhibere ſuis fabulis fide digna, ut figmentum illorum non ſine teſte
eſſe uideatur, immo uerò, ut ait Tertullianus, omnia aduerſus ueritatem de ipſa ueri- *De præſcri-*
tate conſtructa ſunt. Non igitur in hoc ueræ religionis cardo conuertitur, quàm fre- *ption. ad-*
quenter quis Paulum ore citcumferat; ſed quàm rectè & fideliter: neque quàm multis *uerſus Mar*
locis ſcripturæ ſua dogmata muniat, ſed quàm propriis & ad rem facientibus. Addu- *cio.lib.4.*
cunt pſeudoptophetæ ſanctæ ſcripturæ teſtimonia frequenter, neque ſine uerbo Dei, uel
in leniſsimis quibuſque rebus loqui dignantur, gloriantur de illo, adeò ut quæ illud
præſcribit, tantùm ſuſcipiant, & reliqua, quaſi meras hominum inuentiones & figmēta
peſſundent, quod hodie uidemus ab his omnibus fieri. Sed tam rectè illo utuntur, quàm
pater eorum & magiſter Satanas, cùm Chriſtum ſubdola tentatione petiuit. De ſcri-
pturis agunt hæretici, ait Tertullianus, de ſcriptutis ſuadent: aliunde ſcilicet ſuadere *Lib.de præ-*
non poſſent de rebus fidei, niſi ex literis fidei. & ſubinde, Scripturas obtendunt, & *ſcrip.here.*
hac ſua audacia, maximè quoſdam mouent. In ipſo uerò congreſſu, firmos quidem
fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hactenus ille. Docetq; eo
libro, frequentiſsimum eſſe ſui ſæculi hæreticis, catholicos uiros ad ſcripturas remittere
dicendo, Quærite & inuenietis, ſcrutamini ſcripturas &c. Sine ſcriptutarum aucto- *In epiſtolā*
ritate (inquit Hierony.) garrulitas hæreticorum non haberet fidem, niſi uideretur per- *ad Titum.*
uerſam doctrinam etiam diuinis teſtimoniis roborare. Et Ambroſius, Hæretici hi ſunt,
qui per uerba legis, legem impugnant. ptoprium enim ſenſum, uerbis aſtruunt legis, *In epiſtolā*
& prauitatem mentis, legis auctoritate commendant. Sciens enim impietas auctori- *ad Titum.*
tatem multum ualere, fallaciam ſub nomine eius componit, ut quia res mala per ſemet-
ipſam acceptabilis eſſe non poteſt, bono nomine commendetur. Et Origenes, Hære- *in Leui. ho-*
tìci, ait, ad conſtituenda & defendenda dogmata ſua, multum perquirunt & diſcutiunt, *mi.4.*
in ſcripturis diuinis. Et profectò, ut Auguſtinus docet, quilibet errores fucari poſſunt,
ut per ornatam portam latenter irrepant, quos qui audierit & iiſdem primùm credi- *Contra*
derit, & deinde quæ inſinuant, cuſtodierit, nunquam erit uitæ reſtituendus &c. De- *Eplatun.*
præhendit & hunc dolum Hilarius, Hæretici (inquit) uidentur ſibi de ſingulis, quæ *DeTrinita.*
afferunt, præſtare rationem, quia ſingulis aſſertionibus ſuis, quædam ex diuinis nomi- *lib 4.*
nibus teſtimonia ſubdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ ſenſu, ſolis tantùm in igno-
rantibus blandiuntur; ſpecie quidem ueritatis ſecundum ſuam prauitatem interpre-
tantium præſtituta. Et Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, Sicut mulierculæ (ait) tur- *Lib.3.c.12.*
pitudini deditæ, neſte atque auro cæteriſque ornamentis & turpitudinem ſuam occul-
tant, & non præuidentes ad perniciem attrahunt, eodem modo iſti ueræ religionis pul-
chritudinem fingentes, ſcripturæ auctoritate, errores ſuos conantur communire, ſed
qui uigilanter & cum ratione ſcripturas legunt, dolis ipſorum non capiuntur, ſed uerā
amplexi fidei profeſsionem, clamant, Benedictus dominus, qui non dedit nos in ca-
ptionem dentibus eorum. Hactenus Cyrillus. Itaque ſolemne eſt omnibus hæreticis
(ut quidam quoque illorum domeſtico teſtimonio prodidit) ut olim cum Chriſto con- *Ioan. Oeco*
greſſus magiſter eorum fecit, ſcripturas tractare. Adducunt (inquit is de ſe atque aliis) *lampad.*
illas deprauatè, non iuxta mentem Spiritus ſancti, cuius nō ſunt idonea uaſa, ſed iuxta *Matth.4.*
ſuas prauas phantaſias, quas ſemel uel inuidia, uel inani gloria moti conceperunt, quò
ſemel imbibitum errorem ſtabiliant. Sic olim Valentino, Menandro, Carpocrati, Ba-
ſilidi, Gnoſticis, Nicolaitis, Manichæis & reliquæ illi primitiuæ hæreticorum colluuio-
ni, ad immania & monſtroſa ſuarum cogitationum minuenda portenta, loci ſanctæ
ſcripturæ non defuerunt: ſic deinde Donato, Arrio, Eunomio, Neſtorio, Euticheti,
& reliquis, qui poſt Chriſtianum imperium uexauerunt Eccleſiam, frequentiſsimos ex
eadem ſancta ſcriptura locos Satanas ſubminiſtrauit: ſic noſtra memoria noui hoſtes
Eccleſiæ, adeò ſcripturas frequenter uſurpant, ut ſoli de uerbo Dei glorientur. Talis
eſt profectò diaboli uerſutia, ut ad paruulorum dementiam non iiſdem ſua nuda men-
dacia, ſed diuinæ ueritati ſpecie delinita propinet. Quod neque ei nouum eſt, ne-
que in Euangelico ſtatu tantùm familiare. Conquerebatur & olim de nullis magis
Deus, quàm de falſis prophetis, qui noſtrorum pſeudoprophetarum typum gerebant,

Hiere.23. quòd eius auctoritatis prætextu, populum ſeducerent, Falſò (ait) prophetæ uaticinantur
in nomine meo, non miſi eos, uiſionem mendacem & diuinationem fraudulentam, &
ſeductionem cordis prophetant uobis, & decipiunt uos, uiſionem cædis, ſui loquuntur,
& non de ore Domini; dicunt eis, qui blaſphemant me, Loquutus eſt Dominus, pax erit
uobis. & ſubinde, Non mittebam propheras, & ipſi currebant, non loquebar ad eos,
& ipſi prophetabant. & poſteà, Audiui, quæ dixerunt prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes, Somniaui ſomniaui &c. Et inferius, Propterea, Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui aſſumunt hîc linguas ſuas, & aiunt, Dicit
Dominus, ecce ego ad prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt ea, & ſeduxerunt populũ in mendacio, & in miraculis ſuis, cùm ego non miſiſſem
Cap.13. eos, nec mandaſſem eis. Et apud Ezechielem, Quaſi uulpes in deſertis prophetæ tui
Iſrael, non aſcendiſtis, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio,
in die Domini uident uana & diuinant mendacium, dicentes, Ait Dominus, cùm dominus non miſerit eos, & perſeuerauerunt firmare ſermonem. Nunquid non uiſionem
caſſam uidiſtis, & diuinationem mendacem locuti eſtis? Et dicitis, Ait Dominus,
Hiere.14. cum ego non ſim loquutus. Falſò (ait rurſus Deus) prophetæ uaticinabantur, in nomine meo, non miſi eos, & non præcepi eis, neque loquutus ſum ad eos, uiſionem
mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant uobis. Hieremias olim diuino ſpiritu actus, Cum Iſraëlitici populi, & earum, quæ eidem adiacebant, nationum, ob admiſſa peccata ſub Babylonico imperio futuram ca-
Hiere.29. ptiuitatem prædiceret, Hæc (inquit) dicit Dominus ad me, Fac tibi, fac tibi uincula,
& catenas, & pones eas in collo tuo, & mittes eas ad regem Sidonis in manu nutiorum, qui uenerunt Hieruſalem, ad Sedechiam regem Iuda, & præcipies eis, ut ad dominos ſuos loquantur, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël &c. Quibus omnibus Ananias
filius Azur, pſeudopropheta, quaſi & Domini præcepto, prorſus contraria pronunciat.
Hæc (inquit) dicit Dominus, contriui iugum Babylonis, adhuc duo anni dierum, &
ego referri faciam ad locum iſtum omnia uaſa domini, quæ tulit Nabuchodonoſor rex
Babylonis de loco iſto, & tranſtulit in Babylonem &c. Fecit & ſibi Sedechias filius Chanaam, Prophetica cornua ferrea, Achab regem Iſraël decepturus, dicens, Hæc dicit
3. Reg. 22. Dominus, in his uentilabis Syriam donec deleas. Cum tamen Micheas filius Iemla,
uerus Domini propheta, contrarium uaticinatus fuiſſet. Vbi ſapienter Hieronymus,
in com. Semper imitatur mendacium ueritatem, & niſi habuerit aliquam ſimilitudinem recti,
decipere non poterit innocentes. Quomodo igitur in priori populo mentiebantur prophetæ atque dicebant, Hæc dicit Dominus, & uidi dominum & uerbum Domini factum eſt ad illum, ſiue illum; ſic hæretici adducunt teſtimonia ſcripturarum de ueteri
& nouo teſtamento, & furantur uerba Saluatoris unuſquiſque à proximo ſuo, Prophetis, Apoſtolis, & Euangeliſtis, & linguas ſuas, ut cordis uenena ore pronuncient. Hactenus ille. Diſcat ergo Chriſtianus, non ſemper his credere, qui uel diuinæ auctoritatis uel ſanctarum ſcripturarum patrocinio, quæ docent confirmant, nam & olim
Chriſtum ipſum, ſanctæ legis auctoritatem prætendentes, non ſolùm Satanica membra,
non acceperunt ut Chriſtum, ſed cruci affixerunt. Enimuerò eo prædicante, quidam
Ioan. 7. dicebant, Propheta eſt; quidam, Hic eſt Chriſtus; quidam uerò, quos cum ipſa ſcriptura Spiritus ſanctus, qui eiuſdem ſcripturæ legitimi ſenſus eſt auctor, nondum impleuerat, Nunquid à Galilæa uenit Chriſtus? non'ne ſcriptura dicit, Quia è ſemine Da-
Ioan. 5. uid & de Bethleem caſtello ubi erat Dauid, uenit Chriſtus? & rurſus ad Nicodemum,
Scrutare (aiunt) ſcripturas & uide, quia à Galilæa propheta non ſurgit. & demum,
Ioan. 19. in Pilato ipſo iuſtitiæ zelo pro Chriſti innocentia pugnante, Nos (aiunt) legem habemus, & ſecundum legem debet mori. Cum eadem Satanica uerſutia, potiſsima pugna
fuit olim Apoſtolicis uiris, cum pſeudo nimirum Apoſtolis & operariis ſubdolis, qui
diſsimulata nequitia, ad ſanctæ & Euangelicæ legis ſubuerſionem transfigurabant ſe in
Apoſtolos Chriſti quemadmodum & magiſter eorum Satanas transfigurat ſe nonnunquam in Angelum lucis. Non eſt profectò aliud illos ueræ doctrinæ ſubuerſores, in
2. Cor. 11. Apoſtolos Chriſti ſe transfigurare, quàm Chriſti auctoritate mendaciter, quæcunque
docebant, continuò munire, & ſuam doctrinam, quemadmodum & ueri Apoſtoli faciebant, Euangelium uocare. Quod Paulus Apoſtolus præcipuus huius diabolici doli
demolitor,

demolitor, in epiſtola ad Galathas luculenter inſinuat, Miror quòd ſic cito transferimini (inquit) ab eo, qui nos uocauit in gratiam Chriſti, in aliud euangelium, quod *Galat. 1.*
non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui uos conturbant, & nolunt conuertere Euangelium Chriſti. In quem locum Chryſoſtomus, huiuſmodi (inquit) diaboli fraus eſt, handquaquam nudos proponere laqueos, quibus uenetur homines. ut enim ſi dixiſſent, diſcedite à Deo Chriſto, Galathæ, uitaſſent eos uelut impoſtores, & corruptores; nunc uerò ſinentes in fide manere, & interim fraude, prætexentes Euangelij nomen, impunè ſummaque audacia perfodiebant domum, uidelicet his, quæ dixit uelamentis obtentis, per hæc nomina celantibus parietum perfoſſores. Quoniam igitur illi ſuā impoſturam appellabant Euangeliū, ipſe etiam Apoſtolus aduerſus nomen pugnat. Hæc Ioannes Chryſoſtomus. In quibus apertè uides quàm fuerit hic dolus antiquus, quamque familiare fuerit ueræ doctrinæ aduerſariis, ſuis muentionibus (quod nunc quoque faciunt) ſanctæ ſcripturæ, & Euangelij nomen prætexere, quò credibiles fierent. Non ergo homini fideli (ut idem Chryſoſtomus monet) timendus hæreticus, *In sermo.*
cum uiderit ipſum de ſcripturis loquentem: nam & diabolus (ait) cum accederet ad *aduer. hæres.*
Chriſtum, & tentaret eum, per ſcripturam loquutus eſt ad eum dicens, Si filius Dei es, mitte te deorſum &c. Nam ſi ea de cauſa (ut ait Athanaſius) quòd uocalas quaſdam ſacræ ſcripturæ, ab iſtis ſcriptas aut inter aſſerendum ſuas inſanias uſurpatas uideat, ar- *In oratio.*
bitretur blaſphemias, benedictiones eſſe, prorſus futurum eſt, ut cùm Iudæos noſtri *cont. Arria.*
temporis uideat, legem & Prophetas euoluere, unà cum Iudæis Chriſtum abneget; forſitan etiam audiens Manichæos loqui particulas aliquot Euangeliorum, inficiabitur & legem & prophetas. Diſcat ex ſcripturis, cogitatorem & inuentorem hæreſum, dia- *Hierony.*
bolum, metu ſuæ graueolentiæ, ſcripturarum uoces uſurpare, ut illis obtectus, aſperſos ueneno ſuo, ſimplices decipiat, quemadmodum olim Euam communem humani generis parentem decepit, ut diuerſos hæreticos, qui à Chriſto fuerunt, in errorem abduxit: meminerit, quòd ante multa ſæcula, Hilarius docuit, Neminem hæreticorum eſſe, qui ſe non ſecundum ſcripturas prædicare, ea quæ blaſphemat, mentiatur. Et ut ueriſsimè docet Vincentius Lyrinenſis, hinc Marcion uerbum Dei cum legit, neſcit: *Contra pro-*
hinc Photinus hominem Iesvm Chriſtum cum loquitur, ignorat: hinc Sabellius dum *phanas No-*
quod, Ego & Pater unum ſumus, non intelligit, ſine Deo Patre, & ſine Deo filio eſt: *uat.*
hinc & Montanus, per inſanas fœminas ſuas, paracletum alium defendit: hinc & Mani- *Ioan. 5.*
chæus & Marcion legem oderunt, quia litera occidit, & mundi princeps diabolus eſt: *1. Cor. 3.*
Ioan. 11.
hinc, id eſt, ex ſancta ſcriptura, prauè intellecta, reliqua hæreticorum colluuies ſua deliramenta produxit. Neque uerò hæc ſanctarum ſcripturarum eſt culpa, ſed, ut ſecundo *Vide lib 2.*
libro docuimus, eorum malitia, quia ut rectè ait Hieronymus, ſcripturæ non in legen- *c. 12.*
do, ſed in intelligendo conſiſtunt. Deſtituuntur illi diuino ſpiritu, qui ſicut ſanctarum *Contra Lu-*
ſcripturarum eſt auctor, ita quoque earundem eſt ſolus interpres. Non ergo mirum, ſi *ciferianos.*
quod fuiſſet illis alioqui ſalus, conuertatur in animæ perniciem & certum exitium. Eſt ſancta ſcriptura Rhododaphne quædam, cuius folia hominibus, id eſt his, qui uitā agunt *Oſius lib.*
rationalem aduerſus ſerpentum uenena, id eſt aduerſus dæmonum tentationes, & inſi- *de expreſſo*
dias opitulentur: quadrupedes tamen, id eſt eos, qui nihil habent, cum Spiritu ſancto *uerbo Dei.*
commune, prorſus enecant. Caudex ſanctæ ſcripturæ, qui non eſt aliud quàm eius ue- *Plinius lib.*
rus & legitimus ſenſus, nulli poteſt nocere, tantùm folia, id eſt uerba, dum non ex Spi- *24. cap. 11.*
ritus ſancti infuſione ſumuntur, interimunt.

Illvd uerò non eſt hîc ſilentio tegendum, hæreticos, uel cùm quæ Satanas, uel animus corruptus ſuggeſſerunt, literis mandant, uel cùm ſuas blaſphemias diſputando propugnant, nequaquam integros locos ſcripturæ producere, ſed ſi quid ſuæ ſacrilegæ ſententiæ ineptis hominibus uideatur applaudere. Vnde Clemens Alexandrinus, non *Libro con-*
multum ab ipſis Apoſtolorum temporibus diſiunctus, Quòd ſi (inquit) propheticis *tra hære.*
quoque ſcripturis, uti, qui ſectantur hæreſes, auſi fuerint, primùm quidem non omnibus, deinde non integris utuntur, nec ut dictat corpus & contextus prophetiæ, ſed quæ ambiguè dicta ſunt, eligentes, in priuatas ſuas opiniones, ſparſim paucas uoces carpentes, ueluti floſculos, neque quod ſignificatur, per eas conſiderantes, ſed ipſa nuda dictione abutentes, in omnibus ferè uerbis, quæ proferunt, reperias eos, ſolis nominibus inhærentes. Hactenus Clemens. Iſta hæreſis, dicebat olim Tertullianus, de Mar- *Lib. de præ-*
ſcrip. hære.

 cionis

tionis blaſphemia loquens, non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit adiectionibus & detractionibus, ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit, & ſi recipit, non recipit integras, & ſi aliquatenus integras, præſtat nihilominus in diuerſas expoſitiones, & commenta conuertit, tantum ueritati adulter ſenſus, quantum corruptor uariæ præſumptionis: neceſſariò nolunt agnoſcere ea, per quæ reuincuntur, his innituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ ambiguitate ceperunt. Quorum duorum ſanctorum uirorum uerbis, non potuit expreſsius hæreticum in adducendis ſcripturis ingenium deſcribi. Quibus de iiſdem hæreticis loquens, in hunc modum Auguſtinus ſubſcribit, Hæretici, particulas quaſdam de ſcripturis eligunt, quibus decipiunt imperitos non connectentes quæ ſupra & infra ſcripta ſunt, ex quibus uoluntas & intentio ſcriptoris poſsint intelligi. Hæretici (inquit Ireneus) adaptare cupiunt ea, quæ benedicta ſunt, iis, quæ malè inuenta ſunt ab ipſis. Et Baſilius, Veritatis (ait) ſunt deprauatores, non ſuam ſcripturæ, mentem accommodantes, ſed ad ſuam, uoluntatem ſcripturarum ſententiarumq́; trahunt atque peruertunt. Et Cyprianus, Corruptores Euangelij (inquit) atque interpretes falſi, extrema ponunt atque ſuperiora proferunt, partim memores & partim ſubdolè corrumpentes, ut ipſi ab Eccleſia ſciſsi ſunt, ita capituli unius ſententiam ſcindunt. Cauſam uerò, qua tam uiolenter in ſua placita hæretici ſanctas ſcripturas detorquere nituntur, Martinus ipſe Lutherus noſtrorum temporum certiſsima peſtis, Deo compellente, quaſi huius facinoris domeſticus teſtis, his uerbis ſcribit; Omnes factioſi ſpiritus primùm opinionem quandam concipiunt, hæc ubi ſatis non erit, inutilis & inualida, illi confirmandæ ſcripturam quotidie detorquere conantur: quod & olim de ſui ſæculi hæreticis Auguſtinus ſcripſerat, Omnis (inquit) hæreticus ex iiſdem ſacris ſcripturis falſas atque fallaces opiniones ſuas conatur defendere.

Cõtra Adiman. c. 14.
Lib. 1. aduerſus hæreticos.
Congreſſ. 2. in examer.
Tract. 3. de ſimpl. prœ.
De Trinitate 213.

Quare ad ſcripturas tantùm hæretici confugiant.

Nec mirum quòd hæretici in ſuas prauas opiniones, quas ſemel pertinaci ſpiritu induerunt, ſcripturas detorqueant, cùm reliqua omnia confirmandæ religionis inſtrumenta, traditiones Eccleſiaſticas, conciliorum præiudicia, Pontificum decreta, & ſi quæ ſunt alia, prorſus reiecerint. Nihil aliud habent profectò, quod afferant, ad id quod ſolùm ſibi reliquerunt, continuò confugiunt. Ergo ueræ religionis magiſter, quoniam alia multa habet, tum clariora, tum expreſsiora probandæ ueritatis teſtimonia, quibus tam efficaciter, quàm ipſa ſancta ſcriptura (quod regula ipſa ueritatis docet) inſtruendis inſinuet, non tam frequenter ſcripturas quàm hæretici concrepant, nec ad eas, quaſi ad ſacram anchoram confeſtim confugiunt. Contrà Hæretici, quoniam iam dudum Eccleſiaſticum iugum, & obedientiam excuſſerunt, ſemel ſuſceptum furorem, aliunde, quàm ex ſacra ſcriptura, tutari non poſſunt. ea ergo, etiam cum nihil magis ab illa eſſet alienum, ad eundem utcunque muniendum, eſt uiolenter torquenda, uel ſolis uocibus inhærendo, non ſenſui, uel uerbulis quibuſdam ex eadem, quò uulgo ſimplici imponant uiolenter abruptis. Res eſt periculoſa, & quæ cuique contentioſo uehementer perpendenda ſit, ut quidam ex noſtri temporis pſeudoprophetis ſpontaneus fatetur, id genus opinionum (loquitur autem de hæreticis placitis) ſemel animo conceptum proponere & defendendum ſuſcipere, quod etiam conuicti peruerſo carnis pudore relinquere non poſſumus: & hoc omnibus uſuueniſſe hæreticis, negari non poteſt: ſupra modum enim graue eſt carni, opinionis & erroris tantopere antea aſſerti, palinodiam canere, aut à priori ſententia diſcedere: quoniam ueremur ne noſtra apud homines opinio aut exiſtimatio lædatur, adeò ut citius ueritati ipſique Chriſto iniuriam fieri patiamur, quàm opinionem noſtram improbari. Hæc ille.

Obſopæus in præfatio ne Luth. de Euchariſt.

Quare hæretici in diſputationibus cum catholicis, ad uerbum Dei tantùm prouocent, ſeq́; de nihil aliud adducendo ſcribant. libro 1. cont. Maximinũ

Hinc procliue eſt uidere, quare hæretici, cum uiris Eccleſiaſticis congreſſuri, eiſdem legem præſcribant, nec aliunde quàm ex ſacra ſcriptura teſtimonia proferant, quòd præter hoc, quod noſtra memoria uidemus, id olim Auguſtinus cum Maximino hæretico ſibi accidiſſe commemorat. Eæ uoces (dicebat hæreticus) quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur, cùm ipſe Dominus moneat nos & dicat, Sine cauſa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum. quæ uerba noſtri hæretici hodie in Catholicos & Eccleſiaſticos mira quadam dulcedine, tertia quaque clauſula uſurpant. ſic Macedonij, ſic Neſtorij, ſic Euthiches, ſic Arrij, ut produnt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, pro ſuarum inſaniarum tutela, ad ſolas ſanctas ſcripturas uiros Eccleſiaſticos prouocant, certam ſibi promittentes uictoriam. quod Filij & Spiritus ſancti Diuinitas

unitas, uirginem eſſe Deiparam, duæ Chriſti naturæ inconfuſæ, in ſcriptura, ut ſibi uidebatur, non legerentur. Verùm id certamen omnino catholico & Eccleſiaſtico uiro eſſe detrectandum, Tertullianus hæreticæ prauitatis conſultiſsimus auctor, omnino *Lib. de præſcrip. hæretic.* ſuadet. Hunc (inquit) potiſsimùm gradum obſtruimus, non admittendi eos ad ullam de ſcripturis diſputationem, ſi hæ ſunt uires eorum, an'ne eas habere poſsint, diſpici debet, cui competat poſſeſsio ſcripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo cõpetit, hoc de conſilio diffidentiæ & de ſtudio aliter ineundæ conſtitutionis induxerim, niſi ratio conſtiterit in primis illa, quòd fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat prohibenti, quæſtiones inire, nouis uocibus aures accommodare, hæreticum, poſt unam correctionem conuenire, non poſt diſputationem, adeò interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam hæreticis conueniendi, & hoc una, quia non eſt Chriſtianus nec more Chriſtiano ſemel & iterum, & ſub duobus aut tribus teſtibus, caſtigandus uideretur, cum ob hoc ſit caſtigandus, propter quod non ſit cum illo diſputandum. deinde quoniam nihil proficiat congreſsio ſcripturarum niſi planè ut ſtomachi quis ineat uerſionem, aut cerebri. Et ſubinde, Quid promouebis, exercitatiſsime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis, negetur ex aduersò, ſi quid negaris, defendatur, & tu quidem nihil perdes niſi uocem, in contentione nihil conſequeris niſi bilem de blaſphematione. Ille uerò (ſi quis eſt) cuius cauſa in congreſſum deſcendis ſcripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad ueritatem, an magis ad hæreſes deuerget, hoc ipſo motus quòd te uideat nihil promouiſſe, æquo gradu negandi & defendendi diuerſa parte ſtatutum? certè de pari altercatione incertior diſcedet, neſciens quam hæreſim iudicet, hoc utique & ipſi habent in nos retorquere: neceſſe eſt enim & illos dicere à nobis ad ulteriora potius ſcripturarum & expoſitionum mendacia inferri, qui proinde ſibi defendant ueritatẽ. Ergo non ad ſcripturas prouocandum, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta eſt uictoria, aut parum certa. nam etſi non ita euaderet collatio ſcripturarum, ut in utranque partem ſiſteret ordo, uerùm deſiderabat illud prius proponi, quod nunc prius ſolùm diſputandum eſt, quibus competat fides ipſa, cuius ſint ſcripturæ, à quo, & per quos, & quando ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Hactenus Tertullianus. cuius uetuſtiſsimi auctoris ſententiã tam prolixè quòd noſtro ſæculo (ſi cui alicui) maximè ſit neceſſariã, attulimus. Diſſuadet ſiue ille ſiue reliqui Eccleſiaſtici uiri, non cũ hæreticis in certamen ſcripturarũ deſcẽdere, non quòd Eccleſiaſticæ cauſæ, quaſi dubiæ diffidant (abſit) ſed quòd hæretici procaciter, in ſuas blaſphemas inuẽtiones, ſancta ſcriptura & eius legitimo ſenſu abutantur, ex quo uictoria ſit dubia: audientiũ uerò, qui eos meras ſcripturas crepare audiũt, diſcrimen certiſsimũ. Non itaq; multum moueri debet uerus Chriſtianus, ſi uiderit ad eius doctrinæ, quã ſcit alioqui ab Eccleſiaſtica fidei norma diſcedere, confirmationẽ, ſacras ſcripturas aceruatim produci. Sed (id quod non ſemel iam diximus) aduertat, Satanæ olim, ad ſuadendum, ut ſe Chriſtus præcipitem daret à pinnaculo templi, inſeruiſſe ſcripturas. quemadmodum enim omnia munda mundis, ita peccatoribus ac coinquinatis omnia immunda: & quẽadmodum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum uocati ſunt ſancti, ita reprobis & incen- *Rom. 8.* dio futuro deſtinatis, omnia cooperantur in malum, & eorum damnationi inſeruiunt. De qua re ſcitiſsimè Origenes diabolũ alloquens in illa uerba pſalmi, In manibus portabunt te &c. Vnde tibi (inquit) diabole hoc ſcire, quò iſta ſcripta ſunt? nũquid legiſti *Origenes.* prophetas uel diuina eloquia? legiſti quidẽ non ut ipſe ex lectione ſanctorũ melior fieres, ſed ut ſimplicitate literæ, eos, qui amici ſunt, interficias. ſcis quia ſi uolueris de aliis eius uoluminibus loqui non decipies, neq; habere poterũt auctoritatem aſſertiones tuæ. Sic legit ſcripturas Marcion; ut diabolus, ſic Baſilides, ſic Valentinus, ut cũ diabolo dicerẽt Saluatori, Scriptũ eſt enim &c. ſi quando teſtimonia de ſcriptura audieris, uide ne ſtatim loquenti acquieſcas, ſed conſidera illũ cuius ſit, ac cuius ſententiæ, cuius ſit uolũtatis, ne forte ſimulet ſanctũ ſe eſſe, cum non ſit, & ueneno infectus hæreſeos, ſub ouis pelle lupus latitet, ne forte loquatur in eo diabolus de ſcripturis. Qua profectò ſancti uiri admonitione, homini catholico, qui Satanæ uerſutiã depræhendere nititur, & uerè fidei normam ſatagit incorruptam tenere, nihil utilius legunt ſcripturas boni: legit & diabolus, & hæretici omnes, ſed diſpari fructu, nam quemadmodum illis ad futuram

Luca 1. ciuitatem gradientibus ad dirigendos pedes non tantùm ſuos, ſed proximorum in uiam
Pſal. 118. pacis, lucem miniſtrant. Iuxta illud, lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſe-
mitis meis. ita iſtis, quo nunquam ipſi ueritatem percipiant, & cæteros in certam ani-
mæ perniciem adducant, certo quodam diuino iudicio denſiſſimas tenebras offundit.
Iſai. 6. iis enim dicitur, Audite audientes & nolite intelligere, & uidete uidentes, & nolite co-
gnoſcere. horumque cor excæcare, aures aggrauare, & oculos claudere Propheta præ-
Rom. 1. cipitur. Et hi ſunt, qui dantur in reprobum ſenſum, Apoſtolo auctore. Tantùm ergo
abeſt ut in iis frequens ſanctarum ſcripturarum iactatio ſit ueræ religionis indicium;
ut potius ſit ab eis magnopere timendum, ne quod ipſi habent, ideſt ſuas blaſphemias,
ſanctarum ſcripturarum contectas inuolucris, nobis intorqueant. Sed de hoc ſatis.

Quòd magna eruditio ac ſapientia, in exquirendis ueræ doctrinæ magiſtris, nonnunquam ſit fallax ſignum. Cap. II.

IAm ad ſecundum hæreticorum fucum accedamus, quo ſimplicibus & indoctis hominibus mirabiles & ingentis auctoritatis eſſe uidentur. Eſt autem is, ſapientiæ cuiuſdam turgidæ faſtus, & ſcientiæ ſecularis eminentia, qua uel uerè, uel ſecundum uulgi opinionem, cæteris omnibus præſtare uidentur. Quis autem ei in religionis cauſa, fidem non eſſe præſtandam decernat, qui altiori & reconditiori eruditione omnes anteeat. unicuique in ea arte, quam profitetur, fidem eſſe adhibendã, ipſa naturalis ratio nos docet. Expertiſſimo igitur, & qui cæteris omnibus præſtare uidetur, publica comprobatione, uel cum aliorum contradictione fidem præſtare, eadem ratione naturali magiſtra, par erit.

VERVM enimuerò Satanicæ fraudis ſagaci & experto, & ei, qui eius malas artes co-
gnouerit, non erit occultum, quàm familiare fuerit eidem, iam tum ab initio, in ſim-
plicium & ineruditorum exitium, iis coloribus pſeudoprophetas ſuos fucare, quò do-
centium auctoritate compreſſi, nunquam reſipiſcant à falſæ doctrinæ laqueis, quibus
Vinc. Lyr. eius opera captiui tenentur. Audiamus (inquit Vincentius Gallus). Sanctum Moſen,
& ipſe nos doceat cur docti uiri, & qui propter ſcientiæ gratiam, ab Apoſtolo etiam
Prophetæ nuncupantur, proferre nonnunquam permittantur noua dogmata, quæ uetus
teſtamentum allegorico ſermone deos alienos, appellare conſueuit, eò ſcilicet quòd ab
Deute. 13. hæreticis ipſorum opiniones, ſicut à Gentilibus dij ſui, obſeruentur. Si ſurrexerit (in-
quit) in medio tui Propheta, aut qui ſomnium uidiſſe ſe dicat, ideſt magiſter in Eccle-
ſia conſtiturus, quem diſcipuli uel auditores ſui, ex aliqua reuelatione docere arbitren-
tur, quid deinde? & prædixerit (inquit) ſignum atque portentum &c. Magnus pro-
fectò neſcio quis ſignificatur magiſter & tantæ ſcientiæ, qui ſectatoribus proprijs non
ſolùm quæ humana ſunt noſſe, ſed quæ ſupra hominem ſunt, prænoſcere poſſe Valenti-
num, Donatum, Apollinarem, Photinum, cæteroſque huiuſmodi. Hæc ille. Subin-
deque præcipuorum hæreticorum fucos, quibus potuerunt hominibus uel oculatis im-
ponere, ſingillatim deſcribens, ſic de Photino loquitur, Erat ingenij uiribus ualens, &
doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens, quippe qui utroque ſermone copiosè
& grauiter diſputaret & ſcriberet: quod monumenta librorum ſuorum indicant, quos
idem partim Græco, partim Latino ſermone compoſuit. De Apollinari autem ſic de-
inde, Nam quid illo præſtantius acumine, exercitationeque & doctrina? De Origene
uerò Adamantio ſic poſtea, Erat illi tanta uis ingenij, tam alacris, tam elegans, ut
omnes penè multum longeque ſuperarit: tanta doctrinæ eruditionis magnificentia, ut
pauca forent, diuinæ penè fortaſſe nulla humanæ philoſophiæ, quæ non penitus aſſe-
queretur: cuius ſcientiæ, cum Græci non crederent, Hebrææ quoque elaborata ſunt,
eloquentiam uerò, quid memorem? cuius fuit tam amœna, tam læta, ac dulcis oratio,
ut mihi ex ore ipſius, non tam uerba, quàm mella fluxiſſe uideantur. quæ non illa per-
ſuaſu difficilia diſputandi uiribus elimpidauit? quæ factu ardua, non ut facilia uide-
rentur, effecit? ſed forſitan argumentorum tantummodò nexibus aſſertiones ſuas te-
xuit, immo planè, nemo unquam magiſtrorum fuit, qui pluribus diuinæ legis uteretur

exemplis:

exemplis: ſed credo pauca ſcripſit, nemo mortalium plura, ut mihi non ſolùm omnia ſua perlegiſſe, ſed nec inueniri quidem poſſe uideantur. cui ne quicquam ad ſcientiæ inſtrumenta deeſſet, plenitudo quoque exabundabit ætatis. ſed forſitan diſcipulis parum fœlix, quis unquam fœlicior? nempe innumeri ex ſinu ſuo doctores, innumeri ſacerdotes, confeſſores, martyres extirerunt. Et poſt pauca, De cuius incredibili quadam ſcientia, ſi quis, referentibus nobis, Chriſtianum non accipiat teſtimonium, ſaltem teſtificationibus philoſophiæ, gentilem recipiat confeſsionem. Ait nanque impius ille Porphyrius excitum ſe fama ipſius, Alexandriam ferè puerum perrexiſſe, ibique uidiſſe eum tam ſenem, ſed planè talem tantumque, qui arcem ſcientiæ condidiſſet. Et poſt pauca, Hic tamen Origenes tantus ac talis, dum gratia inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimis indulget, ſibique ſatis credit, cum paruipendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & ueterum magiſteria contemnens, quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur, ſubitò à ueteri religione, in nouam profanitatem decidit. Hactenus de Origenis ſapientia Vincentius. Quorum ſimilia de Tertulliano in hunc modum recenſet, Sic & Tertulliani quoque eadem ratio eſt. nam ſicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos facilè princeps iudicandus eſt. quid enim hoc uiro doctius? quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? nempè omnium philoſophorum ſectas, auctores, aſſertoresque ſectarum, omneſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum & ſtudiorum uarietatem, mira quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio uerò non'ne tam graui ac uehementi excelluit, ut nihil penè ad expugnandum ſibi propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Iam porrò orationis ſuæ laudes quis exequi ualeat, quæ tanta neſcio qua rationum neceſsitate conſerta eſt, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat. cuius quot penè uerba, tot ſententiæ, quot ſenſus, tot uictoriæ. Et tamen hic Tertullianus catholici dogmatis, ideſt uniuerſalis ac uetuſtæ fidei, parum tenax, ac diſertior multò, quàm fœlicior, mutata deinceps ſententia, fecit ad extremum, quod beatus confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit, Sequenti (inquit) errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem, & exſurgentes in Eccleſia nouellas Montani furias, & inſana illa, inſanarum mulierum nouitij dogmatis ſomnia, quaſi ueras prophetias ueneratus eſt. Hæc de anterioribus illis ſæculi pſeudomagiſtris, & qui à diabolo falſæ doctrinæ lenocinio decepti ſunt, ante mille ducentos annos Vincentius, quibus apertè intelligitur, iam inde ab initio, hunc dolum illi familiarem fuiſſe, falſæ ſcilicet doctrinæ miniſtros, ſcientiæ opinione ſimplicibus hominibus mirabiles reddere. Fuit & Arrius, qui omnium maximè torſit Eccleſiam, apud Alexandriam Aegypti, cùm ſuæ falſæ doctrinæ uenenum ſpargeret, ſanctarum ſcripturarum magiſter: & Manes Perſa, alterius factionis inuentor, tanti fuiſſe perhibetur ingenij, ut arreptitius & dæmone plenus putaretur. Multos alios, inter eos, qui ab Eccleſiaſtica deſciuerunt diſciplina, mirabiles ſcientiæ auctoritate mundo fuiſſe, annales Eccleſiaſtici frequentiſsimè docent. Quin & iam olim Apoſtolico ſæculo, multis hunc ſatanicum fucum impoſuiſſe, quò primitus ſuſceptam ab ipſis Apoſtolis uel eorum ueris diſcipulis, qui omnes ſæculari ſapientiæ uidebantur expertes, doctrinam, noua altera ſuſcepta, deſererent, ipſa eadem Apoſtolica ſcripta luculenter oſtendunt. Nihil in Paulo frequentius offendas, quàm iuſtiſsimas illas querelas, quibus de falſis illis magiſtris, qui nomine cuiuſdam excellentis ſapientiæ, errores populo uenditabant cōqueritur. in hoc tantùm prior ad Corinthios epiſtola tota conſumitur, ut pſeudoapoſtolorum uerboſam ſapientiam, qua rectè ſemel ſatum Euangelium ſubuerterant, diaboli dolum eſſe Chriſtianis oſtendat. Faſtidiebant Corinthij uerorū Apoſtolorum uerba ſimplicia; ſubornabat diabolus in illorū perniciem miniſtros ſuos, ſæculari ſapientia & uerboſa eloquētia delinitos, quò Apoſtolicæ ſimplicitatis & uerorum Apoſtolorū pertæſi, ab Apoſtolica, quam ſemel ſuſceperant, prædicatione deſcirent. Contra hanc ſæcularis ſapientiæ diabolicam fraudem eos cōmuniebat Apoſt. dum eius epiſtolæ initio, quaſi per baptiſmi occaſionē ſcribit, Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euāgelizare, non in ſapientia uerbi, ut non euacuetur crux Chriſti: uerbū enim crucis, pereuntibus quidem iuſtitia eſt, iis autem, qui ſalui fiunt, ideſt nobis, Dei uirtus. Scriptū eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi ſapiens? ubi

Theodoritus, hiſt. tri par. lib. 1. cap. 12. Auguſt. lib. de hæreſ.

Corinth. 1.

ſcriba?

ſcriba, ubi inquiſitor huius ſæculi? non'ne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? & ſubinde, quaſi eos Euangelicæ ſimplicitatis pertæſæ coarguens, Videte (inquit) uocationem ueſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret, ut non

1. Cor. 2. glorietur omnis caro in conſpectu eius &c. Contra uerboſum uerò eloquentiæ faſtum, Sermo meus (inquit) & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & uirtutis, ut fides ueſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in uirtute Dei &c. Timeo (inquit alibi ad eoſdem) ne ſenſus ueſtri corrumpantur à ſimplicitate, quæ eſt iu Chriſto Iesv. nimirum per mundanam & ſæcularem ſapientiam, cuius nomine & prætextu, tunc temporis apud gentes nuper ad Chriſtum conuerſas, potiſſimè Græcos, qui ſapientiam quærebant, à prauis magiſtris diabolicæ technæ occultæ ueniebant. unde ad alios ſapientiæ quoque amatores, idem Paulus ſcribit, Hoc

Coloſſen. 2. autem dico, ut nemo uos decipiat, per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Vides nimirum quàm antiquum fuerit Satanæ, faſtu ſapientiæ, uel religionis, ſubuerſores ornare: quò eorum auctoritas maior ſit apud populum, qui nihil æquè ſuſpicit, ac eam, qua maximè deſtituitur, ſapientiam. Immo uerò, ut Tertullianus eſt auctor, uniuerſæ hæreſes à ſapientiæ profeſſoribus proficiſcuntur. Vnde idem de Apelle uerba faciens, Hæ ſunt doctrinæ hominum & dæmoniorum, prurientibus auribus natæ, de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam dominus ſtultitiam uocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam ipſius philoſophiæ elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres naturæ diuinæ, & diſpoſitionis. ipſæ denique hæreſes à philoſophia ſubornanrur, indeq; omnes. Hieronymus in Nahum ſcribens, in illa uerba, Cuſtodes tui ſicut locuſtæ, &c. Omnia (inquit) dogmata hæreticorum cum frigeant & uolare non poſſint, ſedem ſibi inter Ariſtotelis & Chryſippi ſpinea reperiunt. inde Eunomius profert, Quod natum eſt, non fuit ante quàm naſceretur. inde Manichæus, ut Deum à conditione malorum liberet, alterum mali inducit auctorem. inde Nouatus ſubtrahit ueniam, ut tollat pœnitentiam; &, ut ſimul breui cuncta concludam ſermone, de illis fontibus uniuerſos argumentationum ſuarum riuulos trahunt. Hactenus Hieronymus.

Hæretici, licèt omnes ſapientiam oſtentare conentur non tamen uerè oēs ea præditi ſunt. Non tamen ſemper (quod aduertere oportet) uel iſta ſæculari & humana ſapientia, hæretici ſunt præditi, quamuis eam oſtentare conentur, quò ſuam falſam doctrinam coram ſtultis hominibus ſpecioſam efficiant. Aetius (inquit Socrates) uenientes ad ſe diſputationibus Sophiſticus eludebat. hoc enim faciebat ſequens categorias Ariſtotelis, & quidem concinnans quæ non ſentiebat, neque ab eruditis intentionem Ariſtotelis nouerat. Et paulò poſt, Parum ergo erat imbutus Aetius, & diuina-

Hiſtor. Tripar. lib. 5. c. 15 & ſimilia de illo refert Epiphanius, in hæreſ. rum ſcripturarum ignarus; tantummodò in contentionibus præparatus, quod etiam quilibet ruſticus facere poteſt. Et dum nec ueteres, nec qui eloquia Chriſtiana interpretati fuiſſent, legiſſet, aſſerebat ſe multum gaudere libris Clementis & Africani, nec non Origenis, cum ubique fuerint uiri illi totius ſapientiæ uirtutibus eruditi. Hactenus Socrates. Sazomenius uerò de huius diſcipulo Eumonio, celebri etiam eius tēporis hæretico ſic ſcribit, Eumonius Notarius fuit Actij, qui ſine Deo uocabatur, cum quo, dū eſſet modum ſophiſticum imitatus, & ſermonibus quibuſdam uacans, feciſſet ſibi ſophiſmata, non ſentiebat ex his afflatus, quia in blaſphemias incideret; quippe dogmazelatus Arrij, multis modis repugnans dogmatibus ueritatis, parum quidem edoctus in literis ſacris, & neque intelligere ualens; circa eas uerò frequenter occupabatur eaſq; conuertens ſemper, neque ualebat intentionis ſuæ propoſitum adimplere; ſicut ſeptem demonſtrant tomi, in quibus uaniſſimè laborauit, quos in epiſtolam Apoſtoli ad Romanos fecit: multa enim illic uerba peſſundans, intentionem epiſtolæ non potuit inuenire. Sunt alij eius ſimiles libri, quos qui legere uoluerit, contemptum experimentis cognoſcit. Hæc Sazomeus de Eumonio. Quòd ſi eundem Euſebius in dialectica præpo-

Euſebius Eccleſiaſt. hiſt. lib. 10 c. 25 tentem appellet, hoc ex uulgi, cui imponebat, ſententia non de ipſa rei ueritate eſt accipiendum. Scribit & de Marcionis diſcipulis Ireneus, quòd falſo ſcientiæ nomine inflati, ſcripturas quidem confiterentur, earum uerò interpretatioues, conuerterent. Et ne ſingulorum retexamus hiſtorias, Omnes hæretici (ait Auguſtinus) generaliter

ſcientiæ

ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt,eos, quos ſimpliciter creden tes inue-nerint: & quoniam omnino carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum operationem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur. Hactenus Auguſtinus. Eſt profectò proprium hæreticis, propter animi faſtum, qui eos ueritate uacantes inuaſit, reliquam omnem ſapientiam ingenti faſtidio præ illa, quam ipſi ſibi compararunt, contemnere. Arriani (inquit) apud tripartitam hiſtoriam Alexander Conſtantinopolitanus Patriarcha, nec priſcorum quempiam dignantur ſibimet comparare, neque præceptoribus ſe, à quibus nos ab infantia eruditi ſumus, æquari patiuntur, neque miniſtrorum quenquam nunc ubicunque conſiſtentium, in menſura ſapientiæ reputant, quaſi ſoli ſapientes & nihil habentes, atque nouorum dogmatum inuentores, & quibus ſolis reuelata ſunt, quæ à nullo alio ſub ſole intellecta noſcantur. Hactenus Alexander. Ex hoc hæreticorum inſolitiſsimo faſtu, ſe quidam eorum Gnoſticos, alij Catharos, quaſi ſcientes & mundos appellaſſe, cum tamen omnium mortalium eſſent ſtolidiſsimi & ſpurciſsimi, anteriores Eccleſiaſtici ſæculi teſtantur hiſtoriæ. Et Gregorius Pontifex in illa uerba, Porrò, ad me dictum eſt uerbum abſconditum, &c. Verbum abſconditum hæretici audire ſe ſimulant, ut auditorum mentibus quandam prædicationi ſuæ reuerentiam obducant. Vnde & latenter prædicant, quatenus eorum prædicatio tantò ſancta quantò occulta uideatur: cõmunem autem ſcientiã habere refugiunt, ne cæteris æquales exiſtimentur: occulta uel noua ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt, apud imperitorum mentes, ſcientiæ ſingularitate glorientur. Idemque, cum de locis, à quibus Iob amici ueniſſent, diſſereret, à Theman & ſui, ideſt à calore & loquacitate uenire referuntur hæretici, quia per hoc, quòd ſcripturarum lectione ſe ſtudioſos exhibent, ſolius uerbis loquacitatis, non autem uiſceribus charitatis calent: Naama uerò, interpretatur decor. quia enim docti, non eſſe ſed uideri appetunt, ex eruditionis uerbis, ſpeciem bene uiuentium ſumunt, & per calorem loquacitatis, in ſe imaginem oſtendunt decoris, ut eo per decorem linguæ, peruerſa facilius perſuadeant, quò fœditatem, ſenſus caliditate occultent. Similéque ait in illa uerba, Aquam ſaſſo non dediſti &c. Hæretici (inquit) quo ueritatis ſoliditatem non tenent, eo nonnunquam ſtudent, ut loquaciores appareant, & contra catholicorum fidem, quaſi doctrina ſcientiæ glorientur. Et ſubinde, Hæretici igitur ſua dogmata prædicare non ceſſant, & Eccleſiam quaſi de imperitia irrident. Hactenus Gregorius. Hinc arrogantiſsima prorſus & Chriſtianis aliena æſtimatio illa, qua ſe ſolos nouerunt ſuſpicere, & cæteros uniuerſos, præ ſe ipſis contemnere: ex qua quidam eorum celeberrimæ Nicænæ ſynodi ſancta decreta, quaſi ſtulta traducit, & idiotas patres omnes in illa conuenientes, ſimplices & idiotas appellat, quod Martinum Lutherum hæretica illa ſua procacitate de uniuerſis Eccleſiaſticis patribus noſtra memoria prodidiſſe, ſua ſcripta teſtatur. Scit nimirùm Satanas ſi uirtutibus & uera uitæ ſanctitate cum Eccleſiaſticis patribus ſit agendum, ſe non poſſe ſuperiorem euadere: ergo uel falſa opinione, cum illis certandum. nam licèt multò etiam in hac parte ſint hæreticis doctiores, & excellentiores catholici, quia tamen Chriſtianam modeſtiam, quam cum uera charitate, quæ ſcientiæ faſtum comprimit, cæteris uirtutibus retinent, nec apud ſe, nec apud inſanum uulgus, quod nunquam ex ipſis rebus, ſed ex earum iactatione & faſtu aliqua metitur, ſe commendare nouerunt, plerunque ipſius uulgi opinione indoctiores & impeditiores habentur. Contrà hæretici, tum quòd ſibiipſis magnopere placeant, tum quòd quantulumcunque illud eſt ſcientiæ, quod habent, apud uulgus charitate & humilitate deſtituti, glorioſiſsimè iactent, tum quòd placidis & blandis ſermonibus inſanæ plebis auribus pruriant, quaſi docti & acuti continuò laudantur; unde certam ſibi qualicunque eruditione, dux eorum diabolus de iiſdem, de uiris catholicis uictoriam promittit. Sciunt tamen plerunque Eccleſiaſtici uiri, parumper pro temporis opportunitate, ad hæreticorum inſolentiam retundendam, prudentiſsimè Chriſtiana illa modeſtia diſsimulata, ſuam ſapientiam & eruditionem, cum maximo hæreticorum ludibrio, & contemptu populis exponere: ſciunt ſapientiæ gladium uagina humilitatis, in qua antea fuerat incluſus, cum ingenti hæreticorum ſtrage, ſolertiſsimè eximere: ſciunt inſoleſcentem eorum ignorantiam, quæ ueræ ſapientiæ ſilentio aliquid eſſe uidebatur, grauiſsimo eruditionis imperio compeſcere. Norunt hoc olim Praxeæ, Marciones, Her-

Pp mogenes,

Margin notes: Lib 2.c.25 De Gen cõtra Manic. — Iob 4. — Iob 22. — Sabinus Heracleen. Epiſc. Macedonian. Apud hiſtoriam Tripartitã. libro 2.c.8. — Luth. li. de Eccleſ. & concilijs.

mogenes, Valentini, Nouati, Iouiniani, Heluydij, Vigilantij, Pelagij, Manichæi, Donati, Fauſti, Fœlices, Secundini, Hilarij, Gaudentij, Iuliani &c. in quos, non tantùm Chriſtianis ſed gentium philoſophis plerunque iudicibus, cum ſumma, non ſolum Chriſtiana, ſed ſæculari ſapientia, Tertullianus, Cyprianus, Ireneus, Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, & reliqui Eccleſiaſtici patres declamantes, non modò ſententiarum, à ſanctæ ſcripturæ legitimo ſenſu diſsidium carpentes, ſed uerborum ipſorum ſputcam barbariem & ſtyli obſcœnitatem grauiſsimo uerborum flagello
Vide Hiero. cõt. Iouin. Vigilan. &c. uerberantes, glorioſos reportarunt triumphos. quod & noſtra memoria multis catholicis uiris cum hæretico furore certantibus, non cum minori gloria contigiſſe uidemus. Sciunt hoc ante id temporis pſeudo illi Apoſtoli, qui crucis ſermonem in Paulo, quaſi ab ignorantia profectum deſpicientes, habebantur mirabiles, in quos temperata parumper Chriſtiana modeſtia, idem Apoſtolus Euangelico telo tam acriter fertur.
2. Corin. cap. 2. Quod loquor, (inquit) non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ, quoniam multi gloriantur ſecundum carnem & ego gloriabor. Et ſubinde, in quo, quemadmodum & alij, poſsit gloriari, demonſtrans, In quo quis audet (in inſipientia dico) Audeo, & ego; Hebræi ſunt, & ego; Iſraëlitæ ſunt, & ego; ſemẽ Abrahæ ſunt, & ego; miniſtri Chriſti ſunt, & ego; ut minus ſapiẽs dico, plus ego. Se plus ſapientem uocat Apoſtolus, non mendaciter, ſed planè uetiſsimè, quò eorum pſeudoapoſtolorum faſtuoſam ignorantiam, ipſa ſapientiæ auctoritate comprimeret. Nam cur tam humili ſermone in docendis hominibus plerunque uteretur, qua una re falſorum Chriſtianorum contemptum inciderat, alibi demonſtrans, ſic inquit, Et ego
1. Cor. 3. fratres, non potui uobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. tanquam paruulis in Chriſto lac uobis potum dedi, non eſcam. nondum enim poteratis, ſed nec nunc poteſtis; adhuc enim carnales eſtis &c. Et alibi, Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam uerò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur &c. Immo uerò, non tantùm falſis illis uerbi miniſtris, qui cum eſſent uetiſsima Satanæ inſtrumenta, ſe tamen Chriſti Apoſtolos mentiebantur in plebe, indoctior uideri nolebat Apoſtolus, ſed neque in hac parte ueris ipſis Chriſti miniſtris inferior.
2. Cor. 2. Exiſtimo enim (ait) me nihil minus feciſſe à magnis illis Apoſtolis. nam ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. Sancti ergo & Eccleſiaſtici uiri, quique id ipſum cum Eccleſia ſapiunt, non modò ſcientia & rerum uera cognitione non ſunt hæreticis inferiores cenſendi, ſed ſemper, etiam apud eos, qui foris ſunt, quod luculenter demonſtrant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, doctiores ſunt habiti; nec mirum, quia ut præclarè dixit ſapiens,
Matth. 11. Vbi humilitas, ibi ſapientia: contrà ubi tumor & inflatio, ibi ſtultitia. Et abſcondit Deus arcana ſuæ diuinæ ſapientiæ myſteria his, qui ſibi uidentur ſapientes: contrà
Pſal. 103. reuelat ea paruulis, id eſt, his, qui de ſeipſis modeſtiſsimè ſentiunt. Sunt Eccleſiaſtici uiri, humiles ualles quædam, in quas de ſuperioribus, fontes diuinæ ſapientiæ mittuntur; contrà, hæretici, montes quidam excelſi & decliues, qui cœleſtis pluuiæ imbres retinere non poſſunt: unde in his non aliud, quàm ſpinæ ac tribuli & uenenatæ herbæ, id eſt, ſpinoſa, ac uenenata dogmata, quæ homines in certiſsimum uitæ diſcrimen adducant; in illis contrà, præter delectabilem florum, id eſt, uirtutum, ornatum, pomiferæ, ſalutiferæ & humanæ uitæ conſeruandæ commodiſsimæ arbores, id eſt, ueræ doctrinæ ſaluberrima dogmata, quæ ſpirituali cibo mentes reficiant, confertiſsimè pullulant. Nihil excelſius hæretica mente, quæ dum ſe ſolam ſapere, dum ſe ſolam ueritatis punctum, in rebus attingere perſuaſiſsimum habet, cæteros omnes pro animi arrogantia & ſui obliuione, ſtupidos truncos, ac ſtipites credit. Nec enim uel cum cæteris hæreticis hæreticus conuenit, ſed ſe ſolum audit, ſibi ſoli ſubditur. quæ res in acquirenda ſapientia, etiam prophanorum iudicio pernicioſiſsimè obeſt. Oportet enim
Iſai. 7. addiſcentem credere. &, Niſi credideritis, non intelligetis, ait Iſaias ad quoſdam. hinc
Hiſto. trip. lib. 5. c. 15. de Aëtio (ut antea retulimus) Socrates narrat, quòd uenientes ad ſe, diſputationibus ſophiſticis eluderet. Hoc autem faciebat (inquit) ſequens categorias Ariſtotelis, diſputans & quædam concinens, quæ non ſentiebat, neque ab eruditis intentionem Ariſtotelis nouerat. Sic habet profectò hæreticum ingenium, ut nullum patiatur magiſtrum; contrà uerò Eccleſiaſtici uiri, non modò pro materna obedientia, quam Eccleſiæ conſeruant, Eccleſiaſtico ſubduntur magiſterio, ſed pro Chriſtiana modeſtia, omniũ

iudicio & cenſuræ uerba, ſenſus, & opera exponunt. Itaque non iniuria Petrus Apoſtolus ſui temporis hæreticos, qui Pauli epiſtolis abutebantur, indoctos appellat, nimirum, quòd dum quantumuis ſimplicibus, aliud hæretici uideri deſiderant, ſolida eruditione priuentur, In quibus (inquit) ſunt quædam difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant, in ſuam perditionem. his (haud dubium) ſi quibus aliis, potiſsimè conuenit, quod ſapiens dicebat, In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Hi ſunt, qui nec ſcholas agnoſcunt, nec magiſtros ſciunt, ſed, ſubita ſutorum & cerdonum approbatione ſine diſcipulatu, magiſterium exercent. hi ſunt qui ſacrilegè illotis pedibus Theologiam conculcant. damnant enim Philoſophiæ ſtudium, Dialecticam improbant, & cæteras liberales diſciplinas, à Chriſtianis ſcholis quaſi ſuperfluas & uacantes proſcribunt. In qua re opportunum erit quēdam eorum diuinitus actum loquentem audire, Peculiare (inquit) & priſcis & noſtri ſæculi hæreticis eſſe uidemus, omnem ueram eruditionem damnare, nec id quidem abs re: uident enim quò mentes hominum ad ueritatem ſunt inſtructiores, hoc minus ualere ipſorum impoſturam. Quibus uerbis, & quanta ſit hæretica eruditio, & quorſum humanas literas damnent, ab hæretico diſcimus, eo nimirum animo, quo olim Iulianus Apoſtata eaſdem Chriſtianis hominibus interdixiſſe, memoriæ proditur, niſi de ſtupidis hominibus mitius ſit ſuſpicandum, hoc eos ideò facere, quòd omnes uelint eſſe ſicut ſe ipſos, id eſt ignaros & ſtupidos, ut olim de cœlibatu deſiderabat Apoſtolus; aut quòd nolint Euangelicam regulam, in ſuis diſcipulis uiolari, quæ non eſſe maiorem magiſtro diſcipulum docet; aut demum quòd cùm uniuerſæ hæreſes ſint aduerſæ rationi, nolint eas diſciplinas, quæ, quòd illis ratio excolatur, rationales uocentur, in hæreticæ doctrinæ gymnaſium admitti. Timent ſibi, non publicæ cauſæ, quod ſcilicet in catholicis uiris diſciplinis liberalibus excultorum ingeniorum uigorem perſenſerint. Vident tantam eſſe ſuorum dogmatum impudentiam, ut uel ipſa naturali ratione, ſine ſanctæ ſcripturæ teſtimonio damnentur. Vident ea proborum Philoſophorum decretis contraria, quid aliud agerent, ratione & liberalibus diſciplinis, quæ eandem exacuunt, proſcriptis, quàm nos ad ſuos illos ſenſus pluſquam profundos prouocare: in quibus tamen, non quod ipſa ratio & ſententiarum cōſequentia poſtulare uidentur, ſed quod ipſis libuerit, eſt approbandum. Omnes hæreſes (ait quidam illorùm) natæ ſunt ex rationis argumentis: quia enim Euangelij doctrina, diſſentiat à ratione, neceſſe eſt errare eos, qui non Euangelium, ſed ſuæ rationis iudicium ſequuntur. Et rurſus, Hæreſes, ait, naſcuntur ex probabilibus rationibus, quas contra ſcripturam, impij homines amplectuntur. nam, cùm uerbum Dei tradat incompræhenſibilia rationi, non uult ratio ea ſequi, quæ per ſe cernit, & compræhendit, ita fit ut diſcedat à ſcriptura. Vides ſtupidi Grammatici horrendam uocem? timebat nimirum hæreticus homo rationem, quæ cunctorum hæreticorum eſt gladius. Euangelium enimuerò quanuis excellentia myſteria nos doceat, nihil tamen docet aduerſum rationi, præſertim, in morū doctrina, ubi ipſum nobis ius naturale colendum præſtituit. Demum auerſantur liberales diſciplinas hæretici, præſertim qui noſtro ſæculo inſultant Eccleſiæ, pro hæretico ingenio, quòd ſemper eidem Eccleſiæ ſectantur aduerſa. Nauabant olim operam Eccleſiaſtici uiri, pro eius ſæculi perfectione, ſolis uirtutibus, & ſanctarum ſcripturarum ſtudio, quòd nimirum, ad ea, quæ proponebantur credenda, humanæ ratiocinationis, uel internæ reuelatione, uel unctione ſpiritus, in fide retenti, non egerent præſidio. contrà hæretici dialecticis & phyſicis ſtudiis ſe totos tradebant. Ambroſius, Hæretici, inquit, (loquitur uerò de iis, qui ſuo ſæculo torſerunt Eccleſiam) omnem uim neruorum ſuorum in dialectica diſputatione conſtituunt. nunc uerò quòd pro magna diuinæ prouidentiæ ratione Eccleſiam ubique terrarum, iam tandem in infantiam exuctam liberalibus diſciplinis (ſi quod fuit ullo ſæculo hominum genus) excultam alpiciunt, ad turpem ignorantiam & ruſticum quendam ſtuporem, diabolica æmulatione confugiunt. hunc laudant, hunc in æthera pluſquam diuinis laudibus efferunt, qui nullum unquam ſtudium ſapientiæ coluit, ſed ſimplicitate Chriſtiana (ut uocant) ſcripturas perlegit.

Nam quo loco ſit illi habendus hæreticus, quantumuis ſeipſo plenus, quantumuis tumidus, quantumuis cæteros omnes extremæ cuiuſdam eruditionis faſtu contemnens, catholicus diſcat. apud Eccleſiam, nullus quaſi doctor auditur, neque magiſterium

2. Petri 3.

Bucerus in epiſto. ad Rom.

1. Cor. 7.

Ioan. 14.

Quorſum hæretici philoſophiā cæteraſq; humaniores diſciplinas auerſentur.

Melāch. in epiſto. ad Coloſſ.

In eodem cāp.

Quā acris in examine, quātaq; maiorū do-

ſciplinarũ ſupellectilis, catholici magiſtri, quàm hæretici, ad magiſteriũ promouentur.

exeteet, niſi prius multam ætatem liberalibus diſciplinis inſumpſerit, niſi earundem ſub rigidiſsimis iudicibus exactiſsimam rationem reddiderit, niſi publica ſapientum magiſtrorũ approbatione magiſtrale inſigne ſuſceperit. Apud Hæreticos contrà, nullius horũ fit ratio, ſed ſubitò quidam è ſutrina aut tonſtrina, aut demum ex puerorum pædagogia proſiliens, quem alioqui Deus & natura ad agendos porcos aut uaccas ſine ulla diſſenſione formarunt, abſque ullo publico ſuffragio, aut approbatione, ſine ullo examine, ad tractandas ſcripturas admittitur. Quis hos admiretur? quis hos ſuſpiciat, quantumuis ſuam illam linguarum & hiſtoriarum notitiam oſtentent? quæ duo ſcimus ſine intellectu & ingenio, quod liberalibus diſciplinis tantùm excolitur, nihil prodeſſe. Verùm de his hactenus. Ergo ut, quæ longiori ſermone diximus, in epilogum redeant, nonnunquam diabolus perditionis miniſtros eruditione & eloquentia cohoneſtat, ad paruulorum perniciem, ut plurimùm tamen cùm (ut par eſt credere) diuina id prouidentia prohibente, eruditos uiros aſſequi nequeat, eos tandem, quos poteſt, falſa eruditionis ſpecie depingit, quò ſimplices fallat.

Quòd Eccleſiaſticæ fidei zelus & æmulatio prætenſa, non ſemper ſit ueri doctoris certum indicium. *Cap. III.*

Tertius diabolicus fucus, quo quaſi ueræ doctrinæ ſigno ſimplicibus hominibus ſolet imponere, eſt Eccleſiaſticæ fidei zelus prætenſus. Solent enim hæretici homines plerũque in cæteras omnes hæreſes leones agere, cùm uerè ſint uulpes, quæ uineam Domini Sabahot, uapida ſimulatione demoliri contendunt. Quis autem eum hominem hæreticum intelligat, quem uideat, non tantùm quotidiano ſermone hæreticas blaſphemias, quaſi gladio proſcindere, ſed inſuper ſcriptis inſectari? Quis eum hoſtem Eccleſiæ habeat, quem uideat Eccleſiaſticum militem infatigabilem agere, & ut ille ſimulat, zelo domus Dei, quæ eſt Eccleſia Dei uiui, & columna & firmamentum ueritatis immobilis ſemicomeſum.

1.Tim.3. Verùm hunc dolum iam olim in miniſtris ſuis coluiſſe Satanam, non modò noſtri ſæculi, præſertim apud Hiſpaniam, ubi pro noſtrorum Principum Eccleſiaſticæ fidei cõſeruandæ ſolicitudine, ac zelo, & antiquæ fidei amore, hæreſes niſi fraudulenter ſeminari non poſſunt, ſed anterioris etiam ætatis hiſtoriæ teſtantur. Vidimus multos, quorum cùm Eccleſiaſticæ fidei zelum parum antea admiraremur, poſtea tamen propria confeſsione & in iudiciali proceſſu ſub integerrimis iudicibus, quales negotium religionis requirit, legitimo teſtimonio conuictos deteſtabiles hæreticos, & in eandem Eccleſiaſticam fidem ſacrilegos, depoſitis laruis, quas diu geſtauerant, tota Hiſpania intellexit: quod cum ſit notiſsimum, ad cæterorum hæreticorum hiſtoriam teferamus ſermonem. De Neſtorio illo olim Conſtantinopolitano Patriarcha, ſanctæ & Deiparæ uirginis hoſte, ſic ſcribit Vincentius Lyrenenſis, Quo tandem iſto modo non cuiuis fidem faceret ſe recta docere, recta prædicare, recta ſentire, qui ut uni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarum hæreſum blaſphemias inſectabatur? De Apollinari uerò, qui à Chriſto animam rationalem excluſit, ſic idem, Nam quid illo præſtantius acumine, exercitatione, doctrina? quàm multas ille hæreſes multis uoluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutauerit errores, indicio eſt opus illud triginta non minus librorum, nobiliſsimum ac maximum, quo inſanas Porphyrij calumnias magna probationum mole confudit. De Tertulliano autem poſt eximiam eius ſapientiæ commendationem, & laudem, Sciunt (inquit) hoc Marciones, Apelles, Pragæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Guoſtici, cæterique, quorum ille blaſphemias multis ac magnis uoluminum ſuorum molibus, uelut quibuſdam fulminibus, euertit. & hic tamen quoq; poſt hæc omnia (inquam) Tertullianus Catholici dogmatis, ideſt uniuerſalis ac uetuſtæ fidei parum tenax, ac diſertior multò, quàm fœlicior, mutata deinceps ſententia, fecit ad extremum, quod de eo beatus confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit, Sequenti (inquit) errore, detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem, & fuit ipſe quoque in Eccleſia, magna tentatio. Hæc Vincentius. Idemque de cæteris, qui cum aliqua nominis opinione,

opinione, præcedente memoria hæreticas doctrinas ſeminarunt, in Eccleſiaſticis anna-
libus licet aduertere. Hoc autem non aliunde quàm ab Hæreticorum ingenio proueni-
re credendum, quòd (ut ait Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus) ſtudio præſumptio- *Ad Pompeianum.*
nis & contumaciæ, potius ſua praua & falſa defendit, quàm in alterius facta & uerba
conſentiat. Non amant hæretici Eccleſiaſtica dogmata, ſed ſua, Eccleſiaſticis & cæteris
hæreticis aduerſa, conantur aſtruere. Vnumquodque hæreſum dogma (inquit Orige- *In Matth. cap. 24.*
nes) non ſolùm ueritati aduerſatur, ſed etiam cæteris dogmatibus ſimiliter falſis. Nec
mirum quòd hæretici, nec cum cæteris hæreticis & Eccleſiaſticæ doctrinæ aduerſariis in
ſenſu conſentiant. nam, ut ibidem idem docet Origenes, Regnum alicuius uerbi, in-
ſurgit aduerſus alterius uerbi erratici Regnum, quoniam Saranas & omne mendacium
aduerſus ſeipſum diuiditur. Hinc neque olim neque noſtra memoria, uel cum ſuæ fa-
ctionis hæreticis ullus hæreticus per omnia conſenſit, ſed carnali zelo etiam cum magi-
ſtrorum iniuria, ſuum dogma unuſquiſque defendit. Cauendum ergo ne nobis Eccle-
ſiaſtici militis teſſera, diabolus imponat. Sed ſciamus non eſſe impoſſibile, cum Eccle-
ſiaſticæ fidei ſimulato zelo, & amore fidei ſimulato, hæreticum animum interius lateret.

Quòd quandoque per antiquæ & ſanctorum doctrinæ amorem ſimulatum, diabolus fideles decipiat. Cap. IIII.

QVartus hæretici dogmatis fucus, eſt doctrinæ ſanctorum & Eccleſiaſtico-
rum uirorum ſimulatus amor & ſtudium, quo non iam tantùm ſimplices
& amuſi homines, ſed plerunque, qui magnos in re literaria prouentus
fecerunt, ab Eccleſiaſtica diſciplina perinicioſè deficiunt. Ingens eſt pro-
fectò occaſio ruendi, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Cypriani, Gre-
gorij, Chryſoſtomi, Hilarij & aliorum Eccleſiaſticorum Patrum, qui pro-
pter illam Chriſtianæ Philoſophiæ peritiam, propter quam perpetuo ſæculorum decur-
ſu, ueræ Euangelicæ doctrinæ magiſtri ſunt habiti, admiranda quoque uitæ ſanctitate
Eccleſiam honeſtarunt, libros, quos magna diuini Spiritus unctione non dubitamus ſcri
ptos, à parte hæretici dogmatis, quod docetur, ſtare.

In primis ergo catholico & Eccleſiaſtico uiro aduertendum ſummopere, nihil anti-
tiquius eſſe Satanæ, quàm ut peſtiferæ doctrinæ, exitiale uenenum aureis uaſis propinet,
quò externa ſplendoris ſpecie ſumatur incautius. Sunt ſancti uiri uaſa aurea, electa di-
uinitus ad portandum nomen Domini corã gentibus. his ergo, quibus Euangelicæ do-
ctrinæ ſalubrem potionem fideles aſſueti ſunt bibere, hæreticæ fraudes uenenum ab-
ſcondunt, id eſt ſuos errores horum auctoritate communiunt, quò ſub eorum nomine,
quos quaſi magiſtros & Euangelicæ religionis præceptores honorant, in diaboli ſenſim
poteſtatem concedant. Sunt hæretici cuculi quidam, qui propriam prolem, id eſt pro-
priam doctrinam, palumbis, id eſt Eccleſiaſticis magiſtris, qui è uitæ ſimplicitate &
eximia charitate fœcundi, in Chriſto IESV per Euangelium nos gignunt, fraudulenter
ſupponunt: ſunt aucupes quidam, qui ſimilium auium ſimulato garritu, ideſt ſancto-
rum uirorum auctoritate prætenſa, ſimplices auiculas, id eſt ſimplices quoſque fideles
in diaboli retia fraudulenter pelliciunt. uerùm fruſtra iacitur rete ante oculos penna- *Prouer. 1.*
torum, & eorum, qui per ſpiritum adulta ſapientia, eiuſdem artes depræhendere no-
runt. Sic olim Euangelico ſæculo primos illos Euangelij corruptores, Apoſtolo Paulo
ſuas hæreſes intruſiſſe, coapoſtolus eius Petrus teſtatur, Propter quod (inquit) chariſ- *2. Petri 3.*
ſimi hæc expectantes, Satagite immaculati & inuiolati inueniri in pace, & Domini no-
ſtri IESV Chriſti longanimitatem, ſalutem arbitramini, ſicut chariſſimus frater noſter
Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcribit nobis in omnibus epiſtolis, loquens in
eis de his, in quibus ſunt quædam difficillima intellectu, quæ indocti & inſtabiles de-
prauant, ſicut cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Abutebantur iam
tunc pſeudo illi prophetæ ad ſuorum dogmatum inducendam perniciem, auctoritate
Pauli, & ſub ſancti uiri ouina pelle, lupi rapaces in gregem dominicum graſſari cupie-
bant. Rogamus (ait alibi quorundam falſorum prædicatorum impoſturas præueniens)

2. Theſſ. 2. uos fratres per aduentũ Domini noſtri IESV Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum
ut non citò moueamini à ueſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque
per ſermonem, neque pet epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domi-
Rom. 3. ni. Et alibi, Et non ſicut aiunt quidam (inquit) nos dicere, faciamus mala ut inde
ueniant bona, quorum damnatio iuſta eſt. quibus nimirum innuitur, iam tum Pauli
auctoritate, qui inter Apoſtolicos uiros celebrior habebatur, ad intorqnenda ſua dog-
mata hæreticos abuſos. Sed & poſt Apoſtolica tempora, Arthemon hæreticus, auctore
Lib. 5. Eccl. hiſt. c. 28. Euſebio, ſuam blaſphemiam in uiros Apoſtolicos retulit, Arthemon (ait) hæreticus
purum hominem, id eſt abſque Deo, fuiſſe Saluatorem confirmat, idque antiquitus ab
ipſis etiam Apoſtolis eſſe mentitur, aduerſus quem unus Eccleſiaſticis ſcriptoribus re-
ſpondit, Aiunt (inquit) etiam ipſos Apoſtolos, ita uel ſuſcepiſſe, uel cæteris tradi-
diſſe, ſicut nunc ipſi aſſerunt, & hanc ueritatem prædicationis eſſe ſernatam uſqne ad
Victoris tempora. Hactenus Euſebius. Auguſtino etiam non alia fuit cauſa ſcribendi
contra Donariſtas ſeptem libros, quàm quòd ſuas illi inſanias, ſancti martyris Cypriani
auctorirate protegerent, idemque de cæteris hæreticis, qui unquam temporis nouas in
Eccleſia ſeminarunt blaſphemias, ex Eccleſiaſticis hiſtoriis licebit aduertere. Cupiunt
illi ſuorum dogmarum teſtes omni exceptione maiores habere, quòd ſcilicet propria au
ctoritate apud plebem, applauſum obtinere non poſsint. Captant hæretici (inquit)
Vincentius Lyrinenſis ueteris cuiuſpiam uiri ſcripta paulò inuolutius edita, quæ pro
ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud neſcio quid, quod proferunt,
neque primi, neque ſoli ſentire uideantur. Quorum ego nequitiam duplici odio pro-
ſequendam iudico, uel eo quòd hæreſeos uenenum propinare aliis non pertimeſcunt,
uel eo etiam, quòd ſancti cuiuſque uiri memoriam, tanquam ſopitos iam cineres pro-
fana manu uentilant, & quod quaſi ſilentio ſepelire oportebat, rediuiua opinione diffa-
mant. ſequentes per omnia, ueſtigia auctoris ſui Chan, qui nuditatem uenerandi Noë,
non modò operire neglexit, uerùm quoque irridendam, cæteris denunciauit. Hactenus
ille. Ergo in primis aduertere debet ueræ religionis amator, hæreticum ingenium non
ampliari in ſanctorum ſcriptis ſciendis, quàm in alleganda ſcriptura fide & obſeruantia
Tract. 3 de ſimplic. uerſari. Nam quemadmodum quoties eſt ſcripturis agendum, (ut Cyprianus dicebat)
corruprores iſti Euangelij ac interpretes falſi ſuperiora prætereunt, partim memores &
partim ſubdolè corrumpentes, ita immo maiori ratione ſanctorum anctorum ſcripta
non integra & inuiolara, ſed ſemilaceta & prorſus corrupta ad ſua dogmata confir-
manda producunt; tantò nimirum facilius qnantò quòd ſint canonicis ſcripturis plura
& in manibus fidelium minus frequentia, difficilius depræhenditur dolus. Non ergo
illis fides eſt adhibenda, etiamſi myriades locorum ex Auguſtino, Hieronymo, Am-
broſio, Hilario, Chryſoſtomo, & cæteris Eccleſiaſticis patribus in ſuorum dogma-
tum confirmationem adducant, niſi & eiſdem quoties ad eandem muniendam, Euan-
Matth. 3. gelia cæteraſque canonicas ſcripturas, ſurſum ac deorſum conuertunt, ſit etiam cre-
dendum, aut niſi diabolo cum ipſo Chriſto ſcripturis agenti credere oporteat. Quid,
quæſo, frequentius, aut noſtri ſæculi hæreticis familiarius, quàm poſt ſancti Spiritus,
& ſanctarum ſcripturarum proditionem, ſanctis quoque auctoribns & Eccleſiaſticis
patribus ſuas impias & blaſphemas opiniones intrudere? Videas in Lutheri, Me-
lanchrhonis, Buceri, Zuinglij, Vualfangi, Bulingeri, Brentij, Oecolampadij, Cal-
uini, & reliquorum pſeudoprophetarum ſcriptis, tertio quoque uerbo uolutari Au-
guſtinum, Hieronymum, Ambroſium, & cæteros, tum Græcos, tum Latinos Eccle-
ſiaſticos patres, & eorum ſcriptis hæreticas quaſque ſententias muniri. Verùm quàm
longè ab eorum (qui non fuit alius quàm Eccleſiaſticus) ſenſu diſcederent, catho-
licorum uirorum, quos noſtra ætas ſtrenniſsimos gennit, opera indicant. Nec tamen
hoc ſceleris perdiris hominibus ſatis eſt admiſiſſe, ut ſanctorum auctorum ſcripturas in
fidelirer tractent, niſi iiſdem etiam ſacrilegas manns afferant, dum eaſdem ſnis ſacrilegis
ſententiis intertextis corrumpunt: in qua re, præter ueteres hiſtorias, quæ ſanctorum
patrum ſcripta hæreticis blaſphemiis uiolata recenſent, locupletiſsimum noſtra memo-
In epiſt. ad typographum quendam. ria Martini Lutheri, expertiſsimi, & omni exceptione maioris in hac parte teſtimonium
habemus, Miſeri (inquit) homines non ſunt contenti ſuum uirus, propriis & alijs infi-
nitis libris ſparſiſſe, niſi & alienos libros, eo ueneno illicò perdant. teſtantur & id ſan-

ctorum

ctorum ſcripta noſtro ſæculo typis excuſa, in quæ ſicut & in ſacra Biblia quantum uirus hæretici ſparſerint, nemo non nouit.

Dᴇɴᴜᴍ illud uiro catholico memoriæ mandandum, non uniuerſa ſanctorum ſcripta, præſertim ſi Eccleſiaſticis definitionibus diſſonent, aut cum illis non per omnia cohæreant, quamuis eorum uitam & mores admirari liceat, quaſi fidei normam amplecti debere. Ego (inquit Auguſtinus) ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam canonici dicuntur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribēdo erraſſe, audeam credere, aut ſi aliquid in eis offendero, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quàm mendoſum eſſe codicem, uel non eſſe aſſecutum interpretem, quod dictum eſt, uel me nihil intellexiſſe, non ambigam: alios autem, ita lego ut quantalibet ſanctitate, quanta'ue doctrina polleant, non id eò uerum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores canonicos uel probabiles rationes, quod à uero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Idemq; alibi, Quis neſciat Epiſcoporum literas, quæ uel poſt confirmatum canonem ſcriptæ ſunt, uel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem in ea re cuiuslibet peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem auctoritatem doctorumque prudentiam, & per concilia licet reprehendi, ſi quid in eis fortè à ueritate deuiatum eſt? Et iterum contra quendam, qui ſe ſuas blaſphemias ex ſanctorum ſcriptis meſſuiſſe iactabat, Noli (inquit) frater cōtra Diuina tam multa, tam præclara, tam indubitata teſtimonia colligere uelle calumnias, ex Epiſcoporum ſcriptis, ſiue noſtrorum, ſiue Hilarij, ſiue Cypriani, & Agryppini, antequàm pars Donati ſepararetur. Primoque hoc genus literarum ab auctoritate canonum diſtinguendum eſt: non enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, ut contrà ſentire nō liceat, ſicubi fortè aliter ſapuerunt, quàm ueritas poſtulat: in eo quippe numero ſumus, ut non dedignemur, etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere. Et ſiquid aliter ſapitis, & hoc quoque uobis Deus reuelauit. Tale eſt & illud, quod ad Fortunatianum Epiſcopum alibi ſcribit, Neque quorumlibet (inquit) diſputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, ueluti ſcripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcripturis improbare atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm ueritas habet, diuino adiutorio uel ab aliis intellecta, uel à nobis. Et ne ſua uideatur ſtatuere, dum aliorum ſcriptis auctoritatem derogat, Noli meis (inquit) literis, quaſi canonicis ſcripturis deſeruire, ſed in illis, & quæ non credebas, cum inueneris, incunctanter crede, in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere. Immo uerò ita ipſe de ſe confitetur ingenuè, Negare nō poſſum nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio & nulla temeritate culpari. Quæ uerba tum de ſe, qui tamen ingentes diuinæ & humanæ ſapientiæ theſauros aperuit, tum de reliquis, quos ipſe maiores appellat, non modò modeſtè, ſed uerè confitetur. Nam, ut multa, quæ poſſemus afferre, conſultò omittantur, quis neſciat fuiſſe olim (ſancto zelo crediderim) inter eorum præcipuos, de quibuſdam non omnino futilibus rebus grauiſsima iurgia, & contrarias ſententias, quas ſimul ueras eſſe, nulla ratio permittit? ab Auguſtino Hieronymus in ſimulatione legalium non obſcurè diſſentit; Epiphanius, Chryſoſtomus, Theophilus, Cyrillus, Iſidorus, Peluſiotes & eius ſæculi celeberrimi quique, ſuo diſsidio Eccleſiam Græcam concuſſerunt; ſunt & multa alia in ſanctorum ſcriptis, prorſus contraria, quæ ſimul eſſe uera non poſſunt. multa ignorarunt, quæ poſtea angeſcente Eccleſiaſtici luminis ſplendore patuerūt. nec enim omnia ſimul accepit Eccleſia, ſed pro rerum emergentium neceſsitate, diuinam illuſtrationem promeruit. Decreuit olim cum uniuerſa Africanorum Epiſcoporum Eccleſia, Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, præter eruditionem, uitæ ſanctitate & martyrio conſpicuus, Hæreticorum baptiſma non conferre ſalutem: quam ſententiam Stephanus Pontifex, quòd eſſet Euangelio contraria, continuò colliſit. Spiritum ſanctum à filio procedere, bona pars Eccleſiæ Græcæ ignorauit: eundem à Patre & Filio tanquam ab uno principio produci, & Græci & Latini, poſt multa ſæcula, Eccleſia reuelante cognouerunt. His profectò, & ſimilibus multis, ſine fidei & ſanctitatis diſcrimine, ſancti patres uaria ſentire potuerunt, quòd ſcilicet hæreticum dogma hominem hæreticum non faciat, ſed illi iuncta pertinacia, & inuicta rebellio. Ad hæc ſancti

Hæretici ſacra Biblia, noſtra memoria, corruperunt. In epiſt. ad Hieron. & diſtinc. 9. c. Ego ſolis.

Lib. 2. de bap. par. cont Donatist. c. 3.

Epiſt. 48. cōt. Donat.

Aug. epiſto. 3.

Lib. 3. de Trinitate cap. 1.

Concil. Carthag. prim.

In concilio Lugdun. de Sum. trinit. & fide cathol. lib. 6. c. Fideli.

auctores,

auctores, pro ſui ſæculi candore etſi uera & ex Eccleſiaſtico ſenſu, obſcurius tamen, & minus propriè, quàm mens hæretica pro ſua prauitate requirat, non pauca dixerunt. Lib. 9. de Trinitate. Tale eſt quod Hilarius filium minorem patre, quòd ab eo generetur, ſcribit. Quod ſi non ex ſancta illa ſinceritate interpreteris, Arrianũ dogma confirmare uidebitur. Tale eſt quod idem auctor libro de Synodis, eos qui non conſilio & uolũtate genitum Filium crediderint, anathemate percutit. quod tamen, ſi de antecedente uoluntate, quæ ſola conſilio ducitur, uelis accipere, filium Dei, creaturam fateberis. Innumeræ ſunt in ſanctis auctoribus formæ loquendi, quas ſi ad exactam ſermonis rationem exegeris, probare non poteris, nimirum quòd nondũ hæreticorum, in ea re, de qua agitur, ſæuiente perfidia, ſæculorum candor, planam illam rationem loquendi permitteret.

Illud demum oportet aduertere (quod tamen apud eoſdem latiſsimè patet) ſanctos auctores plerunque, pro rerum & temporum opportunitate, & conditione loquutos, quod & ipſa eloquentiæ præcepta à prudentia deriuata docere uidentur. Hac, niſi præuia conſideratione eorundem ſcripta, præſertim Auguſtini in Pelagianos acceperis, Lutherana de liberi arbitrij impotentia ad rectè operandum, & uitanda peccata, ſtatuetur inſania. adeò illi efferebant libertatem arbitrij, ut eorum ſententia, ſine diuina gratia, & ad peccata cauenda & rectè operandum facultas ſuppeteret. contrà Eccleſiaſtici auctores, adeò uires humanas extenuant, ut nihil niſi peccata poſſe per ſeipſas præſtare uideantur docere. Non quòd ita ſentirent, (abſit) ſed quòd id ipſum hæretici dogmatis, totam ſalutem naturæ tribuentis, poſtularet occaſio. Nam quemadmodum ad medium, in quo ſolo uirtutis ratio ſita eſt, attingendum, in illud, in quod uel uitio, uel natura ſumus propenſi, contrarium extremum, inclinandum eſſe docent uirtutis magiſtri, ita rectè in fidei inſtitutione, Eccleſiaſtico doctori faciendum, rationis pari- 2. Ethi. c. 9. litas admonet, Longe (inquit Ariſtoteles) à delinquendo ſecedentes, ad ipſum tandem medium accedemus, ut ſolent hi facere, qui lignorum, ea, quæ ſunt obliqua, ad rectitudinem redigunt. Ex eadem ſagaciſsima diſputandi ratione, neque etiam propter mortalitatem aſſumptam ueteres auctores Chriſtum eſſe creaturam, Arrianis noluerunt concedere, quòd tamen poſterioribus ſæculis, idiomatum communicatione, probatiſſimis theologis non omnino diſplicuit. Ex eadem quoque, ſic Hierony. contra Iouinianum inuehitur, ut nuptiarum dãnatoribus Encrathitis fauere, quibuſdam uideatur, dum ita caſtitatẽ effert, ut matrimonio uideatur detrahere. Talia ſunt, & alia multa in ſanctorum ſcriptis, quæ niſi pro temporum & hæreſum, quas profligabant, ratione hyperbolicè acceperis, in contrarium errorem confeſtim incideris. Non igitur infallibile ſignum catholici dogmatis habetur, cum pro eodem ſanctorum libris multi loci eruuntur.

Quòd nec ſanctitatis externa ſpecies, certum ſit ueri magiſterij indicium. Cap. V.

QVintus hæretici dogmatis fucus, quo ſimplices faſcinantur, eſſe ſolet externa quædam ſanctitatis imago, qua nonnunquam Satanas falſæ doctrinæ miniſtros coram mundo depingit. ſcit is nimirum tum externum ſermonem fortiſsimè pungere, cùm uitæ puritas cum doctrina coniungitur, & proprij mores prædicationi reſpondent. Ariſt. 10. Ethic. c. 1. ſcit ſermones minus credi quàm opera, & tunc demum ſperni, cum ab operibus diſſonant. ſcit luporum imagine diu, falſos prophetas in greges dominicos graſſari non poſſe, & niſi ad eos in ouium ueſtimentis mittantur, citò detegendam malitiam. Adornat ergo ſagaciſsimè ſuos externa quadam ſanctitatis hypocriſi, quò mundo probentur, & ſaltem propter uitæ ſpeciem apud plebes indoctas uenentur applauſum. Peſsima profectò uita hæretico detogat fidem. contrà, quantò integrior, tantò nocentior: nimirum quòd ouina pelle tectus,

Occultam uapido celet ſub pectore uulpem.

Quam diaboli aſtutiam, non tam prolixo quam iocundo ſermone Origenes Adamantius deſcribit in illa uerba Ezechielis, Sumens de ueſtimentis meis, feciſti tibi excelſa, Homil. 7. in Ezech. accepiſti ueſtimenta uaria, & aperuiſti illa, &c. Varia ueſtis, inquit, Eſt & hic unus in

ſcripturis

ſcripturis locus, quo induimur aſſumentes uiſcera miſericordiæ, benignitatis, humilitatis, manſuetudinis, longanimitatis ad ſufferendum inuicem: has uarias ueſtes & pulchros amictus, quos nobis largitus eſt Deus, ſi laceramus, atque concidimus & circundamus falſæ doctrinæ ad deceptionem hominum, non dubium eſt, quin uariis ueſtibus operiamus Idola. Intelliges hoc, quod dicitur, ſi ipſam rem manifeſtius deſcribamus. uide mihi aliquem Marcioniſtam ſiue diſcipulum Valentini, aut certè cuiuslibet hæreſis defenſorem; & conſidera, quomodo Idola ſua, ideſt figmenta, quæ ipſe compoſuit, manſuetudine, & caſtitate ueſtiat, ut in aures audientium, facilius ex uitæ bonitate ornatus ſermo ſubrepat, & cùm hoc fecerit, intellige eum aſſumpſiſſe ueſtem uariam morum & cōuerſationis optimæ, & idolis ſubieciſſe, quæ ipſe contraxit. ac iuxta mei quidem animi ſenſum, multò nocentior eſt hæreticus bonæ uitæ, & plus in doctrina ſua habet auctoritatis, eo, qui doctrinam conuerſatione maculet. qui enim uitæ peſsimæ eſt, non facilè homines ad falſum dogma ſolicitat, nec poteſt per umbram ſanctitatis, audientium decipere ſimplicitatem: qui uerò ſermone peruerſus eſt & in diſciplinis ſaluti contrariis, mores autem compoſitos & ornatos habet, nihil facit aliud, niſi accipit indumenta uaria inſtituti boni & conuerſationis quietæ, & circundat ea idolis ſuis, ut magis decipiat audientes. Idcircò ſolicitè audiamus hæreticos, qui conuerſationis optimæ ſunt, quorum fortè uitam, non tam Deus quàm diabolus inſtruxit. Nam quomodo quaſdam illecebras, eſcarum aucupes ponunt, ut facilius aues capiant per oblectamentum gulæ, ſic (ut audentius dicamus) & eſt quædam caſtitas diaboli, ideſt decipula humanæ animæ, ut per iſtiuſmodi caſtitatem & manſuetudinem, & iuſtitiam poſsit facilius capere, & falſis ſermonibus irretire. Diuerſis diabolus pugnat inſidiis, ut miſerum perdat hominem, & bonam malis tribuit uitam, ad decipiendos uidentes, & malam bonis inutit conſcientiam. Mihi ipſi, qui in Eccleſia prædico, laqueos ſæpe tendit, ut totam Eccleſiam ex mea conuerſatione confundat: & ideò plus hi, qui ſunt in medio oppugnantur ab inimico, ut per ruinam unius hominis, quæ celari non poteſt, omnibus ſcandalum fiat: & impediatur fides, per conuerſationem peſsimam clericorum. Omnia, ut diximus, diabolus, quæ per naturam ſuam mala ſunt, aduerſum humanam commentatur animam. Hactenus Origenes. Quam ſententiam & Satanas ipſe, Deo compellente, per quendam ex ſuis ſatellitibus apud Auguſtinum confirmat. *Verba ſunt*
Hæc eſt, inquit, uera diaboli conſuetudo, ita demum decipere, ſi ſibimet uendicet uocabulum ſanctitatis. *Petiliani apud Augu. cap. 18.* Sic olim Manichæorum, ut refert idem Auguſtinus, duæ maximè erant illecebræ, quibus decipiebantur incauti, ut uellent eos habere doctores, Vna cùm ſcripturas reprehendunt, uel quas malè intelligunt, uel quas malè intelligi uolunt: *Aug. de mo rib. eccleſi. lib. 1. c. 1.* Altera cùm uitæ caſtæ & memorabilis continentiæ imaginem præferunt. Arrius ſecundum externam ſpeciem compoſitæ uitæ fuiſſe memoratur: ſic enim de illo ſcribitur. *Hiſto. trip. lib. 7. c. 20.* Presbyter quidam apud Alexandriam nomine Arrius, uir forma magis quàm uirtute religioſus, ſed gloriæ laudiſque & nouitatis improbæ. Agelium Nouatianorum Epiſcopum, integræ conuerſationis fuiſſe, docent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Euſtathium, qui cauſam ſynodo Gangrenſi ſubminiſtrauit, tanta externæ ſanctitatis ſpecie ſplenduiſſe memoriæ prodiderunt, ut & apud Armenias, Paphlagoniam, & Pontum, monaſticæ uitæ auctor extiterit, & uacanti Sebaſtienſi eccleſiæ, tricenis Epiſcopis & presbyteris approbantibus, fuerit præfectus. *Socr. lib. 2. c. 43. lib. 4. cap. 9. Sozomen. lib. 3. c. 14. Nicephor. lib. 9. c. 16. & c. 45.* Apoſtolicos hæreticos, de paupertate & inopia gloriari, & ab omnium rerum corruptibilium renunciatione ἀποτακτικοὺς ſeſe uocaſſe, & Valeſios ob eximium caſtitatis amorem, ſeipſos excindere, Epiphanius ſcribit. Refert & idem Audianos, in monaſteriis habitationem habere, & ad ſolitudines ſecedentes, monaſticum contubernium colere. Fuerunt & hæretici, qui horrenda flagellatione, proprium ſanguinem funderent, & demum, ut Eraſ. docet, Manichæorum prodigioſa narratur abſtinentia, atque etiam continentia: opes aſpernantur Ebionitæ; iugiter orant Pſaliani; in deſertis locis uiuebant Antropomorphitæ, canabeis tegebantur; ieiuniis & laboribus macerabant carnem; Priſcilianus & hæretici Encratitæ carnes non comedebant. Hinc illa inſolentiſsima nomina, quibus hæreticorum quidam Angelicos, quòd angelicam uitam in terris ducerent, Apoſtolicos, quòd Apoſtolicam perfectionem exterius exprimerent, Catharos, id eſt puros, & à peccatorum ſordibus mundos, Euchitas, id eſt, orantes, aut ſupplices ſeſe uocitarunt. *Euthim. Zigaben. in panoplia. tit. 22.*

Neque uerò ſolo externo uirtutis fuco tantùm falſæ religionis magiſtros diabolus cohoneſtat, ſed plerunque uel eius ſtudio, uel diuino iudicio, cum tamen ſint uaſa iræ
Roma.9. in interitum præparata, ad maiorem ſui damnationem, & acerbiorem fidelium tentationem, faſtigium ueræ ſanctitatis permittuntur aſcendere. Sic olim Nicolaus ille,
Act.6. unus ex ſeptem Apoſtolicis Diaconis, inter illos non fictè ſed uerè, Spiritu ſancto plenus, omnium, quæ hucuſque ſurrexerunt fœdiſſimæ & teterrimæ hæreſis auctor fuiſſe,
Lib. contra hær.c.25. memoriæ proditur. Nicolaus, inquit Epiphanius, fuit de ſeptem Diaconis electis ab Apoſtolis, unà cum ſancto Stephano primo martyre, & Prochoro, & Parmena, atque aliis. Hic ab Antiochia originem ducens, Proſelytus acceſſorius fuit. Poſtea uerò, ubi ſuſcepiſſet ſermonem de prædicatione, etiam ipſe coniunctus eſt diſcipulis, & inter præcipuos primas obtinuit. atque hic inter electos ad uiduarum curam electus, tum connumeratus eſt. Poſtea uerò, in ipſum ſubiit diabolus, & decepit cor ipſius, eodem cum prædictis errore, ita ut amplius prioribus illis ſauciaretur. Nam cùm hic haberet uxorem formoſam, & ab ipſa ſe continuiſſet, ad imitationem eorum, quos Deo addictos uidebat, aliquatenus tolerabat, non tamen in fine, ſuæ intemperantiæ dominari potuit, ſed uolens uelut canis ad proprium uomitum reuerti, prætextus quoſdam non ita bonos ſibiipſi uenans excogitabat, ad proprij affectus & petulantiæ defenſionem, ea, quæ magis ipſi conferebant. Deinde igitur à propoſito lapſus, cum propria uxore coibat minimè curioſè: poſtea uerò erubeſcens ſe uictum eſſe, & ueritus deprahendi, audebat dicere, niſi quis ſingulis diebus Venerem exerceret, non poſſe participem fieri uitæ æternæ: & ex alio ad alium prætextum confugit. nam cum uideret coniugem ſuam pulchritudine quidem decoram, uerùm humilitate ferri, zelotypus ergo in hanc effectus eſt, & de aliis ex propria petulantia iudicans, primum inſultum in propriam uxorem faciebat calumnias quidem ipſi inferens per ſermones. Tandem uerò ſeipſum detraxit, non ſolùm in uſum carnis, qui eſt hominibus ſecundum naturam, ſed etiam in blaſphemiam ſuſpicionem & peruerſi moris detrimentum, & maligni erroris ingreſſum, atque hinc, ij, qui falsò appellatam ſcientiam iactant, in mundo exoriri cœperunt, Gnoſtici, inquam, & Fibionitæ, & Epiphaniis ſectatores appellati, Arariotici que & Leuitici, & alij plures hæretici. Hæc de Nicolao Diacono Epiphanius. Quamuis ſciam
Lib.3.Eccl. hiſt.c.29. Clemē. Alexād. lib.3. Stromat. Euſebium Cæſarien. ex Clemente Alexandrino, aliud quiddam de Nicolao ſcripſiſſe. De Bardeſane Syro ita ſcribit idem Epiphan. Bardeſanes ex quo hæreſis Bardeſianiſtarum orta eſt, ex Meſopotamia, ſecundum genus ex habitantibus ciuitatem Edeſſenorum extitit, qui primò quidem optimus uir fuit, & non paucos libros conſcripſit, quādo ſanam mentem habebat. Hactenus Epiphanius. Multa ſunt in Eccleſiaſticis hiſtoriis, huiuſmodi exempla, quibus non tantùm falſam ſanctitatis imaginem, in hoc genere hominum diabolum ſimplicibus, & incautis hominibus offundere cernitur, ſed & nonnunquam, uera morum ſanctimonia lethale falſæ religionis uirus abſcondere, eademque quaſi uaſe quodam aureo, in certam perniciem eiſdem propinare. Nouit Deus ex malis bona producere, nouit & diabolus, ex bonis, immo ex ipſa ſanctitate, mala pro ſua malignitate proferre. Ab hoc hæreticorum genere, quos nouiſſimis temporibus non paucos futurus præuidebat, quòd nimirum ſint cæteris omnibus peſtilentio-
1.Tim.3. res, Paulus Apoſtolus cauere nos admonet. Hoc autem, inquit, ad Timotheum ſcribens, ſcito, quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, non obedientes parentibus, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, uoluptatum amatores magis quàm Dei. Ecce hæreticorum peſtilentiſsima uitia, uerique mores, quibus uel ipſis dæmonibus odioſiſsimi fierent, iam audi, quo uelo qua'ue nube iſta tegentes, diſsimulent. Habentes, ait, ſpeciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes, & hos deuita. Speciem pietatis appellabat Apoſtolus, externam quandam ſanctitatis laruam, qua perditi homines illadem illam uitiorum obnubunt, quò pernicioſi ueneni propinandi ſimplicibus, aditus pateat. Quis horum eleemoſynas largiſsimas, ieiunia, exterminatas facies, non
Hierony. aduer. Luciferi. in Ioel. admiretur? Quis horum ſimulatam continentiam non omnino ſuſpiciat? Veræ ergo religionis amator aduertat, non ſtatim, qui ieiunat, ut Hieronymus inquit, Deo ieiunare; aut pauperi extendentem manum, Deo fœnerare. Ieiunat (ait idem) Manichæus,

chæus, & multi hæretici, maximeque Encratitæ, ſed hoc ieiunium ſaturitate & ebrietate peius eſt, externa quidem pietatis ſpecies, cum animi pietate coniungitur ad promouendam prædicationem. magnopere prodeſt, (fateor) uerùm non adeò ab ea pendere debet homo catholicus, ut eandem ueræ religionis regulam ſequatur, ſed ſciat plerunque cum mala doctrina, bonam ſecundum exteriorem ſpeciem, uitam poſſe manere, quemadmodum & mala uita bonam quoque doctrinam compatitur. Qui curam habet uitæ ſuæ, (inquit Origenes) neque manſuetudine hæreticorum capitur ad conſentiendum doctrinæ eorum, neque meis delictis, qui uideor in Eccleſia prædicare, ſcandalizabitur, ſed ipſum dogma conſiderans, & pertractans Eccleſiæ fidem, à me quidem auerſabitur, doctrinam uerò ſuſcipiet, ſecundum præceptum Domini, qui ait, Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia quæcunque uobis dicunt, audite, & facite: dicunt quippe & non faciunt. Iſte ſermo de me quidem eſt, qui bona doceo, & contraria gero, & ſum ſedens ſuper cathedram Moſi & Phariſæus. Præceptum tibi eſt popule, ſi non habueris accuſatorem doctrinæ peſſimæ, & alienorum dogmatum, conſpexeris uerò meam culpabilem uitam atque peccata ut non habeas iuxta docentis uitam, tuam inſtituere, ſed ea facere, quæ loquor. Nullum imitemur, & ſi uolumus imitari quempiam, propoſitus eſt nobis ad imitandum Chriſtus. Deſcripti ſunt Actus Apoſtolorum, & Prophetarum geſta, de factis uoluminibus agnoſcimus, illud exemplar firmum eſt, illud propoſitum ſolidum, quod qui ſequi cupit, ſecurus ingreditur. Si uerò quærimus culpabiles ad æmulandum, ut cum dicimus, ille docet, & iis, quæ docet, facit ipſe contraria, aduerſum præceptum Domini facimus, qui mandauit doctrinas magiſtrorum magis conſiderari, quàm uitas. Hæc Origenes. Quæ uerba profectò catholico uiro magnopere eſſent expendenda, ut non poſt quorundam ambitioſulæ ſanctitatis externæ tenuiſsimam auram, Catholicorum prædicatorum fortè peccatis offenſus, confeſtim abiret. Non occupat (mihi crede) hæreſis ſine cæterorum uitiorum caterua humanam mentem. Si quis dicat, quia hæreticus eſt, (ait Auguſtinus) non poteſt hoc ſolum eſſe, quin & alia conſequantur. Carnalis eſt enim & animalis, ac per hoc æmulus ſit, neceſſe eſt, & animoſus, & inuidus, & inimicus ipſi ueritati, ab eaque diſſentiens. Hæc Auguſt. Verùm hoc inter prædicatorem hæreticum, extrema tamen ſanctitatis hypocriſi fucatum, & catholicum uerbi miniſtrum, peccatorem tamen, referre crediderim, quòd ille uulpina illa caliditate, intus latentia peccata, per quorundam in ſpeciem bonorum præſtigias, quominus agnoſcantur, abſcondit. Eſt enim hæreticus omnis uafer, & magna quadam ſagacitate uerſutus: contrà Catholici, peccata, quòd ea caliditate non polleant, abſcondere neſciunt, ſed quadam uitæ ſimplicitate tales hominibus apparent, quales intus exiſtunt. Caueamus itaque à falſis iſtis prophetis, qui ueniunt ad nos in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: non enim ueniunt niſi ut ſub iſta ſanctitatis imagine furentur, mactent & perdant. Quæ ſunt (inquit Chryſoſtomus) ueſtimenta ouilia? ſpecies, uidelicet ſimulatæ religionis, & eleemoſyna ſimulata: ueſtimentum ouile eſt, non opus ouile, & coæternæ ſpecies pietatis, quibus ſe ueſtiunt lupi rapaces. Nulla autem res ſic exterminat bonum, quemadmodum ſimulatum bonum. nam manifeſtum malum, quaſi malum fugitur, & cauetur: malum autem & ſub ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur nec cauetur; ſed quaſi bonum ſuſcipitur, & ideò coniunctum bono, exterminat bonum: ſic ſerui diaboli tum potiſsimè Chriſtianitatem corrumpunt, quando ſe ſimulant Chriſtianos. de quibus admonet diſcipulos ſuos Chriſtus; magis autem nos omnes per illos, Attendite à falſis prophetis. Hæc ita Chryſoſtomus & alia multa illo loco, quæ ad præſentem materiam commodiſsimè faciunt. Verùm iſta de hoc hæretico dolo dixiſſe ſufficiat.

Homil. 7. in Ezech.

Libro 4. de bap. contra Donatis. cap. 10.

Matth. 7.

Ioan. 10.

Homil. 19. in Matth.

Qq ij Quòd

Quòd nec martyrium, & mors pro Chriſto tolerata, ueræ doctrinæ ac magiſterij ſit certa nota. Cap. VI.

TAnta eſt diabolicæ fraudis potentia, ut martyrio quoque & mortis pro Chriſto ſpontaneæ tolerationi fidem derogauerit, & incertam ueri magiſterij notam ſua uſurpatione reddiderit. Nam, ut hos omittamus, quos non pro Chriſto, ſed pro ſuis ſacrilegis inuentionibus, quibus communem & Eccleſiaſticam fidem uiolarunt, dignas inuictis animis & peruerſa animi obſtinatione, tum ſacris, tum ciuilibus magiſtratibus pœnas hiſce annis, apud uarias Europæ prouincias dederunt, quorum execrabiles mortes multi hæretici auctores, in magna uolumina, Martyrum tanquam redegerunt, quis neſciat ingentes olim hæreticorum greges, à gentium magiſtratibus, Chriſti nomine ultimo ſupplicio affectos, & eos quemadmodū ueræ religionis cultores, pro Chriſto quoq;
Lib. 5. Eccl. hiſt. c. 16. mortem toleraſſe? Claudius Apollinaris Hierapolites, apud Euſebium, de his hæreticis, qui ſe iactabant, quòd multi Martyres ex eorum hæreſi extitiſſent, ſic ſcribit, Cum in omnibus, quæ ſuprà diximus, conuicti (loquitur autem de his locis ſcripturæ & rationibus, quæ à catholicis illis obtrudebantur) nihil reſpondere potuerint, ad Martyres confugiunt, dicentes, multos ſe habere Martyres, & hoc eſſe indicium quòd uerus ſit apud eos propheticus ſpiritus. Quid ergo quòd multi alij hæretici plurimos Martyres habent, ideò acquieſcendum eſt eis, quòd etiam ueritas apud ipſos ſit? nam primò qui dicuntur Marcioniſtæ, habent plures martyres, ſed quæ eſſe poterit apud eos martyrij ueritas, ubi Chriſti ueritas non eſt? Et poſt aliquanta, iterum ſubiungit, Denique & ſancti Martyres, qui pro uera fide martyrium ducunt, cum de Eccleſia procedentes ad paſsionem ducuntur, ſi qui fortè inuenti fuerint de hæreſi Phrygum, ſecernunt ſe ab eis, & reſpuunt eorum ſocietatem: nec ullo genere, cum iam martyrij palmam teneant, ſpiritui Montani & Maximillæ acquieſcendum putant, ſicut & noſtris temporibus apud Apamiam, quæ eſt ſupra Mæandrum poſita, geſtum ſcimus, Caio & Alexandro, qui de Eumenia Martyres extiterunt. Hactenus apud Euſebium Apollinaris. Eſt ergo non noua, ſed antiqua diaboli techna falſas & hæreticas doctrinas martyrio ac mortis toleratione uenerabiles reddere, ut ibi ueritas religionis eſſe exiſtimetur, ubi nec ipſi uitæ propter Chriſtum quis parcit, & ibi uerum Chriſti magiſterium quis credat, ubi non modò pater, mater, uxor, filij, & ſorores, ſed & anima quoque propter eūdem Chri-
Lucæ 14. ſtum uoluntariè dimittitur iuxta illud, Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & ſorores, adhuc autē & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

FVISSE uerò multos ex hæreticis & damnatis factionibus, Martyres, concilij Laodi-
Canon. 34. ceni canones apertè teſtantur. Non oportet omnino (aiunt illi patres) derelictis Martyribus Chriſti, abire ad falſos Martyres: hi enim alieni à Deo ſunt. Metrodorus Marcionis errorem ſequutus, apud Smyrnam à perſecutoribus captus, cum presbyter eſſe iudicaretur, niuus combuſtus eſt, ut docet Euſebius. Referuntur apud Eccleſiaſticos auctores & alij complures, qui, morte pro Chriſto tolerata, ſuas hæreticas inſanias illuſtres reddiderunt. Quanquàm perſuaderi non poteſt, eorum hominum, qui hæretica procacitate cum ipſa uitæ communione Eccleſiaſticum iugum & obedientiam excuſſerint, cruciatus, Chriſti fuiſſe martyria, ſed potius pro ingentibus, quæ in ciuiles magiſtratus & politicas leges deſignabant, facinoribus, peccatorum ſupplicia. Nam quòd ita ſit, quorundam hæreticorum, qui à præfectis gentilium ſunt puniti, hiſtoriæ teſtan-
Euſeb li. 5. cap. 18. tur. Themiſon aſſecla Maximillæ (ait apud Euſebium Apollonius) qui indubitata auaritia circundatus, confeſsionis ſignum non guſtauit, ſed multa ſe pecunia uinculis exemit, cum ipſi ob eam cauſam humiliter fuiſſet agendum, quaſi Martyr, gloriabundus, ad exemplum Apoſtoli, catholicam quandam epiſtolam auſus eſt ſcribere, & eos inſtituere, qui melius quàm ipſe credebant, & hortari ut unà ſecum pro nouis doctrinis decertarent, ac dominum & Apoſtolos eius & ſanctam Eccleſiam blaſphemarent. Hactenus Apollonius. De Alexandro uerò eius factionis hæretico, cum Cataphrygis loquens, eodem loco ſic ſcribit idem Apollonius, Verùm ne in pluribus immoremur, di-

cite nobis de Alexandro, qui ſemetipſum Martyrem dicit, quem conuiuam habet
hæc prophetiſſa, quem adorat ut Deum; non'ne hic pro latrociniis, aliiſque nefariis
actibus, reus extitit? Non nos dicimus, ſed acta hæc publica continent. Quis ergo eo-
rum, cui donat peccata prophetiſſa, ignoſcet Martyri latrocinia? an Martyri ignoſcit
prophetiſſæ rapacitas, & auaritiæ crimina? Cum enim dominus dixerit, Nolite habe-
re aurum, neque pecuniam, neque duas tunicas, iſti in omnibus contraria gerunt acqui-
rentes & congregantes ea, quæ Dominus etiam habentes iuſsit abiicere. Probamus
nanque eos, qui apud eos uel prophetæ, uel martyres nominantur, non ſolùm à diui-
tibus, ſed etiam à pauperibus, pupillis, ac uiduis pecunias cóngregare. Aut ſi habent
confidentiam, adſint, & pro his habeant nobiſcum diſceptationem, ut ſi conuicti fue-
rint, uel de cætero deſinant talibus ſe implicare cómerciis: oportet enim ex fructibus
uel agnoſci, uel etiam probari prophetam, ſicut & Dominus dixit, Quia Arbor ex fru-
ctibus cognoſcitur, & propheta uerus probatur ex fructibus. Vt autem de Alexandro cer
tius cognoſcatur, ſciendum eſt, quia iudicatus eſt apud Aemilium Frontinum procon-
ſulem Epheſi, non propter nomen Chriſti, ſed propter quædam latrocinia: nam de
Chriſti nomine iam apoſtata extiterat. Sed poſt hæc ut fideles quidam, fratres, qui per
illud tempus apud iudicem aliquid poterant, pro ipſo intercederent, ſimulauit ſe pro-
pter nomen domini laborare, & per hoc dimittitur, nec tamen in eccleſia patriæ ſuæ re-
ceptus eſt, ubi latro eſſe, ab omnibus noſcebatur. Quòd ſi quis fortè, minus his, quæ
dicimus, accommodandam exiſtimat fidem, in archiuiis publicis apud Epheſum geſta
ſeruantur. Hactenus de Alexandro Cataphrygum Martyre Apollonius. Non igitur pro-
pter Chriſtum & Euangelicam legem hæretici Martyres, ſed propter ſua ſcelera & fla-
gitia, quibus inſignes erant, tolerabant ſupplicia. immo non modò uitæ turpitudine
ac propriis ſceleribus legum ciuilium pœnas promerebantur, ſed in reliquos quoque ue-
ros Chriſtianos, reſpublicas ac ciuiles magiſtratus prouocabant. Quis enim neſcit hor *Tertull. in*
rẽdam illam infamiam de infanticidiis & promiſcuo poſt luminum extinctionem coitu, *apolo.*
qua toto illo primo ſæculo ab omnibus Chriſtianis laboratum eſt, ex Gnoſticorum, *Iuſtin. mar*
Nicolaitarum & Carpocratianorum ſcelerata uita deriuatam fuiſſe. immo uerò cùm *tyr, in 2.*
Chriſtiana uita omnibus mortalibus eſſet amabilis, nec ui aut fraude in eius ſæculi Chri- *apolo.*
ſtianos Satanæ furor quicquam poſſet, omnium ſæculorum turpiſsimis & obſcœniſsi-
mis inuentis hæreſibus, totum nomen Chriſtianum apud gentes ita fecit inuiſum, ut to- *Tertull. de*
to illo primo ſæculo, non modò deorum & propriæ religionis aſſertor, ſed naturæ quo- *præſcri. hære.*
que uindex, quicunq; eos atrocius fuiſſet perſecutus, putaretur ab omnibus. Quæ cum *Theodor.*
ita quidem frequenter ſe habeant, haud tamen ignoro, tantam eſſe diaboli aſtutiam, ut *de hære.*
nonnunquam tamen ad fideles efficacius decipiendos externam uitæ ſanctitatem cum *Fab. lib. 1.*
martyrio coniungat. Nam ſi mors pro Chriſto aut Chriſti nomine tolerata, ſemper eſſet *Epiphan,*
ſancti ſpiritus opus, nequaquam Paulus dixiſſet, Si tradidero corpus meum ita ut ar- *ſ Gnoſticos,*
deam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas profectò cum ad *Irene. &c.*
proximum habeatur, potiſsimè uerò ad totius Eccleſiaſtici corporis ſtructuram dirigi- *1. Cor. 13.*
tur. Qui ergo corpus ſuum ſine Eccleſiaſtici corporis charitate ſacrificat, nihil illi pro- *Auguſt.*
deſt: eſt igitur non Dei, ſed quo alios decipiat, diaboli opus. *tract. in pſal. 43.*

Quòd neque miraculorum exhibitio, ueri magiſterii ſit certa nota. Cap. VII.

DE ſeptimo iam & poſtremo omniumque ad humanas mentes concutien-
das & in errorem mittendas potentiſsimo fuco, pauca loquamur. Is ue-
rò eſt miraculorum operandorum potentia, quam uel in peccatorum
perniciem, uel in iuſtorum exactiſsimum examen, Deus falſæ doctrinæ
miniſtris nonnunquam indulget. Nam præter id, quod de Eutichiano
Nouatiano & eius miraculis, non falſis, ſed ueriſsimis, quorumq; teſtis
multorum Conſtantinus magnus Imperator fuiſſe dicitur, Sozomenus & alij quidam *Lib. 1. c. 14*
Eccleſiaſtici memoriæ prodiderunt ſcriptores, apertè ſunt in hac parte Chriſti & Apo-
ſtolicæ præmonitiones, quibus uerorum Chriſtianorum, quò minùs in hac parte circú-

 ueniantur,

ueniantur, aduerſus hunc diaboli fucum, animi præparantur. Tunc (inquit Apoſtolus
2. Theſ. 2. Paul. de nouiſsimis temporibus loquens) reuelabitur ille iniquus (Antichriſtus nimirum) quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, eum, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, in omni uirtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, iis, qui pereunt, eo quòd charitatem ueritatis non receperunt, ut ſalui fierent. Idem de eodem hæreticorum capite ſub imagine beſtiæ, Ioann. Apoſtol. in ſua reuelatione ſic refert, Vidi beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut
Apocal. 13. draco &c. Et ſubinde, Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram, in conſpectu hominum, & ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ. Cornu, ſanctæ ſcripturæ communi phraſi, robur aut fortitudinem metaphorica ſignificatione deſignat, quòd eorum, quæ cornua poſsident, animalium in ipſis cornibus tota ſita ſit uirtus. Duo igitur cornua, duo, in quibus huius beſtiæ & ſuorum miniſtrorum ſitum eſt robur, prædicationem & miracula,
Mar. ult. iuxta illud, Sermonem confirmante ſequentibus ſignis, Euangeliſta prophetico ſpiritu afflatus, proculdubio deſignat. Hæc uerò non eadem, ſed ſimilia agni cornibus eſſe di-
In epiſt. ad Theſſal. 2. cap. 2. cuntur, quòd ſcilicet & ipſa prædicatione, & miraculis fallant. Aut enim, quæ exhibent, non ſunt uera miracula, aut ſi ſunt, mendacia tamen ſigna & fallacia dicuntur, ut docet Anſelmus, quòd illis peccatores in errorem mittantur. Surgent, apud Matthæum ait Chriſtus, de illis nouiſsimis ſæculis loquens, Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna. Non inutilia, inquit Chryſoſt. neq; uana, quæ miniſtri diaboli facere ſolent, ſed magna, ideſt, utilia & plena, quæ ſancti facere ſolebant. Nam in tempore quidem Apoſtolorum, & poſtmodum; miniſtri quidem Chriſti utilia & plena ſigna faciebant ex parte dextra: qualia ſunt cæcos illuminare, & alia huiuſmodi facere: miniſtri autem diaboli inutilia faciebant, & uana ex parte ſiniſtra, quæ admirationum quidem uidentibus excitarent, ad utilitatem uerò nullius proficerent. Erat inter miniſtros diaboli & miniſtros Chriſti ex hoc iudicare, & qui utilia, & qui inutilia facerent ſigna; in fine autem temporis, concedenda eſt poteſtas diabolo, ſicut in hiſtoria Clementis Petrus exponit, ut faciat ſigna utilia, & ex ea parte, qua prius facere conſueuerunt ſancti, ut iam miniſtros Chriſti non per hoc cognoſcamus, quia utilia faciunt ſigna. Hactenus Chryſoſt. Non poteſt profectò ulterius in ſuis adornandis miniſtris, Satanica poteſtas procedere, quàm ut proprium diuinæ prædicationis ſigillum, in eiſdem furetur. Verbum Dei furatur cùm ſanctam ſcripturam, & ſanctorum ſcripta in hæreticas blaſphemias aſtruendas detorquet: ſubſcriptionem furatur, cùm ficta uitæ ſanctimonia & ſimulata charitatis ſpecie, exterius ſpecioſus oſtentat ſigillum; quod omnium maximè fidem conciliare ſolet: furatur cùm ſigna, quæ ſolam diuinam potentiam & præſentiam, quaſi chirographa quædam atteſtari uidentur, ita Deo permittente in ſuarum blaſphemarum comprobationem uſurpat. Diaboli profectò mendacia per ſeipſa credi non poſſunt, niſi illis ſanctæ ſcripturæ & diuini ſermonis prætexat ſpeciem, aut cætera diuinæ ueritatis, quæ falli non poteſt, inſtrumenta uiolet; & ad eiſdem fidem conciliandam, fraudulenter uſurpet.

ERGO ut iam de fallacibus ueræ doctrinæ notis loqui deſinamus, neque ſcripturarum iactationi, neque ſcientiæ eminentiæ, neque Eccleſiaſticæ doctrinæ ficto zelo, neque Eccleſiaſticorum auctorum ſimulato amori, neque externæ ſanctimoniæ, neque martyrio ac morti pro Chriſto toleratæ, neque demum miraculis ipſis, etiam cum eſſent ueriſsima, quæ omnia alioqui ueræ doctrinæ (abfuiſſet modò malitia diaboli) certa ſigna fuiſſent, omnino fidendum, quòd ea uniuerſa uiolarit antiquus hoſtis, & eiſdem ſua uiolatione fidem ademerit. Immo tanto, quoties hæc occurrerint, cautiores eſſe oportet, ne fortè in noſtram perniciem angelus Satanæ, in angelum lucis ſeſe transformet, quanto ſcimus maius in occulto, quàm in aperto & patenti ueneno ſubeſſe diſcrimen.

Quare ueræ doctrinæ ſigna, à diabolo uſurpari permittatur. Cap. VIII.

SVrgit uerò ex iis, quæ diximus, grauiſsima quæſtio, & quàm multorum animos excruciare non dubito, Quare diuina clementia, quæ uult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire, & quæ potius debuiſſet noſtram infirmitatem ad capeſſendam fœlicitatem fouere, quàm eidem, quò minus adipiſcatur, ſcandala obiicere, hæc, quæ diximus, Euangelicæ doctrinæ inſtrumenta, ab hæreticis hominibus, in infirmorum exitium, uſurpari permittat? Quare (inquam) ea, quæ in ſancta Chriſti Eccleſia, ueris magiſtris honorem & auctoritatem conciliant, quò eorum doctrina reuerenter ſuſcipiatur, à populis, ſacrilega manu ad ſuorum miniſtrorum comprobationem, ita Deo permittente, Satanas furetur? Recta, inquit Vincentius Gallus, interrogatio, & digna, quæ diligentius, atque uberius pertractetur: ei tamen non ingenio proprio, ſed diuinæ legis auctoritate, & Eccleſiaſtici magiſtri in documento, ſatisfaciendum eſt. Audiamus ergo ſanctum Moſem, & ipſe nos doceat, cur docti uiri, & qui propter ſcientiæ gratiam, ab Apoſtolo etiam prophetæ nuncupantur, proferre interdum permittantur noua dogmata, quæ uetus teſtamentum allegorico ſermone, deos alienos appellare conſueuit, eo quòd ſcilicet ab hæreticis, ipſorum opiniones ſicut à Gentilibus dij ſui, obſeruentur. Scribit ergo Deuteronomio beatus Moſes, Si ſurrexerit (inquit) in medio tui propheta, aut qui ſomnium ſe uidiſſe dicat, ideſt, magiſter in Eccleſia conſtitutus, quem diſcipuli uel auditores ſui, ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? Et prædixerit, inquit, ſignum atque portentum & euenerit, quod locutus eſt. Magnus profectò neſcio quis ſignificatur magiſter, & tantæ ſcientiæ, qui ſectatoribus propriis, non ſolùm, quæ humana ſunt noſſe, uerùm etiam quæ ſupra hominem ſunt, prænoſſe poſſe uideatur, quales ferè diſcipuli ſui, iactant fuiſſe Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem, cæteroſq; huiuſmodi. Quid poſtea? Et dixerit tibi, Eamus & ſequamur deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis. Qui ſunt dij alieni, niſi errores extranei, quos ignorabas, ideſt noui & inauditi: & ſeruiamus eis, ideſt credamus eis, ſequamur eos. Quid ad extremum? Non audies (inquit) uerba prophetæ illius, aut ſomniatoris. Et quare, oro te, à Deo non prohibetur doceri, quod à Deo prohibetur audiri? Quia (inquit) tentat uos Dominus Deus ueſter, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima ueſtra? Luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdum diuina prouidentia quoſdam Eccleſiarum magiſtros, quædam dogmata prædicare patiatur. Vt tentet uos (inquit) Dominus Deus ueſter. Et profectò magna tentatio eſt, cùm ille, quem tu prophetam & prophetarum diſcipulum, quem doctorem & aſſertorem ueritatis putes, quem ſumma ueneratione amore complexus ſis, is ſubitò latenter noxios ſubinducat errores, quos nec citò deprehendere ualeas, dum antiqui magiſterij duceris præiudicio, nec facilè damnare fas ducis, dum magiſtri ueteris impediris affectu. Hactenus Vincentius. Cuius doctiſsimi & ſanctiſsimi uiri ſententiis & ſcriptis plerunque utimur, quòd eius in hæretica uerſutia detegenda, delectemur ingenio. Vides ergo non alia ratione, ueræ doctrinæ inſtrumenta, à falſis miniſtris diuinitus uſurpari permitti, quàm quò fideles probentur, & utrum'ne ad Chriſti horreum tanquam ſolida grana pertineant, an uerò tanquam leues paleæ omni uento circunferantur, ſciatur. Quam rem Eccleſiaſticis exemplis prolixè, ſed utiliter ſubinde idem Vincentius confirmat. Hic forſitan (inquit) efflagitet aliquis, ut ea, quæ ſancti Moſis uerbis aſſerta ſunt, Eccleſiaſticis demonſtrentur exemplis. æqua expoſtulatio, nec diu differenda. nam ut à proximis & manifeſtis incipiam, qualem fuiſſe nuper tentationem putamus, cùm infœlix ille Neſtorius, ſubitò ex oue conuerſus in lupum, gregem Chriſti lacerare cœpiſſet? cùm hi ipſi, qui rodebantur, ex magna adhuc parte, ouem crederent, ideoq; morſibus eius magis paterent? Nam quis eum facilè errare arbitraretur, quem tanto imperij iudicio electum, tanto ſacerdotum ſtudio proſecutum uidetur, qui cum magno ſanctorum amore, ſummo populi fauore celebraretur

Vincentius Lyrinen.

Deut. 13.

celebraretur quotidie, palàm diuina tractabat eloquia, & noxios quoque Iudæorum & Gentilium confutabat errores. Quò tandem iſto modo non cuiuis fidem faceret, ſe recta docere, recta prædicare, recta ſentire? Qui ut uni hæreſi ſuæ, aditum patefaceret, cunctarum hæreſeon blaſphemias inſectabatur? Sed hoc erat illud, quod Moſes ait, Tentat uos Dominus Deus ueſter, ſi diligatis eum, an non? Et ut Neſtorium prætereamus, in quo plus ſemper admirationis, quàm utilitatis; plus famæ, quàm experientiæ fuit: quem opinione uulgi aliquandiu magnum, magis humana fecerat gratia, quàm diuina, eos potius commemoremus, qui in multis profectibus, multaque induſtria præditi, non paruæ tentationi catholicis hominibus extiterunt, uelut apud Pannonias maiorum memoria Photinus, Eccleſiam Syrmitanam tentaſſe memoratur; ubi cùm magno omnium fauore, in ſacerdotium fuiſſet aſcitus, & aliquandiu tanquam catholicus illud adminiſtraret, ſubitò, ſicut malus ille propheta aut ſomniator, quem Moſes ſignificat, creditam ſibi plebem Dei perſuadere cœpit, ut ſequatur deos alienos, id eſt errores extraneos, quos antea neſciebat. Sed hoc uſitatum, illud uerò pernitioſum, quòd ad tantum nefas, non mediocribus adminiculis utebatur. nam erat & ingenij uiribus ualens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens, quippe qui utroque ſermone copioſè & grauiter diſputaret & ſcriberet: ſed bene quòd commiſſæ ipſi oues Chriſti, multum pro catholica fide uigilantes, & cauti citò ad præmonentis Moſis eloquia reſpexerunt, & prophetæ atque paſtoris ſui licet admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps, ueluti lupum fugere cœperunt. Neque ſolùm Photini, ſed etiam Apollinaris exemplo iſtius Eccleſiaſticæ tentationis periculum diſcimus, & ſimul ad obſeruandæ diligentius fidei cuſtodiam commonemur. Etenim ipſe auditoribus magnos æſtus & magnas generauit anguſtias, quippe cùm eos hinc Eccleſiæ traheret auctoritas, hinc magiſtri retraheret conſuetudo, ſic inter utraq; nutabundi & fluctuantes, quid potius ſibi ſeligendum foret non expediunt. ſed forſitan eiuſmodi ille uir erat, qui dignus eſſet facilè contemni, immo uerò tantus ac talis, cui nimium citò in plurimis crederetur. nam quid illo præſtantius acumine, exercitatione, doctrina, quàm multas ille hæreſes multis uoluminibus oppreſſerit? quot inimicos fidei confutauerit errores, indicio eſt opus illud triginta non minus librorum nobiliſsimum ac maximum, quo inſanas Porphyrij calumnias, magna probationum mole confundit. Longum eſt uniuerſa ipſius opera cõmemorare, quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ, par eſſe potuiſſet, niſi prophana illa hæreticæ curioſitatis libidine, nouum neſcio quid inueniſſet, quo & cunctos labores ſuos, uelut cuiuſdam lepræ admiſtione fœdaret, & doctrina eius, non tam ædificatio, quàm tentatio potius Eccleſiaſtica diceretur. Hæc Vincen. Qui deinde, Origenis & Tertulliani, qui, cum eos propter multarum & magnarum uirtutum ornamenta, maximè uetus olim ſuſpexiſſet Eccleſia, ab Eccleſiaſtica poſtea deſciuerunt doctrina, communit exemplis. poſt prioris enim & uitæ & doctrinæ magnificas laudes, Hic idem (inquit) Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, cum paruipendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones & ueterum magiſteria contemnens, quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit ut de ſe quoque in Eccleſia Dei diceretur, Si ſurrexerit in medio tui propheta &c. Et paulò poſt, Non audies (inquit) uerba prophetæ illius. & item, Quia tentat uos Dominus Deus ueſter, utrùm diligatis eum an non? Verùm nõ ſolùm tentatio, ſed etiam magna tentatio, deditam ſibi atq; in ſe pendentem Eccleſiam, admiratione ingenij, ſcientiæ, eloquentiæ, conuerſationis, & gratiæ, nihil de ſe ſuſpicantem, nihil ſe uerentem, ſubitò à ueteri religione, in nouam prophanitatem ſenſim paulatimque traduxere. Sed dicet aliquis corruptos eſſe Origenis libros, non reſiſto; quin potius & malo, nam id à quibuſdam & traditum & ſcriptum eſt, non catholicis tantùm, ſed etiam hæreticis. Sed illud eſt, quod nunc debemus aduertere, & ſi non ipſum, libros tamen ſub nomine ſuo editos, magnæ eſſe tentationi, qui multis blaſphemiarum uulneribus ſcatentes, non ut alieni, ſed quaſi ſui & leguntur & amantur: ut & ſi in errore concipiendo, Origenis non fuit ſenſus, ad errorem tamen perſuadendum, Origenis auctoritas ualere uideatur. De Tertulliano uerò

poſt

poſt maxima encomia, ſic inquit, Hic tamen Tertullianus catholici dogmatis, ideſt uniuerſalis ac uetuſtæ fidei parum tenax, ac diſertior multò quàm fœlicior, mutuum deinceps ſententia fecit ad extremum, quòd de eo beatus confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit, Sequente, inquit, errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem: & fuit ipſe quoque magna in Eccleſia tentatio. Hucuſque Vincen. Cuius profectò uerba, *Millies repetita placebunt*.

Cupimuſque ea his noſtris temporibus, aut pro ſuggeſtis, aut in ſacris confeſsionibus, populo Chriſtiano, fideles & catholicos uiros, qui munus habent docendi, frequenter ingerere. Nihil enimuerò magis neceſſarium puto hoc tempore, quàm ſimplices Chriſti oues, qui quorundam caſu, qui mundo approbante, in uulgo auctoritatem obtinuerant, ſcandalum patiuntur, diabolica uerſutia retecta, corrigere, & diuinam eſſe tentationē inſinuare. Deum immortalem, quot ego depræhendi, qui cùm quoſdam, qui alioqui & eruditione & ſpecioſa quadam morum integritate, & ampliſsimis dignitatibus celebres mundo haberentur, ſancti magiſtratus officio aut ignibus traditos, aut de hæreſi accuſatos, carceribus mancipatos, aut demum Eccleſiaſtica conuerſatione deſerta, in hæreticas fictiones translatos uidiſſent, grauiſsimas tentationes ſunt paſsi, dum eos quaſi Eccleſiæ columnas, & totius ſapientiæ ſacraria parum antea uenerarentur? Vrgebat ex una parte Eccleſiaſticæ religionis antiqua traditio, & auita confeſsio, ſed ex alia tantorum uirorum auctoritas, quam ſibi publica totius prouinciæ (immo quòd uulgaria ingenia uehementius mouere ſolent) principum approbatione quæſiuerant, exterior quædam uitæ ſanctimonia, &, ut uidebatur, ad normam Euangelij uitæque Chriſtianæ compoſiti mores, ingens eruditionis aceruus, eloquentiæ in declamandis ſermonibus uis magna, ingens ſacrarum literarum peritia, quæ omnia ſic ſimplicia & Satanicæ uerſutiæ aut potius diuinæ tentationis ignara, totſerunt ingenia, ut multos in deſperationis uoraginem abſorptos uiderim. Ille, aiunt, aut ille, doctiſsimus erat, optimè & Chriſtianiſsimè declamabat in uitia; nemo illo fœlicius ad uirtutum amorē auditores illexit; ingentes eleemoſynas pauperibus, aut ipſe præſtabat, aut præſtari faciebat; minimè uidebatur ambitioſus, modeſtus maximè: cur ergo illi non credamus? præſertim cùm qui contraria docent, ſæpe ignari multoties incompoſitis moribus habeantur? Ille libertatem, quam Chriſtum nobis ſuo ſanguine comparaſſe, non uulgaribus rationibus comprobat, docet, non eſſe ſcilicet ieiunio carnem macerandam; non eſſe generali illi propagandi ſibi ſimile deſiderio uim inferendam; non eſſe Chriſtiano homini delectum ciborum ſeruandum; nulla nos legum humanarum obligatione teneri. Docet ſola fide iuſtitiam obtineri, & ſimilia, quæ carni ſunt dulcia: cum tamen ipſe in ſeipſo, ueſtium, ciborum, & totius uitæ aſperitatem, oſtentet. Contrà alij homines, cum moleſta uerboſitate rigidam quandam ac penè importabilem uitæ Chriſtinæ rationem intorqueant, ipſi tamen molliter uiuunt, & uitæ delicias plus omnibus proſequuntur. Ergo ille ſolo ueritatis ſtudio, cum uitæ, honoris, & diuitiarum detrimento, ſuccenſus noua iſta docet; illi, quòd forſan ad eum eruditionis gradum, qui ad hæc intelligenda requiritur, nondum aſcenderint, aut quòd metus ſacri magiſtratus, aut Catholici principis, confiteri non audeant, aut demum, quòd in ordine Catholicorum prædicatorum aut doctorum ſuum locum habeant, apud nouos uerò hos magiſtros nullum ſint habituri, quæ non intelligunt, damnant.

Et hæc quidem ac ſimilia, in Chriſtiani hominis pectore ſæpè uerſantur, plerunq; cum Catholicæ fidei & confeſsionis certiſsimo exitio, plerunque uerò cum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ruina, aut certè contemptu: rariſsimè cum ſola feruoris ſpiritalis remiſſione, quæ minima eſt in tam ingenti tentatione iactura, niſi Moſis oraculum ſemper præ oculis habeat, Si ſurrexerit in medio tui propheta &c. Non audies uerba prophetæ illius, quia tentat uos dominus Deus ueſter, utrum diligatis eum an non? Profectò qui attenderet ſe diuinitus à Deo probari, cuncta illa, quæ diximus, auctoritatem externam, uitæ compoſitionem, dignitatem, eruditionem, ſapientiam, eloquentiam, & cætera talia, quaſi diaboli machinas, ad ſui exitium paratas, contemneret, tantoque magis in catholicæ fidei confeſsione perſtaret, quantò maiores uirtutum fucos, in nouorum dogmatum inuentore, conſpiceret. Quis enim mel guſtet, quo dirum aconitum latère præſentiat? Aut quis poculum ſitiat, cui præſentiſsimum uenenum miſtum intel-

ligat, quod aureo uaſe & margaritis ornato contineatur? Euangelici prædicatores uaſa ſunt cœleſtis doctrinæ; ſed quidam uaſa electionis & gloriæ, quidam uaſa ignominiæ. Hæc uerò differentia non in externis picturatis emblematibus, ſed in ipſa metalli interna natura conſiſtit. Fieri quidem poteſt, ut uas cum ſit æneum, pulchras oculis cælaturas oſtentet, fucatas tamen: contrà, cum ſit aureum, uel ob ſitum uel ob neglectum, minus oculis humanis arrideat. Qui ergo in illo ementitos colores, & artis fucos admirabundus extolleret, contemneret autem ueram auri naturam, haud dubium haberetur ſtolidus: ita quem ſapientia, diuitiæ, nomen, potentia, & reliqua humanæ auctoritatis ornamenta fucant, ſi ſonus uerum aurum non ſonet, illi præferre, qui cum uerum ſonet aurum, ideſt Eccleſiaſticam doctrinam, tot ſanctorum uirorum examinatione probatam, externam tamen cælaturam non habeat, profectò ſtultiſsimum. Attendat ergo Chriſtianus non alibi quàm in pulchris uaſis, & quæ oculis humanis placeant, propinari uenena, & non per alios quàm per eos, qui ſpeciem quidem exterius
2.Timot.3. pietatis oſtentant, interius uerò uirtutem eius abnegarunt, errores effundi. Aduertat
1.Cor.11. quòd quemadmodum oportet hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant, ita oportet eaſdem non per quoſcunque, ſed per eos, quos & mundus & diabolus diuerſis auctoritatis emblematis ac fucis cælauerint, ad exactiorem cribrationem fidelium, & probationem induci: quò nimirum ij, qui propter ſua peccata de libro uitæ deleti merentur, quos aperta facie recipere noluerunt, uel laruatos ſuſcipiant: aut quò iuſti, & qui ſemel acceptam Eccleſiæ fidiſsimam ſtationem conſeruant, quaſi aurum probentur. Surgente enimuerò leui aura, cum grauiora grana in area, immota ſubſiſtant, leues quoque paleæ mouentur: nimirum quòd ad ſolida grana mouenda, non ſatis ſit ualida: ſæuiente uerò ualidiſsimo uento, craſſiora quoque acera, concuſſis etiam nonnihil ſolidiſsimis
Matth.3. granis, rapiuntur in aërea. Habet uentilabrum Chriſtus in manu ſua, quo permundet aream ſuam, & congreget triticum in horreum ſuum: paleas autem comburat igne inextinguibili. Eſt uentilabrum, non aliud in hac parte, quàm diuina illa prouidentia, qua hæreſeon uentis ſufflantibus, leues homines, ſubſiſtentibus granis, ideſt ſolidæ fidei hominibus, Eccleſiaſtica area dimiſſa ac deſerta, æterno igne comburendi, rapiuntur in aëra, ideſt in uanas ſuarum cogitationum inuentiones. Flant autem leuius aut uiolentius diabolici turbines, iuxta huius diuini agricultoris imperium, quòd in area iſta, ideſt in Eccleſia, inter paleas ipſas (cum tamen omnes uerè ſint paleæ æterno igni deſtinatæ) quædam ſint grauiores & uiolentiori proinde tempeſtate, quo à uero tritico
Cypria. de ſimplicit. prælat. ſeparentur, indigeant. Triticum, inquit Cyprianus, non rapit uentus, nec arborem ſolida radice fundatam, procella ſubuertit: inanes paleæ tempeſtate iactantur: inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Hos execratur Ioannes Apoſtolus, Ex nobis exierunt, ſed nõ erant ex nobis: ſi enim ex nobis fuiſſent, utique permãſiſſent nobiſcum. Hactenus Cyprianus. Et paucis interiectis, Fieri, ait, hæc dominus permittit, & patitur, manente propriæ uoluntatis arbitrio, ut dum corda & mentes noſtras ueritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat. Per Apoſtolum præmonet Spiritus ſanctus, & dicit, Oportet hæreſes eſſe ut probati manifeſti ſint nobis: ſic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur, ſic & ante iudicij diem, hic quoque iam, iuſtorum atque iniuſtorum animæ deteguntur, & à frumento paleæ ſeparantur. Hactenus Cyprian. Et alioqui quanta, obſecro, tentatio eſſet, ſi ſutor aut cæmentarius, aut ſimilis aliquis, quem nullum uel mundi, uel diſciplinarum honeſtaret emblema, Eccleſiaſticæ diſciplinæ deſertionem doceret, cum ab omnibus ſtatim quaſi delirus contemneretur, neque ullam apud uulgus haberet auctoritatis ſpeciem? ſed neque multò grauior eſſet, quando in noui dogmatis inuentore ſola eruditio aut eloquentia ſuſpicitur: quæ profectò morum compoſitione deſtituta contemnitur. Enimuerò, aut nulla aut certè paruiſsima tentatio eſt, quando noui & hæretici dogmatis auctor, ſola doctrinæ aut eloquentiæ commendatione apud uulgus niteſcit. Quis enim, niſi, qui uitam & ſalutem deſponderit, medico ſe credat, qui nouam & inauditam medendi rationem profiteatur, cum ſit ipſe morboſus, neque ulla à ſe donatæ ſalutis exempla proferat, ſed contrà & ſe & familiam grauiſsimis morbis infecerit? aut quis tanto Eccleſiaſticæ diſciplinæ faſtidio laboret, ut cum in ipſo doctore nouo, rara ſanitatis exempla non uideat, nouæ & inauditæ eius doctrinæ contra communia & Eccleſiaſtica dogmata ſeſe

totum

totum committat? Itaq; tunc tantùm Chriſtianus homo tentationis graui turbine qua-
titur, quando eruditionis, eloquentiæ, diuitiarum, & dignitatis pigmentis, fu-
cus quoque ſanctitatis adiungitur: ſed nondum adhuc expulſatur grauiſsima, quæ tunc
eſt futura, quando pſeudoprophetæ ſigna quoque & prodigia præſtabunt. Surgent, in-
quit Chriſtus, pſeudoprophetæ, & pſeudochriſti, & dabunt ſigna magna & prodigia,
ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. An non ſunt hæc Chriſti uer- *Matth. 24.*
ba? quantum ergo reſtitit, qui nondum his reſtitit? aut quo pacto putas eum, quem tan
tùm doctrinæ, aut certè doctrinæ & uitæ tantùm, ſine prodigiis & miraculis auctoritas
opprimit, ex electis eſſe, quos nec his duobus prodigia coniuncta, à Chriſto & Eccleſia-
ſtica diſciplina ualebunt abſtrahere? ſi Chriſtus non monuiſſet ut à falſis prophetis, qui
eſſent ad nos in ueſtimentis ouium uenturi, cùm intrinſecus eſſent lupi rapaces, nobis
attenderemus, potuiſſemus forſan excuſationem prætexere. Modò cum non ſolùm oui-
næ ſimplicitatis imagine, ideſt in apparentia uirtutum, & uerorum magiſtrorum ſpecie,
ſed prodigiis quoque in nos graſſaturos prædixerit, nihil habemus, quod iuſtiſsimæ ac-
cuſationi poſsimus prætendere, ſi non intelligamus eorum uerſutias & Satanicos dolos, *1. Petri 1.*
aut potius diuinæ prouidentiæ conſilium: qui quò ſimus pretioſiores, noſtram in ſemel *1. Petr 5.*
accepta fide, perſeuerantiam explorat.

Olim tanquam leo rugiens diabolus, aperta uiolentia tyrannorum, in Chriſtianos *Varia ten-*
crudeſcebat: Chriſto deinde, imperio Romano conſecrato, ſubitò ex uiolento leone, *tandi ar-*
in inſidioſum draconem conuerſus, eoſdem per hæreticas inſidias, cœpit inuadere. ſed *tes, quibus*
tantò cum maiori diſcrimine, quantò minus eius depræhendebatur inſultus. Sed in hoc *diuerſis ſæ-*
ſecundo aggreſsionis genere, quo in noſtram perniciem occultius caſſes & tendiculas *culis diabo-*
ponat, omnia experitur. Aggreſſus eſt primitus ſola eloquentiæ & humanæ ſapientiæ *lus aggreſ-*
admiratione, è caulis dominicis, ideſt Eccleſiæ, fideles abigere: ad quod tentationis *ſus eſt Eccle-*
genus Paul. Apoſt. præmuniebat, cum diceret, Hoc autem dico ut nemo uos decipiat in *ſiam.* *Coloſſen. 2.*
ſublimitate ſermonis. Et rurſus, Videte ne quis uos decipiat per philoſophiam, & ina-
nem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi. ad quem
ſcopum ambæ etiam ad Corinth. epiſtolæ, prior præſertim, diriguntur. Docet ibi ſan-
ctus Apoſtolus, huius mundi ſapientiam, ſtultitiam eſſe apud Deum: ſublimitatem ue-
rò & cultum ſermonis, minimè cum cruce aut Euangelio cohærere, quòd eos falſi qui-
dam Apoſtoli mundanæ philoſophiæ uerboſa eloquentia, Apoſtolorum obiectantes in-
ſcitiam, ab Apoſtolica diſciplina abduxiſſent; idemq; in cæteris Pauli & aliorum Apo- *1. Corin. 1.*
ſtolorum epiſtolis depræhendere liceat. Contrà nullum enim magis hominum genus, *& 3.*
Apoſtolica illa expeditione certatum eſt, quàm contra eos, quos humana ſapientia, quæ
tunc in Orbe frequentiſsima erat, armatos ad ſui exitium Satanas direxerat. Erant tunc
in pretio in toto Orbe ſapientes, & uel hoc ſolo titulo, mundi principibus admirabiles.
contrà, Apoſtolicos uiros nulla commendabat excellentia doctrinæ, nec tamen intelle-
xerat mundus diuinum conſilium, quo perdita & reprobata mundana ſapientia, per ſtul *1. Cor. 11.*
titiam prædicationis ſaluos facere credentes, decreuerat.

Cum uerò nihil ea techna ſe proficere aduerſus Eccleſiam, quæ non tam eruditionis &
eloquentiæ pigmenta, quàm uitæ ſanctitatem haberet in pretio, diabolus aduerteret;
compoſitorum morum hypocriſim eximiæ cuidam eruditioni attemperauit, eo potiſ-
ſimùm tempore, quo uita Chriſtiana flacceſcente, propter raritatem externa uirtutis
ſpecies eſſet amabilis, ut ſcilicet ſub externæ uirtutis ueſte, gladius eruditionis occultus,
in ea ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Iesu, horrendas ac pernicioſas daret ſtrages: ut ſub *1. Cor. 11.*
amabili eſca, deteſtabilis erroris hamum abſconderet, ut in deaurato uaſe, uirus propi-
naret, ut denum peſtilentiſsimum uenenum, dulci melle miſceret. Atque hoc uafra-
mento & ſtratagemate ab Apoſtolicis ſæculis, uſque ad Antichriſti tempora, quibus om-
nium grauiſsima futura eſt tentatio, Satanas utetur: & quantò rarior uirtus, tantò maio-
rem fucatæ uirtutis ſpeciem, quò ſimpliciores alliciat, in ſuis inſtrumentis oſtendat. Sed
hanc quoque diaboli uerſutiam, quò nos paratiores eſſemus, per Apoſtolicos uiros Spi-
ritus ſanctus quoque manifeſtè retexit. Spiritus manifeſtè dicit, inquit ad Timoth. *1. Timoth.*
Apoſtol. Paul. quia in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpi-
ritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi, loquentium mendacium, &
cauteriatam habentium ſuam conſcientiam. In hypocriſi, ideſt, in ſanctitate ſimulata, *Lyranus.*

quod neſcio quam uirtutis effigiem ſolent germanæ fidei corruptores offundere, qua apud ſimplices auctoritatem obtineant. Alibi etiam ad eundem ſcribens, futurorum
2. Timo. 3. temporum pericula narrans, Hoc autem, inquit, ſcito, quòd in nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, tumidi, cæci, uoluptatum amatores, magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes, & hos deuita: ex iis enim ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur uariis deſideriis; ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam ueritatis peruenientes. Quemadmodum enim Ianes & Mambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt ueritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Hactenus Paul. Quibus uides noſtrorum temporum figuram deſcribi.: Sunt quidem re uera hæretici, uitiorum colluuione referti, ut hic docet Apoſtol. externa tamen ſanctitatis, quam mundo oſtentant, larua decipiunt: quod tum alibi, tum apud noſtram Hiſpaniam, in qua optimorum principum ſtudio nemini prauo eſſe licet, ſed cunctis ex æquo, aut ueræ aut fictæ ſanctitatis neceſsitas impendet, hiſce annis domeſtico exēplo didicimus. Quis enim in quibuſdam, præter ſummam quandam eruditionem & in declamando eloquentiam, adde religionem, ſanctitatis imaginem non mirabatur? & tamen larua detracta, qui eſſent apparuerunt. Oſtendebant quidem foris pietatis ſpeciem, intus tamen uirtutem eius abnegabant: omnibus illis uitiis ſcatentes, quæ prophetico ſpiritu depingit Apoſtolus. Sunt huius ſecundæ Satanicæ expeditionis hæretici, Lamiæ quædam, quæ faciem quidem humanam cum geſtent, belluina tamen ſæuitia neque fœtibus parcunt. mammam quidem nudant, quando diſcipulis errores offundunt: catulos lactant, quando ſequaces peruerſa ſua doctrina delectant; ſed poſtea quos ſemel genuerunt, & nutrierunt, crudeliter laniant, cùm eos ſcilicet in barathrum perditionis detrudunt. Sunt Sirenes illæ, quæ cùm uirginalem faciem, & ſuauem quandam uocis dulcedinem præferant, quos tamen ad ſe allectos ſemel abduxerint, crudeliſſimè perdunt. Sunt Circes quædam, quæ oris pulchritudine, quos ſemel pellexerint, in beſtias conuertunt. Plures hiſce annis uidimus, qui cùm externa illa figura ſanctitatis allecti, ueritatis quoſdam corruptores ſequerentur impensè, tandem ex hominibus neque omnino prophanis, in ſtupidiſsimas beſtias abierunt, dum carnis impudicitia ſoluti, quidam porcos, quidam equos, & mulos referebant. Quot religioſi ordinis fœminas, quot uiduas, quot uirgines, hæreticis alloquiis, ex caſtis & piis, in ſpurca conuerterunt ſcorta? quas ſat ſcio nunquam ad eos acceſſuras, niſi picturatæ ſanctitatis emblemate cælati apparuiſſent. Occurramus igitur diabolicæ fraudi, tantoque magis uigilemus, quanto aſtutius, Deo ita ad bonorum probationem permittente, nobiſcum agit Satanas. Habemus Apoſtolica monita, habemus ingenium & uerſutiam, diaboli à ſanctis & catholicis uiris expoſita; noſtra tantùm erit culpa futura, ſi nobis imponant. Nihil ſit homini Chriſtiano Eccleſiaſtica confeſsione præcioſius, non eruditio, non ſcientia, non ſapientia, non eloquentia, non placidi mores, non ſanctitas uitæ, non dignitas maxima; ſed attendat hæc omnia plerunque fore inſtrumenta diaboli, quæ prauos homines Deo permittente peſſundeut.

Demum, cum neque ſcientiæ & eloquentiæ faſtu, neque ſimulata ſanctitatis ſpecie, eius per Euangelicos uiros aſtutia depræhenſa, diabolus ſe proficere uiderit, ad occultiores dolos conuertetur, quibus magicis artibus, occultiſsimis tamen, per falſos prophetas miracula exhibeat. Atque hoc opus hic labor erit, quem paucis, quos per æternam prædeſtinationem æquus amauit Iupiter, quòd gratiæ ſpiritualis ſemine Deo geniti eſſent: atque adeò finaliter peccare non poſſent, euadere dabitur. Tunc, inquit
1. Ioan. 1. Apoſtolus de his temporibus loquens, reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesvs
2. Theſ. 2. interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus, ſecundum operationem Satanæ in omni uirtute & ſignis & prodigiis mendacibus: & in omni ſeductione iniquitatis, his, qui pereunt, eo quòd charitatem ueritatis non receperunt, ut ſalui fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati: ſed conſenſerunt iniquitati. Magna profectò tentatio, cum non tantùm uirtute, id eſt, militari potentia,

ſed ſignis & prodigiis contra fideles pugnabitur. Quod Ioannes Euangeliſta latius deſcribit in Apocalypſi, de Antichriſto & eius miniſtris loquens, Vidi, inquit, beſtiam *Apocal.13.* aſcendentem de mari, habentem capita ſeptem & cornua decem. Super cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ; & beſtia, quam uidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes urſi, & os eius ſicut os leonis, & dedit illi draco uirtutem ſuam & poteſtatem magnam: & admirata eſt uniuerſa terra poſt beſtiam, & adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ & adorauerunt beſtiam, dicentes, Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea? & datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias; & data eſt ei poteſtas facere menſes quadragintaduos: & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius & tabernaculum eius, & eos, qui in cœlo habitant: & eſt datum illi bellum facere cum ſanctis & uincere eos, & data eſt illi poteſtas in omnem tribum & populum, linguam & gentem, & adorauerunt omnes, qui habitabant in terra, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro uitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Si quis habet aurem audiendi, audiat, qui in captiuitatem duxerit, in captiuitate uadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi: hîc eſt patientia & fides ſanctorum. Hactenus ſanctus Apoſto. Quæ mirabilis uiſio, non aliud profectò portendit, quàm uerorum fidelium horrendas tentationes, quas in hac uita mortalis, tum per apertas perſecutiones, tum per hæreticorum & falſorum prophetarum inſidias, patiuntur à mundo. Beſtia de mari aſcendens, beſtialem & truculentam Antichriſti & eius membrorum, qui ſunt omnes hæretici, in ſanctos & fideles uiros incurſionem ſignificat. Capita uerò ſeptem, & cornua decem, hæreticus incurſus habere deſcribitur, quòd licèt multiplices habeat falſitatis auctores, plures tamen mundi potentes, qui quaſi Satanica armamenta, eundem ut caput cornua communiant, habere cognoſcitur. Similis eſſe pardo perhibetur, tum propter hæreticæ factionis diſsidium (ſunt enim inter eos plures multò ſententiæ, quàm in pardo maculæ) tum quod nunquam ſibi conſtent hæretici, ſed incredibili quadam inconſtantia, pardorum uarietatem imitentur, & ſint, ut ait Athanaſius, in ſententiis uarij, uerſatileſque non aliter quàm cameleontes in coloribus. Pedes urſi habet, qui humanos imitantur, & os leonis, quo rabiem & truculentum in genus humanum ſæuiendique æſtum, blandæ cuiuſdam humanitatis imagine fraudulenter occultet. Huic draco uirtutem magnam & poteſtatem tribuit, quòd illi quaſi idoneo inſtrumento omnem, quam in homines ob peccata, diuinitus nactus eſt poteſtatem, in eorundem hominum perniciem pleniſſimè infuderit. Vnum de capitibus eius occiſum eſt in mortem, & plaga mortis eius curata eſt, uel quòd nonnunquam ex hac hæretica factione Eccleſiæ potentia quibuſdam oppreſsis hæreticorum, ſemina confeſtim repullulent: quod frequentibus Eccleſiaſticis exemplis eſt notum, aut quòd Antichriſtus præcipuum falſorum prophetarum caput, poſtea quàm doloſè mortem ſimulari, ſit ſurrexiſſe credendus. Admirata eſſe dicitur poſt beſtiam uniuerſa terra, quia continuò leues homines & ueræ charitatis inanes, hæreticorum admirantur ſapientiam: & eos quaſi omnium mortalium ſapientiſſimos, quòd nouo quodam modo ſcripturas interpretentur, & noua dogmata inducant, uenerantur & colunt. Quæ admiratio, non eſt aliud, quàm certiſsimum futuræ perditionis indicium. Cuius enim animus hæreticorum ſapientiam admiratur, aut eos ſapientes putat, haud longè abeſt ab eorum doctrina. Vnde continuò draconem, id eſt, diabolum, hæreticæ falſitatis auctorem, in falſa hæreticorum doctrina, quam quaſi cœleſtem uenerantur, adorare incipiunt. Vt enim docet Ireneus, non aliud eſt hæreſis, quàm idololatria quædam. Prodeunt ergo continuò nequam iſti idololatræ in magnificas beſtiæ laudes, quoniam hæreticas doctrinas & earum magiſtros, admirabundi ſuſpiciunt, & eos eruditione ac ſapientia Eccleſiaſticis magiſtris præferentes, inclamant, Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Quibus populi acclamationibus, & applauſibus tumida, & ſimul, ita Deo permittente, animos colligens, ipſo iam populari ſuffragio loquendi auctoritatē concipiens, in Dei ipſius blaſphemias os ſoluit. Nulla eſt enim hæreſis, ſi Eccleſiaſticæ repetantur hiſtoriæ, quæ non paulatim in diuinam ipſam tandem naturam uenenum expuerit. Progreditur ultra uerba frequenter hæretica blaſphemia, cum nimirum principum ſæcularium & populorum potentia, in Eccleſiaſticos uiros truculenter graſſatur: quod præter antiquas hiſtorias, his

Athan. in decre. ſynodi Nicæ. contra Euſeb.

noſtris infœlicisſimis ſæculis experimento didicimus. Grauis profectò tentatio, ſed grauior illa quòd eadem hæretica blaſphemia uniuerſas prouincias & regna peruadat; ſceptrum obtineat, & ſancta Chriſti Eccleſia oppreſſa, & in anguſtias redacta; tyrannicum exerceat imperium: grauisſima tamen illa, quæ ſtatim à Ioanne deſcribitur, &

Suprà capite præced. de qua, parùm antea nos loquuti ſumus: quòd altera ex iis beſtiis, diuino iudicio faciat ſigna magna, ita ut ignem faciat deſcendere de cœlo. Tunc, inquit Anſel. pius

Grauisſima Eccleſiæ tentatio quæ ſit. martyr, corpus ſuum tormentis ſubiiciet, & tamen ante eius oculos miracula tortor faciet: quis enim ad fidem conuertatur incredulus, cuius iam credentis non paueat &

In epiſt. ad Theſſ. c. 2. concutiatur fides, quando perſecutor pietatis, ſit etiam operator uirtutis? idemq; ipſe, qui tormentis ſæuit, ut Chriſtus negetur, miraculis prouocabit ut Antichriſto credatur. ſed potens eſt ſpiritus corda ſuorum, etiam inter tam grauia tormenta cuſtodire. In his enim ſignis ſeducentur, non omnes, ſed hi, quorum nomina, non ſunt ſcripta in libro uitæ: & qui charitatis ueritatem non receperunt. Hactenus Anſelmus. His tentationum turbinibus, etiam grauisſimæ paleæ, & quæ grana eſſe exterius uidebantur, non erant tamen, quòd ſolida fidei & charitatis medulla deſtituerentur, ut tandem abeant in locum ſuum, exſufflabuntur; uerè ſolida tantùm grana nullus turbo diſperget.. Eandem electorum ſtabilitatem Chriſtus apud Matthæum docet, cum de ſanctæ Eccleſiæ perſecutionibus Apoſtolis loquitur, & in illis omnes fideles ad diaboli tentatio-

Matt. 24. nes ſuperandas communit. Multi (inquit) uenient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent: audituri enim eſtis prælia & opiniones præliorum, uidete ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Conſurget gens in gentem, & regnum aduerſus regnum; & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca: hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et ſubinde, Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: qui autem perſeuerauerit uſq; in finem; hic ſaluus erit. Et paulò poſt, Erit tunc tribulatio magna qualis nunquam ab initio mundi uſque modò fuit: & niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos abbreuiabuntur dies illi: ſurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem ducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Grandis profectò & acerba tribulatio, in qua præter prælia & ſeditioſos tumultus, ipſa mundi elementa aduerſus electos pugnare uidebuntur: ſed multò uiolentior, qua nulla maior futura prædicitur, in qua pietatis infeſtisſimi hoſtes, ſunt ſigna & prodigia in falſæ religionis auctoritatem daturi. Verùm neque hæc neque illa, electos quantumuis licentiosè concutiant, peruertere poterunt, quòd æternæ nimirum uoluntatis decreto in ſor-

Ephe. 1. tem filiorum Dei fuerint aſciti.

Antichriſti myſterium iam modò operatur. VERVM illud hîc aduertendum, Antichriſti regnum, quo Deo ita permittente probantur electi, non tantùm extremo illo ſæculo, uniuerſali iudicio propinquo, futurum, ut tunc tantùm electos, à non electis dicatur diſcernere. Quemadmodum enim, Regnum Chriſti, etiam antequàm Dei uerbum formam noſtræ mortalitatis indutum apparuiſſet, ab ipſo nimirum Abel, habuiſſe principium, credendum eſt; ita & Antichriſti tyrannis, non tantùm ipſo in mũdo apparente, ſed & multò antea ab ipſo nimirum mundi primordio, ſuam in ſanctos & electos uiros, truculentiam exercet: & quemadmo-

Heb. 11. dum Paul. Apoſt. uniuerſos illos ueteres patres, ad Chriſti regnum, ideſt ſanctam Eccleſiam, in qua Chriſtus Rex uerus agnoſcitur, amatur & timetur, & eius legibus uiuitur, per fidem pertinere decernit; ita & uniuerſos pſeudoprophetas & mentium corruptores, ante Antichriſtianæ tyrannidis, legatos eſſe, atque ideò quòd eius perſonam & nomen ſuſtineant, commodè Antichriſtos Apoſtolica phraſi uocari ſolitos, non

1. Ioan. 3. eſt diffitendum. Hic eſt, inquit Ioannes Apoſt. Antichriſtus, qui negat patrem & filium.

1. Ioan. 4. Et rurſus, Omnis, inquit, ſpiritus, qui ſoluit IESVM, ex Deo non eſt, & hic eſt Anti-

2. Ioan. 1. chriſtus, de quo audiſtis; & nunc iam in mundo eſt. Et rurſus, Qui non confitetur

1. Ioan. 3. IESVM Chriſtum ueniſſe in carne, hic eſt ſeductor & Antichriſtus. Filioli, inquit alibi, nouisſima hora eſt, & ſicut audiſtis, Antichriſtus uenit: nunc autem Antichriſti multi facti ſunt: unde ſcimus quia nouisſima hora eſt. Non quòd hominem illum, qui quòd & uita & doctrina ſit Chriſto contrarius, Antichriſtus uocatur, in mundo iam eſſe iu-

dicaret

dicaret Apoſtolus, ſed quòd Ebion, Cerintus, & Marcion, qui eo in inſulam relegato
Aſianis eccleſiis, quas moribus & ſana doctrina perſanctè formauerat, hæreſum ſua-
rum ſeminarant zizania, Antichriſti legatione, contra ſanctam Dei Eccleſiam iam tunc
fungerentur. Quemadmodum enim Chriſtum, iam tunc à mundi primordio, ſancto-
rum prophetarum, qui ipſum uenturum, quaſi legati hominibus denunciarent, & con-
ciliarent, longa ſeries anteceſsit; ita Antichriſtum ipſum ſuorum legatorum, ideſt hæ-
reticorum, qui animas Chriſto per fidem & dilectionem hærentes, ab eodem falſæ præ-
dicationis maleficio uiolenter auellant, longus ordo præcedat. Eſt igitur non aliud
hæreticorum uiperina ſuaſio, quàm tentatio quædam, qua qui ad Chriſti regnum,
qui'ue ad Antichriſti tyrannidem pertineant, manifeſtè cognoſcitur: id eſt, qua, ele-
ctus tandem à non electo in hac uita diſcernitur. Sed quemadmodum, quantò Chriſti
legati, & qui uias Domini parabant, Chriſti aduentui magis erant propinqui, tantò di-
uiniori quadam ſancti Spiritus auctoritate donabantur, quò in diaboli poteſtatem uio-
lentius irruerent. quod Ioannis Baptiſtæ ſanctitas non obſcurè demonſtrat, ita Anti-
chriſtianorum prophetarum, Satanicus ordo, quo magis ſuo capiti, id eſt, Antichriſto,
appropinquet, tanto maiori mortales tentatione concutiet, tantoque eos in hominum
perniciem hiſce, quos diximus, fucis mundo ſpecioſiores oſtendet. Et ſicut Chriſto in
mundo præſente, omnia gratiæ plenitudine exundarunt; & ij, quos Euangelicæ prædi-
cationis miniſtros legit, omnes præcedentes uera ſanctitate, uicerunt: ita hi; quos ſuæ
tyrannidis aſſertores Antichriſtus elegerit, maiori fictæ ſanctitatis ſpecie, quàm quoſ-
que præcedentes, ad maiorem hominum ſubuerſionem Satanas deliniet. Tunc aperto *Apoc.12*
Marte draco, quòd per ſanctorum robur fuerit deiectus in terram, ideſt ſuas uires
deiectas uideat, perſequetur mulierem. De illius enim ſæculi hominibus dicitur, Væ
terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad nos, habens iram magnam, ſciens quòd mo-
dicum tempus habeat. Qua autem ratione hæc ordinauit Deus, ita explicat Io. Chry- *Homil.48.*
ſoſt. Attendite, quia non ſemper tempus uocationis eſt, ſicut ait Sapientia, Tempus *oper.imper.*
congregandi. Tempus ergo fuit congregandorum lapidum, quando lapides uiui, ideſt *in cap. 24. Matth.*
fideles, ab infidelitate uocabantur ad fidem. tempus autem erit diſpergendi lapides,
quando Eccleſia tradetur ad tentationem, ut lapides, ideſt Chriſtiani, quoniam non
proficiunt in ædificationem corporis Chriſti, foras proiiciantur. Donec ergo fuit uo-
catio ad fidem, ex infidelitate, fecerunt ſigna & ſerui Chriſti, quoniam ſigna diuinæ
uocationis teſtimonia ſunt, ut prædicationis ueritas miraculis cõmendetur; ceſſante au-
tem uocatione, incipiet ſeductio reuocans homines à fide ad infidelitatẽ incipiente ergo
ſeductione, tradenda ſunt ſeductionis adiutoria diabolo, ideſt poteſtas faciendorum
ſignorum; ut ſignis & prodigiis mendacia ſua pro ueritate commendet. Sed fortè di-
ces, Si Deus conceſsit diabolo uirtutem faciendorum ſignorum, quomodo ipſe man-
dat, ne ſeducantur ſancti? Si ergo non uult ut ſeducantur, ut quid diabolo dat ſedu-
cendi uirtutem? Si autem uult ut ſeducantur aliqui, quare omnibus mandat ne ſedu-
cantur? Audi: concedit diabolo ſeducendi uirtutem, ut ne mali inter bonos remaneãt,
apud Chriſtum; mandat autem ne boni inter malos tranſeant ad diabolum. Nam ſi-
cut crudele eſt fideles cum infidelibus perire, ſic indignum eſt fideles cum infidelibus
gloriari. Hucuſque Chryſoſt. Quàm parum uerò iuſtos ac ſanctos uiros hiſce tenta-
tionibus ab Eccleſiaſticæ fidei ſtatione commoueat, ſtatim ſubiungit, dum exponit illa
uerba, Vt in errorem mittantur etiam, ſi fieri poteſt, electi. Non dixit, inquit, ut ſedu
cant, ſi fieri poteſt, etiam electos, ſed in errorem mittantur. Frequenter enim ſancti
uidentes aliquas operationes diaboli abſconditas, ſub ſpecie pietatis, dum non poſſunt
intelligere profundas inſidias inimici, conturbantur in corde ſuo, ac ſcandalizantur
& dicunt, Quid ſit hoc, quod ita fit, non tamen citò flectuntur ut credant, & ſenſu
uincuntur, quaſi homines, fide autem ſtant, quaſi inuicti. Magnitudinem autem ſi-
gnorum oſtendere uolens, ideò dicit, Vt ſi fieri poteſt; quoniam quantum ad magnitu-
dinem ſignorum illorum poteſt fieri, ut ſeducantur etiam electi; ſed ideò non ſedu-
cuntur, quoniam perire non poſſunt, quos prædeſtinauit ad uitam. Dum ergo ſigno-
rum magnitudinem prædicit, in conſeruandis fidelibus, Dei potentia demõſtratur. Et
ne putaremus, hanc fidelium tentationem, tantummodò Antichriſti tempore futuram,
unde in hæreticis dolis cauendis ſegnes efficeremur, de ea hæreticorum expeditione,

quæ

quæ Antichriſtum antecedit, confeſtim ſubdit, Et de tempore hæreſum nihilominus conueniunt intelligi hæc: falſi enim Chriſtiani ſunt, falſæ ueritates hæreſum, falſi autem prophetæ, prædicatores ueritatum falſarum. Dant autem, ſigna eadem facientes in ſimulatione, quæ faciunt fideles in ueritate. nam & caſtitati ſtudent, & ieiunia celebrant, & eleemoſynas faciunt, & omnem Eccleſiaſticum canonem ſupplent. An non tibi uideatur magna eſſe ſigna ſeductionis, cum uides diabolum facientem opera Dei? Hactenus ille. Caueamus itaque ne per Eccleſiaſticæ fidei deſertionem, à cœleſtis hæreditatis iure, Dæmonis fraude abdicemur, ſcientes nimirum, hos hæreſeon turbines, qui Deo permittente, excitati, Eccleſiam impetunt, non eſſe aliud quàm uerorum fidelium & filiorum regni cœleſtis, cribrationem quandam. Verùm de eo conſilio, quo uerorum magiſtrorum ſpeciem hæreticos miniſtros inducere permittat Deus, hæc dixiſſe ſufficiat.

De uerorum magiſtrorum ſigno primo. Cap. IX.

QVoniam autem ueræ doctrinæ ſigna fallacia, & quæ fraudulenter à Satana in falſæ religionis præceptoribus uſurpari queunt, ut catholici hominis animus omnino quieſcat, prodidiſſe non ſufficit, ea quoque demonſtremus oportet, quibus tutò ſe committere poſſit, & quæ, quòd ea nullo pacto diabolus uſurpare ualeat, non ſint ſuſpicioſa. Neque enim minus fidelibus hominibus pernicioſum eſſet, nulli credere, & omnes quantumuis exterius ſpecioſos, ſuſpectos habere, quàm omnibus, qui ſecundum externam faciem, hiſce, quos diximus, fucis adornantur, ſeſe totos erudiendos committere. Hinc enim quamuis aliquando, non tamen ſemper fidei & rectæ religionis diſcrimen incurritur, illinc uerò certus eſt diuini uerbi contemptus & nauſea quædam, dum nomini fiditur. Vidi ego noſtra memoria non paucos, qui quòd quoſdam ſanctitatis hypocriſi quadam, ac literarum peritia, uulgo celebres, hæreſis conuictos & publicè punitos uidiſſent, prorſus à concionibus audiendis, obſirmatis animis abſtinuerunt, cauſantes nimirum, nullam de miniſtris ueræ doctrinæ certitudinem haberi poſſe, ſed omnes ſibi ſuſpectos eſſe, unde ad nihil aliud illis poſthac diuini uerbi prædicationem profuturam, dicebant, quàm ut fidei ſcrupos & ſcandala, per quæ cruciarentur, & tandem à recta fidei deſcirent, ex illa ſuſciperent. Quæ excuſatio, an omnino ſit legitima, an uerò de huiuſmodi nimis cautis hominibus, dum ſe tutiſsimos à fidei diſcrimine, non audiendo uerbum Dei, exiſtimant, diabolus ipſe triumphos iam egerit, dum eoſdem omnino à uerbi cœleſtis paſtu friuolis his, ſed pernicioſiſsimis perſuaſionibus auocat, alij diiudicent. Puto ego, nullam eſſe grauiorem tentationem ea, qua diuini ſermonis paſtus diſſuadetur, neque publicis concionibus, ubi ulla eſſet ueræ religionis cura, arbitror quenquam decipi poſſe, modò occulta illa hæreticorum conuenticula uitet.

SED iam de certis uerorum magiſtrorum iudiciis, quæ nullo pacto ab hæreticis uſurpari queunt, quibuſque ſe tutò cõmittere poſſit homo catholicus, pauca loquamur. Sunt autem hæc non aliunde ſumenda, quàm ab his uirtutibus, quas nullo pacto adulterare diabolus poteſt, quæ ſunt mea quidem ſententia, fraterna charitas & humilitas, quibus duobus nihil neque frequentius, neque ſtudioſius Chriſtum & Euangelicæ fidei priores illos magiſtros, docuiſſe uidemus. Hoc eſt, inquit, præceptum meum ut diligatis inuicem, ſicut dilexi uos. quaſi cuncta Chriſtiana præcepta, ex fraterna charitate, ſint interpretanda, & in illam, quaſi in ultimum finem, Chriſtianæ legiſlationis referenda. Et alibi, In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eritis, ſi dilexeritis adinuicem, ut fraterni nimirum amoris ſtudium doceret Chriſtiani magiſtri certiſsimum ſymbolum. De humilitate uerò, Diſcite, inquit, futuris illis totius Orbis magiſtris à me, quia mitis ſum & humilis corde. quòd ſcilicet Chriſti ueros diſcipulos à Satanæ diſcipulis nihil æque ac humilitas ſegreget. Verùm de priori dicamus.

Vnde ſint uerorũ magiſtrorũ ſigna petenda.

Ioan. 15.

Ioan. 13.

Matth. 11.

NIHIL magis Deo familiare eſſe, quàm diſperſa congregare, & in unum reducere: ſicut contrà, nihil diabolo amabilius, quàm ea, quæ ſunt in unum congregata, diſpergere, & ipſa utriuſq; conditio, & ſanctæ ſcripturæ teſtimonia teſtatur. Eſt Deus & natura

tura & uoluntate bonus: bonum autem & unum neceſſaria ſibi cognatione cohærent: contrà, diabolus etſi natura bonus ſit ab auctore formatus, prauæ tamen uoluntatis ſtudio, in malitiam deſciuit: malum uerò & multa metaphyſica, ratione nectuntur. eſt enim ſicut omnis unitas bona, ita omnis diuiſio & unitatis diſſectio mala perinde. unde rerũ generatio nõ eſt aliud quàm utriuſq; naturæ, formæ & materiæ, naturalis cõiunctio, ex qua unum reſultet, ſicut earundẽ interitus, non eſt aliud quàm utriuſq; naturæ perfecta diſſectio, ex qua multa, partes nimirũ à ſe ipſis ſeparatæ, conſurgant. Hinc Deus non ſemel in ſancta ſcriptura, pro maximo beneficio, cor unũ uniuerſis fidelibus dare dicitur, quòd animorũ & mentiũ unitatẽ efficiat, & ualde diligat. Vnde, cũ Iſraëliticus populus, qui uero olim Deo relicto fuerat in diuerſa diſſectus, ſancti regis Ezechiæ monitione, reſipiſcere inciperet, in Iuda facta eſt manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent, iuxta præceptũ regis, & principum, uerbum Domini. *2. Paralip. 30.* Apud Ezechielem etiam eiuſdẽ populi captiuitatẽ demulcens, Congregabo, inquit, uos de populis & adunabo de terris, in quibus diſperſi eſtis, daboq; uobis humũ Iſraël, & egredientur illuc & aferent omnes offenſiones, cunctaſq; abominationes eius de illa, & dabo eis cor unum, & ſpiritum nouum tribuam in uiſceribus eorum. *Ezech. 11* & alibi, Ego, inquit, congregabo eos de uniuerſis terris, ad quas eieci eos in furore meo & in ira mea, & in indignatione grandi, & reducam eos ad locum iſtum & habitare eos faciam cõfidenter, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, & dabo eis cor unum & uiam unam, ut timeant me uniuerſis diebus & benè ſit eis. *Hiere. 32.* Quaſi nullo alio expreſsius eius populi fœlicitatem prophetica uaticinia declarent, quàm hac mentium & cordium unitate diuinitus præſtita. Iam uerò quantum Euangelico ſæculo in hac hominum unitate efficienda Chriſtus & Apoſtolici uiri laboris impenderint, frequentes de hac re tum in Euangelicis, tum in Apoſtolicis ſcriptis, ſermones oſtendunt. Alias (inquit Chriſtus) oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus paſtor. *Ioan. 10.* Ex hoc etiam mundo profecturus ad patrem, nihil eum impenſius precatur, quàm ut unum eſſent uniuerſi fideles, ſicut & ipſe unum eſſet cum patre, unum nimirum non eſſentiæ unitate, ſed unanimitate ſententiæ. *Ioan. 17.* In hac animorum & mentium unitate conciliãda, totus olim erat, legitimus ille Euangelicæ legis magiſter, Apoſtolus Paulus, quòd nimirum nihil magis Chriſto placere perſuaſum haberet. De cætero fratres (inquit ad Corinthios, quos diabolus uariis opinionum diſsidiis in uaria diſtraxerat) gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, id ipſum ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit uobiſcum. *2. Cor. 13.* Non alia ratione profectò credebat Apoſtolus Deum, qui pacem & fraternam dilectionem tantopere diligit, illis affuturum, quàm ſi id ipſum uniuerſi ſentirent, & apud omnes eadem mentis ſententia uigeret. Vnde eoſdem alibi ſic obteſtatur, Obſecro uos fratres, per nomẽ Domini mei IESV Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in uobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia. *1. Cor. 1.* Et alibi, Si qua, inquit, conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua uiſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipſum ſentientes. *Phil. 2.* Sentiebat nimirum ſanctus Apoſtolus, nullo pacto Chriſtianam charitatem, ſine hac unitate conſenſus poſſe conſtare, unde ut Chriſtum & cæteros Apoſtolicos uiros uiderat facere, in eam conciliandam, diuerſis tropis, diuerſiſque metaphoris potiſsimùm dirigebat ſermonem. hunc pertinet, quòd nos unum corpus, cuius Chriſtus ſit caput, & uniuerſi fideles membra, qui uno eodemque ſpiritu uegetemur, appellat, Diuiſiones, inquit, gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt; idem autem dominus, & diuiſiones operationum ſunt; idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. *1. Cor. 12.* Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem Spiritum, & alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum in uno ſpiritu &c. Quæ diuerſa chariſmata ne uaria in habentibus ſtudia, diſiectaſque prorſus uoluntates erigerent, in unum eundemque auctorem, continuò refundit, Hæc, inquit, omnia operatur unus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult. & ſubinde, Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in uno

ſpiritu portati ſumus. Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa: ſi dixerit pes quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, num ideò non eſt de corpore? & ſi dixerit auris quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, ideò non eſt de corpore? &c. ſubinde, Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potuit profectò ſanctus Apoſtolus aptiori tropo, Eccleſiaſticæ plebis unitatem exponere quàm eam unum corpus, cuius ſint ſinguli homines membra, uocando. Hinc enim & ſingulorum diſcretio, & mutuum ſtudium & amor, quo inuicem uniuntur, manifeſtè colligitur. cum enim ſint inter ſe diſtincta, ſunt tamen unum corpus, uno eodemque ſpiritu uiuentia. Huc pertinet quod ad Epheſios ſcribit, Soliciti, inquit, ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ, unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis. Deſiderat Paulus, unam in nobis eſſe fidem, quemadmodum unus eſt Deus, unus eſt dominus, cui ſeruimus: quemadmodum unum omnes baptiſmum ſuſcepimus, & demum, quemadmodum, unum idemque corpus, uno eodemque ſpiritu, non contrario, uegetatur & uiuit. Et inferius, Et ipſe (inquit de Chriſto loquens) dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & cognitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Refricat ſemper ſanctus Apoſtolus, etiam cum Apoſtolica munera, quæ in Eccleſia fidelibus conferuntur, enumerat, corporis tropo Chriſtianam unitatem, ne fortè diuerſa Eccleſiaſtica miniſteria, uoluntates diſcinderent. Itaque adeò in Eccleſiaſtica unitate fouenda, laborabat, ut amplius neque ſexum, neque conditionem, neque nationum, neque terrarum diſtantia, eam uellet diſcindi. Non eſt (inquit) Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neq; fœmina, omnes enim uos unum eſtis in Chriſto. IESV. Et alibi, Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Sic Ioãnes Apoſtolus in canonicis Epiſtolis, & cæteri Apoſtolici uiri in nihil magis neruos intendebant, quàm ut fidelium hominum corda Dei & proximi dilectione ſuccenſa in unum conflarent, quod primo illo Eccleſiaſtico ſæculo præſtitiſſe, hiſtoriæ Apoſtolicæ non obſcurè recenſent. Multitudinis (ait Lucas) credentium, erat cor unum & anima una. nec mirum: intelligebat profectò Apoſtolicus chorus, nihil magis Euangelio eſſe conforme, quàm hanc ſanctam unitatem, ob quam efficiendam Chriſtus mortem ſubierat. IESVS (inquit Ioannes) moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, ne dum in diuerſas regiones, ſed in diuerſos cultus, in uarios errores, diuerſas uoluntates, & modos uiuendi congregaret in unum.

Ephe. 4.

Gala. 3.

Rom. 10.

Acta. 4.

Ioan. 11.

CONTRA uerò diaboli proprium eſſe, ſanctam iſtam unitatem euertere & corda hominum, & mentes mutuis diſſidiis diuidere, quæ tum in ſuæ naturæ conſortibus, tum in hominibus, quos ſuo ſubiugauit imperio, iam inde fecit à mundi primordio, præclarè demonſtrant. Ille eſt profectò, qui tertiam partem ſtellarũ, id eſt ſanctorum Angelorũ, à conditoris amore detractam, peſſumdedit: ille eſt, qui uniuerſum humanum genus, in uarias ſuperſtitiones, & uarios ritus falſæ religionis diſtraxit: ille eſt, qui Dei populum olim uno eodemque regno contentum, in uaria regna, uarias factiones, diuiſit: ille demum eſt, qui Chriſti tunicam inconſutilẽ, ſanctam Eccleſiam, falſarum ſectarum cultro diuiſit. Quid enim aliud fuit olim Arius, quid Eunomius, quid Macedonius, quid Eutiches, quid Donatus, & reliquæ fidei Eccleſiaſticæ peſtes, quàm Satanæ acutiſſimæ quædã machæræ, quibus Chriſti Eccleſia fuit in fruſta conciſa? Quid noſtra memoria, Lutherus, & reliqui rabulæ, quã diaboli cultri, quibus ab ea Eccleſia, quæ poſt tot clades remãſit, Germania, & Anglia, & nobiliſſimæ totius orbis prouinciæ fuerunt abſciſſæ?

HINC iam qui ad Euangelicum magiſterium, qui'ue ad peſtilentiæ cathedram pertineant, non obſcurè colligitur. Illum ego profectò, nunquam magiſtrum Eccleſiaſticum habeam, qui Chriſti corpus, id eſt Eccleſiaſticum cœtum, opinionum uarietate diſcindit, qui Chriſti tunicam lacerat, qui Chriſtianam charitatem diſcerpit, ſed eum, qui ad fraternum amorem & charitatem poſtpoſitis opinionum diſſidiis, fideles hortatur. Qui id ipſum ſapere, ut olim faciebat Apoſtolus Paulus, cunctis

ſuadet,

ſuadet, qui ad unam fidem uniuerſos inuitat. Cæteros, quicunque ſint illi, diaboli miniſtros ſe prodere non eſt dubitandum: quandoquidem, ut Gregorius Nazianzenus inquit, diabolus ipſe non modò aduerſus alios, ſed contra ſemetipſum multis modis & affectibus decertat, utpote qui oſor boni, & homicida ab initio. *In oratione de recõ monach.* Nulla itaque magis certa regula, quàm eum Euangelicum miniſtrum eſſe, qui Chriſtum & Apoſtolicos uiros in docendo ſequatur: eum contrà ad diaboli magiſterium attinere, qui in tradenda doctrina diabolũ imitetur. Eſt Chriſtus pax noſtra, qui fecit utraque unum; eſt princeps pacis, qui pacem his, qui propè, & pacem his, qui longè, annũtiauit. ergo qui Eccleſiaſticam unitatem fouet, qui opinionum diſſenſiones non ſeminat, Chriſti diſcipulus erit & legitimus Euangelij miniſter. contrà qui factiones generat, qui ſectas fouet, qui iurgia miſcet, qui rixas ſeminat, diaboli diſcipulus & miniſter iure cenſebitur. Non *1. Cor. 14.* eſt Chriſtus Deus diſſenſionis ſed pacis: ergo qui animorum & mentium concordiam & unitatem docet & fouet, Chriſti diſcipulus uerus cenſebitur. contrà uerò contentiones, *Galat. 5.* æmulationes, inuidias, rixas, diſſenſiones, ſectas, inter opera carnis Apoſtolus numerat. Qui ergo cõtentiones, æmulationes, rixas & diſſenſiones in populo ſeminat, non Chriſti, ſed carnis & diaboli diſcipulus erit. Lege hiſtorias, antiquitatẽ ſcrutare, Eccleſiaſticos annales euolue, nunquã uidebis catholicos uiros, & quos & uitæ ſanctitas, & poſt uitam celebres miracula reddiderunt: quos (inquam) certò ſcimus legitimos Euangelij miniſtros, Eccleſiaſticam unitatem diſcerpſiſſe. contrà, hæretici non tantùm Eccleſiam Chriſti conciderunt in fruſta, ſed inſuper ipſorum inter ſe corda, ut Hieronymus inquit, ſunt inter ſe diuiſa, & contrariis pugnant ſententiis. Sed de patrum Ec- *Oſea 10.* cleſiaſticorum concordia & hæreticorum ſimultatibus in ſecundo libro ſatis dixiſſe me arbitror.

De ſecunda uerorum magiſtrorum nota. Cap. X.

NVnc de altera Euangelici prædicatoris infallibili nota, & quam nec Satanas ipſe uiolare queat, conſequenter dicamus. Chriſtum, à quo totius cœleſtis magiſterij legitima ratio deſcendit, nullam magis uirtutem neque coluiſſe, neque Chriſtianis hominibus commendaſſe, quàm mentis modeſtiam, quam humilitatẽ uocamus, nemo, qui ſanctarum ſcripturarum eſt particeps, neſcit. Hoc ſentite in uobis (inquit Apoſtolus Paulus) quod *Phil. 2.* & Chriſtus IESVS, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Et Chriſtus ipſe Chriſtianæ uitæ inſtitutor & auctor, Niſi conuerſi, inquit, fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum *Matth. 23.* cœlorum. Cum enim primi illi generis humani parentes, propter mentis elationem & faſtum, prima illa fœlicitate eiecti fuiſſent, oportebat ut tam eiuſdem humani generis reparator, quàm hi, qui amiſſam illam beatitudinis arcem, conſcenſuri eſſent, contraria prorſus uirtute adornarentur. Sic olim Apoſtolici uiri nulla magis uirtute enituerunt quàm mentis modeſtia, quod eorum ſcripta luculenter demonſtrant. Puto (inquit Apo- *1. Cor. 4.* ſtolus Paulus de ſe & reliquis Apoſtolis loquens) quòd Deus nos Apoſtolos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quoniam ſpectaculum facti ſumus mundo, Angelis & hominibus: nos ſtulti propter Chriſtum, uos autem prudentes in Chriſto; nos infirmi, uos autem fortes; uos nobiles, nos autem ignobiles. uſq; in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramus; tanquã purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema uſq; adhuc. De ſe uerò ipſo, quàm modeſtè ſentiret, cum Chriſti apparitiones poſt reſurrectionem deſcriberet, alibi prodit, Deinde, inquit, uiſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis, nouiſsimè omnium, tanquam abortiuo, uiſus eſt mihi. ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus uocari Apoſtolus, quoniam perſecutus *1. Cor. 15.* ſum Eccleſiam Dei. gratia autem Dei ſum id quod ſum. Vides Apoſtolici uiri, quem

tamen legitimum Euangelicæ religionis miniſtrum, inficiari non licet, quanta fuerit
Gala. 1. humilitas, quàque modeſtè de ſeipſo ſentiret. Qui cum ad Chriſtum gentibus Euan-
gelizandum fuiſſet ex utero matris ſuæ ſegregatus, poſt Arabiam, Syriam, & Lyciam
Gala. 4. Euangelio reſperſas, poſt decem & ſeptem annos iam fœliciter in Euangelico miniſterio,
exantlatos, Hieroſolymam aſcendit, ut cum Petro & cæteris Apoſtolis Euangelium,
quod in gentibus prædicarat, conferret, ne forte in uanum cucurriſſet aut curreret. Fi-
debat nimirum ſanctus Apoſtolus magis aliorum, præſertim maiorum iudicio quàm pro-
priæ opinioni. Sic poſtmodum Eccleſiaſtici uiri quique legitimè Euangelico magiſte-
rio ſunt functi, nullam aliam inter Chriſtianas uirtutes magis coluerunt, quàm humili-
tatem, præſertim cum de rebus diuinis eſſet ferendum iudicium. Tunc enimuerò nihil
habuerunt prius, quàm aliorum, quos pro Chriſtiana modeſtia ſapientiores exiſtima-
bant, præſertim maiorum ſuorum decretis ſtarent: quod cum eorum ſcripta abundè de-
monſtrent, inductis exemplis non eſt opus oſtendere. Tanti ſuas cogitationes & labores
appendebant, quantum conſentirent cum maiorum iudicio, cætera omnia, quantumuis
ſubtilia, quantumuis docta uiderentur, continuò peſſundabant. nunquam ſe aut ſua
Eccleſiaſtico ſenſui prætulerunt, ſed quæ maiorum ſolummodò commendaret auctori-
tas. Contrà hæreticis hominibus nihil ſolennius, quàm pro ingenti illa, quam à diabo-
lo parente acceperunt, ſuperbia, præ ſe ipſis cunctos deſpicere & pili facere, ſoloſque ſe
ſapientes exiſtimare, & ſuis uiribus ad ardua quæque ac difficilia ſanctæ ſcripturæ myſte-
ria, uelle pertingere. His ſolis ſanctarum ſcripturarum campus eſt planiſſimus, his ſolis
abditiſſima quæque myſteria ſunt peruia, his ſolis ocioſi uidentur ſanctorum labores.
hi ſunt, qui quòd nulla difficultate in ſanctarum ſcripturarum expoſitione grauentur,
ſutoribus, cerdonibus & popinis, ſine ulla difficultate legendas eaſdem exponunt. Hi
ſunt, qui fœminas inter lanificia & linificia de ſacris quibusq; rebus diſceptare non pro-
hibent, quòd ſcilicet ſuper cæteros mortales tanto mentis acumine uigeant, ut ſibi per-
uia, quæ uerè ſunt difficillima, non ambigant. ita ut rectè mihi Hieronymus, Ab-
diæ uerba illa, Superbia cordis extulit te habitantem in ſciſſuris petræ, interpretari de
hæreticis uideatur. Quis (inquit) hæreticorum in ſuperbiam non extollitur, parui-
pendens Eccleſiæ ſimplicitatem, & eam reputans imperitiam? Et ſubinde, Neque pro-
pheta (ait) dixit, habitantem in petra, ſuper quam prudens ædificator extruit domum
ſuam, ſed habitantem in ſciſſuris petræ, ut hæreſeon à petra Chriſto, & ab Eccleſia ſi-
gnificet ſciſsiones. Ita Hieronymus.

Hæreticorũ teſſera, ſuperbia. QVEMADMODVM autem ſancta humilitas, Eccleſiaſticorum uirorum eſt certiſſimum
ſignum, quòd humilitas in diaboli membris inueniri non poſſit, ſic ſuperbia & arro-
gantia cunctorum hæreticorum fideliſſima teſſera, quòd pater & magiſter eorum dia-
bolus, ſit rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Apoſtolatus Chriſti ſigillum eſt, ſancta men-
Iob 40. tis modeſtia, qua cunctos & meliores & ſapientiores, præ ſeipſis ueri Apoſtoli iudicant,
& eorum ſenſui potius quàm propriæ ſententiæ ſubſcribunt. Apoſtolatus uerò Anti-
chriſti ſigillum eſt, quædam mentis inflatio, qua non modò particulares homines, uerũ
Lib. 1. epiſt. epiſtola 3. etiam ipſos ut Eccleſiaſticos cœtus ludibrioſè contemnunt. Exaltatio & inflatio & ar-
rogans ac ſuperba iactatio (inquit Cyprianus) non de Chriſti magiſterio eſt, qui hu-
militatem docet, ſed de Antichriſti ſpiritu naſcitur, cui exprobrat per prophetam Do-
Iſai. 14. minus, & dicit, Tu autem dixiſti in animo tuo, In cœlum aſcendam, ſuper ſtellas Dei
ponam ſedem meam, ſedebo in monte alto ſuper montes altos, in Aquilonem aſcen-
dam ſuper nubes, & ſimilis ero altiſſimo. Et ſubinde, De ore itaque & de uerbis
ſuis unuſquiſque ſtatim proditur. Et utrùm Chriſtum in corde ſuo, an uerò Antichri-
ſtum habeat, loquendo detegitur: ſecundum quod Dominus in Euangelio ſcribit,
Progenies uiperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis nequam. De abundan-
tia enim cordis os emittit. bonus homo de bono theſauro emittit bonum; nequam ho-
mo, de nequam theſauro emittit nequam. Ex hoc mentis faſtu & arrogantia grandis
ille Eccleſiaſtici paſtoris contemptus deriuatur, quòd ſcilicet indignum putent hæreti-
ci, ingens illud & pluſquam humanum mentis acumen, quod in Eccleſiæ lumen & illu-
ſtrationem acceperunt, ulli mortalium erudiendum ſubiicere. neque enim aliunde hæ-
In eadem epiſt. reſes (inquit Cypr.) obortæ ſunt, aut mala ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti
Dei non obtemperatur; nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos & ad tempus iudex
nice

uice Chriſti cogitatur: cui ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas uniuerſa. Nemo aduerſus ſacerdotum collegium quicquam moneret, poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum, iudicem iam non Epiſcopi, ſed Dei ſaceret. nemo diſsidio unitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris nouam hæreſim conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet ſine Dei iudicio, fieri ſacerdotem. Hactenus Cyprianus. Quibus ſimilia ad Florentium alibi ſcribit.

Lib. 4. epiſt. epiſtola 9.

LEGE itaque Eccleſiaſticas hiſtorias, multos hæreticos deprahendes doctiſsimos, diſertiſsimos multos, qui externo ſanctimoniæ fuco admirabiles, uel ipſis extiterunt catholicis; nullum tamen humilem, & qui fraternam correctionem patienter ſubſtineret; multos, qui in cibos pauperum uniuerſam ſubſtantiam libenter diſtraxerint; nullum, qui non ſeſe admiraretur potius quàm uniuerſam Eccleſiam audiret. atque hoc eſt, quòd hæreticum proprio iudicio condemnatum, ac proinde immedicabilem docebat Apoſtolus: tanta eſt enim hæreticorum ſuperbia, ut à nemine doceri ſe patiantur, aut alicuius informationem ſuſcipiant, qua ſola ratione potuiſſent ab errore purgari. Quemadmodum uerò ex hæretico faſtu ac mentis elatione, Eccleſiaſticæ cenſuræ contemptus deſcendit, ita ex ſancta illa mentis modeſtia & Euangelica humilitate, qua interius adornantur catholici magiſtri, Eccleſiaſtici ſenſus & iudicij admiratio deriuatur, qua quidquid ſancta mater Eccleſia decreuerit, quaſi legitimi filij ſuſpiciunt & ſine mora ſequuntur. In qua Eccleſiaſtica obedientia perfecta catholici hominis ratio ſita eſſe uidetur. Ille enim catholicus iure cenſetur, qui Eccleſiaſtico iudicio cedit, & libenter obſequitur. Ille eſt (inquit Vincentius Lyrin.) uerus & germanus catholicus, qui ueritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religionis, qui catholicæ, ideſt uniuerſali fidei, nihil præponit; non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philoſophiam, ſed hæc deſpiciens & in fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid uniuerſaliter antiquitus Eccleſiam catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum credendumque decernit.

Nullus hæreticus humilis et modeſtus.

Tit. 3.

Qui catholicus cenſeatur.

QVI ergo quaſi lapide Lydio Euangelicum magiſtrum probare uoluerit, primùm quidem attendat, an ſe ab Eccleſiaſtica unitate ſeparare moliatur: quod ſi faciat, eundem quaſi Euangelico magiſterio, quod unitatem ſuadet, omnino contrarium continuò deuitet. uideat deinde Eccleſiaſticum iudicium & patrum ſententiam uenerabundus ſuſpiciat, & ſibi proponat: quod ſi faciat, nihil erit ulterius inquirendum, ſed is quaſi legitimus Euangelij miniſter audiendus. hic uerò animus, quo nobis cœleſtium iudicium præponimus, nulla alia uirtute quàm humilitate cenſetur. Verùm de his notis, quibus à ſimplicibus & ineruditis hominibus, ueræ religionis magiſtri, certa ratione poſsint dignoſci, de his etiam, quibus, quòd ſint ambigui & fallaces, nonnunquam eoſdem, quo falſæ doctrinæ conſentirent, opera diaboli poſſent decipere, ſatis ſit hæc dixiſſe. Nunc ad ſecundam illam exactiorem examinandæ fidei rationem, qua non iam ſignis, & notis docentium, ſed ipſa doctrinæ theologica probatione res agitur, ſtylum cõuertamus: de qua re, quòd ſit Chriſtiano Theologo ſummè neceſſaria, quamuis multi noſtra memoria fœliciſsimè ſcripſerint, non tamen ab re, de qua agimus, futurum eſt, ſi noſtras quoque cogitationes afferamus in medium.

Certiſsima probãdi magiſtrum regula.

Quòd ultima fidei aut Chriſtianæ confeſsionis reſolutio, in auctoritatem Eccleſiæ fiat. *Cap. XI.*

ANtea quàm huic tractationi manus adiungamus, quaſi totius operis fundamentum, nobis eſt illa quæſtio ſcholaſtico rigore uerſanda, qua diſceptari in theologicis gymnaſiis ſolitum eſt, In quid tandem ultima Chriſtianæ confeſsionis aut fidei reſolutio fiat, id eſt, quæ ſit demum ultima noſtræ credulitatis ratio. Eſt enim rem quampiam reſoluere, eandem in ſuas ultimas cauſas aut rationes reducere, ut concluſionem in prima principia, & hominem in prima illa naturæ elementa. Puto autem dignam huiuſce

quæſtionis diſcuſsionem ſummopere hoc ſæculo ad hæreticorum elidendas inſanias &
Eccleſiaſticam auctoritatem aſſerendam conducere.

Quorundã theologorũ opinio. Svnt ergo inter ſcholaſticos auctores non pauci, qui fidem in aliud quàm in diui-
nam prorſus auctoritatem reſolui nefas exiſtiment: tum quòd Petro dicenti, Tu es
Matth. 16. Chriſtus filius Dei uiui, Chriſtus ipſe reſponderit, Beatus es Simon Bariona, quia caro
& ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt; ubi carnem & ſanguinem,
omne humanum quantumuis graue teſtimonium intelligit: tum deinde quòd fides
cùm res ſit certiſsima, & quæ prorſus omnem ſcrupulum & dubitationem excludat, in
aliud, quàm in certiſsimum teſtimonium reſolui non poſsit. id autem ſolum eſt, diui-
num illud, cui fallere prorſus aut falli repugnat: nam de uniuerſis mortalibus in exceſſu
Pſal. 115. conſtiturus, iam olim ſanctus propheta generaliter clamat, Omnis homo mendax.
quaſi nullius quantumuis ueracis, quantumuis ſancti, certum ſit teſtimonium. Tunc ter-
Galat. 1. tiò, quòd ut ad Galathas Paulus ſcribit, tam ſolida eſt Chriſtianæ fidei & religionis
ſtatio in eo licèt, quod ſemel Euãgelica prædicatione ſuſceptum eſt, ut nos (loquitur ue-
rò de ſeipſo Paulus) aut Angelus de cœlo aliud Euangelizauerit, prorſus futurus ſit ana-
thema. Tanta uerò firmitas in fide ſemel ſuſcepta ab humano teſtimonio deriuari non
poteſt. Suſcitet (aiunt) Deus omnes, qui à mundi naſcentis initio ad diem hunc mor-
tui ſunt, ſiue quos ob ſua malefacta Orcus concluſos tenet, ſiue quos iam diuinitatis
fruitio beatos effecit, ſiue quos pœnæ purgatoriæ diſcruciant, ſi fortè nos horum, quæ
iam ſemel ſuſcepimus, Euangelicorum dogmatum contraria docerent, nequaquam
aſſentiremus, quamuis in illis eſſet Petrus, Paulus, aut beata uirgo. Quare? Quòd ni-
mirum fides noſtra non ab humano, ſed prorſus à diuino teſtimonio dependeat. Nam
alioqui, ſi fides humano teſtimonio conſtaret, per eiuſdem generis teſtimonium rurſus
euerti, nihil obeſſet. Tunc demum, quòd iam conſenſus ille, qui à nobis diuinum de
credendo præceptum extorquet, non diuinus, ſed humanus eſſet, cùm à fide humana,
ideſt quæ ab humano teſtimonio deriuatur, deſcendat. quod quàm ſit alienum à fide,
uelle demonſtrare, iſtis auctoribus uidetur ocioſum. Volunt itaque contrariam ſenten-
tiam iam olim à ſanctis auctoribus fuiſſe damnatam, præcipuè uerò à Hieronymo,
Theophilacto, Chryſoſtomo, &c. qui in Pauli ad Galathas epiſtolam commentarios
condiderunt, cùm illa uerba, Si nos aut angelus de cœlo &c. interpretantur. Quod ſi
quæras, In quid ergo tandem ultima fides noſtra reſoluatur, quaſi in primum princi-
pium? Quidam in Deum ipſum ſub ratione primæ ueritatis, quidam uerò in fidem in-
fuſam, quidam in Spiritum ſanctum, diuerſis rationibus, reſolui contendunt. In Deum
quidem, quòd is ſub ratione primæ ueritatis ſit fidei obiectum. unaquæque autem
actio in ſuam rationem formalem, ultimatè reſoluitur, ut albedinis uiſio in id, quod
eſt, eſſe uiſus diſgregatiuum, nigredinis, in id, quod eſt eſſe congregatiuum &c. in fidẽ
infuſam, quòd is habitus ſit altioris ordinis, utpote qui non humana opera ſed prorſus
diuina, animæ contigerit, unde in eum quaſi in primum principium fidem acquiſitam
oportet refundi. In Spiritum ſanctum, quòd is horum theologicorum habituum, fidei,
Rom. 5. ſpei, charitatis, ſit immediatus auctor. Nam quemadmodum de charitate ſcriptum
eſt, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus ueſtris per inhabitantem ſpiritum &c. ita quo-
2. Cor. 4. que ſcriptum eſt, Habentes eundem ſpiritum fidei &c. Et rurſus, Fructus autem ſpiritus
Gala. 5. eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, manſuetudo, fides &c. Quum
1. Cor. 12. & inter ea dona ſpiritus, quæ Corinthijs ſcribens Paulus enumerat, fides recenſeatur,
Epheſ. 2. Alteri, inquit, fides in eodem ſpiritu. & ne quis de quorundam tantùm fide, Apoſtolum
1. Cor. 1. loqui, credat, alibi abſolutè fidem, Dei donum pronuntiat.

Atqvi ita quidem iſti cum in aſsignando eo, in quod fides reſolui debeat, à ſe mu-
tuò diſsideant, unanimiter tamen eandem in auctoritatem Eccleſiaſticam reſolui non
uolunt, ne uidelicet, fides noſtra ſit in ſapientia hominum & non in uirtute Dei. mihi
tantum abeſt ut ea ſententia erroris nota ſuſpecta uideatur, ut prorſus catholicam iu-
dicem, & omnibus rectæ fidei, & religionis cultoribus neceſſariò confitendam, quaſi to-
tius Eccleſiaſticæ armaturæ fundamentum & certiſsimam baſim, ſine qua nihil ſolidum
aduerſus hæreticas fraudes poſsit inſterni. Nec ſcio prorſus inter eos auctores, qui digni
lectione habentur, quis unquam ſæculorum contrarium docuerit, & multò minus ſcio
cur his potiſsimùm, ſæculis, quibus in re omnium maximè ſeria, minus quàm un-

quam

quam ludere licet, contrarium quis, cum tanta Eccleſiaſticæ auctoritatis iactura do-
cere permittatur. Sed iam applicemus argumenta.
Principio, unumquodque in id tandem ultimò reſolui, per quod primò omnium Probatur ul-
accipit initium, præter nobilium philoſophorum auctoritatem, experientia nos docet: timam fidei
lignum ex quatuor primis elementis compactum in eadem tandem quatuor elementa reſolutionẽ
ultimatè reſoluitur, & in nihil ulterius. neque enim deinde idem lignum; ſed ſingula in Eccleſiã
per ſeipſa elementa, in materiam & formam ſoluuntur, immo uerò neque elementum fieri.
in materiam & formam phyſicè reſoluitur. ea enim, in quæ quodque reſoluitur phyſicè,
manere debent, forma uerò elementi, facta reſolutione, non manet. Et ut phyſicas
compoſitiones dimittamus, concluſio profectò in ſubſumptionem, ſubſumptio omnium
in primum enuntiatum ultimatè reſoluitur. eſt enim homo riſus capax, quoniam omne
rationis particeps, riſus eſt capax: eſt tandem rationis capax: quoniam eſt homo. Ve-
rum eſt igitur, non modò in phyſicis, ſed etiam in dialecticis & rationalibus compoſi-
tionibus unumquodque in id tandem ultimò reſolui, per quod accepit initium exiſten-
di. Atque id ordo ipſe reſolutionis poſtulare uidetur, qui contrarius eſt ordini compo-
ſitionis. Sicut enim ordine componendi à primo ad ultimum, ita ordine reſoluendi, ab
ultimo ad primum omnium, ordinatè proceditur. Quod ſi ita eſt, cum fides, Paulo Roma.10.
auctore, ex Eccleſiaſtica fidei propoſitione gignatur, eadem ergo fides, in eandem Ec-
cleſiaſticam fidei præpoſitionem ultimatè reſoluitur. Quomodo ergo inuocabunt, (in-
quit) in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quo
modo autem audient ſine prædicante? quomodo uerò prædicabunt niſi mittantur? Et
ſubinde, Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Vides Apoſtolum, fi-
dem noſtram non in aliud, quàm in Euangelicorum & Eccleſiaſticorum miniſtrorum
prædicationem refundere. Eſt autem maximè aduertendum, quòd quemadmodum,
in rationali proceſſu, ubi prius eſt cauſa poſterioris, poſterius uirtute continetur in priori
tanquam in cauſa effectus, & ex illo recta cõſecutione deducitur: ita etiam in fidei pro-
ceſſu una auctoritas ac proinde una fides, uirtute continetur in alia. Fides enim ab au-
ctoritate dependet: & quemadmodum compoſitiuo proceſſu una auctoritas ex alia ſupe-
riori recta conſecutione deriuatur, ita una fides ex alia. & rurſus quemadmodum in ſyl-
logiſtico proceſſu, quem à poſteriori, dialectici uocant, concluſio, quaſi effectus in præ-
miſſas reſoluitur; ita in fidei proceſſu auctoritas illa, quæ ex maiori auctoritate, quaſi
ex principiis deducta fuerat, in eandem maiorem auctoritatem ultimatè reſoluitur. Sô-
crates regis nuncius mihi regijs literis cõmendatur, ut illi credam in omnibus; refert
mihi, ſubinde regem hoc aut illud mihi imperare: aſſentior continuò: quoniam uideli-
cet, maior auctoritas minorẽ auctoritatem, ac proinde fides quæ ex illa maiori genera-
tur, fidem, quæ ex minori progignitur, quaſi cauſa effectum compoſitiuo proceſſu, in
me ipſo producit. contrà reſolutiuo, Socratis minor auctoritas, ac perinde fides, quæ
ex illa deriuatur, in regiam illam epiſtolam, ideſt in regiam auctoritatem & fidem,
quam illi ex ſigillo &c. adhibui, ultimatè refertur. Quemadmodum enim compoſitiuo
proceſſu auctoritas regia facit, ut Socrati credam, ita reſolutiuo non aliter Socrati cre-
do, niſi quia regi credo. Ita per omnia, quemadmodum Eccleſiaſtica auctoritas, qua Contra epi-
in rebus fidei decernendis nulla maior, Euangelici prædicatoris, aut canonici libri au- ſtolam fun-
ctoritatem facit compoſitiuo proceſſu, ita Euangelico prædicatori, aut canonico libro, damen.
non aliter creditur, quàm propter eandem Eccleſiaſticam auctoritatem. Atque hoc eſt
quod Auguſtinus maximus ille Eccleſiaſticæ auctoritatis aſſertor, cum maximo omnium
catholicorum applauſu & comprobatione dixiſſe memoratur, Ego uerò Euangelio non
crederem, niſi catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. & rurſus, ſe Euangelium Na
zaræorum non admittere profitetur, quia Eccleſia non admittat. Et profectò quod de
ſe ipſo Auguſtinus fatetur, non erit laborioſum ab his ipſis auctoribus, qui contrarium
docent, extorquere: nam ſi à quouis eorũ quæras, quam ob cauſam huic articulo, Deus
eſt trinus & unus. fidem adhibeat, aut alteri ſimili, ſat ſcio reſponſurus eſt, quòd quia
ita Deus per ſanctam ſcripturam nos doceat. Quòd ſi rurſus urgeas, Quare credat id
per ſanctam ſcripturam doceri, præſertim cùm Arius, Macedonius, Eunomius, Sabel-
lius & plures alij, non ſine ſanctarum ſcripturarum apparenti ſuffragio, contrarium do-
cuerunt? reſpondebit tandem, quòd credat Deum ita reuelaſſe & ſanctam ſcripturam ita
docere,

docere, quoniam ita doceat Eccleſia catholica. Vides ergo ultimam confeſsionis Chriſtianæ aut fidei reſolutionem, in Eccleſiaſticam tandem traditionem fieri. neque enim huic fidei articulo tandem adhæres, quòd Deus tibi immediatè id oſtenderit, aut Spiritus ſanctus ita tibi immediatè ſuggeſſerit, aut demum, quòd ita fides infuſa, quam prorſus in actum explicitum prodire eſt impoſsibile, tibi dictet, ſed quòd ita ſine ulla uariatione, Eccleſiaſtica traditione ſuſceperis.

2. Ratio. PRAETEREA, ſit homo agreſtis totius prorſus eruditionis exors, Chriſtianus tamen, qui à prædicatore ſuſceperit hunc articulum, Deus eſt trinus & unus. ab hoc ſi quæras, an is articulus uerus ſit, reſpondebit utique uerum. quòd ſi, quare hoc ita credat, rurſus quæſieris, reſpondebit, quòd quia ita à publico uerbi diuini miniſtro, Eccleſiaſtico loco, ubi doctrina uera tradi ſolet, ſuſceperit: quòd ſi prædicatorem illum, quem ruſticus ille doctorem ſe habuiſſe commemorat, rurſus interroges, quare ita docuerit, reſpondebit, profectò, quòd quia ita doceat aduerſus hæreticos Eccleſiaſtica traditio, atque hic ultimò tandem reſpondere ceſſabit. Fit igitur ultima fidei reſolutio in Eccleſiæ auctoritatem.

3. Ratio. AMPLIVS, omne reuelatum à Deo, eſt uerum: hic articulus, Deus eſt trinus & unus, eſt à Deo reuelatus: ergo eſt uerus. perfectus eſt ſyllogiſmus: in ſyllogiſmo uerò perfecto concluſio ex ipſa ratiocinandi natura debiliorem partem inſequitur: ſequitur ergo hæc concluſio, Deum eſſe trinum & unum; eſt articulus uerus, ſubſumptionem illam, Hic articulus, Deus eſt trinus & unus, eſt à Deo reuelatus, quoniam illa prior, Omne reuelatum à Deo, eſt uerum, certiſsima eſt, & quæ perſuaſione nõ indigeat. Sed illam minorem propoſitionem, Eccleſiaſtica tandem traditione ſuſcepi, credo igitur concluſionem illam, Deum eſſe trinum & unum, eſt articulus uerus. ultimò tandem Eccleſiaſticæ traditionis uirtute, quoniam in eam tandem, inquiſitio conquieſcit.

4. Ratio. EST & pro hac ſententia communis catholica uox omnium catholicorum, quam à fidelibus & orthodoxis parentibus ab infantia ſuſcepimus. Inquiſiti enim, quare ſic credamus, reſpondere docemur, quòd quia ita credat & doceat Eccleſia. Neq; quiſquam catholicus inquiſitus, quare huic articulo, Deus eſt trinus & unus, aſſentiat, reſpondit, quòd quoniam ita Deus aut Spiritus ſanctus interius dictet, aut quòd ita fides infuſa, quam in baptiſmo ſuſcepit, credendum inſinuet.

5. Ratio. ET DEMVM, quo pacto, quæſo, alterius ſententiæ patroni hæretico homini reſiſtere poterunt, qui dicat, ita, aut ita ſe credere, quòd hoc pacto aut illo ſibi interius fides infuſa aut Spiritus ſanctus credendum inſinuet, ſi ultima tandem reſolutio fidei non ſit in Eccleſiam? Quid prohibet, ut ſuam hæreticam ſententiam, Deo interius doceri, Spiritui ſancto, aut fidei infuſæ, quò nunquam poſsit efficaciter reuinci, impingat? Nam ſi in quodpiam iſtorum fides quaſi in primam originem ultimatè reſoluitur, id erit unica ac certiſsima regula cui potius quàm ulli Eccleſiaſticæ traditioni in eiuſdem fidei iudicio & examine ſtare oportebit. Nihil ergo aduerſus illum Eccleſiaſtica traditio aut cenſura proderit, utpote in qua ultima randem ac certiſsima reſolutio non fiat. Probare autem quòd id interius, Deus non doceat, aut fides infuſa, difficile erit, immo uerò impoſsibile, unde nunquam hæreticus reuinci poterit aut coargui.

EST autem inter ſcholaſticos auctores mirum de hac quæſtione ſilentium, quòd nemo uidelicet eorum, qui & eruditione & antiquitate cæteris omnibus præſtantiores habentur, hanc rem in quæſtionem (ut ego quidem iudico) poſſe conuerti crediderit. Nam quòd Scotus ut eius præcipuus patronus & inuentor à quibuſdam profeſtatur, forſan id ſit, quòd nondum plenè eius mentem & ſententiam acceperint. (3. ſent. diſtin. 23. artic. 1.) Enimuerò nihil aliud ille ſuadere intendit, quàm quòd ex ſimplici credulitate articulorum fidei, id eſt, ut illis conſenſum præſtemus, non colligitur fidei infuſæ neceſsitas, quoniam illis ſola fide acquiſita conſentire poſsimus. Quòd uerò fide acquiſita ſola ſine infuſa fide articulis fidei, poſsimus credere, hoc ratiocinio ſuadet, Articulis fidei non ob aliud credimus, quàm quòd ita tradat & doceat Eccleſia: ſed Eccleſiæ credimus fide acquiſita, ergo & articulis fidei. Maiorem ſuadet auctoritate Auguſtini dicentis, ſe non crediturum Euangelio, niſi crederet Eccleſiæ. Minorem probat, quòd non minorem fidem mereantur canonici libri, quàm prophanorum librorum auctores, quibus tamen acquiſita fide credimus, quæ nunquam uidimus. Ergo non ex intentione, ſed incidenter rem atti-

git, non

git, non quaſi dubiam, ſed quaſi certiſsimam, alioqui pro ſua conſuetudine nunquam ſolo Auguſtini dicto in quæſtione grauiſsima ſibi ſatisfeciſſet, ſed, quod in rebus leuioribus facere ſoler, aduerſas recitaſſet ſententias, rationes & argumenra cumulaſſet. Sed præſtat, quò res ſit apertior, eius uerba proferre, Certum eſt (inquit) quòd in nobis eſt fides reuelatorum credibilium acquiſita, quod patet per Auguſtinum in epiſtola [Scoti uerba.] contra fundamentum Manichæi, qui dicit, qnòd non crederet Euangelio, niſi crederer Eccleſiæ catholicæ. Paret igitur per eum, quòd libris canonicis non eſt credendum niſi quia credendum eſt Eccleſiæ approbanti & auctorizanti libros iſtos & contenta in eis, quanuis aliqui libri auctoritatem habeant ex auctoribus, non tamen adhæremus eis firmiter niſi quia creditur Eccleſiæ. unde dicit Auguſtinus ibidem quòd Euangelium Nazaræorum non admittit, quia Eccleſia non admittit. Sicut igitur ſi nulla fides infuſa eſſet in me, crederem firmiter hiſtoriis librorum canonis propter auctoritatem Eccleſiæ, ſicut fide acquiſita credo aliis hiſtoriis à quibuſdam famoſis uiris ſcriptis & narratis. Credo igitur fide acquiſita Euangelio, quia Eccleſia tenet, ſcriptores ueraces, quod ego audiens, acquiro mihi habitum credendi diſtinctiſsimum. Hactenus Scotns. Subindeque poſt tres alias rationes in idipſum directas, qnòd nimirum, fide acquiſita credamus articulis fidei, confeſtim ſnbinfert, Ex iſtis ſequitur correlarium, quòd propter credulitatem articulorum fidei reuelarorum, ut homo firmiter credat articulis reuelatis, & determinetur ad alteram partem ſine oppoſiti formidine, non oportet ponere fidem infuſam, nec neceſsitas eius, poteſt ex hoc concludi, quia fides acquiſita eſt ſuper opinionem, quæ adhæret uni parti contradictionis cum formidine alterius, licèt ſit infra ſcientiam, quæ eſt ex euidentia obiecti ſcibilis. Contendit itaque Scotus probare, non quòd ultima fidei reſolutio in Eccleſiam fiat, ſed quòd ut articulis reuelatis credamus, non opus ſit infuſo habitu fidei. Porrò illud non quaſi rem controuerſam, ſed quaſi omnino certiſsimum, & ex Auguſtini aduerſus famoſum hæreticum, dicto celeberrimum, ſuæ argumentationi axioma præſtituit. Nec tamen intelligas Scotum, fidem infuſam omnino allegare (abſit) ſed tantùm uoluit, ut articulis credamus, utpote quòd acquiſita ſola præſtari poſsir, non eſſe ponendam: ſolet enim pro ſuo illo ſolertiſsimo ingenio Chriſtianorum dogmatum infirmas rationes, & quibus aduerſus fidei hoſtes fidere non oporteat, antequam ueras & infirmas ſtatuat, explodere. Quanuis igitur propter hanc & ſimiles rationes, quas infirmiora, pia tamen excogitarunt ingenia, fidem infuſam non iudicet neceſſariam, eſt tamen illi in hac parte ſacroſancta ſcripturarum auctoritas, tum præterea plures aliæ rationes, quibus omnibus (abſit inuidia) ualidius quàm alij fidei infuſæ neceſsitatem concludir, ut eius quæſtionis ultima parte, iis tandem, quæ inualidæ credebantur rationibus digno uerborum pondere colliſis, qui uelit uidere, poterit. Atque hæc de Scoto. Quod & de Gabriele, non prorſus, ut quidam nolunt, infimæ claſsis theologo, Almayno ac cæteris, qui in hac parte Scotum imitari dicuntur uelim intelligas. longè enim illis alia mens eſt, quàm ut rem certiſſimam in controuerſiam mittere. Volunt illi cum doctore ſubtili, nō aliud, quàm quòd fides acqniſita, ſit ſtatuenda, quod eodemmet ratiocinio conficiunt.

Dvrandvs etiam, qui à quibuſdam, quaſi huius ſententiæ imitator profertur, non [3. diſt. 25. quæſt. 3.] aliud mihi uoluiſſe nidetur, quàm qnòd ille initio diſputationis ſuadendum aſſumpſit, fidem infuſam ſine acquiſita, ad actnm eliciendum non ſufficere, quod huiuſmodi ratiocinio concludit, Si fides infuſa ſufficeret ad eliciendum actum credendi ſine fide acquiſita, tunc baptizatus, in quo eſt fides infuſa, factus adultus, & etiam per miraculum ſcientiis naturalibus præditus, propoſitis ſibi credibilibus, & oppoſitis credibilium, abſque perſuaſione ad quancunque partem aſſentiret, hoc autem eſt falſum, ergo fides infuſa non ſufficit ad credendum ſine acquiſita. Maior probatur, quia habitus, qui ſecundum ſe ſufficit ad eliciendum aliquem actum, propoſito obiecto, poteſt illum elicere. Minorem uerò duplici ratione probat, quarum ſecunda ex dicto illo Auguſtini formatur, Probatur, inqnit, eadem minor per illud, quod dicit beatus Auguſtinus contra fundamentum Manichæi, Non crederem Euangelio, ſi non crederem Eccleſiæ approbanti: & iterum, Euangelium Nazaræorum non admitto, qnia Eccleſia non admittit. aſſenſus autem dependens ex approbatione Eccleſiæ, eſt acquiſitus, ergo fides infuſa non ſufficeret ad credendum articulis in Euangelio contentis, ſi non concurreret notitia ex

approbatione Eccleſiæ. Hactenus illo loco Durandus. Vbi apertè aliorſum, quàm iſti putant, Auguſtini dictum protuliſſe uidetur. Aliud eſt profectò ſine acquiſita fide, inſuſam fidem in actum prodire non poſſe, decernere, quod Durandus facit, aliud uerò fidei reſolutionem in Eccleſiam fieri ſtatuere, quod eidem obtruditur. Verum eſt tamen eundem auctorem cùm fidei obiectum multiplici prius facta diſtinctione, inueſtigaret, expreſsè hanc eandem rem tetigiſſe, ſed non quaſi rem controuerſam inter ſcholaſticos theologos ultro citroque agitatam, ſed quaſi certiſsimam. inquirit ille, quod ſit obiectum fidei? cui quæſtioni facta prius diſtinctione, quòd duplex ſit aut dici poſsit obiectum, unum quod creditur, alterum de quo aliquid creditur; reſpondet, hoc eſſe aliquid incomplexum, Deus nimirum, de quo cuncta creduntur, illud uerò aliquid complexum. quod poſtea quàm multiplici ratione ſuaſit, ſubiungit. cùm autem talia complexa ſint plura, puto tamen quòd interea eſt aliquod primò creditum, quod eſt ratio credendi alia, & aliquod ſit ultima reſolutio credibilium, hoc eſt credere Eccleſiam regi à Spiritu ſancto. Cùm enim multi ſcripſerint geſta Saluatoris, ut Nicodemus & Nazaræi, illa ſola ſcriptura recipitur ut canonica & ei ſoli fides adhibetur, quam Eccleſia approbauit. unde Auguſtinus contra epiſtolam Fundamenti, Non crederem Euangelio, niſi crederem Eccleſiæ approbanti: & iterum, Euangelium Nazaræorum non admitto, quia Eccleſia non admittit. ergo credere, quòd Eccleſia non erret, quæ à Spiritu ſancto directa eſt; eſt ratio ſeu medium credendi ſcripturam, quam approbat, eſſe à Deo inſpiratam: & iterum, hoc credere, eſt ratio credendi illa, quæ in ſcripturà traduntur. Ergo de primo ad ultimum, primum inter credibilia, quod eſt ratio credendi alia, & ad quod ſit ultima reſolutio credibilium, eſt credere Eccleſiam regi à Spiritu ſancto. Hactenus Durandus, apud quem tantùm eſt profectò controuerſia, utrùm fidei obiectum ſit aliquid complexum an uerò incomplexum, de quo olim apud antiquiores theologos fuiſſe quæſtionem S. Tho. ſcribit. Nam quòd ſit obiectum quoddam complexũ, uirtute cuius cætera quoque credibilia credantur, ſemel eſt ſtatutũ, hoc idem eſſe illud, cuius ratione Auguſtinus & publica omnium catholicorum uox, ſe articulis reuelatis credere fatentur, Durandus non dubitat. Hoc autem eſt credere Eccleſiam catholicam, quòd Spiritu ſancto dirigatur, errare non poſſe: quapropter ſit illi per omnia adhærendum. neque uerò Durandus alioqui in propriis ſtatuendis ſententiis ſolertiſsimus auctor, ſi rem grauiſsimam in controuerſiam, aut miſſam fuiſſe aliquando, aut mitti poſſe iudicaret (quod parum antea de Scoto dicebam) à multis & magnis rationibus, quas illi (ſat ſcio) acutiſsimum miniſtraſſet ingenium, abſtinuiſſet: ſed quòd erat olim in quæſtionem miſſum, an fidei obiectum eſſet complexum, ſemel dignis rationibus perſuaſo, illud non eſſe aliud quàm id in quod & Auguſtinus & omnes catholici ultimò tandem ſuam fidem refundunt, eccleſiaſticam nimirum auctoritatem, decernit. De quibuſdam uerò recentioribus theologis, qui nõ nunquam plus auctorum odio, quàm ratione ducuntur, & qui forſan non tam quid doceatur, quàm quis doceat, attendunt, quid in hac parte docuerint, & quo pacto ſua placita ueteribus auctoribus intruſerint, non eſt meum iudiciũ ferre: ſatis ſit eorum rationes diluere, & quàm parum urgeant, oſtendere.

Durand. 3. diſt. 25. quæſt. 3.

22. q. 1. artic. 2.

Diluuntur alterius ſententiæ rationes.

Ergo in prima illa ratione, quæ à Chriſti dicto, quo Petro dixit, non carnem & ſanguinem, ſed patrem, qui in cœlis eſt, illi reuelaſſe diuinitatis myſterium, ſumebatur: hi auctores, duo mihi, quæ tamen non oportebat, ignoraſſe uidentur. prius quidem, idem eſſe faciendum iudicium de his, quibus immediatè facta eſt fidei reuelatio, & de his, qui poſterioribus ſæculis, eiſdem quaſi in paterna fidei hæreditate ſucceſsimus: poſterius, nec tamen minus periculoſum, quòd Eccleſiaſtica in fide comprobanda ſolidiſsima auctoritas, non ſit caro & ſanguis ſed aliquid altius. ſed prius perſequamur.

Enimuerò inter illos priores cœleſtium myſteriorum notarios, prophetas dico, & Apoſtolos, Euangeliſtas, & ſi qui ſunt alij, canonicorum librorum auctores, & nos, qui nunquam eorundem myſteriorum immediatè à Deo reuelationem percepimus, in reſoluenda & ad ſuas ultimas metas reducenda fide, ingens eſſe diſcrimen, ipſa prudens rerũ expenſio, quæ ſola doctos facere poteſt, potuiſſet oſtendere. Cum Moſe loquebatur Deus facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum. Deo ſecum loquenti, Samuel reſpondebat, Loquere domine, quia audit ſeruus tuus. Dauidi, Incerta &

Exod. 33.

1. Reg. 3.

occulta

occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit. Iſaias uidit dominum ſedentem ſuper ſolium ex- *Pſal. 50.*
celſum & eleuatum &c. Hietemias adhuc ex ntero marris in propheticum munns uoca- *Iſa. 6.*
rus, dum ſuam infantiam & loquendi imperitiam, quò minus illud obeat, cauſatur me- *Hiere. 1.*
retur audite, Noli dicete quia puer ego ſum, quia ad omnia, quæ mittam te, ibis, & uni- *Ezech. 1. & 2.*
uerſa, quæ mandauero tibi, loquêris ad eos, & ecce dedi uerba mea in ore tuo &c. Eze-
chiel, aperto cœlo uidet Dei uiſiones, & librum, quo cœleſtis ſapientia continebatur,
aperto ore deglutire præcipitur. Paulus ad tertium cœlum raptus, audiuit arcana, quæ
non licet homini loqui. Denique, ne uniuerſos dicamus, Ioannes pro ſe ipſo & cæteris
noui teſtamenti ſcriptoribus planè pronunciat. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, *Ioan. 1.*
quod uidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt de
uerbo uitæ, & uidimus, & teſtamur, & annunciamus uobis &c. Idemq; de cæteris illis
Chriſtianæ religionis & fidei auctoribus exiſtimare oportet. Quāuis enim unus alium,
uel ſanctitate uel rerum, quæ ſcribebat, maieſtate ſuperaret, nemo tamen intelligentiæ
eorum, quæ ſibi diuinitus reuelabantur, fuit expers: alioqui prophetæ non fuiſſent,
cùm in prophetica uiſione opus ſit intelligentia, & olim qui nunc prophetæ uocantur, *David 10.*
uocarentur uidentes. Et alioqui Pharao, cùm celebres illos uaccarum ſeptenarios ui- *1. Reg. 9.*
dit, Balthaſar, cùm articulos manus ſcribentis in pariete conſpexit, Cayphas, cùm ne *Gene. 41.*
tota gens periret, occidendum dominum decreuit, & demum Aſina Balaham, cùm ad *Dan. 5.*
eum loquitur, prophetæ uocari potuiſſent. immo & arreptitij & Pythones, propheta- *Ioan. 11.* *Nume. 22.*
rum nomina ſibi congruenter aſciſcerent. Non modò igitur ſancti prophetæ prophetica
mente afflati futura, aut alterius generis cœleſtia myſteria prædicebant, uerùm ut iam
antea ex Hieronymo & Eccleſiaſtica doctrina, contra Montanum decreuimus, ea, quæ *Hierony.*
dicebant, apertiſsimè intelligebant. *in prologo côm. Iſaiæ.*

Nos contrà, eadem cœleſtia myſteria, ſola fide, quam Eccleſiaſticæ traditioni,
quaſi filij præſtamus, non item diuina reuelatione, percepimus. ergo eorum fides in
ipſum Deum reuelantem, in ſanctum ſpiritum interius docentem, in fidem infuſam,
non in Eccleſiaſticam, quam ſimul cum ipſo myſterio ſuſceperunt, auctoritatem, quam
in hac parte magiſtram non habuerunt, refundunt: nos contrà in Eccleſiam, qnam in
credendo ſolam habuimus magiſtram, fidem noſtram reſoluimus. Dicant illi, quibus
datum eſt apertè Deo ipſo auctore, noſſe myſteria regni Dei. Leo rugiet & quis nõ ti-
mebit? dominns locutus eſt, & quis non prophetabit? dicant illi. non enim poſſumus *Matt. 13.*
quæ uidimus & audiuimus non loqui. nos uerò Eccleſiaſtico magiſterio obtempere- *Amos 3.*
mus, & in idipſum uniuerſam noſtram credulitatem refundamus. Credat Paulus, quia *Act. 4.*
Deo doctore audiuit arcana uerba, quia raptus ſit ad tertium cœlum, quia Dominum *2. Cor. 12.*
Iesvm Chriſtum de cœlo ſibi loqnentem uidit: credamus nos quia ſic credidit & credit *1. Corin. 9.* *Act. 11.*
noſtra mater & magiſtra Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum ueritatis, fundata *1. Timo. 4.*
ſupra firmam petram, aduerſus quam portæ inferorum, ideſt, hæreticæ ac falſæ doctri- *Matth. 16.*
næ, præualere non poſſunt.

Ergo in fidei reſolutione, ſic ſe fideles habuerunt. Proceres illi, quibus immediatè *Nõ una eadẽq; ratio reſoluendæ fidei omnibus Chriſtianis, aut omni tpe, ſed uaria et multiplex.*
diuina reuelatio facta eſt, in Deum ant fidem infuſam, quam, ut antea dicebamus, ſi-
mul acceperunt, non in Eccleſiam, fidem ſuam refundebant. Cæteri, qui tunc temporis
quoque uixerunt, in Deum quoque ipſum, non in Eccleſiam, quoniam non ab Eccleſia-
ſtico teſtimonio, ſed à diuino, qnod per miracula exhibebatur, in credendo pendebant.
Nam cùm fides initium accepiſſet enarrati per dominum ab eis, qui audierunt, in cæ-
teros, qui non adierunt, confirmata eſt, conteſtante Deo, ſignis & portentis, & uariis
uirtutibus, & Spiritusſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam uoluntatem. De nobis *Hebr. 6.*
uerò, qui neque immediatè Deo nobiſcum arguente reuelationes accepimus, neque in
Euangelicæ fidei propoſitione miracula uidimus, ſed tantùm Eccleſiaſtico imperio pa-
rentes fidem ebibimus, qui non uidet diuerſam eſſe rationem, cæcus eſt profectò. Atque *Quæ fuerit illius ſententia occaſio, undeq; anſam ſic opinandi eius auctores habuerint.*
id potiſsimum fuiſſe crediderim, qnod hos ad ſic docendum adegerit, quòd inter fidei
primordia & noſtra tempora, interque primos illos noſtræ religionis parentes, & nos
ipſos, qui modò Eccleſiaſtico tantùm lacte nutrimur, diſcrimen non aduerterunt.

Sed iam ſecundum, quod hos latuiſſe dicebamus, producamus in medium, nam &
id quaſi omnium rationum ſuarum neruus eſt ualidiſsimus. Credunt hi Eccleſiaſticum
in fide decernenda iudicium, prorſus eſſe humanum, immo carnem & ſanguinem,

quod tamen catholicæ aures inuitiſsimè andiunt, & niſi catholici eſſent, qui ſic loquun-
Luca 10. tur, non dubitaremus uocare blaſphemiam. Qui uos audit (ait Chriſtus) his, qui Euan-
2. Cor. 13. gelicum paſtum cum poteſtate miniſtrant, me audit. & in Apoſtolo Paulo Eccleſiarum
magiſtro non caro & ſanguis ſed Chriſtus loquebatur, An experimentum, ait, quæritis
Ioan. 16. eius, qui in me loquitur Chriſtus? & Chriſtus ipſe cœlum aſcenſurus, paracletum ſe
miſſurum promiſit, qui omnem poſteriora Eccleſiæ ſæcula ueritatem doceret. Et de
eodem Sancto ſpiritu Eccleſiæ rectore; & qui eidem Eccleſiæ in dogmatibus fidei
decernendis à catholicis uiris non dubitatur aſsiſtere, Chriſtus ipſe pronuntiat, Cum
uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, docebit uos omnia quæcunque di-
Ioan. 15. xero uobis, & ipſe Spiritus ſanctus eſt, qui arguet mundum de iudicio, de iuſtitia, &
Ioan. 16. de peccato, nimirum infidelitatis, non tantùm priuatiuæ ſed poſitiuæ, ad quam & male
ſanus fidei ſenſus, quem hæreſim appellamus, reducitur. Et demum Eccleſiaſticum il-
lud primum concilium, ut quis præceptorum Eccleſiaſticorum, fidem potiſsimè con-
cernentium, auctor exiſteret, poſterioribus ſæculis oſtenderet, fidenter pronuntiat,
Actu. 15. Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto, &c. Eſt igitur Eccleſiæ in fide decernenda non hu-
manum, ſed prorſus diuinum teſtimonium, non caro & ſanguis, ſed ſpiritus & uita.
Ioan. 6. Et profectò, qui ita docent, duplicem Eccleſiaſticam poteſtatem, aſſertiuam unam, &
qua in tradendis fidei dogmatibus utitur, legislatiuam alteram, quæ illi ad populos
Euangelica diſciplina formandos deſeruit, & earum diſcrimen cognouiſſe non puto, eſt
illa prior prorſus in Eccleſia diuina: alioqui poſſet in fide decernenda, quemadmo-
dum & reliquæ quæcunq; etiam ampliores reſpublicæ, labi, quod eſt prorſus nefarium:
diuina, inquam immediatè, quod uidelicet Deus ipſe, per Eccleſiaſticos, quemadmo-
dum olim per Apoſtolicos uiros, ueritatem decernat. non enim concilium aut Eccleſia
Matth. 10. eſt qui loquitur, ſed ſpiritus patris, à cœleſti ſponſo ſuæ ſponſæ, poſt aſcenſionem, in-
ſeparabili nexu donatus, eſt qui loquitur in Eccleſiaſticis uiris, immediatè, & qui fidei
dogmata conſultus decernit. poſterior uerò poteſtas, ideſt, ea qua per leges & præce-
pta, & uitia amputantur & uirtutes coluntur, quanuis ſit diuina repræſentatione, quod
Deo ipſi in Eccleſiaſticis præpoſitis, quaſi eius ſimulachris, obedientia præſtetur, non
tamen eſt diuina immediatè, ut illa prior, ita ut diuinitus imperatum, aut prohibi-
tum putetur, quidquid præpoſitorum imperium aut uetat aut iubet, alioqui nullum
eſſet humanum præceptum, ſed omnia eſſent diuina. Quæ res, quòd non ab iiſdem
forſan ſatis fuerit expenſa, noſtra memoria, quibuſdam alioqui non parum eruditis
impoſuit, ut in alterum extremum ab ipſa ueritate deſcendentes, omnia Eccleſiaſtica
præcepta, diuina putarent, quòd nimirum uiderent, à Chriſto diſcipulis dictum, Qui
Luca 10. uos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Quæ uerba
non ſunt ita accipienda, ut qui aut eccleſiaſticum aut ſæcularem præfectum ſpernit,
protinus ſit cenſendus Deum immediatè contemnere, aut qui prælato obaudit, Deum
immediatè audire, ſed quòd in eo diuina illa poteſtas, qua cuncta coërcentur, quaſi
in imagine appareat, unde eo contempto repræſentatiuè & immediatè, contemnatur
Deus: aut ſi illi obedientia præſtetur, in illo quoque, diuino obediatur imperio. Eſt
igitur, ut ſemel dicam, hæc poteſtas legislatiua humana quidem, immediatè, diuina
uerò mediatè & repræſentatiuè: illa uerò, quam aſſertiuam uocare quis poterit, qua fi-
dei dogmatibus decernendis utitur, immediatè diuina. quemadmodum enim, qui im-
mediatè fert leges, ſiue de Pontifice ſummo, ſiue de uniuerſali concilio loquaris, non
Deus ſed homo eſt, quanuis in eo Deus ipſe repræſentetur: ita qui immediatè, ſiue
in Pontifice ſummo, ſiue in generali concilio dogmata fidei decernit, non homo ſed
Deus ipſe eſt. Ab hac igitur poteſtate, quæ legislatiua dicitur, quoniam humana eſt,
humana: ab illa uerò, quæ aſſertiua uocatur, quoniam diuina eſt, diuina quoque deri-
uatur auctoritas. Qui igitur Eccleſiæ fidem decernenti credit, non homini credit, ſed
Deo ipſi, per Eccleſiam, ſicut olim per Apoſtolicos uiros, immediatè loquenti. Nec
ulla alia inter Eccleſiaſticas diffinitiones & Apoſtolica ſcripta, quantum ad certitudi-
nem attinet, differentia uerſatur, quàm quòd illorum traditiones, ſiue ſcripto, ſiue in
Chriſtiani populi ſucceſsione conſiſtant, propter maiorem ſanctitatem, utpote qui pri-
mitias ſpiritus acceperint, maiori ueneratione ac precio ſint habendæ. Neque uerò
illa ueriora ſunt quàm hæc noſtra, quòd nimirum ueritas augmentum aut diminutio-

nem non capiat: cuncta enim uera, æqualiter uera ſunt. His igitur duobus ita diſcuſſis, eorum ratio, prima nullo labore diluitur: fatemur, quòd Chriſtus ipſe dixit, non carnem & ſanguinem, ſed patrem Petro Apoſtolo diuinitatis Chriſti reuelaſſe myſterium, quid tum poſtea? ergo nos, qui modò uiuimus, qui nec Apoſtoli ſumus, nec uaſa illa electionis, in quæ primitus cœleſtium myſteriorum arcana, à Deo fuit repoſita, ſed Eccleſiaſtico tantùm lacte nutrimur, humano teſtimonio credimus? cur ita? Deinde, eadem ratio ita conteritur, Caro & ſanguis non reuelauit Petro, ergo nec nobis. Demus gratis hanc illationem: quid deinde? ergo Eccleſia non reuelat. negamus, quoniam Eccleſia in fide docenda, non eſt caro & ſanguis, neque eius auctoritas in hac parte, eſt humana, ſed prorſus diuina, non modò mediatè ac repræſentatione, ut legislatiua illa, ſed immediatè & propriiſsimè: tam propriè enim dicor, Deo reuelante, ſcire, filium cum patre eſſe conſubſtantialem, quod Nicæna ſynodo declarauit Eccleſia, immo Spiritus ſanctus per Eccleſiam, quàm quòd in Trinitate diuina, ſit filius, quòd Deo ipſo immediatè reuelante ſuſcepimus, atque ita de ſingulis, quæ cùm ex ſancta ſcriptura non planè apparerent, diuerſis temporibus declarauit Eccleſia. Et profectò prorſus indignum non modò homine catholico ſed Chriſtiano eſt, his præſertim ſæculis, quibus maxima uerborum ratio fieri deberet, Eccleſiam, Chriſti ſpōſam, cui eſt feruentiſsimo charitatis affectu copulatus, cui omnia, quæcunque à patre accepit, libentiſsimè indulſit, carnem & ſanguinem, quibus duobus nominibus, nihil nō turpe & à Deo alienum in ſcriptura ſignatur, coràm teneris diſcipulis uocitare, & eiſdem ruminandum, & forſan poſtea populis prædicandum in ſcriptis dictare. Nam ſi Chriſti Eccleſiæ in decernendis fidei myſteriis ſacroſancta poteſtas, ab iſtis caro & ſanguis, aut humanum teſtimonium impunè uocatur, cur eidem Eccleſiæ nos cogunt credere? an caro & ſanguis regnum Dei poſsidebunt? an captiuandus erit intellectus in obſequium carnis & ſanguinis? Quid iam quæſo Eccleſiaſticis diffinitionibus urgemus Lutherum, Zuinglium, Bucerum, Caluinum, & cæteros Eccleſiæ hoſtes, ſi Eccleſiæ teſtimoniū non amplius aliquid quàm carnis & ſanguinis eſt teſtimonium? ſed ad rē.

Matth. 16.

1. Cor. 15.

2. Cor. 10.

Diluitur ſecunda ratio prioris ſententiæ.

Ex his claret, quid ad ſecundam harum rationem, ſit reſpondendum. Concedimus fidem rem eſſe certiſsimam, ac quòd proinde ex natura ſua, in aliud quàm in teſtimonium certiſsimum refundi non poſsit: concedimus deinde, tale teſtimonium eſſe ſolum diuinum, quòd nimirum omnis homo ſit mendax. cùm uerò colligunt, Ergo in Eccleſiam ſolui non poterit, prorſus negamus, cùm Eccleſiaſticum teſtimonium, in fide decernenda, diuinum ſit teſtimonium. Eadem etiam ratio ſic ſecundò diluitur. Dicimus, fidem, rem eſſe certiſsimam, & cùm ſubſumitur, ergo tantùm in diuinum teſtimonium refertur, diſtinguimus, in ſe ipſa ſiue in illis primis fidei præceptoribus, aut in nobis, prius haud difficulter concedimus. fides enim ſuopte genio, & etiam in primis illis diuinis miniſtris, in Deum ipſum refertur: ſecundum negamus. Nec tamen ſequitur, fidem noſtram, non eſſe æqualis firmitatis & certitudinis, cum illa priori, quoniam quantumuis concedamus (quod tamen eſt falſum) poteſtatem in decernenda fide non eſſe diuinam, ſed humanam tantùm, habet tamen infallibilitatem ex diuina promiſſione, quæ non poteſt fallere.

Tertia ratio nihil magis quàm præcedentes perſuadet. Verùm eſt (non diffitemur) quod ad Galathas olim dicebat Apoſtolus, tantam eſſe Chriſtiani dogmatis ſemel ſuſcepti firmitatem & robur, ut ſuperuenienti etiam angelico, contrario tamen, teſtimonio, eleuari non queat: at quod ſubſumimur, id fieri non poſſe, ſi fides ab Eccleſiaſtico teſtimonio penderet, falſum eſt omnino. nam & Eccleſiaſticum, non humanum ſed diuinum eſt teſtimonium, & à diuina prorſus auctoritate, Eccleſiæ ex diuina promiſsione, in fidei rebus decernendis aſsiſtente, profectum. Sed & ſi humana eſſet in hac parte Eccleſiaſtica auctoritas, quod tamen ueritatis infallibilem promiſsionem poſsideat, nullo etiam Angelico teſtimonio aut alicuius illorum, qui illic ſuſcitandi dicuntur, poſſet reuelli, quoniam maior eſt eius communitatis auctoritas, de cuius infallibilitate ego teſtimonium habeo, quàm Angeli aut alicuius ad uitam reuocati, quem an ſit uerè Angelus lucis, an Satanæ, non habeo perſpicuum. Scio hanc eſſe Chriſti Eccleſiam, ſcio huic ſpiritus ueritatis præſentiam promiſſam, hic tamen, qui aut Angeli, aut Petri, aut Pauli, aut denique beatæ uirginis mihi refert ſpeciem, an uerè ſit quiſpiam horum,

prorſus ignoro. Atque id eſt quod Auguſtinus in illum locum, in quodam ſermone ait,
Licet ſi nos, inquit, parum eſt, audi ſequentia, aut Angelus inquit, de cœlo & c. Vide-
bat poſſe mediatorem falſum traſfigurare ſe in Angelum lucis, & aliquid falſum annun-
ciare. Hactenus Auguſtinus. Quòd ſi penitus aliquando rem aduertiſſent, parum profe-
ctò ad ſuam iſtam ſententiam muniendam faciebat Apoſtolicus locus, niſi quòd ſunt
quidam, qui pulchrum exiſtimant undecũque, & qualicunque ratione, ad proprias ani-
mi cogitationes per uim intorquendas, quæcunque corradere. Eo loco ſanctus Apoſto-
lus, non quid fiat, ſed quod fieri à Galathis debuiſſet, oſtendit. Nam ſi, quod iſti uo-
lunt, fidei robur & firmitatem illic Paulus oſtendit, nemo igitur humana ſuaſione pote-
rit, per infidelitatem aut hæreſim à fide, quam ſemel ſuſcepit, conuerti, immo nec ipſi
Galathæ, quos illo loco coarguit, à fide per falſos Apoſtolos potuiſſent deſciſcere. nam
ſi fides quòd non ab humana ſed à diuina auctoritate dependeat, ut iſti uolunt, non hu-
manum ſed diuinum robur habet, ita ut etiam Angelico teſtimonio ſubuerti non poſsit;
non igitur aut pſeudo illi Apoſtoli, aut hæreticus homo, humanis ſuaſionibus quóquam
ſubuertiſſent. Oſtendit ergo per grandem illã, qua pro Apoſtolico ſpiritu frequentiſsi-
mè utitur, uerborum hyperbolem, quid Galathis iã ſemel fide per Euangelicam prædi-
cationem inita ſi rectè ſapuiſſent, faciendum fuiſſet. Non, inquit, eſt contra fidẽ, quam
ſemel ſuſcepiſtis, ullius quantumuis digni hominis, immo nec angeli, recipiendum teſti
monium. Subuerſi fuerant Galathæ à falſis Apoſtolis per Paulinæ prædicationes calũ-
niam, dũ de illo dicebant, Paulum nec eſſe Apoſtolum nec ueram Euangelicæ uitæ ratio-
nem appræhendiſſe, quod & prænotatione & penè tota illa epiſtola, ipſemet Apoſtolus
Gala.1. miro artificio conatur exludere, Paulus, inquit, non ab hominibus neq; per hominem, ut
illi pſeudo Apoſtoli populo intruſetant, ſed per IESV Chriſtum & Deum patrẽ, qui ſuſci
tauit eum à mortuis. & poſtea, Notum uobis facio Euangeliũ, quod Euangelizatum eſt
à me, quia non ſecundum hominẽ neq; ab homine accepi illud, neq; didici, ſed per re-
uelationem IESV Chriſti. Quod & deinde uniuerſa propriæ conuerſationis, tam in
Iudaiſmo quàm in fide hiſtoria, recenſita & Petri cõtradictione narrata, longo ſermone
non debiliter comprobat. Ergo quoniam perſonarum erat auctoritate certandum,
omnem excludit, quaſi ſic diceret, Adeo uobis damnabile erat, fidem, quam ſemel ſu-
ſceperatis, pro alia commutare, ut ſi ego ipſe, qui uobis prædicaui, id ipſum ſuaderem,
non eſſetis mihi, quæ ſemel dixeram, recantanti, credituri. Quòd ſi de perſonarum
agitur præiudicio, non tantùm nulli mortalium, quantumuis inter illos, quos ſolos
iudicatis, Apoſtolos, quibuſque me inferiorem putatis, quorumque auctoritate, à fal-
ſis prædicatoribus eſtis circumuenti, ut meam, quam in uobis plantaueram, fidem deſe-
reretis: ſed & ſi Angelus de cœlo uobis aliud Euangelizaſſet, erat prorſus anathema fu-
turum. Vnde in eum locum Chryſoſtomus: Vide prudentiam Apoſtolicam, ne quis di-
ceret illum, ſua ipſius oſtentare dogmata, etiam ſeipſum deuouit. Cæterùm quoniam
ad auctoritatem confugiebant, & ubique celebrabant Iacobum, & Ioannem, hac de
cauſa & Angelorum meminit, Ne mihi, inquit, Iacobum & Ioãnem narres, etiam ſiquis
Angelorum è cœlis deſcenderet, corrũpens Euangelicam prædicationem, anathema ſit.
Et quod illic Paulus uſus fuerit hyperbole, Hieronymus, quem tamen neſcio qua ratio-
ne pro ſua ſententia iſti adducebant, apertiſsimè docet. Poteſt, inquit, hyperbolicè
dictum accipi, non quò Apoſtolus aut Angelus aliter potuerint prædicare, quàm ſemel
dixerant, ſed etiam ſi hoc poſſet fieri, ut Apoſtoli & Angeli immutarentur, tamen non
eſſet ab eo, quod ſemel acceptum fuerat, recedendum, maximè cùm ipſe Apoſtolus in
alio loco, firmitatem fidei ſuæ oſtendat, dicens, Scio quòd neque mors, neque uita,
neque Angelus, neque principatus, neque præſentia, neque futura, neq; fortitudo, ne-
que altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione
Dei, quæ eſt in Chriſto IESV. Hactenus Hieronymus. Et profectò, ueram eſſe hyper-
perbolem, alter hic locus ex Epiſtola ad Romanos à Hieronymo adductus, manifeſtiſ-
ſimè prodit: non enim quæcunque illic à Paulo ponuntur, hominem à charitate Dei co-
nantur auertere: uniuerſa enim creatura ſiue bona, ſiue mala, ſiue damnata, ſiue fœlix,
& demum quidquid non eſt Deus, ibidem Apoſtolico feruore confunditur, non quòd
uniuerſa creatura, eandem à charitate Chriſti reuocare contenderet, ſed quòd quãuis
ita eſſet poſsibile, ut etiam fœlices illæ & ſanctæ creaturæ, quas Angelorum, Throno-

rum,

rum, & principatuum nominibus denotat, eundem, quò minus Chriſto ſeruiret, reuo-
carent, illis omnibusq́ue aliis pro Chriſto contemptis, uni illi adhæreret. Atque idem,
in illum locum Chryſoſtomus, uidetur innuere, Non dixit (inquit) ſi ille aut ille, idq́ue
prudenter citra odium & inuidiam: quorſum enim opus erat, iam edere nomina, po-
ſtea quàm tam uehementi ſublimique fuerat uſus ſermone, ut uniuerſos, qui in cœlis
ſunt, & qui in terris, complecteretur? per hoc enim, quod Euangeliſtas & Angelos
pronunciat anathema, omuem dignitatem compræhendit: per hoc uerò quod ſeipſum
quoque pronunciat anathema, omnem familiaritatem, ac germanitatem complexus
eſt, Ne mihi dixeris (inquit) collegæ tui & ſocij Apoſtoli hæc dicunt: ne mihi ipſi par-
co, ſi diuerſa prædicem. Vides Chryſoſtomum hyperbolicè locum accepiſſe? ſed ea,
quæ ſubiungit, id magis oſtendunt, Neque Paulus hæc dicit (ait) quòd damnaret Apo
ſtolos, tanquam Euangelicæ prædicationi contrarios, ſed ut oſtenderet, perſonarum
dignitatem non recipi, quoties expenditur ueritas. Vides ergo, ſanctum Apoſtolum,
Eccleſiaſticam auctoritatem, non credere per ſingularum perſonarum, quarum auctori-
tas, maleuola æmulatione, ad eius fidei, quam ſemel rectè plantauerat, euerſionem
opponebatur, præiudicia præſcribi. Quin nec in illa hyperbole Apoſtolo in mentem ue-
nit Apoſtolica auctoritas, quam tanti fecit etiam in ea Epiſtola, ut poſt annos qua-
tuordecim, quibus Euangelicum miniſterium obierat, quibusq́ue iam longo uſu po-
tuiſſet eſſe magiſter, Hieroſolymam cum Barnaba & Tito, ſecundum reuelationem *Gala. 1.*
aſcenderit, ut cum ipſa Eccleſia, quæ tunc Hieroſolymis moram trahebat, Euangeliū,
quod prædicarat in gentibus conferret, ne fortè in uacuum cucurriſſet aut curreret, re-
uocaturus haud dubium. Non quòd ſingularis homo quantumuis Apoſtolicæ digni-
tatis, nec quòd Angelus de cœlo præſcriberet, ſed quòd iuberet Eccleſiaſtica auctoritas.
Excludit ergo ea hyperbole ſingulas quaſque quantumuis eminentis dignitatis perſo-
nas, quæ non ex communi & Eccleſiaſtico ſenſu, ſed ex proprio docerent. atque id eſt
quod apertiſsimis uerbis Auguſtinus inſinuat, Licet ſi nos, inquit, & tu Paule potes *In pſal.*
aliquid prædicare? audi, quid ſequitur, Licet ſi nos, aut Angelus de cœlo annunciaue- *103.*
rit nobis, præterquàm quòd accepiſtis, anathema ſit, ſi ueniat mons aliud euangeli-
zans, anathematizetur, ſi ueniat Angelus aliud euangelizans, anathematizetur, unde
hoc? quia non de medio, ſed de priuato uult fluere. Et hoc fortè homo carnali ne-
bula præpeditus, & à fonte communi ad ſuam propriam falſitatem redactus, poſſet
facere: nunquid & Angelus? uerè ſi Angelus de proprio fluens, in paradiſo non eſſet
auditus, non præcipitaremur in mortem. media aqua poſita erat omnibus præce-
ptum Dei, aqua media, aqua quodammodo publica, ſine fraude, ſine labe, ſine cœ-
no fluebat, ſi ipſa aqua ſemper biberetur, ſemper uiueretur, uenit Angelus lapſus de
cœlo, factus ſerpens, quia inſidioſè iam uenena ſpargere cupiebat, emiſit uenenum,
de proprio, locutus eſt de ſuo, quia qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur, & mi-
ſeri audiendo, dimiſerunt quod commune erat, unde beati erant, & ad ſuum pro-
prium reducti, cùm uolunt peruerſè Deo eſſe ſimiles, appetentes, quod non erat, ami-
ſerunt, quod acceperant. Hactenus Auguſtinus. Cuius uerba cùm ſint apertiſsima, ex-
poſitione non indigent. Sed & quidam, qui apud Hieronymum, nolunt locum illum hy-
perbolicè intelligi, ſed uerè, ita ut ſentiat Apoſtolus, homines aut Angelos aliud quàm
rectam fidem poſſe docere, non id de toto Apoſtolico aut Eccleſiaſtico cœtu accipiunt
(abſit à Paulino pectore, tanta philautia) ſed de ſingulis quoque per ſe Paulum locutum
intelligunt. Qui autem nolunt hyperbolicè, inquit Hieronymus, hoc dictum eſſe,
ſed uerè, quòd ſcilicet poſsint Apoſtoli & Angeli ad peiora conuerti, illud opponunt,
quòd & Paulus ſcierit ſe labi poſſe, ſi ſegnius ageret, dicens, Caſtigo corpus meum & in
ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar: Angelos quoque
eſſe mutabiles, qui non ſeruauerint principatum ſuum, & c. Vides nimirum, quàm lon
gè abſint iſti à ſentiendo, quòd eo loco Eccleſiaſtica inſtructio excludatur. Et profectò
liberet ab iſtis, qui eo loco etiam Eccleſiaſticam inſtructionem includunt, inquirere quo
pacto ipſi, cùm hominem aut gentem, quam, quemadmodum de Gothis docent Eccle-
ſiaſticæ hiſtoriæ, Euangelij prædicationem ab hæretico miniſtro ſuſcepiſſent, ad ueram
fidei regulam reuocarent? erat enim homini aut genti illi ſtatim in promptu Paulinus
locus, Sed etiam ſi ego aut Angelus de cœlo euangelizauerit nobis, præter id, quod
accepiſtis,

acceperiſtis, anathema ſit, quo omnem humanam auctoritatem excluderet. Accipitur ergo Pauli locus, non de Eccleſiaſtica poteſtate, quæ etiam Apoſtolo ipſo & maior erat & certior, ſed de ſingulis, quibusque perſonis, quæ quãuis & ſanctæ ſint & ſemel rectè docuerint, à uirtute ad uitium, à recta fide ad hæreticum ſenſum, poſſunt per propriam fragilitatem reuerti.

Ecce quot expoſitiones locus ille Paulinus, abſque auctoritatis Eccleſiaſticæ diſcrimine, quamque Apoſtolicæ menti conformes admittit. Sed & illa ex Apoſtoli ſenſu maximè mihi uidetur, quòd quemadmodum apud reliquos mortales, Euangelium apud Galathas non ſimplici Pauli prædicatione, ſed domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis, fuerat ſparſum, non ergo cuiuſcunque hominis, aut Angeli auctoritas, immo neq; ſi Paulus ipſe, quod ſemel, Deo atteſtãte, prædixerat, reuocaret, erat audiendus. diuina nãque auctoritas, omni auctoritati ante ferenda eſt, atq; non erat ulli hominum uel Angelorum, in prioris prædicationis iniuriam quæ, diuinum teſtimonium acceperat, fides præſtanda. longè tamen diuerſa ratio eſt de ea fide, quæ diuinitus robur non accepiſſet, qualis noſtra, quæ non miraculis, quæ fieri uiderimus innititur, ſed in Eccleſiaſticam auctoritatem ſe totam reſoluit. in ea enim confirmanda, potius eſt attendenda Eccleſiaſtica auctoritas, quàm ullus mortalium aut Angelorum quacunque ſanctitate ſit præditus. Sed in re apertiſsima, forſan prolixiores, quàm oportebat, fuimus.

Mar. 17.

Qvòd uerò hanc ſententiam Hieronymo, Theophilacto, & Chryſoſtomo impingũt, neſcio qua ratione fieri potuerit, cùm in eorum ſcriptis, nihil, quod uel uiolentiſsimè ad eam ſententiam retorqueri potuiſſet, inueniamus. ſed facile eſt auctores pro noſtris inuentionibus muniendis adducere. Difficile prorſus ex eorum libris, locos, qui rem ita ſe habere efficaciter comprobent, proferre. Ego uerò in Hieronymo, nihil aliud me legiſſe fateor, quàm quæ hîc ex illo fideliſsimè inſerui: quæ quantum ad eam rem faciant, non eſt qui non uideat. niſi forſan quod Chryſoſtomus de fide adhibenda ſcripturis, illic inquit, quòd ſcilicet, plus quàm omnibus, ad uitam reuocatis ſit illis credendum, ad illam pertinere uelint. Abraham (inquit Chryſoſtomus) cùm rogaretur ut mitteret Lazarum, reſpondit, Habent Moſen & prophetas, ſi illis non crediderint, neque mortuos ſuſcitatos audituri ſunt. Hæc autem Chriſtus ipſe inducit in parabola loquentem Abraham, declarans ſe uelle plus fidei habendum eſſe ſcripturis, quàm ſi mortui reuiuiſcant. Paulus uerò (cæterùm cùm Paulum dico, rurſum ipſum Chriſtum dico: hic enim erat, qui mentem illius agebat) etiam angelis de cœlo deſcẽdentibus præponit ſcripturas, idque ualde congruenter, ſiquidem angeli quamlibet magni, tamen ſerui ſunt ac miniſtri; cæterùm omnes ſcripturæ, non à ſeruis, ſed ab uniuerſorum Domino Deo uenerunt ad nos. hanc ob cauſam dicit; Si quis euangelizauerit &c. Hactenus Chryſoſtomus, cuius profectò uerba, ſi ita interpretari oporteat, ut magis ſit ſcripturis credendum quàm Eccleſiæ, iam nihil ſupereſt, quo Lutheranis, immo cuiuſcunque Eccleſiaſtici ſæculi hæreticis ſuccenſeamus, qui id quoque frequẽtiſsimè quaſi ſuarum malarum ſectarum aſylum, populos docent. Nolunt enimuerò ſuorum peſsimorum dogmatum rationem in Eccleſiaſticam auctoritatem reſolui, ſed in ipſum Dei uerbum: immo uerò nihil eſt quod eorũ inſaniæ tam apertè patrocinetur, quàm hic locus, ſi horum ſit interpretatio ſequenda. Ergo Chryſoſtomus nihil illis uerbis Eccleſiaſticam auctoritatem detriuit, quæ ſemper credita eſt, eundem ſpiritum, quo ſcripturæ conditæ ſunt, continere, ſed ſingulares perſonas, etiam ſi ab inferis rediuiuæ redirent, ſanctæ ſcripturæ teſtimonium non æquare ait. uam quòd ſancta Chriſti Eccleſia tunc illi cùm hæc dicebat, in mentem non uenerit, ſingula penè uerba demonſtrant. Eccleſia enim, quæ Spiritum ſanctum comitem habet, non eſt mortuorum, ſed uiuentium, & tamen ibi de mortuis ſuſcitatis Chryſoſtomus loquitur. Illa deinde ratio, quæ probat plus audiendam ſcripturam quàm angelos, quòd angeli, quamlibet magni, ſint ſerui, ſcripturam uerò non ſeruus, ſed omnium dominus nobis indulſerit, oſtendit etiam quàm longè ab hac ſententia uir ſanctus receſſerit. Eccleſia catholica, non ſerua, ſed ſponſa chariſsima, cui omnia, quæ à patre accepit Chriſtus, nota fecit, & quæcunque habuit matrimoniali iure fecit communia, etiam intima illa diuinitatis myſteria, eodem etiam ſpiritu agitur, quo ſanctæ ſcripturæ ſunt conditæ, unde qui Eccleſiæ credit,

In comm. epiſto. ad Gala. c. 1.

ipſi domino immediatè, non ſeruis credit. His, quæ ex Hieronymo & Chryſoſtomo attulimus, quæ Theophilactus in eundem Apoſtoli locum ſcribit, ſunt prorſus ſimilia. Ne quis dicat, ait, quòd ambitione, gloriæ'ue cupiditate ductus, ſua dogmata turbet, ſe quoque ipſum execratur. Quia uerò ad auctoritatem & dignitatem perſonarum confugiebant, ac Petrum cum ſuis, & Iacobum præferebant, eam ob cauſam angelorum etiam meminit. Adiecit autem, Ex cœlo, quandoquidem & ſacerdotes angeli uocabantur. Ne igitur de ſacerdotibus hæc dici putes, cœli appoſitione, ſuperas uirtutes indicauit. Nec dixit pugnantia prædicent, cæterùm, ſi parum quiddam annuncient, præter id, quod annunciauimus. Cùm enim angelos anathemate ferit, adeoque deteſtatur, omnem auctoritatem ac dignitatem reiicit. Quia uerò ſeipſum execratur, omnem coapoſtolorum coniunctionem tollit. Ne enim dicas, En coapoſtoli tui diuerſum prædicant. Ecce nanque ne mihi ipſi quidem parco, alia ab iis prædicanti. Nec quia apoſtolos condemnet, hæc loquitur, ſed uolens obſtruere ora ſeductorum, atque monſtrare quòd auctoritas uel perſona neque expectatur, neque aſpicitur, ſi quando ſit de dogmatibus ſermo. Hactenus Theophilactus. In quibus nihil uides, quod Eccleſiaſticam auctoritatem diminuat, quò magis mirari licet, quo pacto eidem cõtra omnem fidem hoc theologicum paradoxum intruſerint.

Verùm iam triplicem illum modum reſoluendi fidem, quem, ne enim, qui ſit in auctoritatem Eccleſiæ, approbarent theologi iſti, cogebantur exquirere, in examen uocemus. Qui fidem in Deum ipſum immediatè reſoluſit, in foribus diſputationis delinquunt, meo quidem iudicio: quanuis enim Deus ſub ueritatis primæ, aut alterius cuiuſcunque ratione ſit obiectum fidei, quod uocant incomplexum, non eſt tamen obiectum complexum, in quo fieri tamen reſolutionem oportet. fides enim noſtra, quæ reſolui debet, non eſt quæcunque cognitio de Deo, ſed complexa. de Deo enim hoc aut illud credetur, quemadmodum de homine hoc aut illud ſcitur, aut opinione cognoſcitur. Immo obiectum, quod incomplexum uocamus, non propriè obiectum, ſed ſubiectum attributionis ab auctoribus dicitur. Neque profectò theologi iſti negare poterũt, fidem illam, quæ reſoluitur, non eſſe fidem in ſeipſa, ſed fidem in nobis. Porrò fidem in nobis eſſe complexam, & habere obiectum complexum, S. Tho. ſcribit. ergo quẽadmodum fides in ſeipſa, in obiectum in ſeipſum reducitur, ita fides in nobis, ideſt, complexa, in obiectum in nobis, ideſt complexum reſoluitur. Et demum reſolutionem ad cognitiones complexas non item incomplexas pertinere, libri Ariſtotelis de Priori & Poſteriori reſolutione, quos poſt libros de compoſitione dialectica, ideſt de ratione faciendi complexa, illa, quæ propoſitiones aut enunciata uocamus, abundè oſtendunt. Non ergo in Deum, ſed in aliquid complexum, quod cæterorum omnium, quæcunque in Euangelica religione complexorum uirtute fidem contineat, fides noſtra reſoluitur: hoc autẽ aliud eſſe non poteſt quàm quod dicebat Durandus, credere ſanctam Eccleſiã Spiritu ſancto gubernari & dirigi, ac à recta fide deuiare non poſſe. Neque enim erit illud, quòd Deus, quòd ſit prima ueritas, errare non poſſit. nam licèt hoc ſit uerum; non tamen huius axiomatis uirtute immediatè credo diuinum uerbum incarnatum, aut Deum eſſe trinum & unum, ſed quòd Eccleſia tradiderit: fieri enim poteſt quòd Deus ſit uerax, & tamen idem non dixerit, diuinum uerbum incarnatum, aut Deum eſſe trinum & unum. Vltimatè igitur credo ſic eſſe, quòd Eccleſia, quam diuino ſpiritu agi perſuaſum habeo, doceat, Deum ita dixiſſe.

Quòd fides noſtra non reſoluatur ultimò, ſed in Eccleſiã.

3. ſent. di. ſt. 24. q. 1.

Qvi deinde aiunt, fidem noſtram in fidem infuſam ultimatè reſolui, duabus potiſſimùm aguntur rationibus, quarum dilutione ipſa quoque eorum ſententia continuò euaneſcet. Primò quidem putarunt Eccleſiæ non poſſe nos credere, niſi fide acquiſita, unde ſic conſequenter colligebant, cæteris articulis fidei, infuſa credimus, Eccleſiæ uetò acquiſita tantùm: ergo ſi ea fides, qua articulis credimus, in eam, quæ Eccleſiæ tribuitur ultimatè reſoluitur, fides infuſa ab acquiſita pendet, quod nefas putarunt, eſt enim altioris ordinis fides infuſa. Deinde putant iſti, idem eſſe fidem infuſam, firmitatem in credẽdo tribuere, & in illam articulum fidei reſolui. unde ſic colligunt, fides infuſa eſt, quæ robur & firmitatem ad credendum animo tribuit; non item acquiſita; ergo acquiſita in infuſam non infuſa in acquiſitam, ultimatè reſoluitur. Eſt etiã quibuſdam horum grandis maiorum auctoritas, qui fidem acquiſitam, ut quibuſdam placet,

Diſcutitur eorum ſententia, qui fidẽ noſtrã, ultimò, in fidem infuſam reſolui docebant.

non poſuerunt, unde cùm fides in fidem reſolui debeat, & nulla ſit acquiſita fides, in fidem infuſam tota noſtra fides reſoluetur. Verùm hæc falſa ſunt & minora quàm quæ uiros alioqui doctos debuiſſent impellere. Et ut à prioris demolitione ordiamur, falſum eſt Eccleſiæ ſola fide acquiſita, non item infuſa nos credere, immo ſi alicubi fides infuſa neceſſaria eſt, illic maximè eſt, ubi fides noſtra potiſsimè nititur. neq; tam erit quiſpiam inſanus, ut docere audeat, eo ſolo genere fidei Eccleſiaſticæ auctoritati nos credere, quo cuiuſcunque alterius reipublicæ membrum, iis, quæ ab illa traduntur, fidem præſtat. fide autem acquiſita, tantummodò quemcunque ſuæ communitati credere, non eſt dubitandum. Chriſtianæ igitur communitati, ideſt Eccleſiæ catholicæ, aliquo alio, quod ampliorem certitudinem conciliet, credemus: quod nō eſt aliud, quàm fides infuſa. falluntur uerò iſti, dum ita ſibi efficaciter uidentur colligere, fides infuſa habet Deum obiectum, quòd ſit uirtus theologica, ergo illa non inclinat ad credendum Eccleſiæ, ſed Deo. falluntur (inquam) dum putant credere Eccleſiæ in rebus, quæ ad fidem pertinent, eſſe alteri quàm Deo credere. Profectò in hac parte credere Eccleſiæ, eſt credere Deo, aut Spiritui ſancto per Eccleſiam loquenti, & eidem inſeparabili uinculo aſsiſtenti. Deinde, quamuis in fidei rebus decernendis Eccleſiaſtica auctoritas eſſet humana, & ad illi aſſentiendum fides infuſa immediatè inclinaret, non propterea non eſſet theologica uirtus: nam & fides acquiſita, omnibus approbantibus, eſt uirtus theologica, quemadmodum & infuſa, & in illa Eccleſiæ decernenti præſtamus obſequium. Etſi tantùm ea uirtus, quæ immediatè ad Deo credendum quaſi ſummæ ueritati, inclinat, eſt uirtus theologica. ergo hoc enunciatum, Eccleſia non poteſt errare in fide, cuius uirtute eidem Eccleſiæ fidem decernenti, conſenſum adhibemus, non pertinet ad fidem, quoniam fides, quæ nos credere cogit, tantùm eſt illa, quæ eſt uirtus theologica. Nihil ergo impedit, quò minùs fides infuſa ſit uirtus theologica, ſi Eccleſiæ ſub ratione ſummæ ueritatis ex promiſsione diuina participata, quæ eſt ratio ſui obiecti, etiam ſi Eccleſiaſtica auctoritas eſſet humana, ſubiectum impellat. Verùm prior illa ſolutio, quòd ſcilicet quis credendo Eccleſiæ, Deo per illam immediatè loquenti conſentiat, quoniam eſt planior, magis arridet. Non ſequitur ergo (quod eos tam malè habebat) quòd fides infuſa, quæ ſit altioris ordinis ab acquiſita dependeat. Quod

Scot. Gabr. & ſ.

tamen cur tantùm iſti, & alij quidam formidarint, prorſus ignoro. Fidem enimuerò infuſam in actionibus eliciendis ab acquiſita pendere, utcunque profectò, cum ratione

Sco. in 3 diſtin. 22. Durand. diſt. 24.

tamen, ut doctiſsimi theologi, demonſtrant, negari non poteſt. Quòd ſi quòd ſit altioris ordinis, quoad eſſe naturæ, non impedit, quin ab acquiſita fide in agendo dependeat, cur tantum neſas putatur, ſi totā infuſam à tota acquiſita, ſicut actionē ab actione dependere dicamus. reſolutio uerò non eſt habitus, ſed habitus actio. Sed iam ad ſecundum, in quo plurimùm profectò falluntur, dum idem eſſe putant, fidem in fidem ultimatè reſolui, & fidem à fide robur accipere. nam hac ratione in illa Spiritus ſancti chariſmata, quibus diuinitus ad credendum fouemur, fides reſolueretur, quod eſt prorſus inane. Fidem enim reſolui, ut initio diſputationis docuimus, non aliter ſumimus quàm Ariſtoteles cùm de concluſionum in ſuas præmiſſas & ſyllogiſticas cauſas analyſi ſcribit. Fidem (inquā) reſolui, eſt eius ultimam rationem, quærentibus reddere: quemadmodum concluſionem reſolui, eſt eandem in ſuas ultimas præmiſſas & poſtrema enuntiata reducere: non autem adiuuare potentiam. Atq; hac lethargia in tota hac diſputatione laboratur ab iſtis. Ergo fatemur, robur credulitatis potiſsimùm intēſione etiam actionis, ab habitu fidei infuſo deſcendere; idque non tantùm reſpectu eorum, quibus immediatè animus fertur in Deum, ſed etiam reſpectu omnium, ad quæ fides mediatè uel immediatè credenda nos adigit. non tamen fides noſtra, ideſt noſtra religionis confeſsio, in illam reſoluitur, quòd fidei infuſæ, præter illum, qui eſt acquiſitæ, nullus ſit actus, ac proinde nulla diſtincta certitudo, in quam actus acquiſitæ reſoluūtur. charitas enim cùm ſit habitus ad amandum diuinitus uoluntati donatus, non tamen diſtinctam ab acquiſita dilectionis habitu ſortitur actionem, ſed unus idemque eſt actus à duplici cauſa partiali productus. reſolutio uerò in hac parte, non eſt aliud quàm unius cognitionis complexæ in aliam cognitionem complexam prioris certitudinis, cauſalis reductio. Reſoluitur ergo unus & idem actus ab infuſa fide & acquiſita productus, non in habitum: quoniam reſolutio non eſt habitus in habitum, nec actus

in habitum, ſed actus complexi in actionem animæ complexam. quòd ſi in actum alterum, fides, ideſt actus fidei reſoluitur, ergo in illum, qui ſit natura prior, ideſt in quo continuatur uirtute: ergo tandem deueniendum eſt ad eam fidei actionem ſiue cognitionem complexam, quæ ſit ultima omnium, quæ, quemadmodum in ſciẽtia, primum enunciatum: quod ex ſubiecto ſcientiæ & diffinitione conſtituitur, uniuerſas concluſiones, uirtute contineat. hoc autem actus nullus alius eſſe poteſt, quàm hic, cuius uirtute Eccleſiæ docenti, conſenſum præſtamus, ſcilicet Eccleſia in rebus fidei non poteſt errare. Quemadmodum enim primum ſcientiæ enunciatum, in eſſe ſcientifico uniuerſas eius ſcientiæ concluſiones continere dicitur, quòd ſcientificè, ideſt, cognoſcendo unũ per aliud, quaſi per cauſam (hoc enim eſt ſcire) eaſdem in ſe claudat, ita illo primo fidei enunciato in genere fidei, ideſt non cognoſcendo unum per aliud, quaſi per cauſam, ſed per modum auctoritatis, uniuerſi fidei articuli uirtute clauduntur. qui enim Eccleſiam errare non poſſe, ſibi iam perſuaſit, credit perinde eidem in omnibus, quæcunque illi credenda præſcribit. Tertium non egebat alia dilatione, quàm quòd ea ſententia, quæ fidem acquiſitam negabat, à theologicis ſcholis fuerit omnium communi ſuffragio proſcripta. Sed neque ſi uerum eſſet, fidem acquiſitam non dari, continuò ſequebatur fidei noſtræ reſolutionem, in fidei infuſæ habitum fieri. Cùm, uti probatum eſt, & ipſummet reſolutionis nomen apertè inſinuat, reſolutio non ſit habitus in habitum, aut actus in habitum, ſed actus in actum cauſalis reductio. Quantumuis ergo fides acquiſita non eſſet ponenda, negari tamen ulla ratione non poſſet, habitum illum fidei infuſæ, qui ſolus in anima ponitur, actum habere. Nam cùm ex ſuppoſitione non ſit alius habitus quàm infuſus, & actus ab habitu deriuatur, actus, quos in credendo generamus, neceſſaria ratione deriuarentur ab infuſis habitibus. Ille igitur actus infuſæ fidei, in alium actum, quouſq; deueniàmus ad primum, reſoluetur. Et, ut quod generaliter diximus explicemus exemplo, actus hic credendi, Credo Deum eſſe trinũ & unum, ſi fides acquiſita non ponitur, neceſſe eſt ut ab infuſa tantùm fide deſcendat. hic autem actus, primò in hunc quaſi in cauſam immediatè reducitur, Credo ſcripturæ diuinæ. propterea enim priorem illam mihi perſuadeo, quia ſcriptura diuina hoc docet, tandem iſtam, credo ſcripturam diuinam hoc docere, in iſtam ultimatè reſoluo, Credo Eccleſiam errare non poſſe. non ergo etiam ſi fides acquiſita non detur, continuò ſequebatur fidei noſtræ non fieri reſolutionem in auctoritatem Eccleſiæ, quàuis rectè ſequeretur, non fieri reſolutionem in fidem acquiſitam.

1. Poſter. cap. 1.

Poſtremò tandem, illa ſententia, quæ docebat fidem in Spiritum ſanctum immediatè refundi, ſi de nobis, qui modò uiuimus, intelligatur, præterquàm quòd periculoſa eſt, & his hæreticis, qui potius propria deliria, quàm Eccleſiaſticam auctoritatem admirari ſolent, quos potius cæcos quàm illuminatos appellare debuiſſemus, familiaris, prorſus eſt ineptiſsima. uniuerſa enim ea, quæ illic adducuntur, tantùm ſuadent fidem in Spiritum ſanctum quaſi in auctorem reduci, quod de infuſa fide, immo & de acquiſita, ea Chriſtiana loquendi ratione, qua quæcunque etiam, quæ nobis laborantibus contingunt à Deo eſſe dicimus, nemo negabit. Veriſsimum enim eſt illud, Sine me nihil poteſtis facere, &, Quid habes quod non accepiſti? uerùm non de hac reſolutione hîc loquimur, ſed de ea, quæ cauſalis eſt, non effectiuè phyſicè, ſed effectiuè logicè, ideſt, per rationalem diſcurſum. Cauſatur quidem fides in anima ab Spiritu ſancto, quemadmodum & cætera omnia ſpiritualia chariſmata, efficienter, non quacunque ratione ſed phyſicè, non phyſicè, ideſt naturaliter. neque enim in ea producenda naturalem modum agendi conſeruat, ſed phyſicè, ideſt non moraliter, quemadmodum conſilium de homicidio datum, homicidium effectiuè cauſare, dicere ſolemus, aut non rationaliter quemadmodum concluſionis notitiam à præmiſſarum cognitione efficienter cauſari loquuntur philoſophi. Fidei ergo reſolutio, de qua loquimur, non eſt fidei in ſuam cauſam effectiuam phyſicam reductio. hac enim ratione & uniuerſa reducuntur in Deum & fides, ſpes, & charitas, in Spiritum ſanctum, quaſi in appropriatum auctorem, ſed eſt unius notitiæ complexæ fidei in alteram etiam complexam fidei etiam, quaſi in cauſam effectiuam rationalem reductio. maior enim & minor præmiſſa ſimul cum intellectu ſiue in exacto & ſcientifico, ſiue in fidei diſcurſu concluſionis ſunt cauſæ. Neque eſt diſcrimen, niſi quòd, uti diximus, in ſcientifico diſcurſu, ex natura rei concluſio in præ-

Conuellitur ea ſententia, quæ in Spiritum ſanctum fidem noſtram reſolui docebat.

Ioan. 15.
1. Corin. 4.

miſsis: in fidei uerò diſcurſu, una auctoritas in alia continetur. Nam quemadmodum hominem eſſe riſus capacem, in hoc, quod eſt eſſe animal rationale, uirtute clauditur, ita librorum canonicorum auctoritas, apud nos quidem, in Eccleſiaſtica auctoritate concluditur, ac perinde, quemadmodum eius concluſionis cognitio in præmiſſarum notitiam, quaſi in cauſam effectiuam rationalem, ideſt non moralem aut phyſicam, ultimatè reducitur, ita fides eius articuli, qui à fide ſanctæ ſcripturæ immediatè deſcendit à fide, quam, quòd errare non poſsit, Eccleſiaſticæ auctoritati tribuimus, ultimatè dependet. Loquuntur itaque Apoſtolici loci, de reſolutione fidei in Spiritum ſanctum, quaſi in cauſam efficientem phyſicam: non item rationalem, quæ cognoſcere faciat, aut ſi de hoc ſecundo genere reſolutionis loquuntur, de illis populi Chriſtiani primoribus, quibus immediatè per eundem Spiritum ſanctum, fuit noſtrorum myſteriorum cognitio donata, ſunt accipiendi, ut antea dicebamus. Illis nanque non ſolùm Spiritus ſanctus cauſa erat in credendo, effectiua phyſica, ſed effectiua rationalis. Faciebat enim omnes fidei articulos, ſine Eccleſiaſtica auctoritate, aut ulla in illam reſolutione cognoſcere. Et quemadmodum, qui nunc in Eccleſiæ gremio continemur, dicimus, hoc aut illud eſſe uerum, quoniam ita doceat Eccleſia, ita illi non minus fidenter quàm
Act. 10. uerè dicebant, Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. itaque ſicut illorum fides in Spiritum ſanctum, ita noſtra in Eccleſiaſticam auctoritatem ultimatè reſoluitur.

Conſtituitur generalis ratio in fidei dogmatibus diſcernendis, catholico homini obſeruanda. *Cap. XII.*

HOc igitur quaſi ſolido fundamento praiacto, & tempus & rerum ipſarum inſtitutus ordo, iam ad ueras illas catholici dogmatis regulas, properare nos admonet, ut oſtendamus ſcilicet, quæ ſit firma & ſolida ueram doctrinam à falſa diſcernendi ratio; non iam per ſigna & notas, ſed per methodi & theologici diſcurſus formam, quæ fallere nequeat. In hac autem tractatione, quoniam & id ordo & naturæ & tradendi diſciplinam à maioribus inſtitutus poſtulare uidetur, ab uniuerſis ad particularia nobis eſt procedendum, ut ſcilicet prius rationem aliquam generalem tradamus, qua uniuerſa catholica dogmata ab hæreticis & falſis hominum figmentis, ueræ religionis amator, etiam ſi in re literaria non admodum magnos progreſſus fecerit, dignoſcere queat. Deinde uerò eandem generalem regulam in ſuas partes & membra diſtrahentes, de ſingulis ad ſapientiorum uſum ſequentibus libris loquemur, ſed iam ad primum.

Ex ea doctrina, quam ſtatim tradidimus, protinus rationis neceſsitate conſequitur, ut
Cõſtituitur generalis diſcernẽdi ueram à falſa fide regula, non modò doctis ſed indoctis quoq; tutiſſima, & maximè utilis. quoniam fidei noſtræ ultima reſolutio in auctoritatem Eccleſiaſticam fit, id tantummodò catholicum & orthodoxum habeatur, quod nobis credendum tenendumque præſcripſerit Eccleſiaſtica regula; cætera omnia, quæcunque his aduerſentur, quaſi notha & ſpuria, immo quaſi falſa & hæretica prorſus habenda. ſi enim fides noſtra, eorum (inquam) qui modò poſt Apoſtolica ſæcula in Eccleſiaſtico gremio claudimur, quaſi in cauſam effectiuam rationalem, à qua, quemadmodum à ſcientificis præmiſsis concluſio deriuatur, refunditur. quidquid igitur eadem Eccleſiaſtica auctoritas nobis præſcripſerit, ſanctum ac ſolidum erit: contrà quodcũque illa reſpuit, continuò damnandum. Quoniam ergo (inquit Origenes) ex his, qui Chriſto ſe credere profiten-
In proœmio lib. periarc. tur, & non ſolùm in paruis & minimis diſcordant, ſed in magnis & maximis, ideſt, de Deo uel de domino noſtro Iesv Chriſto, uel de Spiritu ſancto, nõ ſolùm autem de his, ſed & de aliis creaturis, ideſt, de dominationibus, uel de uirtutibus ſanctis, propter hoc neceſſarium uidetur, prius de his certam lineam manifeſtamque regulam ponere, tum demum etiam quærere. Sicut enim tum apud Græcos, tum apud Barbaros, pollicentibus ueritatem, deſueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falſis opinionibus aſſerebant, poſt quàm credidimus filium Dei eſſe Chriſtum, ab eoque nobis diſcendum eſſe perſuaſimus: ita cum multi ſint, qui ſe putent ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum à prioribus diſſentiant, ſeruetur Eccleſiaſtica prædicatio, per ſucceſsionis ordinem ab Apoſtolis tradita ad præſens in Eccleſia permanens. Illa ergo ſola credenda eſt

ueritas,

ueritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſſentit, Hæc Origenes. Cuius ſunt *Orig. in Matth.*
& illa, Non debemus exire à prima & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere,
niſi quemadmodum per ſucceſsionem Eccleſiæ Dei nobis tradiderunt. Vides igi-
tur, quæ in quæſtionibus, quæ nonnunquam ad probationem fidelium (ut antea dice-
bamus) in Dei Eccleſia opera diaboli ſuſcitari permittũtur, ſit tenenda regula, nimirum
ut id ſequaris, quod Eccleſia colit, id damnes quaſi falſum, quod Eccleſia reiicit. Quod
eadem ſententia, ſed planioribus uerbis Auguſtinus docet, Hoc (inquit) faciamus, *Contra Cre*
quod uniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum ſanctarum commendat au- *ſcon. gram*
ctoritas, & quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit obſcuri- *mat. lib. 1.*
tate quæſtionis, eandem Eccleſiam, de illa conſulat, quam Eccleſiam, ſine ulla ambi- *cap. 33.*
guitate, ſancta ſcriptura demõſtrat. Eccleſiæ in gremio, dicebat idem, multa ſunt, quæ *Auguſt. con*
me iuſtiſsimè tenent, tenet conſenſus populorum ac gentium, tenet auctoritas miraculis *tra epiſt. ad*
inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, uetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Petri Apo- *Funda.*
ſtoli, cui paſcendas oues ſuas, poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, uſq;
ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſsio ſacerdotum. Populorum conſenſum, & auctorita-
tem miraculis confirmatam, Eccleſiaſticam auctoritatem intelligit, quæ tanta fuit ſem-
per apud uirum & ſanctiſsimum & eruditiſsimum, ut quod antea ex eo retulimus, Euã-
gelio non ſe crediturum, niſi eundem Eccleſiæ catholicæ communiret auctoritas, liber- *Ibidem.*
timè, ſed conſultiſsimè ſcriberet. Vincentius monachus Lyrinenſis, uir & eloquio &
Eccleſiaſtica eruditione præclarus, eo aureo libello, quem aduerſus prophanas hæreti-
corum nouationes inſcripſit, Sæpe (inquit) magno ſtudio & ſumma attentione perqui-
rens, à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus uiris, quo nam modo poſſem
certa quadam, & quaſi generali ac regulari uia catholicæ fidei ueritatem, ab hæreticæ
prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli,
Quòd ſiue ego, ſiue quis alius uellet exſurgentium hæreticorum fraudes deprehendere,
laqueos uitare, in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem
ſuam, Domino adiuuante, deberet, primò ſcilicet diuinæ legis auctoritate; tum deinde
Eccleſiæ catholicæ traditione. Poſt quæ cùm priorem modum dogmatis hæretici di-
ſcernendi, ex ſacra ſcilicet ſcriptura, non quocunque pacto, ſed Eccleſiaſtico ſenſu in-
tellecta, de quo nos poſtea libro ſeptimo ſumus nonnulla dicturi, diſſeruiſſet, ad Eccle-
ſiaſticam traditionem conuerſus, confeſtim ſubiungit. In ipſa item Eccleſia catholica,
magno opere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab o-
mnibus creditum eſt; hoc eſt etenim uerè proprieque catholicum (quod ipſa uis nomi-
nis ratioque declarat) quod omnia uerè uniuerſaliterque comprehendit, ſed hoc ita
demum fit, ſi ſequamur uniuerſitatem, antiquitatem, & conſenſionem. Sequemur autẽ
uniuerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem ueram eſſe fateamur, quam tota per or-
bem terrarum confitetur Eccleſia; antiquitatem uero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus
recedamus, quos ſanctos maiores, ac patres noſtros celebraſſe, manifeſtum eſt. conſen-
ſionem quoque itidem, ſi in ipſa uetuſtate omnium, uel certe penè omnium ſacerdo-
tum, pariter & magiſtrorum diffinitiones, ſententiaſque ſectemur. Quid igitur fa-
ciet Chriſtianus catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab uniuerſalis fidei commu-
nione præciderit? Quid itaque, niſi ut peſtifero corruptoque membro, ſanitatem uni-
uerſi corporis anteponat? Quid ſi nouella aliqua contagio non tantum portiunculam,
ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, ut antiqui-
tati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt ab ulla nouitatis fraude ſeduci. Quid ſi in
ipſa uetuſtate duorum aut trium hominum uel certe ciuitatis unius, aut etiam prouin-
ciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati uel
inſcitiæ, uniuerſalis Eccleſiæ decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, ubi ni-
hil huiuſmodi reperiatur? tunc operam dabit, ut collatas inter ſe, maiorum conſulat in-
terrogetque ſententias, eorum duntaxat, qui diuerſis licèt temporibus & locis, in unius
tamen Eccleſiæ catholicæ communione & fide permanentes, magiſtri probabiles extite-
runt; & quicquid non unus aut duo tantùm, ſed omnes pariter, uno eodemque conſen-
ſu apertè, frequẽter perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, ac docuiſſe cognouerit, id quoq;
intelligat abſque ulla dubitatione credendum. Hactenus Vincentius. Habes ergo bre-
uem, facilem, ac compendioſam, ſed utiliſsimam, catholici dogmatis, quocunque re-

rum euentu, diſcernendi rationem, ut id nimirum, ſi catholicus eſſe cupis, nec à ſanctæ, quam ſemel es profeſſus, religionis confeſsione recedere, in quacunque, quæ ſuborta fuerit, quæſtione, credas, quod ſemper, quod ubique, quod à cunctis Eccleſiaſticis patribus traditur. hac profectò ratione, hunc aut illum malè ſani capitis homunculum, qui contra totius Eccleſiaſtici corporis molem cônatur inſurgere, quaſi morbidum membrum, non ſequêtis, ſed reliquo corpori, quaſi ſano adhærebis. hac ratione nouas hæreticorum doctrinas, ſanctorum maiorum tuorum, à quibus fidem habuiſti, auctoritati non præferes. hoc pacto demum, unius hominis aut gentis, quæ olim ſuæ inhærendo ſententiæ, communem deſeruit, placita, quaſi temeraria reiicies. Verùm res planior fiet, ſi Eccleſiaſticis comprobetur exemplis. Tempore, ait idem Vincentius, Donati, à quo Donatiſtæ, cùm ſeſe multa pars Africæ in erroris ſui furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, profeſsionis, unius hominis ſacrilegam temeritatem Eccleſiæ Chriſti præponeret, tunc quicunque per Africam conſtituti, prophano ſchiſmate deteſtato, uniuerſis mundi Eccleſiis aſſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra ſacraria catholicæ fidei ſalui eſſe potuerunt, egregiam profectò relinquentes poſteris formam, quemadmodum ſcilicet & deinceps bono more, unius aut certè paucorum ueſaniæ, uniuerſorum ſanitas anteferretur. Item quando Arianorum uenenum non iam particulam quandam, ſed penè Orbem totum contaminauerat, adeò ut propè cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim ui, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quid'nam potiſsimùm in tanta rerum confuſione ſequendum foret? tunc quiſquis uerus Chriſti amator & cultor extitit, antiquam fidem nouellæ perfidiæ præferendo, nulla contagij ipſius peſte maculatus eſt. cuius quidem temporis periculo, ſatis ſuperque moſtratum eſt, quantum inueharur calamitatis, nouelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolùm paruæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt: nec enim tantùm affinitatis, cognationis, amicitiæ, domus, uerumetiam urbes, populi, prouinciæ, nationes, uniuerſum poſtremò Romanum Imperium funditus concuſſum & emotum eſt. Nãque cùm prophana ipſa Arianorum nouitas, uelut quædam Bellona, aut furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit uniuerſa miſcere, atque uexare, priuata ac publica, ſacra, prophanaque omnia, nullum boni & ueri gerere diſcrimen, ſed quodcunque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ coniuges, depopulatæ uiduæ, prophanatæ uirgines, monaſteria demolita, diſturbati clerici, uerberati leuitæ, acti in exilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla, quorum pars maxima interdictis urbibus protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti, & labefactati ſunt. Atque hæc omnia nunquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique dum pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur; dum bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta uiolantur, dum reſcinduntur ſcita patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ uetuſtatis caſtiſsimos limites, prophanæ ac nouellæ curioſitatis libido non continet? Hactenus Vincentius. Quibus uides & quanti Chriſti Chriſtianæq; religionis amatores ſinceri, olim ſanctam Eccleſiaſtici ſenſus in approbandis uel damnandis dogmatibus antiquitatem appenderint, & quantas quãque atroces, etiam ciuili adminiſtrationi & Imperio, eiuſdem Eccleſiaſticæ doctrinæ deſpectus, calamitates inuexerit, ut interim Reges aduertant, quantum ſua interſit, (ſi modò regnare uelint, nec nouam, cum noua religione, imperij & reipublicæ faciem oriri) Eccleſiaſticos in ſemel ſuſcepta religione, ſenſus tueri. Sed ad rem. In omni itaque hæreticæ tempeſtatis ſuborta procella, ſemper catholicus homo Eccleſiaſtico ſenſui inuictus cohæreat, ſemper ſe intra arcam illam, extra quam graſſante prauarum opinionum diluuio, nihil uiuere poteſt, abſcondat, ſemper uenerabilem illam antiquitatem ſequatur, & omnia nouitij ſenſus, præſertim ſi cum antiqua & uniuerſali Eccleſiæ fide non conueniant, dogmata horreat, & hac ratione ſola, etiam inter hæreticorum phalanges tutiſsimus erit. Malit ſe ſacratiſsimæ Chriſti ſponſæ,
Joan. 14. quàm ulli mortalium erudiendum committere. Ea ſola eſt, quæ habet promiſsionem ſpiritus, Ego (inquit Chriſtus cœlum aſcenſurus) rogabo patrem, & alium paracletum
Ioan. 17. dabit uobis. ea ſola eſt, pro qua Chriſtus efficaciter patrem rogauit, Pater, inquit,

ſanĉte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. & ne ad ſolos tantùm Apoſtolos pu-
tares orationem extendi, Non autem pro eis tantùm (inquit) rogo, ſed pro eis etiam, Ibidem.
qui credituri ſunt per uerba eorum in me. Ea ſola eſt, quæ habet Spiritus ſanĉti magi-
ſterium, qui ſolus eſt ſpiritus ueritatis, qui pro temporum ratione, docet eam omnem
ueritatem, Adhuc, inquit, multa habeo uobis dicere, quæ non poteſtis portare modò, Ioan. 19.
cùm autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non multas
profeĉtò ſed unicam cathedram habet hic cœleſtis magiſter, in ea tantùm, ideſt, Ec-
cleſia, non in hæreticorum angulis & ſpeluncis, eius magiſterio uacandum. ea eſt, cui
Chriſtus ſuam ſpiritalem præſentiam, indiuiduam promiſit, Ecce ego (inquit) uobiſcũ Math 28.
ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Ea eſt columna & firmamentum ueritatis, quam
quiſquis fuerit amplexus, etiam Satanico furore impellente non cadet. ea demum eſt, 1. Timo. 3.
aduerſus quam, quòd ſupra reĉtæ fidei confeſsionem fundetur, ipſæ inferi portæ præua- Math. 16.
lere non poſſunt. Huic ſanĉtæ Eccleſiæ quiſquis indiuiduè cohæſerit, etiam ſi à reĉta
catholicæ fidei norma per ignorantiam declinare contigerit, nullum detrimentum acci-
piet. Exemplo nobis eſt Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, immo totum illud Afri- Vincentius
canum concilium, quibus, quòd contra Eccleſiaſticas regulas, & ſtatuta maiorum hæ- Lyrinen.
reticos rebaptizandos eſſe placuiſſet, quod tamen id non cum Eccleſiaſtica iniuria &
contradiĉtione probaſſent, ſed quòd ita humanæ rationis iudicio ſibi uideretur, damna-
to dogmate abſoluuntur magiſtri. Neque enim quiſquam erit tam audax, ut ſanĉtiſsi-
mum Cyprianum Chriſti celeberrimum martyrem, qui eidem concilio interfuit cum
cæteris, uerè alioqui Eccleſiaſticis patribus, damnatos, decernat. Exemplo etiam nobis
eſto & ante hos trecentos annos Ioachimus Abbas, cuius ſententia cùm quaſi Eccleſia-
ſtico ſenſui aduerſa, in concilio generali damnetur, ipſe tamen hæreticæ labis iudica- De ſum. tri
tur immunis. nimirum, quòd firmiſsimam hanc Eccleſiaſticæ fidei ſtationem non de- nita. & ſi.
ſeruerit, neq; obfirmato animo aduerſus Eccleſiaſticam fidem docuerit. Plenæ ſunt hiſce cath. c. da.
exemplis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. mnamus.

Illud uerò ignotare non decet Chriſtianum lectorem, tantò magis præcedentium ſæ-
culorum Eccleſiaſticos patres, cæteris omnibus abieĉtis, Eccleſiaſtico in rebus fidei ad
hæſiſſe iudicio, quantò maiori eruditione & ingenio pollebant. ſemper enim in hiſce Hila. con.
rebus, maiorum auĉtoritas illis fuit ſacroſanĉta, ſemper quorũcũque iudicium, niſi tota Arian.
ſimilis conſonaret Eccleſia, ſuſpeĉtum habuerunt. Neque immeritò, nam ut Vincentius
docet, non erat fas ut tanti talesq; uiri, unius aut duorum hominum errabundas, ſibiq;
ipſis contrarias ſuſpiciones tam magno molimine aſſererent, aut uerò pro alicuius pro-
uinciæ temeraria quadam conſpiratione certarent, ſed omnium ſanĉtæ Eccleſiæ ſacer-
dotum Apoſtolicæ & catholicæ ueritatis decreta & definita ſectantes, maluerunt ſe-
metipſos quàm uetuſtæ uniuerſitatis fidem prodere. Vnde & ad tantam gloriam perue-
nire meruerunt, ut non ſolùm confeſſores, uerùm etiam confeſſorum principes iure me-
ritoque habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planeque di-
uinum, & ueris quibuſque catholicis indefeſſa meditatione recolendum, qui in modo
ſeptemplicis candelabri, ſeptena Sanĉti Spiritus luce radiantes, clariſsimam poſteris
formulam præmonſtrarunt; quo nam modo deinceps per ſingula quoque errorum uani-
loquia, ſacratæ uetuſtatis auĉtoritate, prophanæ nouitatis conteratur audacia. Haĉte-
nus Vincentius. Immo, non tantùm uiri doĉtiſsimi ſimul ac ſanĉtiſsimi, cæterorum
quorumque Eccleſiaſticorũ poſthabuerunt iudicium, uerùm neque proprias inuentio-
nes, niſi per omnia cum Eccleſiaſtica doĉtrina coirent, approbare ſolebant, ſed tantò in
illis examinandis rigidiores ſemper extitêre, quantò uidebant in illis quàm in alienis
facilius poſſe falli. Neque uerò id tantùm ex Eccleſiaſtica obſeruantia & obedientia ad-
hortante faciebant, ſed naturalis rationis & intelleĉtus, quibus doribus & Dei & na-
turæ benignitate maximè pollebant; qua ſciebant ſemper grauiſsimos quoſque uiros,
in rebus, quæ ad religionem pertinent, magis reipublicæ ac ſuis maioribus quàm ſibiipſis
fidem adhibuiſſe. Quis enim uel inter infideles & diuinæ huius, quam Chriſtiani
poſsidemus, reuelationis expertes, nouæ religionis inuentor; cunĉtorum mortalium ſuf-
fragio non fuit impiiſsimus & leuiſsimus habitus? Quis eum, qui ſemel ſanĉtam reli-
gionem abſque cœleſti argumento eleuare contendit, non inſanum & mentis protſus
iudicabit expertem? Itaque Chriſtus, cùm uniuerſum alioqui quod prædicabat Euan-
gelium,

gelium, in uetere illa Moſaica lege ſanctisque prophetis ſine magno labore uidere po-
tuiſſent, non alio tamen quàm admirandorum operum patratione condemnabat Iu-
Ioan. 15. dæos, Si opera, inquit, non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non habe-
rent. quaſi ueteris religionis & fidei ſubmouendæ, nullum aliud ſufficiens habeatur ar-
gumentum, quàm miraculorum patratio. Qui ergo ſine cœleſti argumento ueterem
religionem eleuare contendit, præter impietatis certiſsimam notam, ut futilis ac leuis
habeatur oportet, quod omnium maximè, ſapientes uiri, etiam inter gentes horrue-
runt. Sapientiſsimus Plato, eloquentiſsimus & Latinæ philoſophiæ facile princeps Mar.
Tullius Cicero, & ille, qui propter ingenij rigorem uox naturæ uocitari ſolet, Ariſtote-
les, cùm eis ad euertendas ueteres fabuloſas illas religiones, abundantiſsimæ uires inge-
nij ſuppeterent, nequaquam in hoc tamen quantum & ratione & rerum cognitione poſ-
ſint, demonſtrarunt, ſed potius propriam in patriam religionem pietatem oſtendentes,
magis maiorum ſuorum auctoritati, quàm ſibiipſis credebant. Quod cùm ſit his, qui
horum, quos tamen maximè omnium admiratur antiquitas, libros legerunt, comper-
tiſsimum, à locis adducendis temperabimus. Videas alta hæc naturæ culmina, cùm de
rebus, quæ ad religionem pertinebant, inciderit ſermo, futiliſsimis quibusque rationi-
bus, & philoſopho indignis, magna illa & acutiſsima ingenia propter maiorum ſuorum
auctoritatem ſubiicere: cùm in cæteris quibuſque, maxima intellectus libertate ute-
rentur, quod & cæteros, quos in ſapientum ordinem redegit antiquitas, factitaſſe uide-
mus. Neque iniuria, intelligit enim ſapientiſsimus quiſque nihil aliud rationem Reli-
gionis admittere, quàm ut omnia, qua fide à maioribus ſuſcepta ſunt, eadem filiis ac
minoribus conſignentur; hominesque religionem, non qua uelint ducturos, ſed qua il-
Religio uetus non expendenda proprio iudicio. la ducat, ſequi oportere. Eſt enimuerò religio, ſuoptegenio non de his rebus, in qui-
bus humanæ rationis uigor poteſtatem exercet, ſed de his, quæ in maiorum auctorita-
te & traditione ſunt ſita; quod in uniuerſis ſiue diuinis ſiue falſis religionibus, quæ à
mundi primordio ſunt inuentæ, ſingillatim cognoſcitur. neque enim omnes illarum cæ-
remoniæ & ritus, ratione naturali, in qua tantùm humanus intellectus eſt potens, ſed
potius inſtituentium uoluntate cõſtant. Contra naturam ergo religionis facit, quicunq;
religionem ipſam potius pro pio iudicio, quàm maiorum ſuorum auctoritate metitur.

Iam ſi in rebus, in quibus humana ratio dominatur, quales ſunt naturalium ſcientia-
rum cognitiones, quantum poſsit humana fragilitas, in his quæ uſu quotidiano contre-
ctamus, & terimus, uaria philoſophorum deliria ſatis, quorum quædam ſecundo libro
prodidimus, ſatis oſtendunt, quanta inter philoſophos, in aëris, ignis, aquæ, terræ,
maris, cœli, & aſtrorum natura uel motionibus explicandis, uarietas? nemo ſe ſapien-
tem habet, qui cum alio conſentiat. Quis omnium mortalium tam ſapiens, ut anima-
Ecclesi. 11. lium, plantarum, arborum, lapidum, auium, piſcium &c. rationem exhibeat? immo
quotuſquisque nouit quæ ſit uia ſpiritus, aut qua ratione compingantur oſſa eius in
uentre. in his ille uerè ſapiens iudicatur, qui poſt multorum annorum ſtudia ſe nihil ho-
rum ſcire fatetur ingenuè. Contrà ſtultiſsimus & cerebri uacuus, qui cùm totius ueteris
ac nouæ philoſophiæ monumenta uerſauerit, ſeſe aliquid horũ plenè cognouiſſe arbitre-
tur. Quòd ſi in his, quibus tamen humanus intellectus, quaſi in proprio campo exer-
cetur, ſapientes, & prudentes uiri, parum ſibi ſolent tribuere, immo quantò doctiores
& prudentiores, tantò magis aliena quàm propria ſuſcipiunt, ita ut omnium mortalium
Socrates ſapientiſsimus Delphico oraculo iudicatus fuerit, qui poſt multorum annorum ſtudia,
hoc unum ſcire arbitraretur, quòd nihil ſciret: cur non meritò iudicetur inanis & le-
uis, qui in rebus, quæ ad religionem ſpectant, in quibus, ut diximus, humanus intelle-
ctus, quod ſuapte natura traditione cõſtent, nihil habet imperij, propriam ſententiam
& iudicium interponat? Cur non à cunctis ſapientibus futiliſsimus & nihili homo ha-
beatur, qui adeò ſibi tribuat, ut adamuſsim & normam ſui cerebri, quæ ſuæ reipublicæ
patres diuinitus accepiſſe memorantur, exigat? Itaque non tantùm in catholica Eccle-
ſia, ſed apud idololatras & ueræ religionis expertes nationes, tantò quis fuit antiquæ &
auitæ religionis tenacior, niſi cœleſti uinceretur argumento, quantò prudentior: tantò
à ſemel accepta paterna religione eleuanda aut mouenda magis abſtinuit, quantò ma-
gis, id non eſſe hominis ſapientis, ſed prorſus ſtulti & leuiculi crederet. Sciebant in re-
bus, quæ per ſeipſas perſpicuæ non apparent, nec ex ſeipſis ſunt euidentes, qualis eſt

religio

religio, alicui adhibendam eſſe fidem malebant toti ſuæ reipublicæ, ſuiſque parentibus quibus quàm ceteris magis credere, quòd magis nos diligant, natura ipſa adhortante docemur, fidem adhibere, quam ſibi, quòd in his parùm ingenia ualere perſuaſum haberent, aut quàm temerariis hominibus, qui poſt quoſcunq; labores, nihil aliud afferre potuiſſent, quàm ſomnia. Multa à multis doctiſsimorum uirorum referuntur exempla, qui poſt ingentes in omni genere diſciplinarum labores, proxima morte accerſiris de uia ruſticiſsimis hominibus, in illorum fidem, quæ, ut illi dicebant, non erat alia quàm Eccleſiaſtica fides, ſuam omnem ſapientiam & theologiam reſignarint, proteſtantes ingenuè, nihil aliud ſe credere, quàm quòd ruſtici illi faterentur ſe credere, id eſt id, quod credit, & approbat Eccleſia. Narrat Albertus Pighius Campenſis, uirum quendam longè doctiſsimum, & ſacrarum literarum profeſſorem celeberrimum, in ſimpliciſsimum quendam Carbonarium fortè fortuna incidiſſe, à quo cùm animi exhilarandi gratia, aut curioſitate quadam, hominis ſimplicitatem pertentaret, percunctabatur illum de ſua fide quid crederet. Qui cùm præter communes illos fidei catholicæ articulos, quos frequenter audiendo in Eccleſia didicerat, ad cætera omnia interrogata nihil reſponderet, aliud quàm hoc ſe credere, quod credit Eccleſia, de Eccleſiæ fide nihil habens definiti, ac expliciti, interrogantem de ea, uelut circulo quodam eludebat. Hoc enim ultrà de ſingulis interrogatns, Eccleſiam aiebat credere, qnod ipſe crederet, & hoc ſe, quod Eccleſia. Qui Theologus, cùm poſtea grauiſsimo morbo laborans ad uitæ extremum perductus, aſtu Satanæ de fidei ueritate pertentaretur, non potuit aliter diabolicas ſuggeſtiones ſuperare, quàm recordatione ſimplicis ſed tutiſsimæ confeſsionis Carbonarij, ad quam cùm in æſtu illo tentationis, quaſi ad tutiſsimum portum confugeret, nihil aliud clamabat, quàm hoc ſe credere, quod credit Eccleſia; hoc ſe damnare, quod illa damnat: & rurſus Eccleſiam non aliud credere quàm ipſe crederet &c. quemadmodum à ſuo ruſtico illo doctore, ſuſceperat. Tale quiddam & de noſtro Alfonſo Toſtato, Abulenſi Epiſcopo narratur, uiro profectò, in quo prærer eximiam ſanctitatem & uitæ candorem, quæ per uniuerſam Hiſpaniam, Deo etiam miraculis teſtante, notiſsima euaſerunt, planè ignores an magis admirere, ingentem illum omnium diſciplinarum cumulum, an lectionis & antiquitatis ubertatem, ingenij ſubtilitatem, an uerò incredibilem illam dicendi & ſcribendi copiam, qua cunctos haud dubium mortales exceſsit. Hic tantus uir, cùm morti eſſet propinquus, diabolicæque fraudis incitamenta ſentiret, accerſito è uia agaſone, qui fortè tranſibat, quæſitoque quid de Chriſtiana religione ſentiret, eoque fatente, nihil aliud ſe credere, quàm quod crederet, & teneret Eccleſia, in eius confeſsionem ingentes illos ſtudiorum labores continuò refudit, proteſtatus nihil aliud, quàm quod agaſo ille confitebatur, ſe credere. Qua ſancta modeſtia uictus Satanas, continuò diſceſsit, uirumque ſanctiſsimum tentare ceſſauit. Horum non leuiculorum homunculorum imitemur exempla, & nunquam errabimus. A nullo alio, quàm ab ea, quæ nos Chriſto genuit, doceri pariamur, id damnemus, quod illa damnat, id tantummodò approbemus, quod illa approbat. Sciamus primam eſſe ſalutem rectæ & Eccleſiaſticæ fidei regulas cuſtodire, & à conſtitutis patrum nullatenus deuiare, ſeruemus maiorum noſtrorum præcepta, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate uiolemus. Quod ſi fecerimus, facili compendio cunctas hæreſes, & cacodæmonis fraudes abſque ampliori eruditione uitabimus.

In Eccleſiaſtica hierarchia.

Euſeb. Pot. Ro. Epiſt. ad Epis. & diacones Thuſciæ. Ambro. de fide. lib. 3. cap. 7.

Quæ ſit Eccleſia, cui adhærendum ſit. Cap. XIII.

QVanquàm autem unica fidei Eccleſiaſticæ obedientia, uniuerſæ hæreſes declinantur; poteſt tamen hominem catholicum dubitatio ſubire, quænam, aut ubi, ſit hæc Eccleſia, cuius magiſterio ſit obediendum? Nam & hæreticos olim apud ſe tantùm eſſe Eccleſiam, obnixè contendiſſe, teſtes ſunt Ireneus, & Tertullianus, adeò ut orthodoxam & catholicam Eccleſiam ipſi contrà uocitarent hæreticam & ſchiſmaticam. Nouatianus Simiarum more dicebat, Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, catholicæ Eccleſiæ auctoritatem ſibi uoluit uendicare: & cùm ipſe in Eccleſia non eſſet, ſed contra Eccle-

In epiſt. ad Iubaianū.

ſiam rebellis, hoc unum ſibi nendicabat, quòd cæteros faciens hæreticos, apud ſe eſſe Eccleſiam, defendere præſumeret. Frequentiſsima eſt apud Auguſtinum, cùm in Donatiſtas inuehitur, hæc concertatio, apud quos ſit Eccleſia catholica, apud eoſdem, an uerò apud nos? Quæſtio (inquit) certè inter nos uerſatur ubi ſit Eccleſia, utrùm apud nos, an apud illos: (intelligit autē Donatiſtas) &c. Et rurſus, Nec eos (ait) audiamus, qui ſanctam Eccleſiam, quæ unica catholica eſt, negant per Orbem eſſe diffuſam, ſed in ſola Africa, hoc eſt, in parte Donati, pollere arbitrantur. Et idem, Donatiſtæ hæretici dicebant, Chriſtianum nomen periiſſe de tot gentibus, in Orbe terrarum, & in ſola Africa remanſiſſe. Simili impietate & impudentia Martinus Lutherus catholicam Eccleſiam Papiſticam, Antichriſtianam, & Satanicam, ſuam uerò ſanctam & ueram, reliquam, perditorum homunculorum colluuiem, uocare docuit, quod nobis cum illis agentibus, inaniter quotidiano conflictu oblatrare non deſinunt, nullum eſſe uolunt certum Eccleſiaſticæ congregationis indicium, ſed Dei Eccleſiam uolunt eſſe tantùm in ſpiritu, nulliſque loco alligatam, quò facilius eam, in ſuos Satanicos greges, uel renitentem & reclamantem perducant. Sciunt hæretici, nulli extra Eccleſiaſticæ congregationis tutiſsimam ſcepem patère ſalutem, atque adeò. ne eorum nequitia apertè deprædatur, uel ipſo Eccleſiæ nomine gloriari contendunt. ſed quàm fruſtrà, ſanctorum Eccleſiaſticorum patrum, præſertim Auguſtini in eoſdem hæreticos labores demonſtrant.

Cōtra epiſt. Petilia. *Auguſt. de agone Chriſti, c. 29.* *Cōtra epiſt. Parmenia. lib. 2. c. 1.*

Quibus & nos, cunctis catholicis, qui in hac parte diabolica tentatione quatiuntur, quibus tantùm ſcribimus, ſatisfactum eſſe putare potuiſſemus, præſertim cùm ſummi uiri noſtra memoria, quantum, in ea re & literis & ingenio ualerent, ſtrenuiſsimè oſtēderint, niſi huius tractationis inſtitutus ordo, aliquid dicere hortaretur, quo ea, quæ dicta ſunt, & quæ deinceps ſumus dicturi, robur accipiant. Nihil enim prodeſſet docere Eccleſiaſtica obedientia, hæreticorum inſanias declinari, niſi cui Eccleſiæ ſit obediendum, conſequenter oſtendamus, cùm & hæretici ipſi de ſuis Synagogulis illud intelligant. Sed ad rem.

Vide librū Aug cōtra epiſt. Petil. & ſeptem lib. contra Donatiſtas. Alber pig. Ioā. Cocle. Echi. Roff. Oſi. &c. 1. Timo. 3. Ioan. 15.

Tota inter nos & hæreticos eſt controuerſia, non, an Eccleſiæ catholicæ magiſterio abſcindantur errores (hoc enim illi, niſi uniuerſam ſanctam ſcripturam negarent, aut prorſus delerent, inficias non irent, ſciunt enim catholicam Eccleſiam ubicunque ſit, illā eſſe columnam & firmamentum ueritatis, ſciunt, eandem Spiritus ſancti perpetuum habere magiſterium, & ab eo omnem ueritatem doceri) ſed an hæc Eccleſia catholica ſit apud nos, an uerò apud illos, quòd nolint eſſe extra Eccleſiam, in quæſtionem conuertunt. Verùm, cùm neque anterioribus ſæculis, neque noſtra memoria, ad ſuadendum, apud ſe eſſe ueram illam Chriſti Eccleſiam, in qua ſtationem ſeruantibus, regnum cœlorum promittitur, præter procacem quandam licentiam, & loquendi temeritatem attulerint, nos, quibus apud nos eſſe ueram Eccleſiam perſuaſum habemus, ex ſanctis & canonicis ſcripturis paucis dicamus. Antea, inquit Chryſoſtomus, multis modis cognoſcebatur, quæ eſſet Eccleſia Chriſti, & quæ Gentilitas: nunc autem nullo modo cognoſcitur, uolentibus cognoſcere, quæ ſit uera Eccleſia Chriſti, niſi tantùm per ſcripturas, quia omnia nimirum hæc, quæ ſunt propria Eccleſiæ Chriſti, in ueritate habent & hæreſes in ſuo ſchiſmate. ſimiliter Eccleſias, ſimiliter & ipſas ſcripturas diuinas, ſimiliter & Epiſcopos cæteroſque ordines clericorum, ſimiliter baptiſmum, ſimiliter Euchariſtiam & cætera omnia, denique ipſum Chriſtum. Volens ergo cognoſcere quæ ſit uera Chriſti Eccleſia, unde cognoſcet in tanta confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodò per ſcripturas? Auguſtinus etiam, Non audiamus (inquit) Hæc dico, Hæc dicis, ſed audiamus, Hæc dicit dominus. Sunt certè libri dominici, quorum auctoritati, ubique conſentimus, ubique credimus, ubique ſeruimus, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.

Chryſoſto. in 24. cap. Matth. homil. 49. *Cōtra epiſt. Petil. c. 3.*

Ergo Eccleſiam ueram, quæ Chriſti corpus & ſponſa tam diuinarum ſcripturarum frequentiſsima phraſi, quàm ſanctorum ſcriptis uocatur, catholicam appellari, compertius eſt, quàm ut adductis teſtimoniis probetur: uniuerſi enim credimus, unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam: Catholicam uerò dici, quòd ſit uniuerſalis, & ipſa ratio nominis & Auguſtinus teſtatur. Eccleſia, inquit, una eſt, quam maiores noſtri catholicam nominarunt, ut ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt: ſecundum enim totum [illegible] dicitur. Vnde etiam habes, qua ratione, aut catholica,

** Apud catholicos eſſe Eccleſiam ueram. In ſymbolo Nicæ. Cōtra epiſt. Petil. c. 2.*

aut uniuerſalis uocetur, quòd per totum ſit nimirum, aut tempus, aut orbem terrarum diffuſa, atque in his uerbis, quæ ex Vincentio Lyrinenſi, præcedenti capite protulimus, apertius exponitur. In ipſa, inquit, Eccleſia catholica, magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. hoc eſt enim uerè proprieq; catholicum, quod ipſa uis nominis ratioque declarat, quæ omnia uerè uniuerſaliterque compræhendit. Vides igitur à triplici uniuerſalitate, ſanctam Eccleſiam uocari catholicam, locorum uidelicet uniuerſalitate, quod ubique (inquit) temporis, quod ſemper hominum, quòd ab omnibus. Illa igitur Eccleſia, aut Chriſtianorum cœtus, Eccleſia catholica uerè uocabitur, quæ ſit ubique eadem, quæ omni tempore fuit, & eſt eadem, quæ apud omnes nationes, prouincias, aut homines, ſemper fuit, & eſt eadem: contrà nulla illarum catholica iure dicetur, quæ aut tantùm uno loco uiguit, aut uno tempore, aut quæ tantùm apud quoſdam homines, non item apud omnes extenditur. Iam noſtræ fidei triplicem hanc uniuerſalitatem ueriſsimè tribui pauliſper attende. Id credimus, quod Græci, Latini, Pœni, Aegyptij, Syrij, & ne uniuerſas referam Orbis prouincias, quod Europa, Aſia, Africa, Apoſtolica prædicatione ſuſcepit, quod quaſi orthodoxum, ac rectum iſtarum prouinciarum unaquæque probauit. Id credimus, quod à Chriſti & Apoſtolorum prædicatione, per Epiſcoporum ſucceſſiones inuiolabili firmitate deſcendit. Demum id credimus, quod ab omnium prouinciarum & temporum ſanctiſsimis & eruditiſsimis uiris, conſona prædicatione docetur. Non unius loci, non unius temporis neque unum tantùm hominem, ſed omnium locorum, quibus Chriſti fides uiguit, omnium temporum, uniuerſos, quos ubique terrarum & temporum Chriſtiani ſunt uenerati, magiſtros habemus, omnes prouincias, omnia tempora, omnes Chriſtianos, quos ſanctitas & eruditio uenerabiles fecerunt, in eius fidei, quam colimus, teſtimonium uocamus, hanc triplicem uniuerſalitatis, rationem neque Arrius, neque Donatus, neque Lutherus, neque quiſquam alius hæreticus, oſtendere poterit. Arrij fidem, quamuis penè totam Græcam & Latinam Eccleſiam infecerit, tamen ante Alexandri Alexandrini Pontificis tempora, non audiuit Eccleſia. Nouati ſuperſtitionem, ſola Africa neque ea tota, non niſi Fabiani Pontificis tempore coluit. Lutherana blaſphemia, noſtra memoria non ubique, ſed neque apud omnes eos, qui uel eruditione uel uitæ cōpoſitione habebantur inſignes, ſubitò caput extulit Orco. Quòd ſi quaſdam habent hæreſes, quas olim ſimiles ſpiritus ſuſcitaſſe legimus, illæ tamen, quòd apud omnes nationes prorſus intercidiſſent, hanc locorum, temporum & hominum uniuerſalitatem nanciſci non poterunt. Nulla igitur earum congregationum, quæ Chriſtiano nomine gloriantur, catholica aut uniuerſalis Eccleſia iure uocabitur, præter hanc noſtram, quæ triſariam habet, quam ipſa ratio nominis poſtulat, uniuerſalitatem ſortitur. Atque hanc profectò rationem tanti facio, ut non dubitem, uel eam ſolam ad hanc rem obtinendam ſufficientiſsimam eſſe. Verùm iam aliam non minoris ponderis applicemus rationem, Eccleſiam, quæ Chriſti corpus & ſponſa uocatur, cuique diuini ſpiritus magiſterium permittitur, unam eſſe debere, utriuſque teſtamenti contextus inſinuat. Vna eſt (inquit) columba mea, perfecta mea: una eſt matri ſuæ, Electa genitrici ſuæ. quem locum, de Eccleſiæ unitate, ſancti auctores intelligunt. Vna, inquit, Innocentius Pontifex in Lateranenſi concilio, eſt fidelium uniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur. Et Bonifacius, Vnam ſanctam Eccleſiam (inquit) Catholicam & Apoſtolicam; urgente fide credere cogimur & tenere, noſque hanc firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, extra quam, neque ſalus eſt nec remiſsio peccatorum, ſponſo in canticis proclamante, & dicente, Vna eſt columba mea, perfecta mea: una eſt matri ſuæ, genitrici ſuæ, quæ unum corpus myſticum repræſentat, cuius caput Chriſtus, Chriſti uerò Deus, in qua eſt unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Vna nempe fuit tempore diluuij arca Noë, unam Eccleſiam præfigurans, quæ in uno cubito conſummata, unum, Noë uidelicet, gubernatorem habuit, & rectorem. Hanc autem ueneramur ut unicam, dicente Domino in propheta, Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam. pro anima enim, ideſt pro ſeipſo capite ſimul orabat & corpore. Quod corpus unicam, ſcilicet Eccleſiam nominauit, propter ſponſi fideique ſacramentum, & charitatis Eccleſiæ unitatem. Hæc eſt tunica illa Domini inconſutilis, quæ ſciſſa nō fuit, ſed ſorte peruenit. Hactenus Bonifacius.

Cant. 6.

Pelagius Pont. c. pudenda 24. queſt. 1. c. Firmi. de ſum. trini. & ſi. cath. Hieronym. in c. olbus.

Lib. 1. de Symbolo ad cathec. cap. 5. nifacius. Auguſtinus etiam; Templum Dei (inquit Apoſtolus) ſanctum eſt, quod eſtis
uos; ipſa eſt Eccleſia, ſancta Eccleſia una, Eccleſia uera, Eccleſia catholica, contra om-
nes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari nõ poteſt. Hæreſes omnes de illa exie-
runt, tanquam ſarmenta inutilia de uite præciſa: ipſa autem manet, in radice ſua, in
uite ſua, in charitate ſua. Et Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, Vna eſt (inquit)
De ſimplic. prala. quæ in multitudine totius, incremento fœcunditaris extenditur, quomodo ſolis radij
multi, ſed lumen unnm, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum,
& cùm de fonte uno riui plurimi defluunt, numeroſitas, licèr diffuſa uideatur, exun-
dantis copiæ largitate, unitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore
ſi poteſt, diuiſionem lucis unitas non patitur: ab arbore frange ramum, præciſus are-
ſcet; ſic & Eccleſia luce perfuſa per Orbem totnm, radios ſuos porriget, unum tamen
lumen eſt, quod ubique diffunditur, neque unitas ſeparatur corporis, ramos tamen ſuos
in uniuerſam terram copia ubertaris extendit, profluentes largiter riuos, latius expan-
dit, unum tamen caput eſt & origo & uita, & una mater, fœcunditatis ſucceſsibus co-
pioſa. Hactenns Cyprianus, Copioſiusque eandem Eccleſiaſticam unitatem declarat in
Epiſt. 6. epiſtola ad Magnum. Et Auguſt. lib. 7. contra Dona. cap. 49. & 50.

Qvanam autem in re Eccleſiaſtica unitas potiſsimè ſita ſit, quanuis catholicis cum
hæreticis non per omnia conueniat, quòd quidam horum, ut Donatiſtæ, Montenſes Re-
gatani, Circuncelliones, aduerſus quos diuerſis operibus Auguſtinus decertat, gra-
tiam huius Eccleſiaſtici uinculi, cauſam aſsignent, ita ut peccatores ab Eccleſia pro-
trudant, quidam uerò ſolam finalem prædeſtinationem, ita ut reprobos quantumuis
iuſtos, ſecundum præſentem iuſtitiam, partes Eccleſiæ non eſſe contendant. quod Ioanni
Hus Boëmo & quibuſdam aliis placuiſſe legimus, de quibus ſententiis ſeptimo libro
non nihil dicemus: catholici uerò ab unitate capitis, qui Romanus eſt Pontifex, dici
unam Eccleſiam arbitrentur, nullus tamen ſiue catholicus, ſiue hæreticus quantumuis
procax, niſi ſcripturas neget, inficias ibit, ad eam unitatem, unam eandemque fidem
& mutuam charitatem, qua Eccleſiæ membra ſeſe proſequuntur, neceſſariò pertinere;
Vera Eccleſia una, unitate fidei et cõfeſsionis. ita ut Eccleſia una dicatur à mentis unitate, ideſt ab eadem fide & à uoluntatis unione
ſiue identitate, ideſt à mutuo amore & charitate, quæ diſciſſa corda quaſi diuerſa me-
talla in unum confundit. De fidei unitate loquebatur Apoſtolns, quando Corinthios
1. Cor. 1. obſecrabat per nomen Domini noſtri Iesv Chriſti, ut id ipſum dicerent, & non eſſent in
illis ſchiſmata: eſſent autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia. Et ad Phi-
Philip. 2. lippenſes, Si qua (inquit) conſolatio in Chriſto Iesv, ſi quod ſolatium charitatis, ſi
qua ſocietas ſpiritns, ſi qua uiſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſa-
piatis, eandem charitatẽ habentes unanimes, id ipſum ſentientes: nihil per contentionẽ,
& inanem gloriã, ſed in humilitate ſubiecti ſuperiores ſeinuicem arbitrantes. Et rurſus
Philip. 3. ad eoſdem; Verumtamen ad quod peruenimus, ut idem ſapiamus & in eadẽ permanea-
mus regula, Et demum huc illud pertinet, quod quibuſdã aptabat dicens, Deus autem
Rom. 15. patientiæ & ſolatij, det uobis id ipſum ſapere in alterutrum ſecundum Iesvm Chriſtum,
ut unanimes, uno ore, honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Iesv Chriſti.

Vera Eccleſia una, unitate dilectionis mutuæ. Pro vnione uerò per mutuæ charitatis amorem orabat Chriſtus, iamiam à diſcipu-
lis diſceſſurus, Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſi-
cut & nos unum ſumus, non quòd uniuerſos Chriſtianos eandem uellet habere natu-
ram, ſed ut per mutuum conſenſum in unam eandemq; uoluntatem coirent, ideſt ut in
Ioan. 17. fide, ut ait Petrus Apoſtolus, omnes eſſent unanimes, compatientes, fraternitatis ama-
1. Petri 3. tores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictũ
pro maledicto, ſed è contrariò, benedicentes, quia in hoc uocati eſſent, ut benedictio-
nem hæreditate poſſideret. Hanc eandem mutui amoris beneuolentia Chriſti Eccleſiam
Rom. 12. connecti & compingi debere, multis metaphoris nos docet Apoſtolus, Sicut (inquit)
in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum ha-
bent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra.
habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis ſiue prophetiam ſe-
cundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina,
qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine,
qui miſeretur in hilaritate, dilectio ſine ſimulatione, odientes malum, adhærentes bono,

charitatem

charitatem fraternitatis inuicem diligentes, &c. Quam eandem rem ad Corinthios,
qui uariis forſan gratiarum diſtributionibus, quibus diuino munere pollebant, non ni-
hil inuicem diſsidebant, in mutuam hanc beneuolentiam reducendos, ampliori ſer-
mone, rurſus proſequitur, Si dixerit (inquit) pes quoniam non ſum manus, non ſum *2. Cor. 12.*
de corpore: non ideò non eſt de corpore: & ſi dixerit auris quoniam non ſum oculus,
non ſum de corpore, non ideò non eſt de corpore: ſi totum corpus oculus, ubi auditus?
ſi totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque co-
rum ſicut uoluit. Quòd ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem mul
ta quidem membra, unum autem corpus. Quæ uerba & omnia illa, quæ prolixiori,
quàm ut hîc tranſcribi debent, ſermone illic ſubiungit, non aliò tendunt, quàm ut mu-
tuum hunc amorem & conſenſum ad Eccleſiaſtici corporis rationem pertinere nos do-
ceat. Quo uerò neceſsitatis gradu, id uelit eſſe neceſſarium, ſequenti continuò capite
apertiſsimè oſtendit, cùm neque omnium angelorum & hominum linguas, omnê pro-
phetiam, omnium myſteriorum cognitionem, omnem fidem, omnium facultatum ero-
gationes, in cibos pauperum, proprij corpus ſacrificium abſque charitate, nihil prorſus
ualere Apoſtolica auctoritate pronunciat.

Dicitur etiam Chriſti Eccleſia tum à ſancta ſcriptura, tum à ſanctis auctoribus una *Vera Eccle*
eorundem ſacramentorum unitate, quòd ſcilicet ij, ex quibus conſtat homines, una & *ſia Chriſti*
eadem ſacramenta poſsideant; quibus, quaſi quibuſdam externis ſignis in unam & ean- *una unita*
dem ſpiritualis reipublicæ formam conueniant. Nam & in hanc unitatem, ſiue identi- *te ſacramē*
tatem, tum ueteri tum noua lege fuiſſe ſacramenta potiſsimè inſtituta, auctores theo- *torum.*
logi uerisſimè docent, ſententiam Auguſtini ſequentes, qui docet in nullum nomen re- *Vide Scho-*
ligionis ſiue uerum ſiue falſum, homines coadunari poſſe, niſi aliquorum ſignaculorum, *laſti. in 4.*
uelut ſacramentorum, uiſibilium, conſortio colligentur. Eſt unitas, inquit idem Au- *diſt. 1. li. 9.*
guſtinus de hac unitatis ratione uerba faciens, quæ latè patet, in ſacramentorum uide- *contra Fau*
licet ſocietate, & communione, quæ complectitur cum granis etiam paleas, quando eas *ſtum.*
corporaliter miſtas, ita patitur, ut neque illos iuſti uitent, neque ab illis iuſti uitentur. *Lib. de ba-*
Ad hanc ſacramentalem unitatem, non obſcurè Paulus alludebat, cùm diſsidia quorun- *ptiſ. paruu*
dam compoſiturus dicebat, Sicut enim unum corpus unum eſt, & membra habet mul- *lo. cōt. Do-*
ta, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chri- *natiſtas, &*
ſtus. Etenim in uno ſpiritu, omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, *de conſ. de-*
ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus, potu nimi- *ſtin 4. c. eſt*
rum ſacramentali. Et rurſus in eadem Epiſtola, Calix benedictionis, cui benedicimus, *unitas.*
non'ne communicatio ſanguinis eſt? & panis, quem frangimus, non'ne participatio do- *1. Cor. 12.*
mini eſt? Quoniam unus panis & unum corpus multi ſumus omnes. qui de uno pane *Nicol. Ly-*
& de uno calice participamus. de qua etiam ſacramentali unitate & illud Auguſtini eſt *ranus.*
accipiendum, Quia paſſus eſt dominus pro nobis, commendauit nobis in iſto ſacramen *1. Cor. 10.*
to, ſanguinem ſuum & corpus, quod etiam fecit nosmetipſos, nam & corpus ipſius facti *De conſecr.*
ſumus. Et ſubinde, Ecce quod accepiſtis. Quomodo ergo unum uidiſtis eſſe, quod *diſtinc 4.*
factum eſt, ſic unum eſtote uos diligentes, tenendo unam fidem, unam ſpem, indiui- *c. quia paſ*
duam charitatem. Hæretici quando hæc accipiunt, contra ſe accipiunt teſtimonium, *ſus.*
quia illi quærunt diuiſionem, cùm panis iſte indicet unitatem. Fit autem duorum iſto-
rum ſacramentorum in hoc genere unitatis à ſignando potiſsima ratio, aut quòd inter
cætera ſint potiora, & digniora: aut quòd inter alia ſacramenta Chriſtiana, & Dei po-
pulum potiſsimè à cæteris diſtinguant, & cum ſua ſignificatione, mutuæ dilectionis bi-
tumine iungant. Altero enim, id eſt baptiſmo, in unius corporis Chriſti myſtici, id eſt
Eccleſiæ conuertimur membra. Altero, id eſt, Euchariſtiæ altiori ratione, id eſt per
carnem inter nos mutuò copulati domino, coniungimur. Eſt enim ſacratiſsimum
Chriſti corpus & ſanguis, quaſi niſcus quidam cœleſtis, quo qui dignè ueſcimur; non
tantùm ſpirituali illa, quæ per fidem & charitatem fit, unione, ſed naturali quoque,
id eſt per carnem Chriſto ipſi coniungimur, copula illa nimirum nuptiali, de qua inquit *Eph. 5.*
Apoſtolus, Membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſsibus eius: propter hanc
relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Sacramentum hoc
magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.

Habes ergo triplicem Eccleſiaſtici corporis unitatem, unam per fidem, quæ fit dum

idem ſentimus, alteram per charitatem, non illam quidem, quæ gratia eſt, quam gratum facientem appellant, ſed mutuam quandam beneficentiam, & alternum obſequiū, de qua, tum alibi frequenter, tum ad Hebræos loquitur Paulus, cùm ait, Charitas fraternitatis maneat in uobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci, &c. quæ peccatum mortale plerunque compatitur. Tertiam demum per eorundem ſacramentorum participationem, dum ſcilicet eiſdem per omnia ſacramentis quaſi eiſdem nutrimentis aluntur. *Ephe. 4.* Hanc uerò triplicem unitatem ſimul uno eodemque uerborum contextu, ad Epheſios ſcribens complectitur Paulus, Solliciti, inquit, ſeruare unitatem ſpiritus, in uinculo pacis, unum corpus, unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis neſtræ. Vnus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes *Eccl. 4.* & in omnibus nobis. Eſt triplex hæc unio, triplex ille funiculus, qui difficilè rumpitur; quo ſancta Chriſti Eccleſia externo ſigno (nam interna, quæ ad iuſtos tantùm pertinent, & nobis ſunt inuiſibilia, omitto) fortiſsimè colligata connectitur. Hanc triplicem unionem, quòd prorſus ſit externa & ſenſibilis, nullus mortalis culpæ reatus, dum recta fides conſtet, abſcindit: non eam, quæ fidei eſt, quoniam fides peccato non eruditur: neque eā, quæ ſacramentalis eſt, quoniam eadem ſacramenta percipere, iuſtitiam non arguit; ſed neq; tertiam illā, quæ eſt mutuæ dilectionis, quoniam dilectio aut charitas de qua loquimur, non eſt aliud, quàm mutua beneuolentia & beneficentia, ex utraque illa priori unitate quaſi ex fonte deſcendens. qui enim eandem fidem habemus, eademque ſacramenta participamus, facilè nobis bene uolumus, & mutuò ſubuenimus.

Nunc iam ex his facile erit cognoſcere, ubi ſit illa Eccleſia, cuius membra tantùm conſequuntur ſalutem, & extra quam nulli patet ſalus, ut hæretici quoque nobiſcum conſentiunt. Illa profectò Chriſtianorum hominum congregatio Eccleſia Chriſti uera, iure meritoque dicetur, cui triplex iſta unitas, quam ad ueræ iſtius Eccleſiæ, quæ in *Conuincitur noſtrā Eccleſiā eſſe ueră Eccleſiā* ſcriptura commendatur, rationem neceſſariò pertinere demoſtramus, ſemper & ubique conuenerit, quæ ſemper, inquam, & ubique terrarum, conſtituta, eandem fidem ſine diſſenſione coluerit, eadem ſacramenta participauerit, & demum mutua in ſe inuicem eius membra, etiam ſi diuerſarum eſſent gentium, charitatem exercuerint. At ſola hæc congregatio Chriſtianorum, cuius nunc, qui catholici dicimur membra ſumus, & nulla alia, hanc triplicem unitatem in ſe habuit. hæc igitur & nulla alia eſt uera, illa Eccleſia Chriſti, quæ magiſterium habet Spiritus ſancti, & in qua tantùm & ueritas religionis, & uita inuenitur. Totam huius argumentationis uirtutem, in ſubſumptionis illius comprobatione, ſitam eſſe uideo, quæ tamen ex Eccleſiaſtica hiſtoria continuò clareſcit.

Nam quòd eadem ſemper in hac noſtra, ſiue apud Græcos, ſiue apud Latinos, ſiue apud Barbaras nationes ubique terrarum fides uiguerit, & quòd idem in his, quæ ad fidei neceſſariam rationem pertinent, ubique & ſemper ſenſerimus, notius eſt quàm ut in eo oſtendendo laborare debeamus. Hæc, quæ noſtra uocamus Eccleſiaſtica dogmata, ut antea dicebamus, non nouis auctoribus comprobamus, ſed uniuerſis, quos à ſua infantia tulit Eccleſia, & in his tantò libentius audiuntur, tantoque maioris ponderis auctoritatem aſſequuntur, qui uetuſtiores habentur, quantò eos Chriſto ipſi ueritatis magiſtro propinquiores cenſemus, non unius nationis tantùm, Latinæ, inquam, teſtimonia citamus, ſed cunctarum gentium. Nam ſi qua Eccleſia à nobis diſſentire uiſa eſſe potuerit, Græca profectò potiſsimè, quæ Romanæ æmula, cum ipſo imperio, ſe quoque Eccleſiaſtici culminis ſceptrum accepiſſe contendebat. quæ tamen quanta concordia fidem eandem nobiſcum coluerit, præſertim dum nondum hæretico ſchiſmate infecta Apoſtolicas traditiones uenerabatur, eorūdem Græcorum patrum, quos noſtrorum dogmatum teſtes præcipuos in quotidiana diſputatione uocamus, Chryſoſtomum dico, utrunque Gregorium, Baſilium, Athanaſium, Cyrillum, Epiphanium, Theophilactum, utrunque Damaſcenum, & cæteros omnes, quos illa prouincia doctiſsimos & ſanctiſsimos diuerſis temporibus & ætatibus tulit, ſcripta teſtantur. Valde autem libenter accepi (ait Gregorius Romanus Pontifex ad quendam ſcribens) *In epiſt. ad Secundinū incluſum.* quòd me charitas tua de ſua dubitatione requiſiuit, an Orientis Eccleſiæ fidem atque doctrinam ſanctæ memoriæ Leonis ſequatur, an fortè earum ſenſus inter ſemetipſas pro trium capitulorū defenſione, diuiſus ſit, unde certam dilectionem tuam eſſe deſidero, quia prædictæ ſan-

ctiſsimæ

ctiſsimæ Orientalis Eccleſiæ, uno ſenſu, una doctrina fidem eiuſdem ſanctæ memoriæ Leonis tenent, & ſanctam Calcedonenſem ſynodum ita nobiſcum cuſtodiunt, atque uenerantur, ut nullus Epiſcopus eſſe reputetur, qui eiuſdem ſynodi defenſor, ſectatorque non fuerit. Hinc eſt enim, ut quoties in quatuor præcipuis ſedibus antiſtites ordinantur, ſynodales epiſtolas nicíſsim mittant, in quibus, ſe, ſanctam Calcedonenſem ſynodum, cum aliis generalibus ſynodis, cuſtodire fateantur, ſicut & nos aduerſamur atq; anathemate plectendos ducimus, ſi quis de fide eiuſdem ſynodi, aliquid imminuere, uel aliud in ea audere præſumet. Hactenus Greg. Ex quibus nides eandem Romanorum Pontificum & Græcorum Eccleſiarum fidem fuiſſe. Quæ res & hac ratione mihi abundè comprobari uidetur, quòd Græca concilia, in quibus de fide dictum eſt, Romana ſemper recepit Eccleſia, & contrà Græcorum Eccleſia Latinorum concilia, ſemper eſt uenerata.

Iam qvod eadem ſacramenta uninerſa hæc Chriſtiana congregatio, nbicunque locorum & gentium, à Chriſtianæ religionis initio coluerit, quoniam multi editis libris demonſtraut, rationibus oſtendere erit ocioſum. Minuſque eſt de charitate & mutua illa beneuolentia dubitandum, cùm impudentia nulla negari poſsit omnium illorum locorum, quibus noſtræ huins congregationis homines, unquam uixerunt, ſiue illi Græci eſſent, ſiue Latini, ſiue Barbari, mutua fuiſſe commercia, & quaſi eiuſdem religionis homines ſeſe mutuò colniſſe. Inter nullos enim, qui noſtra hac Eccleſia continerentur, maior potuit eſſe ſeditio, quàm inter Græcos & Latinos, quòd & imperij & ſupremi Pontificatus ambitione quaterentur, & tamen mutuo religionis obſequio, & Chriſtiana dilectione, ſeſe ſemper proſequutos fuiſſe, niſi cùm iam ſimnl cum imperio ac ciuili potentia collapſa quoque ſimul religione, à patrum doctrina declinare cœperunt, docent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

Contrà, hæreticorum, nec eadem fuit fides, nec eadem fuerunt ſacramenta, neq; perinde mutua iſta fraternæ charitatis obſequia, ſed tot ſunt ſectæ quot auctores, tot de religione ſententiæ, quot capita: nullus cum alio idē ſentit, ſed protinus ut ſeſe à noſtra hac congregatione ſeiunxit, doctus & ſolers non habetur, niſi nouam fidei & religionis formam cuderit. laborant philantiæ morbo immedicabiliter, quotquot unquam ex abyſſo prodierunt hæretici. dogmata quædam noua ſtatuunt, quibus in ſuum ſpeciale nomen trahant diſcipulos. Vnde tāta eſt apud eos opinionum diuerſitas, ut ferè tot numerentur iſtorum ſententiæ, quot triuia, quot anguli, quot capita: ſed nec adhuc uno in capite una perpetuò conſtat, quandoquidem, quod Hieronymus inquit, hæretici propter luxuriam & uoluptates, & lucra, de populis inter ſe habent diſcordiam, ut de una hæreſi duæ fiant, & ipſæ rurſum dinidantur in partes, & in fruſta ſecentur, ut & ipſi quoque proprios ducant greges. Et, ut ait Auguſtinus, Suam unuſquiſque horum extruit ſtoam, uel Academiam unde ſibi cognomines habeat imitatores, quod apud eos glorioſiſsimum ducitur. Hic dicit, Hîc eſt Chriſtus; alter, Non eſt illic, ſed hîc; alter, Nō illic, ſed ego ſolus ſpiritum Domini habeo. Cæteri ſeductores & hæretici, Ego ſolus Οὐδ' ἰδ' ἄκτῃ, atque ita non tantùm unam fidei normam non ſequuntur, ſed Chriſtum ipſum ſchiſmatico furore diſcerpunt.

In 9. c. Iſa. — *In epiſt. cō tra Fund.*

Iam eadem ſacramenta, non modò omnes hæretici non recipiunt, ſed neque unius magiſtri diſcipuli, nel cum ſuo magiſtro uel ſecum conſentiunt. Sunt inter eos, qui ſex tantùm, ſunt qui quinque, ſunt qui quatuor, ſunt qui tria, ſunt qui duo, ſunt qui unū tantùm ſacramentum recipiant. ſunt demum qui nullum his hominibus, qui à Chriſtianis oriuntur, neceſſarium exiſtiment. Sed neque ipſi iidem magiſtri omni tempore ſibi in ſuſcipiendis ſacramentis ſunt ſimiles, ſed aliquando duo tantùm, aliquando tria, aliquando quatuor, aliquando quinque, aliquando ſex ſacramenta ſuſcipiunt. Quam inconſtantiam, quòd & nos antea, & multi noſtræ memoriæ niri doctiſsimi, & quod maius eſt omnibus, ipſa rerum euidentia noſtri ſæculi hæreticis manifeſtiſsimæ prodiderit, amplius nelle oſtendere, foret ocioſum. Ex fidei diuerſitate, ex ſacramentorum uarietate, quibus duobus alioquin nullo magis in unum cōuenimus mortales, quæ charitas, obſecro, quæ dilectio, qui mutuus amor deriuari poteſt? Qua ratione ſe mutuò fratres exiſtimare poterunt, qui neque eadem fide & religione, neque eiſdem fidei & religionis ſymbolis continentur? Qua ratione Lutherani dogmatis indefeſſus tutator,

Vide Federici Staphili libellū de Lutheranorum cōcordia.

Caluini

Calnini diſcipulum diligat, aut è conuerſò, cùm eundem, quòd ſuam fidei normam non fuerit amplexus, quam unam à Spiritu ſancto deſcendere cogitat, nullo pacto æternæ fœlicitatis participem iudicet? His duobus quo pacto cum Anabaptiſta conueniat, qui utrique contraria ſentiat? Itaque hinc illæ uoces, quibus anticategoriis & mutuis recriminationibus, uerbis & ſcriptis, Simones magos, cacodæmones, furiis agitatos, Sabellianos, Manichæos, horribiles blaſphemias, execrabiles beſtias, horrenda deniq; monſtra, ſemuicem uocitant, quæ quantum cum Chriſtiana illa charitate conueniant, nemo non uidet. Habes ergo ſoli huic congregationi Chriſtianæ, in qua continemur, qui Catholici nocamus, triplicem illam unitatem, & nulli alteri per omnia comperere: 2.Timo.3. eſt igitur noſtra hæc Eccleſia, uera illa Eccleſia, Chriſti ſponſa & columna, & firmamentum ueritatis, quam ſcriptura commendat, in qua dedit Chriſtus quoſdam quidem Eph.4. Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummarionem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitate fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris. Et quidem noſtram hanc Eccleſiam catholicam eſſe, quãuis uerbis hæretici negent, quòd nolint extra catholicam Eccleſiam, ut diximus, in qua tantùm ſciunt eſſe ſalutem, inueniri, re tamen ipſa, fateri coguntur, uelint nolint, Aug. de uera religio. cap. 7. inquit Auguſtinus, ipſi quoque hæretici & ſchiſmatis alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, catholicam Eccleſiam, nihil aliud quàm catholicam uocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant. Haud ergo tam difficile eſt, quàm quidam non tam piè, quàm decebat, exiſtimãt, ſi hæ rationes, quæ ſunt potentiſsimæ, dignè expendantur, Chriſti Eccleſiam ubi ſit reperire. Verùm de his ſeptimo libro, in quo de legitimo ſcripturarũ iudice & interprete agimus, plura dicemus.

Quòd noſtra Euangelica Eccleſia, cum illa ueteri, ſiue quæ Moſen præceſsit, ſiue quæ eundem ſecuta eſt, ſit eadem; & qua uniuerſalitate eadem catholica uocetur, rurſus diſputatur. Cap. XIIII.

HAbemus iam, quæ ſit uera Chriſti Eccleſia, quæ uocatur Catholica, cuiuſque obedientia & credulitate hæreticas fabulas Chriſtianus homo declinare ualeat. Verùm quoniam non tantùm generaliter hac, falſas doctrinas euadendi ratione, exactioribus ingeniis ſatis factum iri exiſtimo, niſi peculiares quoque Chriſtianorum dogmatum regulæ acceſſerint, quæ regulæ in eadem Eccleſia, quaſi in ſuo fonte & origine continentur, agedum, quantùm hæc catholica Eccleſia ſecundum temporis rationem extendatur, & quo tempore incœperit, paucis tractemus. magnopere enim ad eas, quas ueræ & catholicæ doctrinæ regulas Chriſtiano homini præſtituere paramus, ſcire conducit, an Chriſti Eccleſia catholica, ab ipſa Chriſti paſsione, aut natiuitate initium acceperit, an à Moſe, an uerò à mundi primordio cum ipſa diuina religione fuerit exorta, hæc enim tantùm principia habuiſſe potuit.

Ergo noſtram hanc catholicam Eccleſiam iam inde à mundi exordio emerſiſſe, & cũ illa ueteri ſanctorum hominum Eccleſia, qui uel Moſaicam legiſlationem ſub lege naturæ præceſſerunt, uel eandem ſequuti ſunt, eſſe eandem, præterea quæ de Eccleſiaſtica unitate tradidimus (nec enim illi ſalutem conſequuti fuiſſent, niſi intra Eccleſiam, quæ Eph.2. unica eſt conſtitiſſent) tum Euangelicæ & Apoſtolicæ literæ, tum ſacrorum auctorum ſcripta frequentiſsima oſtendunt. Ipſe (inquit Apoſtolus Paulus de Chriſto loquens) eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias, legem mandatorum decretis euacuans, ut duos condat in ſemetipſo, in uno nouo homine, faciens pacem, ut reconciliet ambos, in uno corpore, Deo per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo: & ueniens euangelizauit pacem uobis, qui longè fuiſtis,

fuiſtis, & pacem iis, qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo, in uno ſpiritu ad patrem. Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Iesv, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum, in domino. Quo loco, ſanctus Apoſtolus quanuis magno ſententiarum hyperbato triplicem huius unitatis rationem inſinuat. Primam quidem, quòd & netus illa Eccleſia, & noſtra, quæ ex gentibus creuit, unum corpus tantùm, non multa cõficiant, Vt duos (inquit) condat in ſemetipſo, in uno nouo homine, faciens pacem, & reconciliet ambos in nno corpore, per crucem. ſecundum quòd uno eodemque ſpiritu fidei nterque populus ſemper polluerit, quæ ſola ratio ad unitatem hanc faciendam ſufficeret. Quoniam per ipſum (inquit) habemus acceſſum, ambo in uno ſpiritu ad patrem. Tertiam quòd hæc noſtra & illa uetus Eccleſia, non duæ domus, ſed duo tantùm parietes fuerint, ex quibus per Chriſtum, quaſi lapidem angularem connexis, Eccleſia illa, quæ eſt domus Dei, ædificata conſurgat; cuius domus etiam fundamentum, alibi eundem Chriſtum docet, quòd ſcilicet à mundi primordio, niſi ex Chriſti fide, nemo fuerit ſalutem conſecutus. Huc pertinet quòd idem Apoſtolus, nullum aliud inter illum ueterem populum, & noſtrum hunc Euangelicum, diſcrimen, quàm ætatis conſtituit, quòd ſcilicet populus ille, puer, noſter hic adultæ iam ætatis & iuſtæ iuuentutis extiterit: quapropter ille ad puerilis naturæ laſciuiam compeſcendam, grauius illud iugum legis, quaſi pædagogum, noſter hic, quaſi iam perfectæ rationis & adultæ prudentiæ pædagogia iam emancipatum, Euãgelij ſuauitatem acceperit: quod profectò diſcrimen non diuerſitatem, ſed unitatem inſinuat. Prius, inquit, quàm ueniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide iuſtificemur: at ubi uenit fides, iam non ſumus ſub pædagogo: omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Iesv. Et ſubinde, Dico enim quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos, cùm eſſemus paruuli ſub elementis mundi, eramus ſeruientes; at ubi uenit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui, in corda noſtra, clamantem, Abba pater. Vides non aliam inter utrunque populum uerſari differentiam, quàm eam, quæ inter eiuſdem hominis imperfectam & perfectam ætatem uerſatur. Agit Deus cum populo ſuo & neteri & nouo teſtamento, quemadmodum carnalis pater cum filio ſuo, cui cùm ſit idem, uariata per ætatem natura, diuerſas leges diuerſaſque uiuendi rationes, prudenter imponit: alia eſt enim pueritiæ, alia adoleſcentiæ, alia demum iuuentutis exercendæ ratio: ſic lex illa, quam naturæ uocamus, quæ Moſen præceſsit, populi Dei (is eſt Eccleſia) pueritiam compoſuit, quæ quòd illa ætas propter ſuam imbecillitatem, ſuapte natura, parentis contineatur imperio, paucißimis legibus claudebatur. Rnrſus laſciua eſt adoleſcentia, & quæ duriori iugo uitiis tum primùm erumpentibus comprimendis indigeat. quare lex illa Moſaica, quaſi dura quædam pædagogia ſuccedere debuit, quæ eundem populum, cùm tamen eſſet filius, ſub duriſsima ferula, quaſi ſeruum compeſceret. Cùm primò uerò plenitudo temporis acceſsit, & iuſta iam ætas ex adoleſcentia exceſsit, ſubintroductum Euangelium, ueterem illam pædagogiam excluſit. Hanc eandem Euangelicæ Eccleſiæ cum illa uetere identitatem, Chriſtus paſtoris typo, apud Ioannem inſinuat. nam cùm ſe paſtorem & bonum paſtorem, cæteros uerò, omnes, qui eundem præceſsiſſent, fures pronunciaſſet, Alias, inquit, oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus paſtor; nimirum, quòd ex illa uetere ſynagoga, ex noſtra hac Euangelica gente, ex illo Iſraelitico populo, & gentium multitudine, quæ Euangelico tempore ſub intratura erat, una & eadem Eccleſia, quam ouilis nomine intelligit, compacta conſurgeret. Hinc Origenes, Non enim tu (inquit) mihi ex aduentu Saluatoris in carne, ſponſam dici, aut Eccleſiam putes, ſed ab initio humani generis, & ab ipſa conſtitutione mundi, immo, ut Paulo duce, altius myſterij huius originem repetam, ante etiam conſtitutionem mundi. Sic enim dicit, Ipſe ſicut elegit in Chriſto ante mundi conſti-

[Margin notes: 2.Timo.3. — 1.Cor.3. — Gala.3. — Gala.4. — Ioan.10. — Homil.2. in cant. — Eph.1.]

tutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati coram ipſo, in charitate prædeſtinans nos in adoptionem filiorum. Sed & in pſalmis ſcribitur, Memento congregationis tuæ, quam congregaſti ab initio. Prima etenim fundamenta congregationis Eccleſiæ, ſtatim ab initio ſunt poſita. Vnde Apoſtolus dicit ædificari Eccleſiam, non ſolùm ſuper Apoſtolorum fundamenta, ſed etiam prophetarum. Inter prophetas autē numeratur & Adam, qui magnum myſterium prophetauit, in Chriſto & in Eccleſia dicens, Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Euidenter enim de his dictis eius dicit Apoſtolus, quia myſterium hoc magnum ſit, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Sed & idem Apoſtolus cùm dicit, Sic enim Eccleſiam dilexit ut ſemetipſum traderet pro ea ſanctificans eam lauacro aquæ, non utique oſtendit eam prius non fuiſſe, quomodo enim dilexiſſet eam, quæ non fuit? ſed etiam ſine dubio dilexit eã, quæ erat. erat autem in omnibus ſanctis, qui ab initio ſæculi fuerant facti. diligens eam uenit ad eam. Et ſicut pueri ſui communicauerunt carni & ſanguini, ſimiliter & ipſe particeps factus eſt eorundem ac ſemetipſum pro eis tradidit. ipſi enim erant Eccleſia, quam dilexit, ut eam uel numeroſitate augeret, uel uirtutibus excoleret, uel perfectionis charitate de terris transferret ad cœlum. Hactenus Origenes. Qui & alibi nullam aliam inter noſtram & illam ueterem Eccleſiam differentiam conſtituit, quàm quòd illo ſæculo nondum eſſet per corporalem præſentiam Chriſto copulata, nunc uerò poſt incarnationis myſterium, quaſi legitima uxor fuerit illi coniuncta. Sic enim eam loquentem introducit, Omnia habeo, repleta ſum muneribus, quæ ſponſaliorum uel dotis titulo antenuptias ſumpſi. dudum enim, cùm præpararer ad coniugium, filij regis & primogeniti omnis curaturæ, obſecuti ſunt & miniſtrauerunt mihi etiam prophetæ, loquuti ſunt enim omnia & ipſi, per quæ non ſolùm oſtenderent & indicarent mihi de filio Dei, cui me delatis, quæ appellantur, arris, & muneribus dotalibus ſpondere cupiebam; uerùm ut in amorem me eius deſiderium que ſuccenderent, prænunciauerunt mihi propheticis uocibus, de aduentu eius, & innumeris uirtutibus, operibuſque eius immenſis, repleti Spiritu ſancto prædicauerunt; pulchritudinem quoque eius & ſpeciem ac manſuetudinem deſcripſerunt, ita ut ad amorem eius his integraliter inflammarer. Sed quoniam ſæculum tam penè finitum eſt & ipſius quidem præſentia non datur mihi, ſolos autem miniſtros eius uideo, aſcendentes & deſcendentes ad me propterea hãc ad te patrem ſponſi mei precem fundo, & obſecro, ut tandem miſeratus amorem noſtrum, mittas eum, ut iam nō mihi per miniſtros ſuos, Angelos duntaxat & prophetas loquatur, ſed ipſe per ſemetipſum ueniat & me oſculo oris ſui, uerba ſcilicet in os meum infundat, ipſum audiam loquentem, ipſum uideam docentem. Hæc Origenes. Quæ quoniam per ſe ipſa ſunt aperta, expoſitione non indigent. Numerat & Auguſtinus ætates Eccleſiæ non ab Euangelij prædicatione, aut ab incarnationis myſterio, ſed à mundi primordio, dum ſexaginta dierum ſpacium, quod ad lamentandam uirginitatem ſuam, Iephate filia, ſtatim parentis ſtulta deuotione mactanda à patre poſtularat, myſtica ratione de Eccleſia interpretatur.

Homil. 1. in cant.

Ex omnibus quippe ætatibus, inquit, Eccleſia congregatur. Quarum prima eſt ab Adam, ſecunda à diluuio, ideſt à Noë, uſque ad Abraham: tertia ab Abraham, uſque ad Dauid: quarta à Dauid, uſque ad tranſmigrationem Babylonicam: quinta ab hac tranſmigratione, uſque ad uirginis partum. Sexta inde uſque ad ſæculi finem, per quas ſex ætates, tanquam per ſexaginta dies fleuit ſancta Virgo Eccleſia, uirginalia ſua. quia licèt uirginalia fuerunt, tamen peccata & deflenda habuit, propter quæ uniuerſa, ipſa uirgo toto Orbe diffuſa, quotidie dicit, Dimitte nobis debita noſtra. Hucuſque Auguſtinus.

Lib. 7. q. ſu per Iudic. q. 49.

Sunt & rationes quædam, quæ hanc identitatem demōſtrent, Eccleſiam enim unam appellari, parum antea ſtatuimus, quòd unam & eandem haberet fidem, ut uetus ille populus ſiue qui Moſaicam illam legiſlationem anteceſsit, ſiue qui eandem ad Chriſtum uſque ſequutus eſt, eandem fidem, quam noſtra hæc Eccleſia, quanuis non tam explicitam & apertam, poſſedit, ut præcedenti libro, tum ex ſancta ſcriptura, tum ex ſanctorum patrum diffinitionibus demonſtrauimus, cùm Chriſti fidem ad ſalutem neceſſariam poſt hominis caſum, probaremus: eſt igitur eadem Eccleſia, & non ab illa diuerſa.

Eccleſiam eſſe unā rationibus perſuadetur.

Deinde una dicitur Eccleſia, à capitis unitate, quemadmodum & exercitus unus ab

unoduce uocatur. Igitur cùm Chriſtus utriuſque populi caput extiterit, uterque populus, una erit Eccleſia. Hanc rationem innuit Auguſtinus, cùm uerba illa Iſaiæ, Appræhendent ſeptem mulieres uirum unum, in hunc modum exponit, In abſoluto eſt (inquit) per ſeptem mulieres, ſeptem Eccleſias eſſe ſignificatas. quanuis enim una ſit, ſed ſeptiformis dicitur, ut corpus unum ſeptemplici numero conſtet membrorum. Non ſolùm autem nos, ſed ſuperni ciues, Eccleſiæ membra ſunt, cuius caput Chriſtus eſt. Siue igitur una, ſiue ſeptem dicantur Eccleſiæ, non diſcrepat. Vna enim dicitur, quia unum habet caput, quod eſt Chriſtus: ſeptem autem, quia ſicut membra diuerſa ſunt, ita & potentiæ ſpiritales, inter quas & nos deputamur, diuerſæ ſunt uirtutes. Qui autem ſupernos ciues, Angelicas nimirum ſubſtantias Chriſto capiti ſubdit, haud dubium hominum illorum, qui Chriſti in carnem & aduentum præceſſerunt, Eccleſiam non excludit. Verùm de hac Eccleſiæ unitate, & an militans cum ea, quæ carnis exuuias iam exuta triumphat, ſit eadem, ſeptimo libro quoque inueſtigabimus.

In quæſtio. no. & uete. teſt. q 47. Iſai. 7.

Quòd ſi Eccleſiam de Chriſti latere ortam, & cum Euangelio natam, nonnunquam ſcribunt, Eccleſiaſtici auctores, id non de uniuerſa ipſa Eccleſia intelligunt, ſed de ea, quæ poſt prædicatum Euangelium ex gentibus creuit: aut ſi de uniuerſa ipſa Eccleſia loquuntur, id de ea renouatione & quaſi regeneratione, quæ per Euãgelij prædicationem facta eſt, quæ totius illius ueteris legiſlationis faciem immutaſſe uidetur, accipiamus oportet. Eademque ratione quandoque excluſa ſynagoga, Eccleſiam ſubintraſſe, docent iidem; nimirum quòd uetus ille, & carnalis legis apparatus, Euangelica luce ſuborta, quaſi uetus quædam & iam inutilis gubernandi ratio, fuerit excluſus. Quæ tamen excluſio & nouæ legis introductio, non magis obeſt, quò minus noſter iſte & uetus ille populus, una Eccleſia ſit, & dicatur, quàm in humanitus conſtitutis ciuitatibus, antiquarum legum, per nouas prudenter inuentas, reformatio, quo minus eædem appellarentur, prohibuit. aut dicitur de Chriſti latere orta, quòd omnia ſiue ueteris ſiue Euangelicæ Eccleſiæ ſacramenta, quibus à peccatis purgatur, quibusque ſolis Chriſto copulatur, à Chriſti paſsione uirtutem & generandi Chriſto Eccleſiam, efficaciam acceperint, ut lib. 15. de ciuitate Dei uult Auguſtinus.

Quo pacto ſit accipiendum quod dicitur, Eccleſiam de Chriſti latere ortam.

At hinc iam, qua ratione Eccleſia, Catholica, ideſt, uniuerſalis uocetur, luculenter colligitur; dicitur nimirum uniuerſalis, non tantùm eius ſæculi, quod Chriſtum ſequutum eſt, aut eorum hominum, qui poſt ſanctum Euangelium uixerunt, aut earum prouinciarum, ſiue locorum, quibus gentium Eccleſia poſt Chriſti & Apoſtolicam prædicationem commorata eſt, ſed omnium à mundi naſcentis exordio, temporum, hominum, & regionum, quibus Dei ueri cultus uiguit, uniuerſali concordia.

Eccleſiæ partes, quibus quaſi certiſſimis regulis ſtare cogimur, annumerantur. Cap. XV.

QVoniam autem catholica Eccleſia, non eſt aliud, quàm eorum hominum, qui ab Orbis initio, ueri Dei legibus & imperio gubernantur, reſpublica quædam: his profectò iuris partibus, quibus (quòd ita doceat humana prudentia, quæ diuinæ prouidentiæ eſt ſimulacrum quoddam) politiores gubernantur reſpublicæ, carere non debet. Sunt uerò in his, iuris partes duæ, altera quæ ſcripto conſtat, altera quæ nullo conſtat ſcripto. Ius non ſcriptum, illud iuris prudentes uocarunt, quod uſus hominum comprobauit. Nam diuturni mores, conſenſu utentium approbati, legem imitantur. Scriptum uerò in ſeptem diuiſerunt partes, legem, plebiſcita, ſenatuſconſulta, Principum placita, magiſtratuum edicta, & reſponſa prudentum. Legem multifariam definierunt. Lex, inquit Marcianus ex Demoſthene, eſt cui omnes homines decet obedire, propter multa & uaria, inuentio quædam, & donum Dei, dogma omnium ſapientũ, correctio omniũ uoluntariorum & non uoluntariorum peccatorum, ciuitatis compoſitio communis, ſecundum quam omnes decet uiuere, qui in ciuitate ſunt. Deſcribitur & alia ratione, ab eodem, ex principe Stoicæ philoſophiæ Chryſippo. Lex, inquit, eſt omnium diuinarum & humanarum rerum notitia, præſtans bonis & malis, regula iuſtorum, & iniuſto-

Inſti. de iuſt. & iure. l. ius natu. & ff. de iuſt. & iu l. ius ciuile.

Lex quid. ff. de legib. & ſenatuſ conſ. l. i.

Ibidem.

 rum,

Plebiſcitũ quid. Senatusc͡oſultũ quid. Principum placita. Inſti. de iuſti. & iur. l. ius naturale. Magiſtratuum edicta digeſt. de iuſti. & iure. l. ius autem ciuile. Inſtitu. de iuſti. & iure. l. ius naturale.

rum, & eorum, quæ natura ciuilia ſunt, præceptrix. Plebiſcitum dixerunt quod plebs, plebeio magiſtratu interrogante, conſtituebat. Senatus uerò conſulta id genus conſtitutionum, quod rogante populo, ſenatus iubebat, atque conſtituebat. Plebis uerò appellatione uniuerſos ciues, patriciis & ſenatoribus tantùm exceptis, ſicut & ſenatus nomine, centum illos patres, qui totius populi uicem gerebant, intelligunt. Nam cùm auctus fuiſſet populus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum conuocari, legis ſanciendæ cauſa, æquum uiſum eſt, ſenatum uice populi conſuli. Principum placita ſunt eæ conſtitutiones, quas Imperator, aut ille, cui reipublicæ decreta eſt gubernatio, per epiſtolam ſanxit, uel cognoſcens decreuit, uel edicto præcepit. Quarum, hæ quidem perſonales, quæ non trahuntur in exemplum, illæ uerò generales, quibus omnes ligantur. Magiſtratuum edicta, ea ſunt, quæ ab inferioribus magiſtratibus deſcendunt, quæ iura quoque prætoria uocantur, quòd ea uimirum, prætores introduxerint, adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter utilitatem publicam. Denique reſponſa prudentum, ſententiæ erant & opiniones eorum, quibus permiſſum erat iura condere. Nam antiquitus conſtitutum erat, ut eſſent, qui iura publicè interpretarentur, quibus à Cæſare ius reſpondendi datum eſt, qui iuriſconſulti appellantur, quorum omnium ſententiæ & opiniones, eam auctoritatem tenebant, ut iudici recedere à reſponſo eorum non liceret.

Harum ſeptem partium iuris probatur ſufficientia.

Qvarvm ſeptem iuris partium neceſsitatem atque ſufficientiam, quòd id ad iuris prudentem pertineat, hîc oſtendere foret ocioſum. Quis enim alioqui non uideat, ſemel per leges conſtituta republica, niſi earundem prouida per præſentes magiſtratus adſit cuſtodia, continuò ruituram? ergo quoniam ſuis legibus conſeruandis uniuerſa ciuium multitudo præferri non poteſt, ex ea uel ſorte, uel electione numerum quẽdam ciuium eligi oportet, qui totius populi uice ſanctarum legum cuſtodiæ, prudenter inuigilet. Verùm, quoniam in quacunque communi hominum ſocietate, non rectè plebi cum potentioribus conuenit, ipſa conſeruandæ concordiæ recta ratio docet, legum illud præſidium, non tantùm à potentia & nobilitate, ſed à plebe ſumendum. Deinde ad reipublicæ ſemel conſtitutæ rectam gubernationem, principem, qui utrique illi magiſtratui ſiue qui à potentia, ſiue qui à plebe, legum conſeruandarum aut ſupplendarum cauſa deligitur, perficiendum, ad quem unum, res, quæ in multorum arbitrio conſtitutæ erant, tandem redigantur, neceſſarium eſſe, & ipſa humanæ uitæ ratio, & nobilium rerum publicarum, Romanæ præſertim hiſtoriæ nos docent. Quemadmodum enim in multorum poteſtate conſtituta reſpublica ſeditioſa eſſe ſolet, & in unum integrum imperium refuſa, tyrannidem timet, ita ex unitate & multitudine conflata, ſecura ac firmiſsima eſſe ſolet, dum multitudinem unitas, unitatem multitudo reciproca æmulatione comprimit. Habes igitur leges, quæ rempublicam ſanciant, habes ſenatus conſulta & plebiſcita, quæ leges ſemel latas & conſtitutas propugnent, aut ſuppleant: habes & principum edicta, quæ eaſdem leges, quibus reſpublica finiatur, defendant, aut interpretentur, quemadmodum & præcedentes duo magiſtratus, & inſuper eiſdem magiſtratibus præſint. Quoniam autem neque ubique, neque pro quacunque cauſa ſenatus aut plebs illa, quæ condendi aut interpretandi iuris poteſtatem exercet, congregari poteſt, minores quoſdam magiſtratus trium illorum, quos diximus, uicarios, conſtitui oportet, quorum auctoritas apud populum ualeat. Quia uerò in legum & cõſuetudinum, quas ius non ſcriptum uocamus, interpretatione ſolet eſſe diſcordia, quia & humana negocia, neque omnia ſcripto, neq; conſuetudine contineri poſſunt, æquum erat quibuſdam ſagaciſsimis uiris, & totius humanæ prudentiæ & iuſtitiæ conſultis, quiq; legali philoſophiæ fœliciorem operam nauaſſent, interpretandi iuris poteſtatem contribui. hac enim ratione ſola eæ cauſæ, quas leges omiſerant, ſupplentur tutiſsimè.

Qvòd ſi in ea republica, quæ tantùm humana prudentia inuentrice ſuccreuit, auctoreſque tantùm homines habuit, has octo iuris, quibus homines coërcentur, partes neceſſarias, humanæ uitæ uſus tandem inuenit, in ea quoque, quæ auctore Deo conſtituta eſt, & in qua una, diuina prouidentia potiſsimè emicuit, reperiri poſſe, quis dubitet? Accepit Dei populus, non à Lycurgo, Numa Pompilio, aut Dracone leges, ſed à Deo uero; accepit (inquam) non diuina ſed humana ratione, ideſt tales ac tali modo, ut non Dei, aut Angelorum, ſed mortalium neceſsitati & conditioni deſeruirent:

quæ conditio cum eadem eſſet per omnia, cum cæteris hominibus, ubicunque terrarũ,
his in quibus maximè humana prudentia locum habuit, ſimilis eſſe debuit. Neque ue-
rò protiuus diuina prouidentia, in ſui populi conſtituenda republica, humanam pru-
dentiam imitabitur quaſi magiſtram, ſed potius & diuina prouidentia & humana
prudentia; ſeſe humanæ conditioni accommodantes, deſeruiunt: illa quidem dum ſua-
uiter omnia diſponit, iſta, dum tandem poſt longos errores ipſo humanæ uitæ uſu, ſic Sapien. 8.
oportere decernit. Ius ergo Eccleſiaſticum (uoco uerò Eccleſiaſticum quidquid eſt il- Iuris eccleſiaſtici, id
lud, quo à ſui exordio gubernatur Eccleſia) priori quidem ſui partitione in ſcriptum eſt quo gu-
& non ſcriptum ſecatur. non ſcriptum Eccleſiaſticas ipſas cõſuetudines, quas Eccleſiaſti- bernatur
cus uſus comprobauit, appello: ſcriptum uerò ius Eccleſiaſticum in ſex partes, illis iu- eccleſia par
ris humani perſimiles diſtraho. harum prima, quemadmodum & illic, lex eſt, non hu- titio.
mana prudentia ſancita, ſed à Deo immediatè, tum ſub Moſe, tum ſub Chriſto & eius
Euangelicis miniſtris Apoſtolis, ſuo populo clementer indulta: neque enim fecit tali- Pſal. 47.
ter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Quoniam uerò, quamuis im-
mortalis eſſet legumlator, non erat tamen perpetuò cum mortalibus, quibus leges fe-
rebant, acturus, ratio ipſa poſtulabat, ut tum in cõſeruandis, tum interpretandis ſanctis
legibus, ex totius huius ſanctæ ciuitatis conciuibus, numerus quidam hominum eli-
geretur, qui in hac parte totius populi uice fungeretur. Eſt uerò inter eas, quas huma-
na prudentia ſanxit, & eam, quam Deus per ſuam ſapientiam conſtituit, rempublicam,
in ſocietatis & amicitiæ uinculo magnum diſcrimen. In illis nanque, quoniam ciues
ſolo naturæ nexu aut gentis tantummodò cognatione iunguntur, nobiliores & poten-
tiores, à plebibus & uulgo faſtus diſiungit: unde in unum copulari non poſſunt, quò unũ
& eundem magiſtratum efficiant. in Eccleſia uerò, non modò pauperibus & ignobili-
bus cum diuitibus conuenit, uerùm & inimicos & hoſtes, nexus fraternæ charitatis
coniungit. Non eſt enim Iudæus, neque Græcus; non eſt ſeruus, neque liber; non eſt Gala. 3.
maſculus neque fœmina. omnes enim unum ſumus in Chriſto IESV. Exuimus enim in
hac ſancta republica ueterem hominem, qui membrorum diſcraſiam & improportionẽ
admittit, & induimus nouum, qui renouatur in agnitionem Dei, ſecundum imagi- Colo. 3.
nem eius, qui creauit eum: ubi non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circũ-
ciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia in omnibus Chriſtus.
Sapiunt, qui hac Eccleſiaſtica republica continentur, uniuerſi idem, eandem inuicem Philip. 2.
habent charitatem, unanimes, id ipſum ſentiunt, nihil per contentionem, neque per
inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſe inuicem arbitrantur, non quæ ſua ſunt, Math. 5.
ſed quæ aliorum conſiderant. diligunt ipſos quoq; ſæuiſsimos hoſtes, & pro calumnian-
tibus & perſequentibus orant, ut ſint filij patris ſui, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper
bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Non igitur in Eccleſiaſtica republica, in
lege diuina aut exponenda aut ſupplenda, plebs à ſenatu diſtinguitur, ita ut per ſe
ipſa magiſtratum efficiat, ſed inſtar primitus inſtitutæ Romanæ reipublicæ antè, quàm
eam domeſtica ciuium diſsidia diſtraherent, in præcipuos eiuſdem Chriſtianæ reipu-
blice patres, ſua uota refundit: & quidquid illi uniti decreuerint, ratum habet,
& ſanctum. Sunt igitur in Eccleſia, præter diuinas leges, huius ſacri ſenatus con-
ſulta, quæ concilia uocamus, quòd ad cauſas fidei decernendas, uel ad mores cor-
rigendos huius reipublicæ Senatores in unum conueniunt: quibus, quemadmodum
& ipſis legibus in cauſarum diffinitionibus, obedire compellimur. At quoniam, ut
dicebamus, & natura ipſa, humani regiminis ratio, & humanæ uitæ uſus, unius im-
perium, multorum poteſtati ac imperio præſtare nos docent, diuinam hanc rempubli-
cam, præter ſenatum illum & unius quoq; ſummi principis monarchiam, quæ omnibus
præſideret, accipere debuit. quòd rectè ſcilicet multorum diſsitæ uoluntates per unum
conueniant. Et hic quidem, quemadmodum nec aliarum rerum publicarum monar-
chæ, quamuis uni loco non affigatur, decet tamen ut inter omnes Eccleſiaſtici regni re-
giones aut urbes, aut diuino conſilio, aut illius ſacri ſenatus ſententia, unam ſibi deli-
gat, in qua, ſubortis cauſis, ad eum undique terarum, quibus Eccleſiaſticum regnum
diffunditur, conciues pro legum illarum, quibus reſpublica nititur, recta intelligentia,
aut pro iuſtitia conueniant. Hunc principem maximum olim Iſraëlitici populi ſacerdo-
tem accepimus, Si difficile, ait dominus ad eundem, & ambiguum apud te iudicium eſſe

 proſpexeris,

Deut. 17. proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas uideris uerba uariari, ſurge & aſcende ad locum, quem ele gerit Dominus Deus tuus, uenieſq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij ueritatem, & facies quodcunque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit dominus & docuerint te iuxta legem eius, ſequêriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dextram nec ad ſiniſtram. qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Hactenus 2. Paral. 6. oraculum. Locus uerò, quem ſibi poſtea dominus elegit, Hieroſolymæ erat iuxta illud, A die, qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Iſraël, ſed elegi Hieruſalem, ut ſit nomen meum in ea. Erant igitur Hieroſolymitani ſacerdotis ſiue in tractanda religione, ſiue in dubiis legis difficilioribus enodandis, una excepta belli aut ſanguinis cauſa, quæ propter eximiam illam ſanctitatem, ab Aaronitico ſacerdotio procul arcebatur, ſanctiſsima imperia, & quibus non minus, quàm ipſis legibus obedire oportebat. In Euangelico ſtatu, quoniam huius diuinæ reipub. maxima quæque ſunt immutata, & loco Aaronitici ſacerdotij, iam noua adueniente reipublicæ facie, prorſus aboliti, Chriſti ſacerdotium ſubintrauit. Hanc imperij monarchiam, Petro Apoſtolorum principi, in quo poſt Chriſtum eiuſdẽ ſacerdotij faſtigium, ſicut antea per Moſen in Aarone fuerat collocatũ, fuiſſe decretam, Chriſtus Matth. 16. ipſe Eccleſiæ conditor & inſtaurator, luculenter teſtatur. Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Hic uerò Petrus, quamuis ab ipſa lege, cui exponendæ & interpretandæ præficitur, certum habitationis non acceperit locum, eum tamen ratione ipſa ductrice deligere oportuit, qui in uniuerſo Orbe frequentiſsimus foret, & qui & inter cæteras omnes Orbis nationes exerceret imperium, & cum omnibus gentibus haberet commercia. hac enim ratione & facilior ad eum aditus futurus credebatur, & minus inuidioſum imperium. Hic locus nel diuina prouidentia, nel eius gentis fœlicitate Roma tantùm erat eo ſæculo. in ea ergo ſibi ſedem collocare, etiam ſi ad id oraculo non fuiſſet admonitus, debuit. Habes ergo iàm in hac ſancta republica, præter leges illas diuinitus latas, & ſacra illa pontificalis ſenatus conſulta, Romanorum pontificum, qui in Eccleſia ſicut in Romana olim republica imperatores ſummo ſacerdotio ſummam quoque poteſtatem exercent, ueneranda decreta, quibus uel cùm leges interpretãtur, uel cauſas abſoluunt, parêre tenearis. Verùm quando Eccleſiaſticus hic princeps, neque ubiq; gentium adeſſe poterat, neque omnes in uniuerſum cauſas abſoluere, ex ipſius legiſlatoris prouidentia, minorum cauſarum iudices per certa terrarum ſpacia, diſperſos habere oportebat, qui eum & ſolicitudinis parte leuarent, & coadiutores eſſent, quemadmodum in Romana illa republica, præter ipſas leges ſenatuſconſulta & principum reſcripta, proconſules quoque & certi alij quidam magiſtratus per prouincias dabantur. Moſes Iſraëlitici populi maximus princeps, Iethro ſoceri conſilio, quod à Deo legis ipſius cõditore deriua-Exo. 18. tum non dubitabat, accepit. Nam cùm eum ſolum ſedentem, & populum à mane uſq; ad ueſperam, ad fores pro petenda iuſtitia præſtolantem, uidiſſet, Stulto (inquit ad Moſen) labore conſumeris, & tu & populus iſte, qui tecum eſt. ultra tuas uires eſt negocium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. ſed audi uerba mea atque conſilia, & erit dominus tecum. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad Deum, oſtendaſque populo cæremoniam, & ritum colendi, uiamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe uiros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit ueritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodò iudicent, leuiuſq; ſit tibi, partito in alios onere. Et ſubinde, Quibus auditis, Moſes fecit omnia, quæ illi ſuggeſſerant, & electis uiris ſtrenuis de cuncto Iſraël, conſtituit eos principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicarent populum domini, omni tempore. Quidquid autem grauius erat, referebant ad eum

ad eum. faciliora tantummodò iudicantes. In nouo autem teſtamento, cùm Petrus Apoſtolorum princeps à Chriſto ipſo ſummam accepiſſet Eccleſiaſtici imperij, in uniuerſis Chriſtiani nominis prouinciis, uel ex cæteris Apoſtolicis uiris, uel ex aliis Chriſti diſcipulis, uel demum ex quibuſque aliis, qui & uitæ ſanctitate & ſapientiæ excellentia reliquis præſtabant, in earum ſpiritualem gubernationē, per certos terminos, quos diœceſes Romani imperij conſuetudine appellare placuit, diſcreti, in eiuſdem Euangelici principatus iuuamen aſſumi cœperunt. Hoc eſt enim, quod ſummus ille Eccleſiaſtici principis coapoſtolus & coadiutor Paulus, quaſi ex eiuſdem principis commiſsione diſcipulo ſcribit, Huius gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris uir, &c. Hos uerò, quòd cæteris omnibus ſolerti cura ſemper inuigilent, & ſuperintendant paſtores Latino, & Epiſcopos Græco nomine, more etiam Romani imperij, Eccleſiaſticus uſus uocare conſueuit. Ad hos, minores Eccleſiaſticæ cauſæ, ſiue quæ ad mores, ſiue ad Dei rectam religionem ſpectant, quemadmodum & ad Moſaicos illos referuntur. Horum decretis, niſi lex diuina uel Eccleſiaſtici mores, aut Eccleſiaſtici ſenatus conſulta, aut ſummus Eccleſiæ princeps, quæ hiſce præfectis, ſiue quantum ad rectam religionis formam, ſiue quantum ad mores reformandos attinet, multò ſunt potentiora, contraueniant, huius Eccleſiaſticæ reipublicæ ciues obedire tenentur, quemadmodum & olim Romani ciues ſuis prætoribus, & inferioribus magiſtratibus morem gerebant. Hac enim ratione, Eccleſiæ à ſanctis auctoribus, non quæcunque reipublicæ forma, ſed Hierarchica tribuitur, quòd ſub generaliſsima principatus ratione, quam Petro & Petri ſucceſſoribus tributam diximus, minores quoque ſint poteſtates, quæ uel in docenda recta religione, uel informanda Chriſtianis moribus uita, eidem ſummæ poteſtati deſeruiant. Demum, ſicut in Romana republica fruſtra leges, populi ueteres mores, ſenatusconſulta, principum reſcripta, prætorum edicta, eidem populo darentur, niſi eſſent qui ea omnia, ex ipſa ciuili ratione uiuendi & è media iuriſprudentia, legitimo ſenſu interpretarentur, & ex iam conſtitutis, ea omnia, quæ quotidie uitæ ciuilis uſus & neceſsitas offert, conſequenter elicerent (neque enim ab ipſo legiſlatore omnia ſimul conſtitui eſt poſsibile) ita in Eccleſiaſtica rep. horum omniū, quæ diximus præſertim diuinæ legis ab ipſo reip. principe Deo interpretes donari oportebat, quorum uel in eiuſdem diuinæ legis interpretatione, uel in Eccleſiaſticorum dogmatum recto ſenſu, uel in ſupplendis his, quæ ad Eccleſiaſticæ uitæ perfectionem poſt legiſlationem ſupplenda erant, ſine ulla cōtradictione ſtaremus, ne quiuis pro ſuo arbitratu, aut effectu eaſdem leges quò uellet, protraheret. Sic olim, etiam noſtris & auctoribus, duplicem legem Moſes accepiſſe memoratur, unam ſcripto, quæ literalem & hiſtoricum ſenſum, ad illius populi ciuiliter mores componendos, tantùm contineret: alteram uerbo tenus, quæ myſticam earundem legum ſignificationem, qua euangelicus ſtatus continebatur, exprimeret, quam non omnibus ſed tantùm ſeptuagintaduobus ſenioribus, ex totius populi duodecim tribubus ſelectis, ex quibus poſtea ſeptuaginta illi interpretes, qui Ptolemæi Philadelphi imperio, ſcripturam in Græcum ſermonem cōuerterunt, ſumpti fuerunt, idem Moſes communem fecerit. Hi in uetere illo Eccleſiaſtico ſtatu, qui ſub Moſe legiſlatore, uigorem habuit, non ſolùm quòd futura prædicerent, ſed quòd in literali illo ac hiſtorico ſenſu intus deliteſcens Euangelium agnoſcerent, prophetæ uocabantur, aut filij prophetarum. prophetæ, inquam, non ſingulares illi, quos diuinus agebat ſpiritus, ſed qui paterna ſucceſsione legis Dei, euangelicum ſenſum apprehenderent; in euangelio uerò, quod non tantùm ſibi ut in illo, eadem euangelica myſteria, ſed cæteris uideant, doctores quoque appellari cœperunt. De his uerò (de Chriſto legis euangelicæ inſtitutore loquens) ſic ſcribit Apoſtolus, Et ipſe dedit quoſdam, quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios uerò Paſtores & Doctores. Apoſtolos non niſi ad Euangelij ſeminationem accepit Eccleſia; Euangeliſtas autem eos, qui Chriſti hiſtoriam texuerunt, quos diuinitus fuiſſe donatos, non eſt fas ambigere, aut Euangelicæ prædicationis, quæ neque eiuſdem Euangelij initio à Chriſto, ueque poſteris ſæculis ab Eccleſiæ gubernatoribus quibuſcunque, ſed ſelectis quibuſdam commiſſa eſt, miniſtros intelligit; Paſtores, Eccleſiaſticos Præfectos, Eccleſiaſtico, principe inferiores, quòd Dei uerbo, & uitæ ſanctitatis exemplo populos paſcāt;

Tit. c. 1.

Ariſtot. 5. Ethic. c. 6.

Origenes. Cyrillus.

Doctores autem & prophetas diuinæ legis interpretes accipit. Propheta enim non modò qui futura prædicit, ſed & qui Dei uerbum aliis uel lingua uel ſcripto denunciat, frequẽter uocatur: iuxta illud, Aaron erit Propheta tuus. & illud, Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, ad exhortationem & conſolationem. Quorſum uerò fuerit hæc Doctorum aut Prophetarum inſtitutio ſubiungit Apoſtolus; Ad conſummationem (inquit) ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris. Iam, cùm in Romana uel Moſaica repub. quòd leges omnes, quæ ad earum rationem neceſſariò pertinebant, ſcripto conſtarent, ſummum pondus populi auitæ & inueteratæ conſuetudinis & mores obtinerent; in Euangelica profectò republ. cuius uiuendi ratio non ſcripto, ſed traditione, quòd nec eius auctor Chriſtus quicquam ſcripſerit, neque ſcribendum ut olim Moſi, ſed prædicandum Euangelicis miniſtris iniunxerit, in Eccleſiaſticis ciuibus coërcendis, grandis erit earundem conſuetudinum auctoritas. Multa (inquit Hieronymus) quæ per prædicationem in Eccleſiis obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurparunt. Et Auguſtinus, Multa (ait) non inueniuntur in Apoſtolorum literis, neque in conſilijs poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per uniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & mandara creduntur. Sunt igitur Chriſtianæ reipub. (uoco autem rempub. Chriſtianam, ea omnia, quibus Chriſtiani homines in ueræ religionis officio continentur) partes ſex, lex, id eſt utrinſque teſtamenti diuina ſcriptura, ſanctorum conciliorum diffinitiones, ſummorum Pontificum decreta, Epiſcoporum, quos nobis Deus Paſtores præfecit, imperia, Eccleſiaſticorum uirorum communis conſenſus, & demum ab Apoſtolicis ſæculis Eccleſiaſtici mores. Quæ omnia quatenus Chriſtianæ reip. ciues aſtringant, in ſequentibus libris diſcutere oportet.

Exod. 7. — 1. Cor. 14. — Auguſt. de bap. cõt. Donat. lib. 2. cap. 7.

Finis libri quinti.

F. MICH.

F. MICHAËLIS MEDINAE HISPANI,

ORDINIS MINORVM, REGVLARIS OBSERVANTIAE, CHRISTIANÆ PARÆNESIS,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER SEXTVS.

INTER EAS iuris ſcripti partes, quibus Eccleſiaſticam tem-publicam gubernari docuimus, primum locum legi diuinæ tribuebamus: quemadmodum in Romana, immo in quacunque alia reipublicæ ſpecie, primum locum leges ſortiuntur; quòd ſint aliarum omnium, ſiue quæ conſtant ſcripto, ſiue quæ ſola conſuetudine continentur, conſtitutionum fundamentum. Cùm enim ſolis primitus acceptis legibus, abſque aliis conſtitutionibus plerunque reſpublicæ conſeruentur ac maneant, nulla tamen uel reipublicæ nomen ſine legibus habuit. De ea igitur tum hac ratione, tum quòd Deum, non humanæ uoluntatis arbitrium auctorem habeat, priori loco, quæ ad præſentem conſiderationem attinent, tractabimus. Ea nerò mihi tria eſſe uidentur. Primum, quæ ſint, & quot huius diuinæ legis portiones.. Secundum, quæ contra eas, tum ab infidelibus, tum ab hæreticis, tum demum à quibuſdam Eccleſiaſticis quidem, ſed parum in hac parte circunſpectis ſcriptoribus, obiici ſoleant, & quo pacto diluantur. Tertium demum, unde ſit earũdem legum diuinarum legitimus, germanusque ſenſus petendus. Horum, priora duo, hoc ſexto libro, poſtremum ſequenti breuius, ſed utilius quo poterimus, Chriſtiane lector, auctore Deo eiuſdẽ diuinæ legis artifice, abſoluemus.

Quòd de numero librorum Canonicorum apud ueteres Eccleſiaſticos patres magna fuerit ambiguitas, & quæ rationes eos in eam dubitationem, & ambiguitatem impulerint. Cap. I.

ERgo, quoniam res eſt omnium, quæ in uita mortali uerſantur, maximè ardua, leges, quibns hominum ſocietates, quas ciuitates appellamus, ciuili ſocietate ſeruentur, inuenire, & inuentis perpetua ſeruitute, non modò ſe, ſed cunctam ſubinde poſteritatem obſtringere, utrunque apud eas reſpublicas, qnæcunque celebres memorantur, ingenti fuit animaduerſione perpenſum. Neq; enim omnes, aut ſtatim, ſed eas tantùm, quas ſummo ſtudio & poſt longi temporis probationem & examen, humanæ uitæ uſns, neceſſarias aut utiles oſtendebat, in ſuarum legum numerum referebant. Id uerò cùm apud gentium reſpublicas latiſsimè pateat, præſertim tamen in hac noſtra Eccleſiaſtica ſocietate, ubi non modò utilitas ant neceſsitas, ſed inſuper diuina quoque legum poſtulatur auctoritas, erat magnopere obſeruandum.

Quoniam itaque in libris quibuſdam, diuinæ auctoritatis ueſtigia non ſtatim fuerūt deprehenſa, rationabile fuit omnino, eiusque reipublicæ grauitate dignißimum, non ſtatim eoſdem in ſanctarum legum, quæ Deum ipſum auctorem habuiſſe certißimum erat, ordinem redigere, ſed, re magna cum auctoritate ac grauitate perpenſa, diuinæ in hac parte illuſtrationis radium expectare. Neque enim ſancta hæc ciuitas atque reſpublica, quæ ſicut diuinis legibus gubernatur, ita quoque non humano, ſed diuino quodam ſapientiæ genere perfundirur, omnem ſcientiam, omnemque cognitionem ſimul ſemel'ne accepit, ſed per temporum ac ſæculorum incrementa ab ipſo ſui exordio ſapientiæ quoque ac cognitionis augmento quotidie magis ac magis diuino munere augeſcit. Vnde & à diuino ſponſo, quòd paulatim expulſis ignorantiæ tenebris, in ipſum perfectæ cognitionis ſtatum conualeſcat, lunæ plenæ & autoræ, quæ duo à tenebris, ad
Cant. 6. lucem ipſam perfectam paulatim per ſua incrementa proficiunt, confertur. Quæ eſt iſta (inquit) quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, &c. Habuit (ut ante dicebamus) ſuam infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, & reliquos humanæ uitæ progreſſus ſancta hæc reſpublica, in quibus propter diuerſam ætatem, diuerſos quoque gradus ſapientiæ, & Dei cognitionis accepit. Quòd ſi Euangelicæ prædicationis initio, fuit iuuentutem & perfectam ætatem earum, quas egerat ſub ſtatu Moſaico,
Gala. 4. reſpectu, ingreſſa, unde & pædagogia excluſa, ideſt euacuata lege, in libertatem fuit aſſerta: meminiſſe tamen oportet, à iuuentute etiam ad reliquas ætates, quæ eam conſequuntur, quamuis non robur & fortitudinem, maiorem tamen eſſe progreſſum ſapientiæ, tantoque iuuentutem, uirilitatem, aut uenerabilem ſenectam perfecta rerum cognitione tranſcendere, quantò ab eadem corporali robore ac uegetiore uirtute, ſuperantur. Fuit Eccleſiaſtica reſpublica Euangelicæ prædicationis exordio, & multis poſt annis, ualidißima quidem, quæ tyrannidem Satanæ, cum ingenti gloria protriuerit, quæ de mundo ac carne, glorioſißimos triumphos egerit; uerùm, non ita mente ualuit, ac poſtea, cùm iam iuuentutis feruore decreſcente, & Chriſti per Orbem iam imperio pacato, potius contemplationi quàm militiæ uacare libuit. Habuit illo iuuentutis tempore fortißimos milites, qui mundum irrumperent, & eidem ſuo ſanguine uictoriam compararent. Habuit poſtea ſapientißimos doctores, qui eam ſua ſapientia illuſtrarent. Habuit illo ſæculo Stephanum, Laurentium, Vincentium, &c. Habuit deinde Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Hilarium, Gregorium, &c. Nam ſi cum ipſa iuuentutis & Euangelicæ legis libertate omnem quoque ſapientiam accepiſſet Eccleſia, nequaquam Apoſtolici, illius ſæculi homines, non infimi, ſed omniū ſupre
Acta. 1. mi in multis dubitaſſent, quæ poſtea Deo reuelante acceperunt. Fuerunt enim inter eos qui regnum Iſraëliticum temporali illa & carnali fœlicitate reſtituendum, putarent: fuerunt & qui gentes Euangelicæ uocationis conſortes, etiam poſtquam fuerunt Spiri-
Acta. 9. tu ſancto perfuſi, non crederent: fuerunt & qui legis Moſaicæ cæremonias, cum Euan-
Gala. 2. gelica libertate, ſimul uigere perſuaſum haberent. Et demum, non alia ratione poſt Chriſti prædicationem Spiritus ſanctus, ſanctæ huic Eccleſiæ datus eſt doctor, quàm quòd omnia breui illo tempore, quo idem Chriſtus docuit, omnia, quæ ad ſui gubernationem erant neceſſaria, pro humanæ mentis fragilitate portare non potuit, Multa (inquit) habeo uobis dicere, quæ non poteſtis portare modò: cùm autem uenerit ille
Ioan. 16. ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.

Hæc igitur unica ac uera cauſa eſt, cur uel ante diuini uerbi in carnem aduentum, uel poſt Euangelium prædicatum, de quibuſdam legis diuinæ libris à ſanctis & Eccleſiaſticis uiris, an ad eandem legem pertinerent, fuit dubitatum: nimirum, quòd nondum perfectum lumen accepiſſet Eccleſia, quò auctoritatem diuinitatis intus incluſam ualuiſſet dignoſcere. Poſtea uerò quàm, cum ætate perfecta, perfectam quoque cognitionem accepit, eaſdem in legis diuinæ ordinem redigens, diuinæ quoque auctoritatis eſſe declarauit. Verùm qui libri ad diuinam legem uel ueteri illo ſtatu Moſaico uel nouo & Euangelico ſæculo, pertineant, quis'ue fuerit, uel ſit eorum ordo, iam uideamus: nam quibus auctoribus, uel quo quiſque ſæculo fuerit editus, hîc dicere, cùm conſtet uniuerſos, huius ſanctæ reipublicæ principem, Deum ſcilicet, præcipuum auctorem habuiſſe, nihil referret. Sed primo loco de ueteri, ſubinde uerò de nouo teſtamento dicamus.

Qui libri ad canonem ueteris inſtrumenti pertineant. *Cap. II.*

ERgo Hebræi uniuerſam ſcripturam trifariam diuiſerunt iuxta triplex librorum, qui in ea continentur, diſcrimen. Primum locum ea ſcripturæ pars, quæ peculiari nomine תורה torah, ideſt Lex, appellatur, quòd in ea integra ueteris illius reipublicæ forma contincatur, ſortitur. hanc quòd quinque ſit libris digeſta, Hebræi recentiores חומש chomas, ideſt Quinarium, Septuaginta interpretes πεντάτευχον, quam etiam appellationem Latini ſequuntur, uocarunt. His quinque libris ab initiis ſuis apud Hebræos nomina imponuntur. nam primum בראשית beteſith, ideſt, In principio, ſecundum אלהשמות hele ſemot, ideſt, Hæc ſunt nomina. tertium ויקרא uaicra, ideſt, Vocauit. quartum וידבר uaidaber, ideſt, Loquutus eſt. quintum אלההדברים heleaddebarim, ideſt, Hæc ſunt uerba, quemadmodum & pſalmos, & reliquas ſanctæ ſcripturæ partes à principiis denominant. Græci & Latini à rebus, quæ in illis tractantur priorem γένεσις Geneſin, ſecundum Ἔξοδος Exodum, tertium λευιτικὸς Leuiticum, quartum ἀριθμοὶ Numeros, quintum δευτερονόμιον Deuteronomium, dixerunt. Habet primus huius quinarij liber, mundi principium, & genituram, humanæque naturæ primordia: habet diuinæ iuſtitiæ punitionem, & quorundam iuſtorum, qui toti huic Eccleſiaſticæ reipublicæ imitandi proponuntur, hiſtorias. Habet ſecundus, Iſraëlitici populi ſeruitutem, exitum, legem & tabernaculum, in quo futuris temporibus, Deus coleretur, erectum. Habet tertius, eius populi cæremonias, & ſanctos ritus, ſacrificia, oblationes, hoſtias, & denique uniuerſum ueteris illius religionis apparatum. Habet quartus, populi Iſraëlitici numerum, & prælia uaria, quibus eas gentes, per quas erat in terram ſibi diuinitus promiſſam tranſiturus, perdomuit. Habet poſtremus, legis & eius hiſtoriæ, quæ tribus proximis libris continetur, repetitionem, Moſis ad eum populum exhortationes & obitum.

Hieronym. hæc omnia in librorũ Regum prologo, quo galeatus uocatur.

SECVNDVM locum apud Hebræos id genus ſcripturarum ſortitur, quod iidem נבים Nebiim, ideſt, prophetales, quòd in eis uel in uerbis, uel figuris, futurus Euangelicæ uitæ ſtatus contineretur, uocarunt. In his primum locum obtinet יהושע Ioſue. ſecundum Sophtim שופטים ideſt Iudices, tertium שמואל Samuel, quo primus, & ſecundus Regum apud nos continentur, quartus מלכים Malachim, ideſt, tertius & quartus Regum, quos omnes priores prophetas, ab excellentiori ſpiritu prophetiæ, quo polluiſſe memorantur, appellant. Poſt hos, ſecundo gradu & ordine, poſteriores ponuntur, quorum non fuerunt mentes tanto Spiritus ſancti ſplendore perfuſæ. Hi ſunt Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Hoſias, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Zacharias, Malachias, & Aggæus. Priorum illorum excellentiam in hoc ſitam eſſe aiunt Iudæi, quòd illi ſpiritu prophetico, quando uellent, uterentur, cùm poſteriores prophetæ, plerunque uolentes deſtituerentur ſpiritu, & plerunque in prophetica uaticinia inuiti agerentur. Ad tertium ac poſtremum ordinem pertinent ſecundi libri, quos iidem Hebræi abſoluto nomine כתובים Chetubim, id eſt, ſcripturas, Græci uerò ἁγιόγραφα, ideſt ſanctas ſcripturas appellarũt, quæ ſunt תהלים Tihillim, Græci ψαλτήριον, Latini librum pſalmorum uocant: משלי Misle, Græci παραβολαι, Latini Prouerbia: קהלת Cohelet, Græci ac Latini Eccleſiaſten: שירהשירים Sirhaſsitim, Græci ᾆσμα ᾀσμάτων, Latini Cantica canticorum: איכה Etha, Græci θρῆνοι, Latini uocant lamentationes Hieremiæ. Danielis deinde prophetia, Ruth & Heſter hiſtoriæ. Ezra, qui & Nehemiam complectitur. דברי הימים Dibroholamim, Græcis Παραλειπομένων ideſt ſupplementum, quo nomine etiam à Latinis uocatur. Et quoniam Ruth hiſtoria cum libro Iudicum, quorum tempore contigit, Threni uerò, ideſt, lamentationes cum Hieremiæ prophetia, à peritioribus Hebræorum confunduntur, hinc eſt quòd uniuerſos libros canonicos, iuxta Hebraicarum literarum numerum, ad uiginti duos non modò Hebræi ſed Chriſtiani quoque multi reducunt. Et quemadmodum in Hebraico Alphabeto cum cæteræ ſint ſimplices, quinque tantùm literæ duplices, ideſt duarum figurarum numerantur, quæ ſunt בך מם נן פף צץ quæ reſpondent Cc Mm Nn Pp Cc, ita in

Secundus ordo librorum.

Tertius ordo ſcripturarũ apud Heb.

libris quoque canonicis, cùm cæteros ſimplices ponant, quinque tantùm duplices conſtituunt, qui ſunt Samuel, ideſt, primus & ſecundus Regum, Malachim, ideſt tertius & quartus, Hieremias cũ Threnis, ideſt lamentationibus, Paralipomenon primus & ſecundus, Ezras cum Nehemia: nam Ruth cum libro Iudicum, quaſi unum & eundem confundunt. Sic autem hunc uiginti duarum literarum numerum obtinent; poſt quinque libros legis, octo prophetales. locant Ioſue unum; Iudicum & Ruth alterum, Samuelis tertium, Malachim quartum, Iſaiæ quintum, Hieremiæ cum lamentationibus ſextum, Ezechielis ſeptimum, duodecim prophetarum minorum, qui omnes apud eoſdem unum librum conſtituũt, octauum. Τῶν Ἁγιογραφῶν Nouem libros annumetant, Tihillim ſiue Pſalmorum, unum, Iob alterum, Prouerbiorum tertium, Eccleſiaſtes quartum, Canticorum quintum, Danielis, præter puerorum cãticum, Belis & Suſannæ hiſtoriam, ſextum. Heſter ſeptimum, Ezræ cum Nehemia octauum, Paralipomenou nonum. Reliqua uerò quæcunque extra hos uiginti duos libros uagantur, quanuis ſint apud eos in ueneratione, diuinæ nomen ueritatis auctoritatem non tetinent. Talia ſunt Thobiæ, & Iudith hiſtoriæ, Salomonis Sapientia, & eiuſdem oratio. Liber Eccleſiaſticus Ieſu
Baruc.6. filij Sirac, Baruc propheta & epiſtola Hieremiæ, Canticum trium puerorum, Suſannæ
Daniel.3. & Belis hiſtoria, Mardochæi ſomnium, Ezræ tertius & quartus, Machabæorum libri
Dani. 13. Dani. 14 quatuor, quorum duos priores Latinos, alterum ex Hebræo, alterum ex Græco, Græ-
Heſter.10. cos uero omnes quatnor habemus. De uniuerſo uerò hoc Hebræorum, ſiue quantum ad
uſque in fi. canonicos, ſiue quantum ad apocryphos (ſic enim eos, qui extra canonem uagantur, quòd obſcuræ ſint auctoritatis, appellant) libros attinet, catalogo & numero, aduerſus
Ioſeph. Appionem grammaticum ſic ſcribit Ioſephus, Sunt apud nos ſolummodò duo & uiginti libri, habentes temporis totius computationem, quorum iuſtè fides admittitur. horum ergo quinque, ſunt Moſis, qui natiuitates continent, & humanæ generationis traditionem habent, uſque ad eius mortem. Hoc tempus de tribus millibus annis paululum minus eſt. A morte Moſes uſque ad Artaxerxem Perſarum regem, qui fuit poſt Xerxem, Prophetæ, poſt Moſen, &, qui ſecundum nos ſunt, geſta conſcripſerunt, in tredecim libros, reliqua uerò quatuor, hymnos in Deum & uitæ humanæ noſcuntur præcepta continere. Ab Artaxerxe uerò uſque ad noſtrum tempus, ſingula quidem conſcripta ſunt, non tamen priori ſimili fide ſunt habita, eò quòd non fuerit certa ſucceſsio prophetarum. Hactenus Ioſephus. Atque ad hanc quidem ſanctarum ſcripturarum
Lucæ 24. partitionem, Chriſtus apud Lucam alluſiſſe uidetur, cùm duorum diſcipulorum, in Emaus euntium, incredulitatem coarguit, Oportet, inquit, impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, prophetis, & pſalmis, de me. per legem nimirum quinque illos Moſaicos libros, quibus leges & præcepta Iſraëliticæ reipublicæ continentur, intelligens, ſicut per prophetas & pſalmos, ſecundum & tertium ordinem, qui prophetales libros & hagiographos continent. Quanquàm Ioſephi partitio, in qua prophetias in tredecim libros, Hymnos uerò in quatuor poſteriores refundit, non nihil mihi à communi Hebræorum partitione, quam Hieronymus ſequitur, diſſentire uideatur, in qua cùm hagiographi ſine hymnidici libri, nouem aſsignentur, prophetales octo tantùm numerantur. Quæ partitio, & clarior & grauior eſſe uidetur. Sed de his non amplius, cùm parùm euangelici ſtatus, quid ille quondam Moſaicus, nondum perfecto lumine ſpiritus illuſtratus, probarit, uel non probarit, cognoſcere interſit.

Recenſetur catalogus ſacrorum librorum, quem Eccleſia nunc approbat. *Cap. III.*

ERgo ad Eccleſiaſticum librorum Canonicorum catalogũ, & ordinem iam recurrat oratio. Partiuntur Eccleſiaſtici auctores ſanctos, & diuinos libros in quatuor acies. Prima, eorũ eſt, qui ad leges & ſtatus Moſaici præcepta pertinent: qui quinque quoque numerãtur, primus Geneſis eſt, ſecundus Exodus, Leuiticus tertius, quartus Numeri, quintus Deuteronomium. Secunda acies totius illius Moſaici ſæculi hiſtoriam decem & ſeptem libris amplectitur. in his primus numeratur Ioſue, ſecundus Iudices, tertius Ruth, quartus

tus Regum primus, quintus Regum ſecundus, ſextus Regum tertius, ſeptimus Regum quartus, octauus, & nonus, primus & ſecundus Paralipomenou, decimus Ezræ primus, undecimus Ezræ ſecundus, qui Nehemias inſcribitur. Duodecimum locum obtinet Thobias, Iudith tertiumdecimum, eſter quartumdecimum, Iob quintumdecimum, Machabæorum primus ſextumdecimum, Machabæorum ſecundus decimum ſeptimum. Poſt hos, tertius ordo & acies eorum librorum conſtituitur, quibus humanæ uitæ ſiue diuinitus, ſiue iuxta rectæ rationis libramen agendæ, quòd apud gentes maximè curarunt philoſophi, præcepta clauduntur. hos quòd uitam humanam prudenter inſtruere, ſit uera ſapientia, ſapientiales uocamus. Sunt uerò quinque numero, inter quos, inueterato iam ordine, priorem locum prouerbia Salomonis obtinent, ſecundum Eccleſiaſtes, tertium Cantica canticorum, qui tres, quòd ab eodem fuerint Salomone editi, aut ex eius doctrina concinnati, parem apud Eccleſiaſticos uiros uigorem ſortiuntur. quartus eſt Salomonis ſapientia, quintus demum eſt Ieſu filij Sirach monitorius, quem Eccleſiaſtem uocant.

Qua ratione morales libri ſapientiales uocantur.

Quarta denique ac poſtrema, non auctoritate, ſed ordine, acies canonicorum librorum ueteris teſtamenti, prophetica eius ſæculi uaticinia, quæ pro eius gentis charitate, Deus, quoties opus erat, eidem populo indulgebat, amplectitur. Hos à re contenta, prophetales uocamus, quos Hebræis quidem diſsimiliter, decem & octo, hoc ordine numeramus. Primum, quòd uel à Dauid compoſitos, ut quibuſdam Latinis, ac Græcis placuit, aut à diuerſis auctoribus, ut cum Hebræis ſapientibus, plerique omnes credunt, pſalmos in unum aceruum congeſtos, complectatur, pſalterium uocarũt, Iſaiæ prophetiæ ſiue ſermones, ſecundo loco reponuntur, Hieremias tertio, Baruc quarto, Ezechiel quinto, Daniel ſexto, Oſeas ſeptimo, Amos octauo, Michæas nono, Ioel decimo. Abdias undecimus numeratur, Ionas duodecimus, Nahum tertiuſdecimus, Abacuh quartus decimus, Sophonias quintum decimum locum obtinet, Aggæus ſextum decimum, Zacharias decimum ſeptimum, Malachias tandem, in quo eius ueteris ſæculi propheticus ſpiritus uidetur extinctus, memoratur poſtremus. Quãuis, quantum ad minores prophetas attinet, diuerſum ordinem ab hoc, quem Septuaginta prodiderunt, olim dum ordo temporis, quo unuſquiſque prophetauit, quàm dignitas prophetæ in concinnando ordine, magis attenditur, Hebræis auctoribus placuiſſe ſciamus. ſic enim hos minores prophetas enumerãt, ut priori loco, Oſeam, ſecũdo Amos, tertio Michæã, quarto Ioëlem, quinto Abdiam, ſexto Ionam, ſeptimo Nahum, octauo Abacuch, nono Sophoniam loco reponant. nam in tribus aliis poſtremis recenſendis, cum Septuaginta conſentiunt. Atque hi quidem ſunt in uniuerſum libri, quos ex toto illo Moſaico ſæculo, quaſi irrefragabilis auctoritatis & legis diuinæ partes, ſancti ſpiritus lumine præuio ſuſcepit Eccleſia. eos, qui extra hos uagantur, quaſi nothos & ſpurios & nullius prorſus diuinitatis participes, habens. unde tertium & quartum Ezræ, & tertium & quartum Machabæorum, quòd in his nulla appareant diuinitatis ueſtigia, quaſi apocryphos & nullius auctoritatis abiecit.

Hierony. in epiſtola ad Pammachiu.

Recenſetur numerus librorum noui teſtamenti. Cap. IIII.

QVoniam uerò, poſt priorem illam legiſlationem, quæ per Moſen facta eſt, ita diuinæ prouidentiæ poſtulante diſpoſitione, uerbo Dei in carnem ueniente, & leges diuinitus conditas è cœlo proferente, noua quoque legiſlatio in eadem Eccleſiaſtica republica fieri debuit, uideamus iam quæ ſint eius partes, & quibus libris noua hæc reſpublica contineatur.

Ergo lege illa, quæ quinque libris claudebatur, excluſa, lex alia, qua huius Eccleſiaſtici regni conciues, iuxta diuinæ uoluntatis arbitrium mores ſuas & actiones componerent, ſuccedere debuit. Hanc, quòd ex ſui ratione, legis, quæ præceſsit, comparatione, ſit mitior, regnum cœlorum, humanorum operum præmium præſtituat, & diuinæ illius diſpenſationis, qua noſtræ fragilitatis naturam, Dei uerbum indutum, diabolum, mortem, mundum & infernum, non tam ſibi quàm nobis ſuperauit, myſterium denunciet, Euangelium uocamus. Continetur id quatuor libris à quatuor aucto-

ribus compoſitis, quos inter multos, qui conati ſunt ordinare narrationes earum, quæ in nobis completæ ſunt, rerum, diuinitus in ſcribendo afflatas, intellexit Eccleſia. ſunt (Luca 1.) uerò hi, Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes, non dignitate, & rerum, quæ deſcribuntur, excellentia, ſed in ſcribendo poſtremus.

Poſt ſanctos iſtos quatuor libros, ſecundo loco, eorum, quos legitimos Euangelicæ prædicationis miniſtros fuiſſe, diuino teſtimonio accepimus, ſacroſanctas Epiſtolas & Euangelicas, catecheſes, quaſi ſapientiales huius poſtremæ legiſlationis libros, uenerabundi ſuſpicimus, eosq; non minoris, quàm quatuor illos Euangeliorum, quos diximus libros, auctoritatis cenſemus. In his ſunt quædā epiſtolæ, quas, quòd uniuerſis huius Eccleſiaſticæ reipublicæ ciuibus ſcribantur, catholicas ideſt uniuerſales, ſiue communes dicimus, uulgò canonicas uocant. Quæ ſunt Iacobi Apoſtoli una, Petri Apoſtolorum principis duæ, Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ altera, Iudæ poſtrema. Sunt & aliæ, quæ, quòd uel uni tantùm Eccleſiæ, aut urbi ſcriberentur, quanuis earum ſenſus ad omnes pertineat, non uocantur catholicæ. In his ſunt, primo loco & auctoritate, quatuordecim Pauli, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galathas una, ad Epheſios una, ad Philippenſes una, ad Coloſſenſes una, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una. ſunt & in hunc ſecundum ordinem redigendæ duæ Ioannis Apoſtoli epiſtolæ, una ad Electam uenerabilem fœminam, altera ad Caium, quæ inter catholicas, ideſt uniuerſales numerari conſueuerunt, cùm tamen non uniuerſis, ſed particularibus hominibus ſcribantur. Veneramur poſt hæc Apoſtolicarum actionum librum à Luca compoſitum, in quo Chriſtianæ religionis ueriſsima praxis, uſus & exſecutio, nondum per hæreſes & malas diaboli artes, à quoquam hominum, legitimo ſenſu Euangelij peruerſo, luculenter oſtenditur. Eſt denique & inæquali auctoritate Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ propheticus liber, quem Apocalypſim, ideſt reuelationem uocamus, in quo per ſequentia tempora, huius Eccleſiaſticæ reipublicæ, poſt nouam legem acceptam, deſcribuntur euentus, & poſt iudicij diem futuræ fœlicitatis ſtatus oſtenditur. Atque huc librorum noui teſtamenti numerus tantùm progreditur, nimirum quòd (ut poſtea dicemus) potius Euangelium in traditione quàm in ſcripto conſiſtit.

Numerus canonicorū librorum, quem modò habet Eccleſia.

Ergo ſi uelimus & ueteris & noui teſtamenti, ideſt nouæ & ueteris diuinæ huius legiſlationis, recenſere uolumina, quæ diuinæ auctoritatis declarauit Eccleſia, ſunt in uniuerſum ſeptuaginta duo libri, quadraginta quinque quidem ex ueteri, uiginti ſeptem ex nouo teſtamento. Priores ſic numeramus, legales quinque, hiſtoriales decem & ſeptem, ſapientiales quinque, propheticos duodeuiginti, qui omnes ſunt quadraginta & quinque. Poſteriores uerò ſic, quatuor Euangelia, ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem, quinque catholicas ideſt uniuerſales epiſtolas, ſexdecim non uniuerſales, ex quibus quatuordecim ſunt Pauli, duæ Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. qui omnes ſunt uiginti ſeptem. Sunt igitur uniuerſi libri, qui in noſtris Bibliis uulgatis continentur diuinæ prorſus auctoritatis, tertio & quarto Ezræ exceptis: nam tertius & quartus Machabæorum, (ut antea diximus) quanuis Græcis Bibliis inſerantur, in Latinis tamen uulgatis, præter quædam, quæ his diebus tertiò Latinè ediderunt, non continentur. Non ſunt autem hi libri ſuſcepti (Ambro. Luca 1.) quòd ſcilicet in illis non appareat diuinæ auctoritatis ueſtigium, ut in cæteris omnibus; quãuis plerunque ab Eccleſiaſticis auctoribus pro rerum opportunitate citentur.

Quòd multi libri ueteris teſtamenti nunc deſiderentur. Cap. V.

Cyprianus in epiſt. ad Pompeian. Nume. 21.

SVnt & præter hæc ſeptuaginta duo ſacrilegis uolumina, quæ modò manibus terimus, & alia multa, quæ uel eius gentis frequentibus excidiis, uel temporum iniuria, uel demum (quod magis eſt credibile) quòd ad Eccleſiaſtici regni gubernationum & ciuium ſalutem neceſſaria nō eſſent, prorſus interciderunt. Talia ſunt liber bellorum domini apud Numeros, ut Auguſtino & Rabano & gloſſatori placet, niſi magis arrideat, librum ibi Hebraica ratione, loquendi pro narratione aut hiſtoria ſumi, quod non ſine

magna

magna ratione Lyranus adnotauit dictio enim, ספר, & librum, narrationem, hiſto-
riam, ordinem & ſeriem rerum geſtarum ſignificat. Citatur & liber Iuſtorum, quan- Ioſue. 10.
quam hunc Rabanus, librum Geneſeos, quo ſanctorum patriarcharum hiſtoriæ texun- et 2.Reg.1.
tur, uelit intelligi: quod tamen aliis ideò non placet, quòd legant Dauid præcepiſſe, ut
filij Iuda docerentur arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Iuſtorum, quod in libro Geneſis
non uidemus præceptum, niſi fortè ibi ad Eſau ſtudium uenandi, aut ad præceptũ Iſaac, Gene. 27.
quo eidem præcepit, ut ſumptis armis pharetra & arcu, uenatum abiret, alluditur. Eſt Gene. 28.
& liber Verborum dierum Salomonis, ideſt rerum ſub regno Salomonis geſtarum, qui
nequaquam intelligi poteſt, liber Paralipomenon, ut quidam uolunt, quòd hic liber
poſterius fuerit editus, quàm Regum libri, in quibus citatur. Eſt & liber Verborum Re 3. Reg.2.
gum Iſraël. Eſt & liber Regum Iſraël & Iuda, ideſt, in quo utriuſque Iudaici & Sa- 3. Reg.14. 3. Reg.15.
maritici regni ſcriberentur euentus. 2. Paralipomenon.9.

Sunt & præter hos multorum prophetarum oracula, libris mandata, quæ nequaquam
ſuperſunt, ex quibus ſunt libri Samuelis uidentis, ideſt prophetæ, liber Mathan prophe-
tæ, uolumen Gad uidentis, quibus regis Dauid geſta continebantur, niſi malimus, Sa-
muelis libros primum & ſecundum Regum, qui & apud Hebræos Samuel uocantur, in- 1.Paralip. 29.
telligi. Scripſerunt & Salomonis hiſtoriam, Nathan propheta, Ahias Salonites, Addo 2.Parali.9
uidens, ideſt propheta, in uiſione contra Hieroboan, quorum tamen neque apud nos,
neque apud Hebræos ullum extat ueſtigium. Citatur & Ozai prophetia. Deſiderantur 2. Paralip.
& illa tantopere diuinius commendata Ionadab Rechabitæ ſtatuta, quibus filiis præce- 33.
pit, ne biberent uinum, ne domos ædificarent, ne plantarent uineas &c. Deſideratur & Hier. 35. et 4.Reg.8.
Iehu filij Anani Ioſaphat hiſtoria, niſi ea ſit portio libri Regum Iſraël, quam etiam non 2.Par. 20.
extare prædiximus, ſic enim ſcribitur, Reliqua autem geſtorum Ioſaphat priorum & no- 2.Par. 26.
uiſsimorum, ſcripta ſunt in uerbis Iehu, quæ digeſsit in libro Regum Iſraël. Refertur &
Oziæ regis Iuda hiſtotia, ab Iſaia filio Amoz ſcripta, quæ nullo pacto in eo, quod modò
habemus, Iſaiæ opere, continetur. Deſiderantur & deſcriptiones Hieremiæ prophetæ, 2.Mach.2.
in quibus, filiis Iſraël tranſmigratis, præcepta & leges, ut non errarent mentibus ui-
dentes ſimulacra tradebantur. Citatur & liber dierum ſacerdotij, Ioannis Hircani, in 1.Mac. ult.
libris Machabæorum.

Fuerunt & multa uaticinia prophetarum, quæ eadem ratione, quòd nimirum ad Ec-
cleſiaſticam gubernationem neceſſaria non eſſent, ſcriptis non ſunt mandata. Talia ſunt. 2.Par. 15.
Azariæ filij Obed, ad regem Aſa, & omnem Iudam & Beniamin, & Anani ad eundem, 2.Par .16.
Michææ filij Zembla ad Acab regem Iſraël, & Ioſaphat regẽ Iuda Iazielis filij Zachariæ, 3 Reg.22.
ad regem Ioſaphat & omnem Iſraël, Eliezer filij Dodan ad eundem Ioſaphat, propter 2.Par. 20.
fœdus cum Ochozia percuſſum, Obed ad uniuerſum Iſraël, Semeiæ ad Roboam regem 2.Par.28.
Iudæ, quæ in prophetia eiuſdem ad Niniuem non habetur. Vriæ filij Semei, contra
Hieruſalem & terram Iuda. 3. Reg.12.

Citantur & multa prophetarum oracula, quæ cùm in iis, quos modò habemus, libris
non inueniamus, credendum eſt in aliis eorundem prophetarum libris, ſcripta fuiſſe. 4. Reg.14. Hier. 26.
Tale eſt quòd Chriſtum Nazaræum futurum, à prophetis fuiſſe prædictum, Matthæus Matth. 2.
docet, & illud, quòd ſanctus Euangeliſta & Hieremia profert, Tunc, inquit, adimple-
tum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam dicentem, Et acceperunt triginta Matth. 27.
argenteos, precium appreciati, quem appreciauerunt à filijs Iſraël, & dederunt in agrũ
figuli, ſicut conſtituit mihi dominus. quem locum docet Hieronymus ſe ad uerbum in In minori
quodam libro ſub nomine Hieremiæ prophetæ legiſſe, quamuis ab ea opinione non diſ- breuiario.
ſentiat, quæ credidit, uitio ſcriptoris introductum fuiſſe, ut loco Aſaph alij Iſaiam, Idem ſuper Matth.
alij Hieremiam, alij ſimpliciter prophetam, ſcripſerint. nam hanc uarietatem ſuo tem-
pore in Latinis codicibus uerſatã refert. Sunt qui loco Hieremiæ, Zachariam eſſe ſcri-
bendum doceant, quòd apud illum habeatur, Et appenderunt mercedem meam trigin- Zacha. 11.
ta argenteis, & ita precium decorum, quo appreciatus ſum, &c. Sunt & qui ex duobus
locis diuerſis unum uelint eſſe conflatum. Sic ut hoc loco ex Hieremiæ prophetia & illo
Zachariæ uaticinio diuerſis quidem locis, ſicut & auctoribus, ſed una eadem mente & Hugo card.
intentione prolatis, uelint totum illum Hieremiæ tributum locum, conſurgere. Habet
autem Hieremiæ locus in hunc modum, Venit ad me, Ananahel filius patrui mei, ſe-
cũdum uerbũ domini, ad ueſtibulum carceris, & ait ad me, Poſside agrum meum, qui

eſt in

eſt in Anathot in terra Beniamim, quia tibi competit hæreditas, & tu propinquior es ut poſsideas. intellexi autem, quòd uerbum domini eſſet, & emi agrum, ab Ananchel filio patrui mei, qui eſt in Anathot, & appendi ei argentum ſeptem ſtatheres, & decem argenteos, &c. In hac igitur emptione, uolunt Matthæum uidiſſe typica ratione, Chriſti uenditionem expreſſam, atque ideò totum uaticinium Hieremiæ tribuiſſe. Verùm enimuerò, quamuis non ſit omnino Euangeliſtarum conſuetudini aduerſum, ex duobus prophetarum oraculis, unum conſuete, idque plerunque uni tantùm illorum tribuere, quod Marcus initio ſui Euangelij fecit, dum Malachiæ prophetiam cum Iſaiæ uaticinio eidem Iſaiæ tributam in unum confundit: non uideo tamen quo pacto in hac parte ex Zachariæ & Hieremiæ locis, præſertim ſenſu & uerbis, & ipſa rerum, de qua agunt, conditione, tam diſsitis, locus ille Hieremiæ tributus, poſsit conflari. nam neq; Ananahel figulus fuiſſe refertur, neque precium, quod Hieremias appedit, cum precio Chriſti conuenire uidetur: quæ duo ſaltem debuiſſent eſſe ſimilia, quòd ſint in illa Chriſti uenditione præcipua. hoc enim eſt, quod Sanctus Euangeliſta, illo uaticinio prænotatum oſtendit, quòd ſcilicet precium Chriſti, quod erat triginta argentei, in agrum figuli
Math. 27. emendum conceſſerit, Principes, inquit, ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, Non licet eos mittere in corbonam, quia precium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorũ &c. & ſubinde, Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam &c. ubi Euangeliſta præcipuam totius oraculi mentem in hoc ſitam eſſe uidetur oſtendere, quòd ſicut Chriſtus triginta argenteis fuit uenditus, ita precium illud appreciati, cõſtiterit quoq; triginta argenteis, & quòd ſicut illud precium in agrum figuli poſtea conceſsit, ita precium illud propheticum fuerit in agrum figuli poſtea tributum. Sed quàm malè duo iſta prophetarum oracula ad conficiendum illud, quod à ſancto Euangeliſta Hieremiæ tribuitur, uaticinium, conueniant, cùm ſit apertiſsimum, non eſt opus oſtẽdere, & multò minus, quàm malè uel ad Zachariæ uel Hieremiæ per ſe prophetiam poſsit aptari. Sed cùm neque in Iſaia, neque in his pſalmis, qui Aſaph tribuuntur, ullo pacto locus ille oſtendatur, reſtat hoc unum, ſanctum Euangeliſtam, ab illo, quod ſe uidiſſe Hieronymus refert, Hieremiæ uolumine, locum deprompſiſſe. nam licèt librum illum, idem Hieronymus Apocryphum doceat; non obſtat, quò minus à ſancto Euangeliſta citari potuerit, cùm idem, ſanctus Apoſtolus Iudas, in Epiſtola fecerit, dum ex libro Enoch teſtimonia producit, ut poſtea dicemus. Neq; omnia, quæ in libris Apocryphis cõtinentur, ut poſtea dicemus, Apocrypha ſunt, aut falſa, ſed plerunque ueriſsima, quale illud, quod illic Apoſtolus allegat, Ecce ueniet dominus &c. Sunt præterea libri Apocryphi, non quòd fuerint ab illis, quibus tribuuntur, editi, ſed quia quorũdam admiſtione corrupti ſunt, ut de Clementis Romani & quorundam aliorum libris dicere ſolemus. Et demum non quæcunque Hebræis Apocrypha erant, nobis ſunt Apocrypha. uerùm hæc poſteà cùm de Iudæ epiſtola agemus, latius proſequemur.

Orig. hom. 1. in cant. De his libris, qui in uetere illo ſtatu Eccleſiæ citantur, nec in noſtris Bibliis inueniũtur, ſic inquit Origenes, Operoſum eſt, ſi uelimus nunc inquirere, quàm multorum librorum commemoratio fiat in ſcripturis diuinis, quorum lectio nulla uobis omnino eſt tradita, ſed neq; apud Iudæos quidem uſum huiuſmodi reperimus lectionum, quæ ſiue propterea quòd aliqua ſupra humanam intelligentiã continebant, placuit Spiritui ſancto ferre de medio, ſiue quòd eſſent de ſcripturis his, quæ uocantur Apocryphæ, pro eo quòd multa in eis corrupta, & contra fidem ueram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem. Supra nos eſt pronunciare de talibus. Illud tamen palàm eſt, multa uel ab Apoſtolis uel ab Euangeliſtis exempla eſſe prolata, & nouo teſtamento inſerta, quæ in his ſcripturis, quas canonicas habemus, nunquam legimus: in Apocryhis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipſis oſtenduntur aſſumpta.

Quòd

Quòd multi libri à uiris Apoſtolicis editi, nunc deſiderentur. Cap. VI.

PRimos illos Euangelicæ legis miniſtros, ſiue qui ex duodenario numero etant, ſiue qui diſcipuli uocabantur, ad inſtructionem fidelium, quibus Euangelium prædicabant, multos libros uериſsima, quam (haud dubiū) in populis ferebant, doctrina refertos, compoſuiſſe, ratio ipſa poſtulare uidetur. neque enim Pythagorica ratione docendi, cuncta auditorum memoriæ, quam ſciebant maximè omnium errori & fragilitati ſubiectam, mandaſſent. Sciebant multos eſſe iam tunc uel ex Iudæis uel ex ipſis, qui Chriſto nomina dederāt, falſos fratres, qui ſub figura Euangelij, falſa docerēt. oportebat ergo, ut ueræ doctrinæ certiſsima formula haberetur, doctrinam Euangelicam, ſcripto etiā, & non ſola prædicatione doceri. Sic apud uarias gentes, uarias ab eiſdem ſanctis auctoribus, Euangelicæ doctrinæ catecheſes ſiue per epiſtolas, ſiue per eorum, quæ à Chriſto geſta eſſe certum erat, enarrationem factas, & ſcriptas eſſe Eccleſiaſtici referunt: quas tamen omnes, præter illas, quas memorauimus, uel temporum iniuria, uel quòd non eſſent diuino ſpiritu editæ, cuius præſentia, præter Apoſtolicum munus, ut diuina ſit ſcriptura neceſſariò requiritur: uel demum (quod de illis Spiritus ſancti certiſsimis uaſis magis eſt credibile) quòd ad Eccleſiaſticæ reipublicæ regimen neceſſariæ non eſſent ad fidelium ſalutem, cùm illæ, quæ remanſerunt, ſiue quò ad geſtorum Chriſti neceſſariam cognitionem, ſiue quò ad Euangelicæ doctrinæ eruditionem, abundè ſuppeterent, quemadmodum & de libris ueteris teſtamenti diximus, intercidiſſe uidemus. Horum quædam ab Hæreticis tamen uitiata, & corrupta, ueteribus Eccleſiaſticis patribus cognita legimus, ſed propter ueræ religionis diſcrimen Eccleſiaſtico interdicto prohibita, ut Andreæ, Thomæ, Bartholomæi, Thadæi, & Barnabæ, Nicodemi & Nazaræorum Euangelia. Petri, Andreæ, Philippi, & Thomæ geſta, quæ πράξεις aut actus appellant. Quæ, ſi uocentur Apocrypha, non ideò (mea quidem ſententia) factum eſſe credendum, quòd non fuerint ab his Apoſtolicis uiris compoſita, ſed quòd hæretica uerſutia, Deo (quod illa, quæ modo habemus, ſufficerent) permittente, eadem mendaciis infecerit. Nā quòd hoc eius ſæculi hæreticis eſſet ſolemne, & antea ex Eccleſiaſticis hiſtoriis luculenter oſtendimus, & ea, quæ in Eccleſiaſtico decreto ſequuntur, ſufficienter declarant, in quibus ea quoque Euangelia pronunciantur Apocrypha, quæ falſauit impius Lucianus, per quæ nimirum Apoſtolicorum uirorum lucubrationes ab eodem hæretico infectas (haud temerè) accipimus. Quas non paucas ſed multas fuiſſe Lucas Euangelicæ narrationis initio, manifeſtè declarat, Quoniam quidem (inquit) multi conati ſunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ ſunt rerum; ſicut tradiderūt nobis, qui ab initio ipſi uiderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, uiſum eſt mihi aſſecuto omnia, à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optimè Theophile, ut cognoſcas eorum uerborum, de quibus eruditus es ueritatem. quibus, uerbis, tantùm abeſt, ut eorum, quos ad hoc genus ſcribēdi animos appuliſſe commemorat, labores damnet, aut eorum fidem eleuet, ut potius eorundem ſtudium ſe imirari fateatur, ut ſcilicet quemadmodum illi, his, quibus ſeminarunt Euangelium, earum rerum, quæ fuerant in Euangelio completæ, conati ſunt ordinare narrationes, ita & ipſe, iam ab his, qui interfuerunt, aſſecutus omnia, ſuo Theophilo, ab ipſo principio, quod alij non præſtiterant, geſtorum Euangelicorum hiſtoriam ſcribat. Sed neque Apoſtoli Pauli uniuerſas epiſtolas ſuperſtitiſſe credendum, cùm, ut par eſt ſentire de uiro Sanctiſsimo & doctiſsimo, & ad ſcribendū, propter ingentem Euangelicæ doctrinæ zelum procliui, non ſolas has quatuordecim, tot urbibus, tot nationibus, quibus Euangeliū prædicauit, ſcripſerit. Inter has numerari ſolet epiſtola ad Laodicenſes, cuius in ea, quæ eſt, ad Coloſſ. ſub his uerbis meminit, Facite, ut hæc epiſtola legatur in Laodicenſium Eccleſia, & ea, quæ Laodicenſium eſt, ut uobis legatur. Quamuis hanc epiſtolam Theophilactus doceat non eſſe aliam, quàm eam, quæ priori loco ad Timotheum per Tichicum diaconum à Laodicea fuit miſſa. cui ſententiæ, quorundam Bibliorum correctiorum litera ſuffragari uidetur,

Diſt. 15. c. ſancta Ro.

lib. 5.

Diſtin. 15. c. ſancta Romana Eccl.

1. Coloſſ. 4.

detur, quæ ſic habet, Facite ut hæc epiſtola legatur in Laodicenſium Eccleſia, & ea, quæ ſcripta eſt ex Laodicea, ut uobis legatur. Porrò nulla alia ex Laodicea fuit miſſa, quàm prior illa ad Timotheum. Sunt & qui per Laodicenſium epiſtolam, non aliquam quæ fuerit ab Apoſtolo miſſa, ſed eam, quam eadem Eccleſia ad eundem Apoſtolum, quædam, quæ ad Euangelicæ uitæ rationem conducerent, rogans, ſcripſerit, intelligant, cui per epiſtolam ad Coloſſenſes uelit ſatisfactum. Communior tamen doctiorum ſententia, ipſeque Paulinus contextus, quandam aliam, ab his, quas modò habemus, diuerſam, quæ fuerit ad Laodicenſes ſcripta, inſinuare uidentur. Vnde ſunt etiam noſtra memoria, qui quandam epiſtolam ad Laodicenſes Pauli nomine inſignem nec multùm ab eius dictione abhorrentem circunferant, quam eam eſſe crediderim, quam ſuo ſæculo à quibuſdam legi, libro de Viris illuſtribus Hieronymus refert, Legunt, inquit, quidam & ad Laodicenſes, ſed ab omnibus exploditur. Verùm, de his libris, qui tanquàm diuinæ legis partes Catholica reſpublica ueneratur, hæc dixiſſe ſit ſatis.

Ambro. in epiſt. ad Coloſſ.

Faber Stapu. in epiſt. ad Coloſſ. quatuor exemplaria ſibi ſimilia prorſus ſe reperiſſe aſſerit, Patauii, Colonia, Pariſiis in Eduana & Sorbonica bibliotheca.

De quibuſdam libris, de quibus, an ad legis diuinæ canonem pertinerent, fuit olim controuerſia. Cap. VII.

NVnc de his libris agamus, de quibus nondum in hac parte Spiritus ſancti perfecta illuſtratione recepta, huius ſanctæ reipublicæ ciues, ipſa Eccleſiæ iuuentute, an ad legem diuinam attinerent, eo quòd in illis nondum euidentia apparuiſſent diuinitatis ueſtigia, dubitarunt: ut uideamus, quanta grauitate, in eis in Canonem recipiendis, fuerit ab Eccleſiaſticis patribus animaduerſum. Ergo inter illa ſeptuagintaduo diuinæ legis uolumina, quæ ſola ab Eccleſiæ principe Deo, quaſi ab auctore deriuari docuimus, cùm de cæteris nulla fuerit unquam controuerſia, non nulla ut reciperentur in ordinem diuinorum oraculorum, contradictionem anterioribus ſæculis habuiſſe, leguntur: horum quædam ad ueterem illum ſtatũ, qui poſt Moſem uiguit, reliqua ad nouam legiſlationem ſpectant. Sunt autem ex ueteri quidem inſtrumento, Thobiæ hiſtoria, Iudith commentarij, Salomonis ſapientia, Ieſu filij Sirach, Eccleſiaſticus liber, & duo priores, Machabæorum, quos tamen duobus aliis poſterioribus proiectis, nunc diuinos eſſe docuimus. præter hos Salomonis oratio, Baruch liber, cum epiſtola Hieremiæ, trium puerorum canticum, Suſannæ & Belis hiſtoriæ. Nam Heſter hiſtoriam uſque ad decimum caput, cùm ab Hebræis inter hagiographa numeretur (quod ſciam) nullus apud Græcos aut apud Latinos, inter Apocrypha coniecit, præter unum Eraſmum, qui tamen id potius oſcitantia, quàm, quòd ita ſentiret, feciſſe uidetur. Ex nouo uerò teſtamento, ſunt Ioannis Apocalypſis, & epiſtola Pauli ad Hebræos. Iacobi canonica, Petri poſterior, Ioannis duæ poſtremæ, epiſtola Iudæ, & quædam aliæ ſcripturæ partes, quarum & auctoritas & auctores in quæſtionem uocantur.

Et quidem, quòd libri hi ad canonem & ordinem diuinorum uoluminum non pertinerent, tum ex ſanctorum commentariis, tum ex geſtis conciliorum, in quibus inter canonicos non computantur, ſibi quis perſuadere potuiſſet. Sicut Iudith (inquit Hieronymus) & Thobiæ & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia; ſed inter canonicas ſcripturas non recipit: ſic & Sapientiam & Eccleſiaſticum legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Et alibi, in eandem ſententiam, Igitur, ſicut ſapientia, quæ uulgò Salomonis inſcribitur, & Ieſu filij Sirach liber, & Iudith, & Thobias, & Paſtor, non ſunt in canone. Proferamus, ait deinde Gregorius de libris Machabæorum loquens, teſtimonium de libris non Canonicis, ſed ad ædificationem editis. Et demum, ne multorum, qui ueteri illo ſæculo floruerũt, adducamus teſtimonia, Nicolaus Lyrannus, inter iuniores auctores, & eruditus & diligens, Notandum, inquit, quòd libri Machabæorum non ſunt de canone, leguntur tamen in Eccleſiis, per conſtitutionem Romanæ Eccleſiæ. De epiſtola Pauli ad Hebræos, quanta fuerit olim controuerſia, tum de eius auctore tum de auctoritate, dubitantibus multis, antiquorum auctorum ſcripta nos docent, Epiſtola (inquit Hieronymus) quæ

In prologo lib. Salom.

In prologo galeato.

Lib. 18. Mora.

In Præfatione lib. Machab.

fertur

fertut ad Hebtæos, non creditur eſſe Pauli, propter ſtyli ſermoniſque diſtantiam, ſed
uel Barnabæ iuxta Tertullianum, uel Lucæ Euang. iuxta quoſdam, uel Clementis Ro-
manæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem ainnt ſententias Pauli proprio ordinaſſe & or-
naſſe ſermone. Hactenus Hieronymus. Qui & ad Dardanum in hunc modum ſcri- *Lib. de uiris illuſtribus. idem Iſidorus lib. 6. Etymol. c. 2*
bit, Illud noſtris diceudnm eſt, hanc Epiſtolam, quæ inſcribirur ad Hebræos, non ſo-
lùm ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiaſticis, Græci ſermonis ſcripro-
ribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licèt pletique eam uel Barnabæ uel Clementis arbi-
trentur, & nihil intereſſe cuius ſit, cùm Eccleſiaſtici uiti ſit, & quotidie Eccleſiarum
lectione celebretur. Quòd ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter ſcripturas
canonicas, nec Græcorum Eccleſiæ Apocalypſim Ioannis, eadem libertate ſuſcipiunt, *In epiſt. ad Euagrium.*
& tamen nos utraque ſuſcipiamus. Teſtatur & idem alibi, eandem epiſtolã ab omnibus
Græcis, ſed non ab omnibus Latinis in canonem recipi. Quin & gloſſema, quod ordi-
narium appellant, ſiue illud fuerit Ioannis Bleſenſis, ſiue Alchuini, ſiue cuiuſcunque al-
terius docti & Eccleſiaſtici niri, ingenti profectò auctoritate ptæditum, hanc epiſtolam *In. 8. cap. Iſai.*
ad Hebræos inter canonicas à Latinis non ſuſcipi, conſtanrer affirmat. Vides ergo Hie-
ronymi teſtimonio, non modò Epiſtolam ad Hebræos, apud Latinos, ſed & Ioannis
Apocalypſim, apud Græcos, contradictionẽ habuiſſe, quò minus in ordinem diuino-
rum uoluminum redigerentur. Quemadmodum uerò epiſtola ad Hebræos, propter
ſtyli diſſonantiam, Paulo ſubtrahebatur, ita quoque ſecunda Petri Apoſtoli epiſtola,
quòd cùm præcedenti non conueniret in dictione, Petri eſſe negabatur: quòd Hierony-
mus libro De uiris illuſtribus, dnm de Petro Apoſt. loquitur, indicat. Eademq; fuit de *Vide etiam epiſt. eiuſdem ad Cyprianum.*
duabus Ioannis Apoſt. poſtremis epiſtolis dubitatio, quibuſdam, eaſdẽ non eidem Apo-
ſtolo, ſed Ioanni presbyrero, ſiue ſeniori, cuius in Eccleſiaſticis hiſtoriis uenerabilis eſt
memoria, ttibuentibus, quod & duobus locis altero cùm de Ioanne, altero cùm de Pa-
pia loquitur, libro illo De uiris illuſtribus, Hieronymus retulit. Dubitatum fuit & olim,
de Iacobi epiſtola, utrum'ne fuiſſet ab eodem ædita, & an canonica foret, & de epiſto-
la Iudæ tum ob alia, tum uerò quòd de libris Apocryphis teſtimonia citaſſet. De Marci
Enangelij 16. capite, quòd reſurrectionis myſterium paulò aliter, quàm cæteri Euange-
liſtæ narrare nideantur, dubium fuiſſe olim, an ad idem Enangelium attineneret, do-
cet idem, Hieronymus. Vnde Chiliadum anctor, in omnibus exemplaribus Græcis, *ad quæſtiones Hebidiæ.*
quæ ſibi nidiſſe contigiſſet, hoc caput ſe uidiſſe refert, ſed ita poſt finem poſitum, ut re-
iectitinm uideretur. Eãdemque dubitationem de hiſtoria adulteræ, quæ in noſtris Bi-
bliis, Ioannis octano capite collocatur, fuiſſe olim, quorundam Græcorum, de ea hi-
ſtoria in ſuis commentariis ſilentium, oſtendit. ſed & in quibuſdam Græcis exemplari-
bns, deſideratur omnino, in aliis adiecta eſt in calce.

Sed iam ad eos librorum ſacrorum Elenchos, quos olim ediderunt Eccleſiaſtici patres
uel (quod eſt nehementius) ſacra concilia, quæ profectò diuinas ſcripturas indicandi,
& mnnus & poteſtatem acceperunt, deueniamus, in quibus mirum quorundam horũ
librotum reperitur ſilentium. Et tamen neqne illi, neq; iſta pauciores aut plures, quàm
ſua memoria, quaſi dininos pnblico decreto comprobari cognouiſſent, erant ſcripturi.
Ergo Meliro Sardinenſis Epiſcopns celebris olim Eccleſiaſticus ſcriptor, apud Euſebinm *Euſeb. Eccleſiaſt. hiſto. lib. 4. c. 21. Melito Sardien.*
Oneſimo cuidam, qui'nam apud Orienris prouincias ex ueteri Teſtamento canonici li-
bri reputarentur, ſcribens, ſic inquit, Scias me perrexiſſe uſq; ad Orientis locum, ubi
prædicationis noſtræ cœpit exotdium, & ubi geſta ſunt illa omnia, quæ leguntur ſcripta:
ibique diligenter de omnibus exploraſſe, quæ eſſent neteris Teſtamenti uolnmina. Ibi
igitut, quæ cum omni ueſtigatione comperi, hæc ſnnt, Moſis libri, quinque, Geneſis,
Exodns, Leuiticus, Nnmeri, Deuteronominm. Tum deinde, Ieſus Nauæ, Indicum,
Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon, Pſalmi Dauid, Salomonis Prouer-
bia, Sapientia, Eccleſiaſtes, Canrica canticorum, Iob. Prophetæ autem, Iſaias, Ie-
remias, duodecim prophetarum libri. Hactenus Melito: nbi Eccleſiaſticum Ieſu filij
Sirach, Thobiæ, Iudith, Heſter, & quod magis eſt admirandum, Machabæorum hiſto-
rias ſilentio inuoluit. Non erant igitut apud Orienrales, libri canonici, neque dinini
habebantut. Origenes Adamantius apud eũdem Euſebium, ueteris & noui Teſtamenti *Origenes.*
catalogum texens, Non eſt ignorandum, inquit, uiginti duos libros eſſe in canone uete-
ris teſtamenti, ſicut Hebræi tradunt, ſecundum numerum ſcilicet elementorum, quæ

apud ipſos habent. Hi ſunt autem uiginti duo libri, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numerus, Deuteronomium, Ieſu Nauæ, Iudicum, Regnorum primus & ſecundus, qui unus liber eſt apud illos, quem nominant Samuel, item tertius & quartus, qui unus eſt apud ipſos, quem appellant, Regum Dauid, & Paralipomenon, primus & ſecundus in uno habentur, quem dicunt Sermones dierum. Eſdras primus & ſecundus, in uno eſt, itẽ liber Pſalmorum, Salomonis Prouerbia, & alius Eccleſiaſticus, & tertius eiuſdem Cantica canticorum, ſed & duodecim prophetarum minorum liber unus eſt. Iſaias propheta, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Iob, Heſter. In his concludunt canonem uoluminum diuinorum. Machabæorum uerò libros extrinſecus habent. Hactenus de libris ueteris Teſtamenti, Origenes. De noui autem Teſtamenti canone, ſic ſcribit, Ex traditione didici, de quatuor Euangeliis, quia citra contradictionem ſuſcipi debeant, in omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, Eccleſiis Dei, ita enim tradiderunt patres, quia primò omnium ſcriptorum ſit Euangelium à Matthæo, qui aliquando fuerat publicanus, Hebraicis literis, & traditum his, qui ex circunciſione crediderant. ſecundum uerò ſcriptum eſſe à Marco, iuxta ea, quæ ſibi tradiderat Petrus, de quo & in epiſtola ſua commemorat dicens, Salutat uos filius meus Marcus. Tertium eſſe ſecundum Lucam, quod Paulus Apoſtolus collaudat, tanquam his, qui ex gentibus crediderant, ſcriptum, ſuper omnia uerò eſſe Euangelium Ioannis: De Apoſtolicis quoque literis, ita dicit, Is qui idoneus dicitur, factus eſſe miniſter noui Teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu, Paulum dico, qui repleuit Euangelium ab Hieruſalem in circuitu uſque ad Illyricum, nec ad omnes Eccleſias, quas docuerat, ſcripſit, ſed quatuordecim ſolas epiſtolas & in ipſis plures breuiſsimas, ſcripſit. Petrus uerò, ſuper quem Chriſti fundatur Eccleſia, duas tantùm modò ſcripſit, è quibus à nonnullis & de ſecunda dubitatur. Ioannes quoque, qui ſupra pectus domini recubuit, poſt Euangelium, ſcripſit Apocalypſim. in qua tamen reticere uiſus eſt, quòd ſeptem tonitruorum locutæ ſunt uoces. ſcripſit autem & tres epiſtolas, in quibus duæ breues de quibus, & apud quoſdam dubia ſententia eſt. Hactenus Origenes. Vbi uides nec Sapiẽtiam nec Eccleſiaſticum, nec Thobiam, nec Machabæos, immo nec Iacobi epiſtolam adnumerari.

Ioãnes Damaſce. li. 4.

Ioannes Damaſcenus, Scire (inquit) operæprecium eſt, quòd duo & uiginti libri ſunt ueteris Teſtamenti, ſecundum elementa Hebraicæ uocis: duo enim & uiginti habent elementa, ex quibus quinque duplantur, ut ipſa fiant ſeptem ſupra uiginti. nam duplex eſt, Chaph, & Mem, & Nun. & Phe & Sade. Et ideò libri, qui ſecundum hunc modum, duo & uiginti numerãtur, ſeptem & uiginti comperiuntur, propterea quòd quinque ex ipſis duplantur. Connectitur enim Ruth Iudicibus, & numeratur apud Hebræos unus liber, Primus autem & ſecundus Regnorum, unus liber, & tertius & quartus, unus liber. Primus & ſecundus, Paralipomenon, unus liber. Eſdræ unus liber. Sic igitur diuiduntur libri in quatuor pentateuchos, ideſt, quinarios uoluminum, & ſuperſunt alij duo, ut ſint diſpoſiti libri hoc pacto, Quinque legales, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, prima pentateuchus, quæ & legis poſitio. Deinde alia pentateuchus, quæ ſcriptura, & Hagiographa, id eſt, ſanctorum ſcripta, dicuntur, quæ ſunt hoc modo, Ieſus Nauæ, Iudices cum Ruth, Regnorum primus cum ſecundo liber unus, & tertius, & quartus liber unus, & duo Paralipomenon liber unus; hæc ſecunda pentateuchus. Tertia pentateuchus, uerſu facti, libri, Iob, Pſalterium, Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſtes eius, Cantica canticorum. Quarta pentateuchus, prophetica, duodecim prophetarum, liber unus, Iſaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel: Deinde Eſdræ duo in unum connectuntur librum, & Eſther. Qui autem omnium uirtutum doctrina referti ſunt, hoc eſt, Sapientia Salomonis, & ſapientia Ieſu, quam pater Sirach compoſuit Hebraicè, Græcè interprætatus eſt nepos, Ieſu & filius Sirach, ſtudioſis quidem hi libri pulchri & honeſti, ſed non numerantur in propheticis libris, neque ponebantur in arca Noui Teſtamenti. Sunt, Euangelia quatuor, ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem. Actus ſanctorum Apoſtolorum Lucæ Euangeliſtæ, Catholicæ epiſtolæ ſeptem, Iacobi una, Petri duæ, Ioannis tres & Iudæ una, Pauli Apoſtoli epiſtolæ quatuordecim, Apocalypſis Ioannis Euangeliſtæ, Canones ſanctorum Apoſtolorum per Clementem.

Rufinus in expoſitio. ſymboli.

Rufinus Aquiletenſis deinde in expoſitione Symboli qui canonici haberentur ita ut docet. Hæc ſunt, noui ac ueteris teſtamenti,

ſtamenti uolumina, quæ ſecundum maiorum traditionem per ipſum Spiritum ſauctum inſpirata creduntur, & Eccleſiis Chriſti tradira. Iraque ueteris teſtanienti omium primo. Moſis, quinque libri ſunt traditi, Geneſis, Exodus, Leuiticus Numeri, Deuteronomium. Poſt hæc Ieſus Nauæ, Iudicum ſimul cuni Ruth. Quaruor poſt hæc Regnorum libri, quos Hebraicè duos nunierant, Paralipomenon, qui dierum dicitur liber, & Eſdræ duo, qui apud illos ſinguli computantur, & Eſther, Prophetarum uerò Iſaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel: propterea duodecim prophetarũ liber unus, Iob quoque, & Pſalnii Dauid, ſinguli ſunt libri, Salomonis uerò tres Eccleſiis traditi, prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum. In his concluſeruar numerum librorum ueteris teſtamenti. Noui uerò quatuor, Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis; Actus Apoſtolorum, quos ſcribit Lucas, Pauli Apoſtoli Epiſtolæ quatuordecim, Petri Apoſtoli epiſtolæ duæ, Iacobi fratris domini & Apoſtoli, una, Iudæ una, Ioannis tres, Apocalypſis Ioannis. Hæc ſunt, quæ patres intra canonem concluſerunt: ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare uoluerunt. Sciendum tamen eſt, quòd & alij libri ſunt, qui non canonici ſed Eccleſiaſtici, à maioribus appellati ſunt, ideſt, ſapientia, quæ dicitur Salomonis; alia ſapientia, quæ dicitur filij Sirach: qui liber apud Larinos, hoc ſolo generali uocabulo Eccleſiaſticus appellatur. quo uocabulo non auctor libelli, ſed ſcripturæ qualitas cognominata eſt. Eiuſdem ordinis libellus eſt Thobiæ, & Iudith & Machabæorum libri. In nouo teſtamento libellus, qui dicitur Paſtoris, ſiue Hermes, qui appellatur duæ uiæ uel iudicium Petri. Quæ omnia quidem in Eccleſiis legi uoluerunt, non tamen proferri, ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras uerò ſcripturas Apocryphas nominarunt, quas in Eccleſiis legi noluerunt. Hæc nobis ex patribus ut dixi. Hactenus Rufinus. Sed neque Hieronymus in eo ſanctorum librorum Elencho, quem in epiſtola ad Paulinum ſcribit, cum cæteros omnes ueteris teſtamenti libros recenſeat, horum librorum meminit, quaſi ſuo ſilentio, eoſdem extra canonem faciens. Laodicæna Synodus, in phrygia Pacatiua conueniens & ſanctorum librorum Elenchum tradens ita ſcribit. Non oportet abidiotis Pſalmos compoſitos & uulgares in Eccleſiis, neque libros, qui ſunt extra canonem legere, niſi ſolos canonicos noui & ueteris teſtamenti: quæ autem oporteat legi & in auctoritatem recipi, hæc ſunt, Geneſis, Exodus, Leuiticus. Numeri, Deuteronomium, Ieſu Nauæ, Iudicum, Ruth, & Regnorum libri quatuor. Paralipomenon, libri duo Eſdræ, liber Pſalmorum numero centum & quinquaginta prouerbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Iob, Heſther duodecim prophetarum, ideſt, Oſeas, Amos, Ioel, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Noui teſtamenti, ideſt, Euangelium ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem, Actus Apoſtolorum, canonicæ epiſtolæ ſeptem, Iacobi una, Petri duæ, prima & ſecunda, Ioannis tres, prima, ſecunda, & tertia. Iudæ una, epiſtolæ Pauli Apoſtoli numero quatuordecim, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galathas, ad Epheſios, ad Philippenſes ad ſingulos una, ad Coloſſenſes una, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Hactenus ſynodus ubi inter canonicos & Eccleſiaſticos libros, neque Sapientiam, neque Eccleſiaſticum, neque Thobiam, neque Iudith, ueque Baruch, neque duos Machabæorum priores, neque Ioannis Apocalypſim inuenies.

Quòd nulli eorum librorum, quos canonicos diximus, ſiue ad uetus ſiue ad nouum teſtamentum pertineant, ſint Apocryphi, ſed omnes ſint canonici. Cap. VIII.

Atque hæc ſunt potiſsima fundamenta, quibus noſtrorum ſæculorum hæretici hos libros, & reliquos omnes, qui aduerſus ſua dogmata, aperto marte pugnare uidentur, è canone, pro ſua conſuetudine conantur extrudere. Verùm quam inualidè & inerter, iam paucis dicamus.

Enimuerò, ſanctas ac diuinas leges, libroſque, quibus continentur, à

à reliquis, qui tales non habentur, diſcernere non ad ſingulares homines aut congregationes, ſed ad ipſum uniuerſum Eccleſiaſticum cœtum, aut ad præcipuam eius partem & magiſtratum pertinere, nemo ſanæ mentis ibit inficias, cùm neque Romanas leges, Romanus ciuis, aut Romani imperij portio quædam, ſed ipſe Romani imperij princeps, aut omnium ciuium uice Romanus Senatus diſcerneret. Quemadmodum enim uel principis, uel eorum, qui rempublicam referunt, in quosque ſua cæteri quique ciues retulerunt ſuffragia, non tantùm eſt leges condere, ſed conditas ad reipublicæ utilitatem & frugem exigere, & an ſint ſuppoſititiæ, uel cum primi legiſlatoris, cuius eſſe dicuntur, mente conueniant, examinare: ita in Eccleſiaſtica republica, legum conditarum, aut librorum, quibus continentur, iudicium & expenſio, non ad priuatos ciues aut congregationes, ſed uel ad Eccleſiaſticum principem, uel ad eam congregationem, quæ uniuerſam Chriſtianam ſocietatem uirtute contineat, pertinere, non dubium. Cùm igitur, in hac ſancta republica, Romanus pontifex princeps habeatur, Generalia uerò concilia ſola ſint, quæ uirtute, totam Eccleſiaſticam ſocietatem contineant, uel ſaltem (quòd nemo hæreticorum, quantumuis impudens negare poterit) Romanus Pontifex etiam ſi princeps in Eccleſia non eſſet, aut concilia Generalia, totam non referrent Eccleſiam, uterque tamen eorum potiſsima ſit Eccleſiaſtica portio, quidquid horum alterũ, in hac parte decreuerit, futurum eſt firmum, aut ſaltem potiori quàm cæteræ quæque Eccleſiaſticæ partes, auctoritate conſtabit. Cur enim diſcretionem ſpirituum magis præcipuæ Eccleſiæ parti, quàm cæteris minus præcipuis, à Spiritu ſancto donari, non deceat? aut cur (eſto quòd Romanus Pontifex caput Eccleſiæ, ut hæretici uolunt, non eſſet, aut concilia generalia non exprimerent uniuerſam Eccleſiam) cùm neq; ille inter Eccleſiaſticos patres & ditione & auctoritate maximus, neq; iſta, ſaltem potiſsima pars, totius Eccleſiæ negari poſsint, eorum in hac parte quàm reliquorum omnium non præualeat auctoritas?

Sed ad rem ueniamus, & oſtendamus, eos libros, quos in controuerſiam, uel particulares ſcriptores, uel particulares Eccleſiæ congregationes mittebant, concordi ſemper ſententia uel à Romanis Pontificibus, uel à generalibus conciliis canonicos habitos.

Innocentius primus. Innocentius itaque huius nominis primus Exuperio Tholoſano Epiſcopo, de numero canonicorum librorum, rogatus ita reſpondit. Qui uerò libri recipiantur in canone, breuis annexus oſtendet. Hæc ſunt ergo, quæ deſiderata uoce moneri uoluiſti, Moyſi libri quinque, ideſt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, nec non & Ieſu Naue, & Iudicum, & Regnorum libri quatuor, ſimul & Ruth: Prophetarum libri ſexdecim, Salomonis libri quinque, Pſalterium, hiſtoriarum Iob liber unus, Heſter unus, Iudith unus, Machabæorum duo, Paralipomenon duo: item noui teſtamenti, Euangeliorum libri quatuor. Apoſtoli Pauli libri quatuordecim. Epiſtolæ Ioannis tres, epiſtolæ Petri duæ, epiſtolæ Iudæ, epiſtola Iacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Hactenus Innocentius. Quo loco ſolum Thobiam ex his, quos modò canonicos habemus, deſideras, quod forſan facere potuit magis numerantis obliuio, quàm, quòd eum à canone iudicaret alienum. Neque uerò magnum erat piaculum, ubi res ad unius Epiſcopi petitionem magnopere non poſtulabat, expendi, unum aut alterũ librũ omitti, præſertim cùm eundem, ſi non canonicum iudicaret, apocryphum declarare debuiſſet. Et profectò, utcunque ſe res habeat, Zozimus pontifex, qui ſtatim poſt eundem Innocentium, Romani pontificatus ſedem obtinuit, ab uniuerſa Africana Eccleſia,

Zozimus pontifex.

Can. 7. quaſi Eccleſiaſticæ reipublicæ princeps, in quarto concilio Carthaginienſi, de numero canonicorum librorum conſultus, ubi res integro examine exigenda erat, ita reſpondit, Item placuit, ut præter ſcripturas canonicas, nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum ſcripturarum. ſunt autem canonicæ ſcripturæ, ideſt, primus Geneſis, I I Exodus, I I I Leuiticus, I I I I Numeri, V Deuteronomium, V I Ieſu Naue, V I I Iudicum, V I I I Ruth, Regum libri I I I I, Pſalterium Dauidicum, Salomonis libri V, libri X I I prophetarũ, Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Thobias, Iudith, Heſter, Ezræ libri I I, Machabæorum libri I I. Noui autem Teſtamenti X X V I I, Euangeliorum libri I I I I, Actuum Apoſtolorum liber unus, Pauli Apoſtoli epiſtolæ X I I I, & eiuſdem ad Hebræos una, Petri Apoſtoli I I, Ioannis Apoſtoli I I I, Iudæ Apoſtoli una, Iacobi una, Apocalypſis unus, qui ſunt uiginti ſeptem. Et ſubinde, Hoc fratri

cum

con ſacerdoti noſtro Bonifacio, nel aliis earum partium Epiſcopis pto confirmãdo iſto canone innoteſcat, quia à Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda. Hactenus Zozimus Pontif. Vbi uides nullum ex his, quos modò canonicos colimus, librorum deeſſe, ſed uniuerſos canonicos decerni, & ſub nomiue diuinarum ſcripturatum legendos exponi, ne Rufini Torani diſtinctio locum habeat, qua, cùm hos libros Eccleſiaſticos quidem quòd in Eccleſia legi permittantur ad inſtuctionem fidelium, uocitari conſentiar, nullo pacto tamen canonicos & diuinos appellari permittit. Canonicos enimuerò appellat Pontifex, & uninerſa illa Africana Eccleſia, eos omnes libros ſine diſcrimine, ſcripturas diuinas uocat. Placuit, inquit, nt præter canonicas ſcripturas, uihil in Eccleſia ſub nomiue diuinarum ſcripturarum legatur. Sũt autem canonicæ ſcripturæ &c. Quod autem ſanctus Pontifex inquit, hos omnes libros, à Patribus acceptos, & quaſi canonicos in Eccleſia legendos, ſuperiorum ſæculorum Pontifices denotat, apud quos ab ipſis Apoſtolicis ſæculis cum reliquis diuinis libris canonicis ij, de quibus eſt controuerſia, libri, perpetnò ſunt crediti. quod octuageſimus quintus Apoſtolicns canon, per Clementem primum Rom. Pont. ex Apoſtolica ſententia editus, in hunc modum docet, Sint autem uobis omnibus clericis & laicis nenerabiles & ſancti libri ueteris quidem teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeti, Deuteronomium, Ieſu filij Nanæ unus, Iudicum unus, Ruth unus, Regum qnatuot. Prætermiſſorum ex libro dierum duo, Eſdræ dno, Heſter unus, Machabæorum tres, Iob unus, Pſalterium unus, Solomonis tres: Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Prophetarnm duodecim unus, Vnus Eſaiæ, unns Hieremiæ, unus Ezechiel, Daniel unus. Inſuper, & extra hos, addiſcenda tradãtur neſtris iuuenibus Sophia pereruditi Sirach. Noſtra uerò (hoc eſt uoui Teſtamenti) Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Pauli epiſtolæ quatuordecim, Petri apoſtoli duæ, Ioannis tres, Iacobi una, Iudæ una, Clementis epiſtolæ duæ, & inſtitutiones uobis Epiſcopis per me Clementem in octo libris nuncupatæ, quas iu omnibus publicare non decet, ob arcana in ipſis, & noſtrorum Apoſtolorum act. Hactenus apoſtolicus canon. Vbi nullum alium ex his, quos modò canonicos habemus, librum deeſſe uides, quàm ſapientlam, Apocalypſim, & Iudith, & Tobiæ hiſtorias. quos tamen quatuor libros eodem apoſtolico canone contineri in aliis emendatioribus codicibus Ioannes Zonatas eorundem apoſtolicorum canonum interpres teſtatur. Porrò quòd epiſtolas Clementis, & inſtitutiones apoſtolicas canonicis libris annumeret, aut eſt addititinm, quemadmodum & reliqnis apoſtolicis canonibus ab hæreticis & pranis hominibus manus illatas eſſe depræhendimus, aut de epiſtolis Clementis & apoſtolicis conſtitutionibus iutelligit, eo tempore, quo nondnm propter hæreticorum peruerſionem apocryphæ eſſent. Nam qnòd eæ modò ab hæreticis corruptæ fuerunt & uitiatæ, ſextæ ſynodi canon ſecundus, planè indicat. Quouiam, inquit, in canonibus Apoſtolorum præceptum eſt, ut eorundem ſanctorum Apoſtolorum per Clementem conſtitntiones ſuſciperemus, quibus iam olim ab iis, qui à fide aliena ſentiunt, adulterina quædam & à pietate aliena introducta ſunt, diuinorum uobis decretotum elegantem & uennſtam ſpeciem obſcurarunt, has conſtitutiones, ad Chriſtianiſsimi gregis ædificationem ac ſecuritatem utiliter reiecimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam immiſcentes aut germanæ ac integræ doctrinæ apoſtolorum inferentes. Hactenus ſexta Synod. Quáuis ſcio Epiphanium contendiſſe, nihil eos libros falſæ doctrinæ permiſtum habere. Cnius tamen contrarium præter hanc ſynodũ, ut idem Epiphanius eſt auctor, & multi ueterum perſuaſum habueranr, de quo forſan in aliis lib. non nihil dicemus. Vtcunque tamen res ſeſe habeat, hi libri apoſtolicarum conſtitutionum, quãquam initiò, ut canon hic apoſtolicus præſcribit, propter Apoſtolorum, quorum conſtitutiones continere dicebantur, auctoritatem, eſſent in precio; poſtea tamen eorum ſpiritu ad ſpiritus diuini, qui in cæteris canonicis libris ſplendeſcere uidebatur, amuſsim à Patribus exacto, digni niſi non ſunt, qui in canonem reducerentur. Quòd & Hermæ ſiue paſtoris libro contigit, qui cùm quaſi quædam diuina reuelatio, priori illo ſæculo, præſertim propter Paſchatis celebrationem, de qua tunc grauiſsima fuerat controuerſia, à multis haberetur, atqne adeò inter diuinos libros collocaretut: poſtea tamen & loco & auctoritate penitus decidit: idemq; de tertio Machabæorum libro, quẽ illic quoq; Clemens numerat exiſtimandum. Tertiò, reſponderi poteſt, conſtitutiones

In expoſitio. Symbo.

Epipha. contra Audianos.

Clementis

Clementis, aut Epiſtolas, cæteroſque libros, quos cum illis commemorat, non habemus eiuſdem iuter canonicos libros ab eodem Clemente numerari, quaſi cum cæteris, quæ ibi connumerantur auctoritatis, ſed tanquam utiles, & uitæ Chriſtianæ promouendæ proficuos. quæ tes apud me profectò eſt certiſsima, cùm conſidero quàm malè cum Chriſtiana modeſtia conueniat, Clementem quantumuis Romanum Pont. ſuas epiſtolas & libros publico edicto, in eo Canone diuinos & canonicos reddere. Libris igitur, quos à Petro cæteriſque Apoſtolis diuinos acceperat, enumeratis, ſuos etiam labores, quos ex Apoſtolica doctrina collegerat, non quaſi eiuſdem cum cæteris auctoritatis, ſed tanquam utiles legendos, ut ex eis populos inſtrueret presbyteris ac diaconibus expoſuit. Quod & poſtea præter alios Eccleſiaſticos patres tum Græcos, tum

c. Sancta. diſt. 15. Latinos, Pontifex Gelaſius imitatus eſt: recitatis enim canonicis libris & ſanctorum patrum quoque, qui Eccleſiaſtica doctrina illuſtres extiterant, labores appoſuit: non quidem eiuſdem cum cæteris canonicis libris auctotitatis futuros, ſed ſui lectione multam frugem Chriſtianis hominibus allaturos. Porrò quòd Clemens ſolos ſuos libros & labores, dininis libris ad calcem appoſuerit, illud fuit in cauſa, quòd eo ſæculo nondum alij Chriſtiani patres, Chriſtianæ uitæ commentarios ſcripſiſſent. nam ſi inueniſſet, præſertim ſi cum Apoſtolica diſciplina cohærerent, profectò poſuiſſet. Habes ergo ab ipſa Apoſtolica ætate apud Rom. Pont. Romanamque ſedem, omues eos libros, quos modò canonicos ac diuinos iudicamus, ſemper fuiſſe diuinos, ac canonicos. Vnde eo canone nullo diſcrimine ſancti ac uenerabiles nuncupantur. Sint autem omnibus uobis clericis & laicis uenerabiles & ſancti libri, &c.

Sed iam ad generales Eccleſiæ congregationes, quibus uel ipſa ratione ductrice, magiſque particularium Eccleſiarum conuentibus, quòd & ibi plures ſunt & doctiores uiri, & grauius altiorique cum examine, pro rerum grauitate res expendantur, aſſen-

Cōcil. Flor. tire debemus, ueniamus oportet. Concilium itaque Florentinum, ſub Eugenio quarto utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ celebri concurſu, poſt longam doctiſsimorum uirorum diſputationem de libris canonicis, hac uerborum forma pronunciat, Septimò de-

Cōcil. Flor. cernimus, unum atque eundem Deum ueteris ac noui teſtamenti, hoc eſt unum & eundem legis & Prophetarum atque Euangelij profitemur auctorem. Quoniam eodem ſpiritu inſpirante utriuſque teſtamenti ſancti locuti ſunt: quorum libros ſuſcipit & ueneratur Eccleſia, qui titulis ſequentibus continentur. Quinque Moſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth. Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdras, Hieremias, Thobias, Iudith, Heſter, Iob, Pſalmi Dauid, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſaias, Baruch, Ezechiel, Dauid. duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. duo Machabæorum, quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: quatuordecim epiſtolæ Pauli, ad Romanos duæ, ad Corinthios, ad Galathas, ad Epheſios, ad Philippenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri duæ, Ioannis tres, una Iacobi, una Iudæ, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſis Ioannis. Hactenus concilium Florent. Cui per omnia

Cōcil Trid. concinit Tridentinum ſub Paulo III. Pont. Max. & Carolo Cæſare huius nominis

ſub Pau. 3. Quinto, in hæc uerba, Sacrorum uerò librorum indicem, huic decreto adſcribendum ſacroſancta ſynodus cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſsit, qui'nam ſint, qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiuntur: ſunt uerò infraſcripti, Teſtamenti ueteris, quinque Moyſi, ideſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Thobia, Iudith, Heſter, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſaias, Hieremias cũ Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſeas, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & ſecundus. Teſtamenti noui, quatuor Euangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem: Actus Apoſtolorum, à Luca Euangeliſta conſcripti: quatuordecim epiſtolæ Pauli, ad Romanos, ad Corinthios, ad Galathas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes: duæ ad Theſſaloni-

cenſes:

cenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri apoſtoli duæ, Ioannis apoſtoli tres, Iacobi apoſtoli una, Iudæ apoſtoli una, & Apocalypſis Ioānis apoſtoli. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in ueteri uulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit. Hactenus concilium Tridentinum.

Quin nec tantùm Romani Pontifices, aut Generalia concilia, libros hos quaſi diuinos & canonicos ſuſcepiſſe leguntur, ſed celebres quicunque auctores Eccleſiaſtici & Pontifices, eos habuerunt canonicos. Vnde Athanaſius Alexandrinæ urbis ac proinde totius Aegypti Patriarcha, Eccleſiaſticæ fidei maximum columen, in ea Annotatione, quam libro tertio Machabæorum annexam Eraſmus Latinam fecit, Ita (inquit) qui libri ſint ueteris inſtrumenti, qui reclamantur à nonnullis, iam antea quoq; diximus, uidelicet, Sapientia Salomonis, Sapientia Ieſu filij Sirach: præterea Heſter, & Iudith ac Thobias, quibus annumerantur hi Machabæorum libri; quatuor Ptolemaici, canticum Salomonis, Suſanna, hi ſunt libri ueteris Teſtamenti, qui recepti ſunt, non ſine contradictione. Rurſus Apocryphi, hoc eſt qui ſecretò habebantur, ueteris Teſtamenti libri ſunt, Enoch &c. Hactenus Athanaſius. Quòd ſi quatuor Machabæorum libros, à regibus Aegypti, qui eo ſæculo primi inter Aſiaticos principes, Machabæorum bello, occaſionem dederunt, habebantur, Ptolemaicos appellat, receptos dicat, id more ac conſuetudine Græcorum facit, apud quos uniuerſi libri illi uenerabiles habentur, quòd in illis nullum mendacium euidenter appareat: ſancta uerò Romana Eccleſia, ultra ueritatem & diuinitatis quoque auctoritatem requirens, cùm non inueniat, & ſi legere non prohibeat, inter ſcripturas tamen canonicas computare non ſinit. Eſt autem hoc Athanaſij iudicium non eius tantùm iudicandum, ſed totius orientalis Eccleſiæ, cui tunc præerat.

Sed et Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, uir præter ſummam diligentiam, & ſuo & quouis ſæculo eruditiſsimus, ſuo ac proinde totius Occidentis, immo uerò totius Eccleſiæ, cuius conſtitutionum erat, ſi quis alius, conſultiſsimus, nomine, poſtea quàm tres librorum, qui apud Hebræos haberentur, ordinem retulit, in hunc modum ſcribit, Quartus eſt apud nos ordo ueteris Teſtamenti, eorum librorum, qui in canone Hebraico non ſunt; quorum primus, Sapientiæ liber eſt; ſecundus Eccleſiaſticus, tertius Thobiæ, quartus Iudith, quintus & ſextus Machabæorum: quos licèt Iudæi inter Apocrypha ſeparent, Eccleſia tamen Chriſti, inter diuinos libros honorat, & prædicat. In nouo autem Teſtamento duo ſunt ordines, primus Euangelicus, in quo ſunt Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes: ſecundus Apoſtolicus, in quo ſunt, Paulus in quatuordecim epiſtolis, Petrus in duabus, Ioannes in tribus, Iacobus & Iudas in ſingulis, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Hactenus Iſidorus. cuius profectò teſtimonium, neque ualidius neque apertius deſiderare poſſemus. Eoſdem prorſus libros eorundem auctorum, quantum ad nouum Teſtamentum attinet, Nicephorus Calliſtus de libris canonicis agens, longioribus uerbis quàm hîc adduci oporteat, recēſet. Verùm ne tantùm Aſiæ, & Europæ teſtimonio, horum ſanctorum librorum aſſeratur diuinitas, Auguſtinum, Africæ, immo totius Eccleſiæ nomine omni exceptione maiorem teſtem aduocemus, qui diuinos & canonicos libros recenſens, ſic ſcribit, Totus autem ſcripturarum canon, his libris continetur, quinque Moſis, ideſt Geneſi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & uno libro Ieſu Nauæ, uno Iudicum, uno libello, qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principia uidetur pertinere: deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non conſequentibus, ſed quaſi adiunctis ſimulq; pergentibus. Hæc eſt hiſtoria, quæ ſibimet annexa, tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diuerſo ordine, quæ, neque huic ordine, neque inter ſe connectũtur, ſicut eſt Iob, & Thobias, Heſter, Iudith, & Machabæorum libri duo, & Eſdræ duo, qui magis ſubſequi uidentur ordinatam illam hiſtoriam uſque ad Regnorum, uel Paralipomenon terminatam; deinde prophetæ, in quibus, Dauid unus liber Pſalmorum, & Salomonis tres Prouerbiorum, Cantica canticorum, & Eccleſiaſtes. Nam illi duo libri, unus, qui Sapientia, & alius, qui Eccleſiaſticus, inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Ieſus filius Sirach eos ſcripſiſſe conſtantiſsimè perhibetur. Qui tamen, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt. Reliqui ſunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appel-

Lib.6.Etymol.c.1.

Nicephorus, Calliſtus.

Auguſt. de doctrina chriſtiana lib.2.

lati ſunt, duodecim Prophetarum libri ſinguli, qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſeiuncti ſunt, pro uno habenrur. quorum Prophetarum nomina ſunt hæc, Oſeas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor prophetæ ſunt, maiorum noluminum, Iſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His qnadraginta quatuor libris, ueteris Teſtamenti terminatur auctoritas. Noui autem, qnatuor libris Euangelij, ſecundum Matthæum, ſecnndum Marcum, ſecundum Lncam, ſecundum Ioannem: quatuordecim epiſtolis Pauli Apoſtoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galathas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes duabus, ad Coloſſenſes, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonē, ad Hebræos, Petri duabus, tribus Ioannis, una Iudæ, & una Iacobi, Actibus Apoſtolorum, libro uno. Hactenus Auguſtinus.

Quòd ex ſanctorum frequenti uſu horum librorum, in confirmandis Eccleſiaſticis dogmatibus, probatur eoſdem eſſe canonicos, & ſolidæ fidei. *Cap. IX.*

ESt deinde in hac parte ingens diuinitatis horum librorum teſtimonium, quòd eoſdē Eccleſiaſtici auctores, ſine ullo diſcrimine, pro Eccleſiaſticis dogmatibus comprobandis adducant. neque enim ea Apocryphis auctoribus, quos nullius auctoritatis credebant, uoluiſſent ſancire. ſunt uerò in hoc genere per ſanctos auctores loci multi diſperſi, qui curioſi lectoris ſtudio notari poterunt, ſed paucos, ne omnino ieiuni tranſeamus, ad-
Liber Sapientiæ. ducamus oportet. Et ut primo loco de Sapientia loquamur, Dionyſius Apoſtoli Pauli
diſcipulus, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, c.2. uſurpat ex eo quaſi ex diuina ſcriptu-
Sap. 5. ra, illud, Acuet diram irā in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Origenes Adamantius ſanctarum ſcripturarum obſeruator grauiſsimus, in eiuſdem libri citatione eſt tam freqnens, ut eos omnes locos huc uelle pertrahere, ſit opus immenſum. Baſilius (totius Græciæ faceſſat iniuria) ſanctarum ſcripturarum integerrimus cultor, contra apologeticum Eunomij, & in pſal. 37. uſurpat illud, In maleuolam animam non intrabit ſapientia. Idem ſub nomine diuini oraculi, lib. de Spiritu ſancto,
Sap. 9. c.30. citat illud, Prudens in tempore tacebit. idem in eodem libro contra Apologeticnm Eunomij, adducit illud, Omnia in ſapientia feciſti. Idem in epiſtola 141. coërcet hæreticos illo eiuſdem libri teſtimonio, Spiritus domini impleuit orbem terrarum. Li-
Sap. 8. bro de Spiritu ſancto, c.30. appellat propheticum oraculum, illud, Prudens in tempore tacebit. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, cuius & ſanctitas & eruditio, non Græcis modò ſed Latio fuerunt uenerandæ, lib.2. contra Iulianum Apoſtatam, ſub nomine di-
Sap. 8. uinæ ſcripturæ, adducit illud, Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram illo, omni tempore &c. Ioannes Conſtantinopolitanus Patriarcha cognomento Chryſoſtomus, in naſtiſsimo illo ſuorum librorum pelago, tam frequens eſt in petendis ex hoc libro Sapientiæ ſub nomine ſanctæ ſcripturæ ſententiis, ut ſi huc fuiſſent adducendi loci, mulras cartas implerent, ideoque conſultò omitto. Iam inter Latinos auctores, quantus fuerit huius libri uſus, ex eorum ſcriptis, adductis teſtimoniis, uelle oſtendere fuiſſet operoſum: ex his tamen, qui inter illos ſemper doctiores ſunr habiti, quoſdam proferemus, ne rem ſilentio prodidiſſe uideamur. Hilarius itaque Pictauenſis Epiſcopus, cuius eruditionem, & ſacrarum literarum peritiam, olim non ſolum Galli ſed uniuerſæ per orbem Chriſtianum prouinciæ ſenſerunt, dum Pſalmum 118. exponit, ex hoc libro, il-
Sap. 17. la uerba uſurpat, Magna ſunt iudicia tua domine &c. idem in Pſal. 136. adducit illud,
Sap. 1. Spiritus domini repleuit orbem terrarum, &c. idem in Pſal. 127. uſurpat illud, Salomonis nomine, Quæſiui Sapientiam accipere mihi ſponſam &c. Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, eloquentia, eruditione, martyrij gloria, & antiquitate celebris, multa ex eodem libro ſcripturæ diuinæ nomine deſumit, ex quibus pauca adducemus libro 1. epi-
Sap. 3. ſtol. epiſto. 9. & libro 3. ad Quirinum, uſurpat illud, Qui abiicit diſciplinam, infœ-
Sap. 5. lix eſt. lib. 2. de habitu uirginum, citat illud, ſanctæ ſcripturæ nomine, Quid nobis

profuit

profuit ſuperbia &c. Tractatu 1. aduerſus Demetrianum illud, Stabunt iuſti in magna *Sap. 5.*
conſtantia. lib. 3. ad Quirinum tractat ſub Sapientiæ Salomonis titulo, penè totum
huius lib. c.tertiumdecimum, in eodem adducit illud, Qui ambulat ſimpliciter, ambu- *Sap. 1.*
lat confidenter. idem libro de exhortatione ad martyrium, nomine Salomonis & Spiri-
tus ſancti, adducit illud, Et ſi coram hominibus tormenta paſsi ſunt &c. idem in eodē *Sap. 3.*
lib. uſurpat illud, Omnia idola nationum æſtimauerunt Deos. idem libro de ſingulari- *Sap. 15.*
tate clericorum, nomine etiam Salomonis, adducit illud, Qui enim cuſtodierunt iu- *Sap. 6.*
ſtè. iuſta, iuſtificabuntur. allegat in eodem libro illud, Quis enim hominum ſcire po- *Sap. 9.*
terit cōſilium Dei? & in eodem libro adducit illud, Deprimit terrena habitatio ſenſum *Sap. 9.*
multa cogitantem. idem libro de Apoſtolico ſymbolo, uſurpat illud nomine prophetæ,
Iuſti florebunt ſicut ſol. idem aduerſus Iudæos, Salomonis nomine, adducit illud paſ- *Sap. 3.*
ſionis Chriſti propheticum uaticinium, Contumelia & tormento interogemus eum. Sunt *Sap. 2.*
& alia multa eiuſdem libri teſtimonia in huius ſanctiſsimi & doctiſsimi uiri ſcriptis ſpar
ſa, quæ, quòd iſta ad ſuadendum, quo loco apud eum haberentur, ſufficiant, non libet
adducere. Auguſtinus, cuius & eruditio, & in dignoſcendis ſcripturis diligentia fuit *Auguſt.*
ſemper illuſtris, ita eſt in hoc libro adducendo perpetuus, ut ſi omnia, quæ uſurpat, te-
ſtimonia huc fuiſſent ex uaſtiſsimo illo ſcriptorum mari adducenda, iuſtum librum cō-
ficeremus: pauca tamen pro multis hîc licebit inſerere. uſurpat hic illud, Spiritus ſan- *Sap. 1.*
ctus diſciplinæ effugiet fictum, libro 3. contra literas Petiliani, c. 26. libro etiam de præ-
ſcientia Dei ad Dardan. c. 3. uſurpat illud, Spiritus domini repleuit orbem terrarum &c.
uſurpat & idem illud, Auris zeli audit omnia, libro de eſſentia Dei. adducit & illud
libro de mendacio, c. 5. Os, quod mētitur, occidit animam ſuam. Allegat & illud, Deus *Sap. 2.*
mortem non fecit, in Soliloquio animæ ad Deum. uſurpat illud, Inuidia diaboli mors
intrauit in orbem terrarum, De baptiſmo contra Donatiſtas, libro 4. c. 8. & 9. & de
peccatorum meritis & remiſsione, lib. 1. c. 9. idem adducit illud, Vapor eſt enim uir- *Sap. 7.*
tutis Dei &c. de incarnatione uerbi, lib. 1. c. 13. & 14. idem adducit illud. Attingit à *Sap. 8.*
fine uſq; ad finem fortiter &c. & lib. 2. de libero arbitrio. & c. 11. & de præſciētia Dei,
ad Dardanum, cap. 5. & 6. idem lib. 4. De gene. ad liter. capitibus 3. 4. & 5. uſurpat il- *Sap. 11.*
lud, Omnia in menſura numero & pondere diſpoſuiſti. Adducit & illud, Multitudo ſa- *Sap. 6.*
pientium, ſanitas eſt orbis terrarum. Idem de doctr. chriſtian. lib. 4. & 5. uſurpat il-
lud, Candor eſt lucis æternæ &c. tractatu 20. in Ioannis Euangelium, & lib. 4. de Tri- *Sap. 7.*
nitate, c. 20. adducit illud, Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, &c. lib. de uita Chri- *Sap. 4.*
ſtiana, c. 2. & libro de fide & ope. c. 22. adducit illud, Si peccauerimus, tui ſumus.
idem lib. 10. confeſsionum, c. 29. & 31. adducit illud, Sciui, quoniam aliter non poſ- *Sap. 8.*
ſem eſſe continens, niſi Deus det. idem lib. 1. quæſtionum ad Simplicianum. q. 2. ad-
ducit illud, Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil eorum quæ feciſti odiſti, &c. Atque hæc *Sap. 11.*
ex Auguſtino, & de Sapientiæ libro ſiut ſatis.

Sed iam de Eccleſiaſtico libro quàm in confirmandis ſententiis fuerit ſanctis aucto- *Liber Eccleſiaſticus.*
ribus familiaris dicamus. Allegat illum Cyprianus libro de laude martyrij, illo loco, *Cyprian.*
Fili accedens ad ſeruitutem Dei &c. libro de ſingularitate clericorum, allegat illud ex *Eccl. 2.*
eodem, Qui ſpernit modica, paulatim decidit. & eodem lib. uſurpat illud, Cum ſal- *Eccl. 5.*
tatrice noli eſſe aſsiduus, ne audias illam &c. Eodem libro adducit illud, De ueſtimen *Eccl. 42.*
tis procedit tinea, & de muliere iniquitas uiri. Vtitur & in epiſtola ad Quirinum, il-
lo loco, Qui baptizatur à mortuo, quid prodeſt lauatio eius? In eadem epiſtola ad *Eccl. 34.*
Quirinum nomine ſapientiæ Salomonis, adducit illud, Initium ſapientiæ timor do- *Eccl. 1.*
mini. In eadem adducit illud, Multum iurans, replebitur iniquitate. In eodem ſa- *Eccl. 1.*
piētiæ Salom. nomine uſurpat illud, In locis impiorum gemūt iuſti. In eodem adducit *Eccl. 3.*
illud, Fili ſi habes, benefac tecum &c. Idem lib. 2. aduerſus Iudæos, Salomonis nomi- *14.*
ne, adducit illud, Ego ex ore altiſsimi prodij primogenita, &c. Idem ſermone 4. de *Eccl. 24. 2.*
mortalitate, illud, Fili accedens ad ſeruitutem Dei, &c. & in eodem, illud, Vaſa fi- *Eccl. 2. 27.*
guli probat fornax, &c. lib. 3. epiſtol. epiſtola 11. nomine Salomonis in Spiritu ſancto
conſtituti, adducit illud, Ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes eius ſanctifica. *Eccl. 7.*
Idem lib. 1. epiſtolar. epiſt. 3. nomine Salomonis, & Spiritus ſancti. adducit illud, Sepi *Eccl. 15.*
aurem tuam ſpinis, &c. Hilarius in pſal. 67. nomine Salomonis, uſurpat illud, Initium *Hilar.*
ſapientiæ timor domini. Idem lib. 12. de Trinitate, Vrget hæreticos, illo loco, Ante *Eccl. 1. 24.*

Auguſt. ſæcula fundata ſum, &c. Beatus Auguſtinus uſurpat illud, Initium ſapientiæ timor
Eccl. 1. domini. tract. 9. in epiſtolam Ioannis, & contra Fauſtum lib. 22. c. 53. illud, Fili con-
Eccl. 4. cupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam. contra epiſtolam Parmeniani, lib. 3. illud,
Eccl. 5. Non contradicas uerbo ueritatis, ullo modo. in lib. 50. Homil. homil. 13. illud, Non
Eccl. 10. tardes conuerti ad dominum. De muſica lib. 6. c. 13. illud, Initium omnis peccati ſu-
Eccl. 6. perbia. De ſalutaribus documentis, c. 6. illud, Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit
Eccl. 7. tibi unus. lib. de Speculatione peccatoris, c. 3. 4. & 5. illud, Memorare nouiſsima tua,
Eccl. 6. & in æternum non peccabis. lib. de Amicitia, c. 5. illud, Amicus medicamentum eſt
Eccl. 3. uitæ. lib. de Sancta uirginitate, illud, Quanto magnus es, humilia te ipſum in omnibus
Eccl. 1. lib. 83. quæſt. q. 36. & de Conflictu uitiorum & uirt. c. 3. illud, Timenti Deum bene
erit in extremis. lib. quæſtio ueteris ac noui Teſtam. q. 34. illud, Bona & mala, mors
Eccl. 31. & uita, à Deo. lib. 50. Homil. hom. 9. illud, Beatus diues, qui poſt aurũ non abiit, &c.
Eccl. 34. lib. De ſalutar. documentis, c. 53. illud, Qui offert ſacrificium ex rapina, quaſi qui ui-
ctimat filium, &c. contra literas Petiliani. lib. 1. c. 11. & 15. & contra Creſcon. Gram-
Eccl. 34. mat. illud, Qui baptizatur à mortuo & tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?
Eccl. 37. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, c. 31. illud, Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. lib. de
Eccl. 42. Spiritu & anima, c. 11. illud, Melior eſt iniquitas uiri quàm benefaciens mulier. in Ser-
Eccl. 31. mone plurimorum martyrum, illud, Ad menſam magnam ſediſti, ſcito quoniam talia
Eccl. 9. te oportet præparare. lib. 5. de Gene. ad liter. illud, Qui uiuit in æternum, creauit
Eccl. 19. omnia ſimul. lib. de Decem chordis, c. 10. illud, Qui ſpernit modica, paulatim decidit.
Eccl. 21. lib. de Nuptiis & concupiſcentiis, illud, Fili peccaſti, non adiicias iterum. lib. 15. de
Eccl. 24. Trinit. c. 20. illud, Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.
In Enchiridio, ad Laurentium, c. 76. illud, Miſerere animæ tuæ placens Deo.

Machab. libri. MACHABÆORVM libri pro argumenti ratione (ſunt enim hiſtorici non parænetici)
rarius à ſanctis auctoribus adducuntur: toties tamen, quoties, ut erga eos, eorundem
ſcriptorum animus declaretur, allegari oportebat. Et in primis quidẽ Cyprianus lib. 3.
ad Quirinum, eius loci meminit, Abraham non'ne in tentatione inuentus eſt fidelis?
1. Mach. 2. Meminit quoque in eodem, illius, Iuſtum eſt Deo ſubditum eſſe. lib. etiam de Exhor-
1. Mach. 2. tatione martyrij, latè tractat hiſtoriam matris & ſeptem filiorum & Eleazari. Beatus
2. Mach. 9. 2. Mach. 7. Dionyſius Athenienſis Pauli apoſtoli diſcipulus, dum angelicarum uirtutũ ſigna, quibus
Dionyſius. 2. Mach. 2. in ſancta ſcriptura apparuerunt, enumerat, apparitionem equitis cataphracti, qui Helio
2. Mach. 2. dorum oppreſsit adducit. Auguſtinus contra literas Petiliani, lib. 1. c. 92. ex priori libro
2. Mach. 2. Machabæorum, citat illud, Abraham in tentatione, fidelis inuentus eſt. & illud, Da-
niel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. Ex ſecundo libro de anima & origi-
2. Mach. 7. ne eius, allegat illud, Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis. Et contra ſecundam
2. Mac. 14. Gaudentij epiſtolam, lib. 2. c. 27. illud, Razias à lege domini ſui non eſt auerſus.

Tobiæ 2. TOBIAE liber citatur à Cypriano lib. 3. ad Quirinum illo loco, ubi uxor ad illum
inquit, Vbi ſunt iuſtitiæ tuæ? &c. libro de exhortatione martyrij adducitur ab eodem
illud, Ego in terra captiuitatis meæ confitebor illi, & oſtendam uirtutem eius. Ser-
Tob. 12. mone 6. de Oratione dominica, illud, Bona eſt oratio cum ieiunio. Sermone 4. de
Tob. 2. mortalitate, rurſus citat illud, Vbi ſunt iuſtitiæ tuæ? Sermone primo de eleemoſyna,
Tob. 12. citat illud, Eleemoſyna à morte liberat. in eodem, citat illud, Omnibus diebus uitæ
Tob. 4. tuæ, Deum in mente habe. In eodem ſermone, nomine ſanctarum ſcripturarum, ad-
ducit illud, Eleemoſynis & fide delicta purgantur. in epiſt. 2. ad Antonianum fratrem,
allegat rurſus illud, Eleemoſyna à morte liberat. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus
Baſil. libro integro Tobiæ hiſtoriam commentatus eſt. Allegat eundem librum Baſilius, Ho-
milia de auaritia, & uocat diuinum præceptum illud, Ne abſtineas bene facere, &c.
Adducitur & eadem hiſtoria, quaſi ſacrarum literarum portio, pro diuino beneficio
Diony. confirmando, à beato Dionyſio, lib. de cœleſti Hierarchia, c. 15. Auguſtinus libro de
Auguſt. Tob. 4. Conflictu uitiorum & uirtutum, c. 17. uſurpat illud, Si multum tibi fuerit, tribue abun-
Tob. 4. danter. idem lib. de Rectitudine catholicæ conuerſationis, adducit idem. Idem, ſer-
mone 226. exponit totum, c. 12. idem lib. de Sex quæſtionibus contra paganos, uſur-
Tob. 12. pat illud, Videbar uobiſcum manducare & bibere. idem lib. de Gratia noui Teſtamẽti
Tob. 12. c. 29. & lib. 2. meditationũ, c. 3. allegat illud, Quando orabas cũ lacrymis, ego obtuli
Tob. 6. orationem tuã &c. in ſermone ſanctorũ Petri & Pauli, agit de piſce, qui inuaſit Tobiã.

Iudith

Ivdith hiſtoriæ penè totum diſcurſum exponit Auguſtinus ad populum, ſermone 228.& 229. Baruch prophetiæ, ſub nomine ac titulo Hieremiæ prophetæ, quaſi nullam inter utrunq; differentiam conſtituens, meminit Epiphanius contra hæreſim trigeſimã, quæ eſt, Ebionæorum, illo loco, quo de Chriſto inquit, Homo eſt & quis cognoſcet eum? meminit eiuſdem libri Ambrnſius in Pſal.118. ſermnne 18. illo loco, Proficiſcimini, &c. Meminit eiuſdem Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Iulianum Apoſtaram, illo loco, In terris uiſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt. Hiſtoria Suſannæ, & totũ caput 13, Danielis exponitur ab Auguſtino tracta. 36. in Ioannis Euangelium, & Sermone 224. Merſio Danielis in lacum leonũ, adducitur ab Ambroſio ſermone 18. in Pſal. 118.

Verùm iam de libris noui Teſtamenti dicamus, & prius de epiſtola ad Hebræos, cuius frequentiſsimum uſum cùm in ſanctis anctoribus mecum expendo, ſatis mirari nequeo, quo pacto potuerit in quæſtionem uocari, potius quàm aliæ quæcunque ſcripturæ partes, quarum nunquam neque in rebus adeò grauibus, neque tam frequenter Eccleſiaſtici utuntur. nos ergo tum ex Græcis, tum ex Latinis pro innumerabilibus pauca, ſed quæ planè indicent quàm celebris apud utroſque fuerit, proferamus oportet. Et in primis quidem eam à Clemente Romano in Epiſtola, quam ad Corinthios ſcripſit, quaſi ſanctæ ſcripturæ portionem produci non uno ſed pluribus locis, Euſebius Cæſarienſis lib. 3. Eccleſi. hiſto. c. 38. non obſcurè docet. Sed ad eos, quos & eruditinne & Eccleſiaſtico zelo, licèt Clemente iuniores, præditos negare nemo poteſt, peruenio. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. theſauri, c. 2. citat ex ea illud, In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt. & illud, Multiphariam multiſque modis olim Deus &c. & illud, Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo. & Irritam quis faciens legem Moyſi &c. & illud, Tantò melior Angelis effectus &c. & illud, Pro nnbis introiuit Iesvs non in exẽplaria uerorum, ſed in ipſum cœlum. Idem libro de recta fide ad reginas, adducit illud, Multiphariam mnltiſque modis &c. & illud, Qui ſanctificat, & qui ſanctificatur, ex uno omnes. & illud, Talem habemus pontificem, qui conſedit in dextera magnitudinis &c. & illud, Nos quoque tantam habentes impoſitam nubem teſtium. & illud, Quando autem introducit primogenitum in orbem terræ &c. & illud, Qui aſpernatus fuerit legem Moſis, abſque ulla miſericordia, duobus uel tribus teſtibus &c. & illud, Videte fratres nequando in ullo neſtrum ſit cor prauum, incredulitatis &c. & illud, Si ſanguine taurorum & hircorum & cinis uitulæ &c. lib. de fide ad Theodoſium uſurpat illud, Chriſtus heri & hodie & ipſe in ſæcula. & illud, Sub nomine ſcripturæ ſacræ, Qui cùm ſit ſplendor gloriæ &c. & illud, Viuus eſt ſermo Dei & efficax. & illud, ſub titulo ſancti Pauli Apoſtoli, Quoniam autem pueri participauerunt carni & ſanguini, ſimiliter & ipſe participauit eiſdẽ. Gregorius Niſſenus, & Baſilij fraternitate & utriuſque philoſophiæ peritia illuſtriſsimus, in epiſtola ad Petrum fratrem, de differentia eſſentiæ & hypoſtaſis, uſurpat illud, Qui cùm ſit ſplendor gloriæ &c. Idem, oratione ſecunda de reſurrectione domini, allegat illa uerba, nomine Pauli Apoſtoli, Non enim in manu facta ſancta introuit &c. idem in libro de uita Moſis ſub nomine item Pauli Apoſtoli, illud, Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt fructum labiorum confitentium &c. Baſilius in Antiapologia Eunomi, & in epiſtola 78. ſub nomine ac titulo ſcripturæ ſacræ, citat ex eadem epiſtola, illud, Omnes ſunt adminiſtratorij. & illud ſub nomine Apoſtoli, Oportet accedentem ad Deum credere, quòd ſit &c. idem in ſermone quadraginta Martyrum adducit illud, Nõ habemus hîc permanẽtem ciuitatem, ſed futuram inquirimus, cuius artifex eſt Deus &c. idem Homilia de fide, citat, Omnes ſunt adminiſtratorij. & idẽ in pſal. 115. allegat illnd. Oportet accedentem ad Deum credere &c. idem in pſal. 47. adducit illud, Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex &c. idem in pſal. 33. Quem diligit &c. idem in pſal. 14. uſurpat illud, Acceſsiſtis ad montem Sion &c. Hilarius 2. libro de Trinitate, ex ea epiſtola adducit illud, Omnia ſubiecit ſub pedibus eius &c. Idem lib. 12. adducit illud, Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Auguſtinns, ex eadẽ epiſtola uſurpat innumeros locos ex quibus paucos hîc adducemus. lib. 1. meditationum. c. 37. allegat illud, Viuus eſt ſermo Dei &c. libro de fide & operibus, c. 11. illud, Non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. & libro 83. quæſtio. quæſt. 75. illud, Teſtamentum teſtatoris morte confirmatum eſt. lib. 50. Homilia. Homi. 32. illud, Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum &c. tractat. 8. in Ioannis Euangelium, illud, Quem dominus

Iudith. Auguſt. Baruch. Baruch 3. Baruch 4. Baruch 3. Hiſtor. Suſannæ. Daniel 13. Dan. 1. 14 Libri noui teſtamenti. Hebr. 7. Hebr. 1. Hebr. 2. Heb. 10. Hebr. 1. 9. Heb. 1. 2. Heb. 3. Heb. 12. Heb. 1. Heb. 3. Heb. 9. Heb. 13. Heb. 1. Heb. 4. Heb. 4. Gregor. Niſſen. Heb. 1. Heb. 9. Heb. 13. Heb. 11. Heb. 12. Heb. 1. Heb. 11. 7. Heb. 12. 12 Hilari. Heb. 2. 1. Auguſt. Heb. 4. Heb. 6. Heb. 9. 11. 12.

Heb. 1. diligit, caſtigat. lib. 1. de incarnat. uerbi, c. 12. illud, Qui cùm ſit ſplendor, &c. Sermo-
Heb. 13. ne 9. de natiuit. domini, illud, Iesvs, heri & hodie &c. lib. medita. c. 3. illud, Omnes
1. 5. ſunt adminiſtratorij ſpiritus. ſuper Pſal. 2. illud, Filius meus es tu &c. lib. 4. contra
Heb. 11. Pelag. c. 3. illud, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. libro 2. contra Pelagium & Cœle-
Heb. 13. ſtium de peccato originali, c. 34. illud, Honorabile connubium in omnibus & thorus im-
Heb. 11. maculatus &c. lib. 3. de conſenſu Euangeliſta. c. 16. illud, Obturauerūnt ora leonum &c.
Heb. 10. de bono coniugali, c. 20. illud, Vmbram habens lex &c. Ambroſius Mediolanenſis Epi-
Ambro. ſcopus, licèt eam epiſtolam in commentariis omiſerit quòd morte fortè fuerit impedi-
tus, tamen quo loco eam habuerit, frequentiſsimo eius epiſtolæ uſu luculenter oſten-
Heb. 11. dit. profectò lib. 2. de Cain & Ab. c. 2. nomine Apoſtoli Pauli uſurpat illud, Acceſſiſtis
Heb. 4. ad montem Sion &c. lib. 2. de Abraham, illud, Viuus eſt enim ſermo Dei, &c. in Lucæ
13. Euangelium. c. 15. uſurpat illud, Iesvs Chriſtus, heri & hodie. in commentariis epiſtolæ
Heb. 7. 4. ad Timoth. c. 1. illud, In Abrahæ lumbis erat Leui. in Pſal. 18. illud, Teneamus ergo fi-
dei noſtræ confeſsionem &c. ibidem in illa uerba, Fiat manus tua ut ſaluet &c. illud,
Heb. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus &c. lib. 2. cōmentariorum in Lucam. c. 2. de Simeo-
4. ne & Anna, illud, Viuus eſt enim ſermo Dei &c. Sumuntur & alia innumera ab hoc au-
ctore ex eadem epiſtola teſtimonia, quæ ne ſim in adducendis locis moleſtiſsimus ta-
Chryſoſt. ceo. Poſſem & ex Chryſoſtomo immenſum agere locorum nomine Pauli apoſtoli &
ſanctæ ſcripturæ, ab eodem ex ea epiſtola decerptorum aceruum, ſed ne nauſeam ge-
nerem, ea ſilentio prætereo. ſatis eſt eum in eam epiſtolam diligentiſsima commenta-
ria edidiſſe, ut ſciamus quo loco eam habuerit. Vtitur & eius epiſtolæ teſtimoniis,
Damaſcen. Pauli & ſanctæ ſcripturæ titulo, Ioannes Damaſcenus in hiſtoria Barlaam, illis locis,
Heb. 1. 4. Portans omnia uerbo uirtutis ſuæ &c. &, Viuus eſt Sermo Dei, &c. Ioannes Caſsianus
Heb. 13. lib. 5. & 6. collat. uſurpat illud, Iesvs Chriſtus heri & hodie ipſe in ſæcula &c.

Epiſt. Iac. Sed iam ad alia. Iacobi epiſtola utitur Dionyſius Areopag. lib. de cœleſti Hierar.
Iacob. 1. c. illo loco, Omne datum optimum &c. Ioannes Damaſcenus in hiſtoria Barlaam uſur
Iacob. 2. par illud, Fides ſine operibus mortua eſt. Cyrillus Alexandrinus, libro de recta fide ad
Iaco. 4. reginas, uſurpat illud, Vnus eſt enim legiſlator & iudex &c. & dialogo 1. de Trin. illud,
1. 1. Si quis indiget ſapientia &c. idem lib. de fide ad reginas, uſurpat illud, Omne datum
Iaco. 4. optimum &c. & illud, Subditi eſtote domino &c. Auguſtinus libro de unitate ſæculi
Iaco. 4. c. 1. uſurpat illud, Amicitia huius mundi inimicitia eſt Deo. Idem lib. de obedientia
4. & humi. illud, Deus ſuperbis reſiſtit &c. idem in Euangelium Ioannis tract. 6. & de uer-
Iaco. 2. bis Apoſtoli, Sermo. 16. illud, Dæmones credunt & contremiſcunt. idem lib. de Sancta
1. uirginitate, c. 42. illud, Si quis indiget Sapientia &c. idem lib. de rectitudine catholic.
Iacob. 1. conuer. illud, Beatus uir, qui ſuffert tentationem &c. lib. de Fide & operibus, c. 14.
Iac. 2. 15. & 16. tractat illud, Fides ſine operibus mortua eſt. lib. de quatuor uirtutibus ca-
Iaco. 2. ritatis, illud, Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi &c. lib. de Natura & gratia
Iaco. 4. contra Pela. c. 58. illud, Reſiſtite diabolo, & fugiet à uobis. De uiſitatione infirmorum,
Iac. 5. 5. c. 4. illud, Infirmatur quis in uobis &c. & ibidem illud, Confitemini alterutrum pecca-
Iaco. 3. ta ueſtra. lib. de Natura & gratia contra Pelag. & de uerbis domini ſerm. 4. illud, Lin-
guam nullus hominum domare potuit &c. epiſt. 29. ad Hierony. exponit illud, Offendēs
Iaco. 2. in uno, factus eſt omnium reus. Sunt & ex eadem epiſtola innumera alia uſurpata, quæ
tædioſum eſſet enumerare.

Epiſt. 2. Petri. Epistola ſecunda Petri, tum aliis multis locis, tum his, quos hîc inſeremus, à
ſanctis auctoribus, apoſtoli Petri titulo, ac nomine uſurpatur. Ambro. citat ex ea epi-
ſtola, illud, Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata &c. in 2. c. epiſtolæ, ad Timotheum,
2. Pet. 1. 1. nomine Petri apoſtoli, idem in epiſtolam ad Philipp. c. 1. adducit illud, Vt ſitis conſor-
tes diuinæ naturæ &c. Auguſt. lib. de uerbis Apoſtoli, nominè item Petri apoſtoli, ad-
2. Pet. 1. ducit illud, Audiuimus uocem delatam de cœlo &c. idem lib. de Fide & operibus, illud,
2. Pet. 2. Hi ſunt fontes ſine aqua. Idem ibidem, c. 25. illud, Si enim refugientes &c. lib. de na-
2. tura boni, aduerſus Manichæ. c. 33. illud, Deus Angelis peccantibus &c.

Iudæ epiſt. Ivdae epiſt. pro ſui breuitate, à ſanctis auctoribus frequētiſsimè adducitur. Epipha-
nius. hære. 26. contra Gnoſticos, Hæc, inquit, ait Spiritus ſanctus per uocem Iudæ. Iu-
das autem hic eſt, qui frater Iacobi, & domini dicitur. Hi ſunt, qui uelut bruta corrū-
puntur &c. idem, nomine etiam Iudæ fratris Iacobi & domini, uſurpat illud, Somnian-

tes

tes, carnem quidem polluunt, dominationemq́ue contemnunt &c. Cyrillus Alexandri-
nus lib. de fide ad Reginas, uſurpat nomine Iudæ Apoſtoli bonam partem eius epiſtolæ.
Liber Apocalypſis, tam frequens eſt in Græcorum & Latinorum uſu, ut ſi omnes lo- *Liber Apocalypſis.*
ci, qui ſub Ioannis Apoſtoli nomine, ab illis uſurpantur, huc fuiſſent adducendi, penè
immenſum uolumen efficerẽt, uſurpat ex ea Tertullianus aduerſus Hermogenem locum
illum, Montes ſicut cera liqueſcent, &c. & ibidem pertractat meretricis myſterium, *Apo. 17.*
quam in eodem libro Ioannes deſcribit. Dionyſius Areopagites, uſurpat ex ea illud,
Ecce ſedes poſita erat &c. & multa alia. Cyprianus in epiſtola ad Nouatianum uſurpat *Apo. 4.*
illud nomine Ioannis, Cùm aperuiſſet ſigillum ſextum &c. in eadem, illud, Vidi thro- *Apo. 6.*
num magnum & candidum &c. item illud, Aquæ, quas uidiſti, populi ſunt multi &c. itẽ
illud, Diues ſum & nullius egeo. idem lib. de differentia Sion & Sina, aduerſus Iudæos *Apo. 7.*
illud, Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem &c. idem lib. 3. ad Quirinum, illud, Scient *Apo. 3.*
omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renium &c. & in eodem, illud, Hi ſunt, qui cũ *Apo. 2.*
mulieribus &c. item in eodem, illud, Et uenit unus de ſeptem Angelis &c. Citat & eun- *Apo. 2.* *Apo. 14.*
dem librum, lib. de exhortatione martyrij, & ſermone 3. de mortalitate. Quater aut *Apo. 17.*
quinquies, Sermone de eleemoſyna, lib. de ſimplicitate prælat. lib. de habitu uirgi.
lib. 4. epiſtol. epiſt. 2. & 6. lib. 3. epiſtola 18. Citat eundem librum, Hilarius in Pſal. 118.
& in prolog. Pſalmor. ter aut quater nomine Ioannis, Ireneus Lugdunenſis Epiſcopus,
libro aduerſus hæreſes Valent. prope finem, locum illum, Et erit numerus beſtiæ ſex-
centi ſexaginta ſex &c. ea diligentia & reuerentia, qua cæteras ſcripturas propheticas
exponit, adiungens, eandem Apocalypſim, penè ſub ſuo ſæculo editam, ſub Domitia-
no Cæſare. Quin & eundem, & in eum librum commentaria edidiſſe, Hieronymus do- *Lib. de uiris*
cet. Allegant eundem librum, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus & *illuſtr.*
cæteri tum Græci, tum Latini, poſteriores theologi, Theophilactus, Theodoritus, Be-
da, Rabanus, Proſper, Bernardus &c. toties ſub nomine Ioannis Apoſtoli, ut ſi omnia,
quæ in eam rem obſeruaui, huc eſſent adducenda, tædioſiſsimus profectò forem. Elu-
cidarunt illam commentariis ex antiquiſsimis theologis, præter Ireneum, Iuſtinus ex
philoſopho martyr, ut Hieronymus libro de Viris illuſtribus docet; Primaſius, Beda,
Aprigius Pacenſis Eccleſiæ olim in Hiſpania Epiſcopus, & alij complures, quorum ca-
talogum in noſtris Bibliis annotationibus teximus, in quibus & alia innumera loca tum *Biblicæ an-*
ab iſtis, quos adduximus, tum ab aliis auctoribus Eccleſiaſticis, quos conſultò ſilen- *not. autto-*
tio præterimus, ex his omnibus libris licebit aduertete. *ris.*

Probatur eoſdem libros eſſe canonicos ex Eccleſiaſtico uſu. Cap. X.

VAlet etiam apud integros Chriſtianos, ſemperq́ue ualuit multum, Eccleſiaſticus uſus, præſertim ſanctorum parrum auctorirate probatus, quo ex his libris quemadmodum & ex aliis ſanctæ ſcripturæ uoluminibus in diuinis officiis ad inſtructionem fidelium lectiones aſſumuntur. Cur enim ſanctos Pontifices, qui huius ſancti miniſterij inſtitutores creduntur, Ambroſium dico, Gelaſium, Gregorium, Leonem, &c. incertas & apocryphas doctrinas, quibus nihil magis formidarunt & oderunt, inſtituendis populis propoſuiſſe credamus, præſertim cùm multa eſſent in ſancta ſcriptura uolumina, quæ illorũ loco legi potuiſſent? Sunt autem in hoc genere tot teſtimonia tum in totius anni liturgiis, tum in canonicarum horarum lectionibus, capitulis, antiphonis, reſponſoriis &c. ut huc non niſi cum maximo lectores tædio deducantur.

Sequuntur in martyrum, confeſſorum, uirginum, & uiduarum miſsis, ſub titulo libri Sapientiæ, tum ex ipſo ſapientiæ libro, tum ex Eccleſiaſtico, penè omnes lectiones. Ex Macabæorum libris, factum illud Iudæ memorabile, quo pro his, qui ceciderãt in prælio, oblationes Hieroſolymas miſerat, quemadmodum & epiſtolæ Paulinæ, recitãtur in defunctorum liturgia: Thobiam, Iudith, & Heſter per menſis Septembris dominicos dies, quemadmodum librum Sapientiæ per eos, qui celebrantur, Auguſto, & libros Macabæorum per menſem octobrem, epiſtolam Pauli ad Hebræos per tres ferias maioris hebdomadæ, ex uetuſta Eccleſiaſtica conſuetudine, legi, cum multorum Epiſc. concilio

c. Sācta Romana Eccl. diſt. 15. docet Gelaſius. Apocalypſis, Ioannis tres epiſtolæ ſub nomine & titulo Ioannis Apoſtoli, Iacobi, Petri prima ac ſecunda, necnon & epiſtola Iudæ Apoſtoli, ſub horum titulis, per quinque illas hebdomadas, quæ penthecoſtem & feſtum reſurrectionis interiacent, quaſi diuinæ ſcripturæ, ad inſtructionem fidelium, ab Eccleſia leguntur. librum Baruch Sabbato ſancto, & Suſannæ hiſtoriam ſabbato poſt dominicam tertiam quadrageſimæ, adulteræ Hiſtoriam eodem Sabbato, ultimum Marcl capitulũ, ipſo ſancto dominicæ reſurrectionis die, quaſi ſanctæ ſcripturæ portiones, quibus tanta myſteria confirmari oportebat, proponit Eccleſia. Atque hæc quidem, quæ pro iſtorum uoluminum diuinitate afferenda protulimus, tanta ſunt argumenta, ut neminem quãuis hæreticum, & Eccleſiaſticæ doctrinæ infenſiſsimum hoſtem, eis niſi cum manifeſto leuitatis indicio reſiſtere poſſe appareat,

Soluuntur hæreticorum rationes, quibus horum librorum auctoritatem, & diuinitatem labefactare contendunt. Cap. XI.

Sed iam ea, quæ uel ex ſanctis auctoribus, uel ex cõciliorum decretis, pro hæreticæ ſententiæ tutela produximus, facilè diluemus, ſi prius duo aut tria prænotauerimus: primum quidem, quod & antea diximus, non cuiuſuis eſſe, qui ſint diuinæ auctoritatis libri, decernere, ſed totius Eccleſiaſtici cœtus, ideſt generalium conciliorum, quibus totius Eccleſiæ nice, ut poſtea dicemus, Spiritus ſancti unctio & magiſterium promittitur, aut Eccleſiaſtici principis, qui, quòd ſit generalis paſtor, iuxta illud, quod primo in hoc
Ioan. 20. ordine principi dictum eſt, Paſce oues meas. diſcernendi paſtus ueros à nociuis, poteſtatem exercet. Vnde cùm uniuerſi illi loci, quos in contrarium adduximus, nec totius Eccleſiæ, ideſt generalium conciliorum, neque ſupremi principis ſint teſtimonia, paruo in hac parte catholicæ ueritatis ſententiam uigore concutiunt. Quòd ſi neque concilia generalia haberent Spiritus ſancti præſentiam, neque ullum eſſet in Eccleſia ſupremum imperium, ut contendunt hæretici, adhuc, quòd ampliorem & iuriſdictione & dignitate Romanus Pontifex auctoritatem obtineat, & quòd in generalibus conciliis, res fidei maiori cum diſcuſſione agitentur, & his & illi maiorem, quàm reliquis conciliis, in quibus non tam preſsè res diſcutitur, aut reliquis Pontificibus, qui non tantam habent in Eccleſia dignitatem, fidem eſſe adhibendam, ipſa ratio ſuadet, præſertim cùm Apoſtolicæ ſedes, ideſt illæ, quibus præſederunt Apoſtoli, grauius cæteris habeant teſtimonium, & inter has, illa, cui Petrus Apoſtolorum princeps, cuius fides propter Chriſti orationem non potuit deficere, præfuit, & quàm ſua doctrina & tandem martyrio exornauit. Cur enim illis Eccleſiis, quæ ipſos Apoſtolicos uiros doctores habuerunt, uel in canonicis libris diſcernendis, uel in cæteris fidei rebus decernendis, quàm aliisquibuſcunque, quarum doctores, nec tam nberes Spiritus ſancti exceperunt prouentus, neque Chriſti comites, dum Euangelium ſeminaret, fuerunt, non magis credamus? Et cur inter has, etiam ſi nullus eſſet Hierarchicus ordo, illius Eccleſiæ, nõ ſit apud nos potiſsima auctoritas in hac parte ſaltem, quam ab omnium Apoſtolorum principe & Chriſti comite, præcipuo inſtructam agnouimus? Verùm de hoc poſtea cùm de Romani pontificis, aut Eccleſiæ Romanæ auctoritate tractabimus.

Nunc omnibus illis locis reſpondemus, ideo à nobis hos libros canonicos iudicari, quòd eos & generalis Eccleſiæ congregationes, & Romani pontifices, uel per ſe ipſos, uel dum his congregationibus per ſe, uel per legatos præeſſent, diuinos ac canonicos dixerint.

Secundò aduertẽdum eſt, per totos illos quadringentos annos, quibus tyrannica perſecutione graſſante, uariis periculis ac difficultatibus fuit laboratum, Eccleſiam, aut Eccleſiaſticos patres, nequaquam ſanctorum librorum examini, quòd magnum ocium requirebat, potuiſſe uacare: unde nullos alios canonicos iudicabant, quàm eos, quos Iudæorum ſapientes ſuo canoni aſcripſerant, quòd æquum illis uideretur, cum ipſis ſcripturis ab Hebræorum ſapientia, dum tempus huic examini aptum non dabatur, ipſarum quoque ſcripturarum auctoritatem recipere. Atque adeò non mirum, ſi quando de librorum

brorum canonicorum numero agebant, nihil innouare audentes, ex Hebræorum ſententia cuncta metirentur. Eademque ratio eſt de noui Teſtamenti canonicis libris: ſolos nãque illos canonicos iudicabant, quos nulla hæreticorum ſuſpicio inſecerat, reliquos, quos non ſatis nouerant, quorum eſſent auctorum, & quòd nondum per tyrannicas perſecutiones doctrinæ ueritatem, & ſpiritum latentem licuiſſet inſpicere, cum animi formidine ſemper legentes, in ſanctorum librorum catalogum non audebant admittere. Vnde hos, quòd in eis utilem doctrinam nec ullum mendaciũ depræhenderent, & quædam quoque diuinitatis ueſtigia tranſlucere cœpiſſent, quaſi utiles, ſanctaſque ſcripturas, non tamen quaſi canonicas, populis proponebant.

Secunda ratio diluendi obiecta.

EST TERTIO notandum, ſanctos illos Eccleſiaſticos patres, quos fœliciori ſtatu ſub imperio Chriſtiano tulit Eccleſia, in quo, tyrannica perſecutione ceſſante, ſanctorum librorum examini non nihil ocij licebat impendere, non tantùm fuiſſe doctiſsimos, ſed ubi nihil in contrarium decreuiſſet Eccleſia ſanctorum patrum præcedentium, obſeruantiſsimos. malebant enim, in rebus præſertim magni momenti, quale eſt librorum ſanctorum examen, magis aliena colere, quàm ex propria animi ſententia, quæ ſentirent, proponere. Ergo cùm in præcedentium Eccleſiaſticorum ſæculorum auctoribus, ſolos eos libros ex ueteri teſtamento, quos Iudæi in ſuo canone habebant, ex nouo uerò eos, quos certò conſtabat, ab Apoſtolis editos aut approbatos, admiſſos uiderent, hos quoque ſolos, plerique illorum, quibus uel Romanorum Pontificum aut generalium conciliorum, plenè in hac parte non innotuerant decreta, iudicabant canonicos: reliquos, cùm non damnarent, neque à præcedentibus Eccleſiaſticis uiris damnatos uiderent, cùm ſanctos & utiles iudicarent, inter diuinos tamen non audebant admittere. Addo quòd illorum plerique non iuxta propriam ſententiam, ſed iuxta communem (uocabant autem communem, quam à prioribus auctoribus communiori ſuffragio approbatam uidebant) quid in hac parte ſentirent, loquebantur: quod in illis locis, quos ex Hieronymo attulimus, apertiſsimè uides. Non enim hunc aut illum librum eſſe canonicum abſolutè pronuntiat, ſed hunc aut illum librum, à Latinis uel à Græcis, iuxta quòd, ex auctorum lectione depræhenderat, in canonẽ admitti, aut à canone excludi, ſine propriæ ſententiæ præiudicio, ſimpliciter recitat. Hinc ergo ad uniuerſos illos locos, quos ex Hieronymo, Gregorio &c. quos poſt perſecutiones, Eccleſia genuit, attulimus, ſufficientiſsimè reſponſio reddetur, ſi dicamus eos, cùm dicunt hunc aut illum librum non eſſe in canone, aut non de Eccleſiaſtico, ſed de Iudæorum canone ſermonem facere, aut ſi de Eccleſiaſtico canone loquantur, non iuxta propriam ſententiã, ſed iuxta id, quod in ueteribus auctoribus legerant, ita decernere: aut demum eos, quia forſan propter præcedentium perſecutionum anguſtias, etiam illo pacatiori ſæculo nondum erat editus, aut ſi erat editus, nondum occurrerat, ut contingere ſolet etiam uiris doctiſsimis, nouum diuinorum librorum Eccleſiaſticum canonem non legiſſe.

Sed neque horum ſanctorum memoria, frequens illa generalia concilia cogendi conſuetudo increbuerat, ut omnes illos iam tunc temporis generali ſanctione, & quæ omnibus nota eſſet, recepiſſet Eccleſia, niſi forſan Nicæna ſynodus, cùm Iudith recepit, cæteros quoque admiſiſſe credenda ſit: neque enim maior eius libri recipiendi ratio erat, quàm reliquorum omnium, de quibus erat controuerſia, immo maioribus ac pluribus difficultatibus, quæ à receptione retraherent, liber ille diſtringitur, ut poſtea patebit. Sicut uerò canon ille, ubi Iudith hiſtoria fuit ſanctorum librorum catalogo aſcripta, propter temporum, & eorum ſæculorum hæreticos turbines, fuit è medio ſublatus, adeò ut, neque ad Hieronymi, aut alterius ſui temporis auctorem niſi per rumores & auctorum teſtimonia peruenerint: ita canon ille, in quo cæteri libri uniuerſi fuerunt recepti, fuit prorſus opera hæreticorum deletus. immo uerò unus atque idem canon fuiſſe uidetur: nam de libris canonicis, non pluribus, ſed uno eodemque canone in conciliis generalibus aut particularibus ſemper diſſeritur. Hieronymus uerò ita librum Iudith, à ſancto concilio Nicæno receptum inſinuat, ut alios fuiſſe receptos non neget, ſed de illo loquitur quaſi de eo, qui inter eos, quorum auctoritatem ueteres theologi in quæſtionem conuerterant, denſioribus difficultatibus intertextus, minus apparebat canonicus. Apud Hebræos (inquit) liber Iudith, inter hagiographa legitur, cuius auctoritas ad iudicãda illa, quæ in quæſtionem ueniunt, minus idonea iudicatur: ſed quia hũc

Hierony. in pl. Iudith.

librum ſynodus Nicæna, in numero ſanctarum ſcripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi ueſtræ &c. Videtur profectò magnopere cum ratione conuenire, primo illo generali concilio, quo ſub Chriſtiano principe Chriſtiana reſpublica reſpirare cœperat, non unum ſanctarum ſcripturarum canonem cudere, ut non iam ex Hebræorum, quorum ſynagoga per Chriſti paſsionem fuerat extincta, canone, hos aut illos, ſed ex Chriſtiana regula iudicarent diuinos. Et quidem in Nicæna ſynodo plures, quàm uiginti canones, quos habemus, conditos fuiſſe, Athanaſius eius concilij conſultiſsimus in epiſtola, quam Marco Romano Pontifici ſcribit, docet apertè. Septuaginta (inquit) Nicæni concilij capitula, quæ de præfata ſynodo, iubente domino meo Alexandro, decreta omnium Epiſcoporum artuli, quæ ſunt igne combuſta, optamus ut à ſede ſanctæ Eccleſiæ, ueſtra auctoritate, recipere per præſentes legatos mereamur. Et ſubinde, Præſentibus nobis ſeptuaginta in memorata ſynodo tractata ſunt, triginta à Græcis, & triginta à Latinis: ſimiliter edita lingua Latina: ſed uiſum eſt trecentis decem & octo patribus, Spiritu ſancto repletis, & maximè Alexandro, & apoſtolicæ ſedis apocriſariis, ut decem capitula adderentur, & aliis atque aliis locis insererentur, & ad formã ſeptuaginta diſcipulorum, uel totius orbis terræ linguarum ſeptuaginta, & tanti & tam excellentis concilij fierent capitula, quæ omnem Chriſtianum informarent Orbem. Hactenus Athanaſius. Idemq; capitulorum aut canonum numerus, ex epiſtola reſponſoria Marci Pontificis ad eundem Athanaſium, qua inquit ſic ſe, ut Athanaſius ſcripſerat, reperiſſe, colligitur. In quibus canonibus canon nouus diuinorum librorum, ut credibile eſt, continebatur, ex quo Zozimus & eundem per omnia, quem nunc habemus, diuinorum librorum numerum retulit, addens, Hoc fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, uel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmãdo iſto canone innoteſcat, quia à patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda. patres nimirum ſanctos illos Chriſti ſacerdotes, qui Nicæna ſynodo conuenerant forſan intelligens: niſi quis uelit eum Romanos pontifices à Clemente intelligere. Itaque ut fructum huius annotationis legamus, illius pacarioris Eccleſiaſtici ſæculi patres, aut ideò hos ſanctos libros in diuinas ſcripturas non retulerunt, quòd nondum eo ſæculo, quo uix Eccleſiæ ab tyrannica clade reſpirare licebat, fuiſſent per generalia concilia, quorum nondum increbuerat frequentia, declarati diuini, aut ſi iam ſynodo illa Nicæna fuerant in canonem relati, quia canones eius concilij ita fuerunt combuſti, ut uix uiginti noti eſſent, reliqua apud Romanæ ſedis archiuium laterent, fieri potuit, ut ſolis Romanis pontificibus canonici eſſent libri, qui, etiam doctiſsimis uiris, & Eccleſiaſticarum rerum conſultiſsimis, quia nondum illius concilij decreta occurriſſent, canonici non eſſent.

Ex his tribus annotationibus quid uniuerſis illis locis, quæ uel ex conciliis, uel ex ſanctorum auctorum ſcriptis contra horum librorum auctoritatem adducebantur, ſit reſpondendum, non obſcurè colligitur. Nam ex priori quidem annotatione, omnibus reſpondemus, nequaquam illorum eſſe in librorum diuinorum diſcretione aut examine, ferre iudicium, ſed uel Romani pontificis, qui uniuerſalis eſt paſtor, aut quod, ut diximus, hæretici negare non poſſunt, ſaltem præcipuus, uel generalium Eccleſiæ congregationum, in quibus præter Spiritus ſancti præſentiam, quam habent, ex pacto, res à maiori Eccleſiæ parte (ſi nolint hæretici concilium eſſe totam Eccleſiam) altius examinantur & expenduntur. Ex ſecunda, Melitonis & concilij Laodiceni catalogis, & ſi qui alij ex primo illo ſæculo, ex ſanctis auctoribus loci adducuntur, reuerentius dicimus, eo tempore Eccleſiaſticis auctoribus, diuinorum librorum examini propter perſecutionum anguſtias non licuiſſe uacare, atque adeò non alios libros reputaſſe canonicos, quàm, quos Hebræorum canon appellabat.

Ex tertia, Hieronymo, Gregorio &c. dicimus eos uel iuxta priorum theologorum, quam in libris inuenerant, non iuxta propriam ſententiam loqui, niſi malimus dicere eoſdem quòd nondum publica & conciliari ſanctione, quæ omnibus poſſet eſſe nota, in diuinorũ numerum relati eſſent, uel certè (quod magis crediderim) quòd ad illos concilij Nicæni nouus canon non perueniſſet, hos libros ignoraſſe canonicos. Gloſſema uerò ordinarium cùm docet epiſtolam ad Hebræos, inter canonicas à Latinis non ſuſcipi, & Nicolaus Lyranus, dum libros Machabæorum à canone excludit, & ſi qui ſunt alij, ſimiles, non ſunt apud nos tanti, ut ſuo dicto, his aut ſimilibus, libris quicquam auctoritatis

tatis

tatis diminuant, ſed neque iſti aliud dixerunt quàm ueteres illi, quorum expoſuimus ſententias, unde non tam iuxta ſuas ipſorum opiniones, quàm iuxta quorundam ueterum placita, ſunt loqui credendi. Eſt autem in his ac ſimilibus ab antiquitate ductum argumentum, prorſus inualidum, quod magis ac magis quotidianis momentis Eccleſia, & mentis illuſtratione, & diuinarum rerum cognitione proficiat.

Ponuntur rationes, propter quas Iudæi, Eccleſiaſticum, Sapientiam, Machabæos, Tobiam, Iudith, & quoſdam alios ueteris Teſtamenti libros, canonicos non crediderunt, & ſimul propter quas Eccleſia eoſdem quaſi canoncios colat. Cap. XII.

QVoniam uerò in exacta diſputatione, & in qua ſcholaſtico rigore digladiantur ingenia, quam ſemper amauimus, non ſatis eſt auctoritatem auctoritati obieciſſe, ſed contrariæ quoque ſententiæ rationes & argumenta, contrariis rationibus & argumentis conterere oportet, ut concertator non modò in re ipſa, de qua agitur, ſed etiam in rationibus, quibus ad eam impellebatur, longe à ueritate conuincatur alienus; age dum, hîc ſeorſum, quibus uel Iudæi, uel olim noſtri hos libros inter canonicos non computariut, aut eorum auctorum, quorum ſunt, non eſſe docuerint, rationes & argumenta; ut uideamus, an ſatis idonea fuerint, in examẽ uocemus. Ex hoc enim examine, quàm magnis rationibus in prorſus contraria comprobanda ſententia, ducta fuerit Eccleſia, perſpicuè uidebitur. Sanctorum quorũdam ſcriptorum & ſynodorum prouincialium auctoritati, Romanorum pontificum, generalium conciliorum auctoritatem obiecimus; ſimulq; qua ratione aut quo animo ea, quæ cõtra horum librorum auctoritatem militabant, ſcripſerint, non omnino inualidè, ſi rectè & non ex odio res perpendatur, expoſuiſſe uidebimur: nunc ergo Eccleſiaſticas rationes, quibus hos libros inter canonicos cõputantur, proferamus in medium; non quidem propter Eccleſiæ legitimos filios, quibus, ut ita credant, ſatis eſt Eccleſiaſtica auctoritas, ſed propter eos, apud quos, cùm nihili ducantur Eccleſiæ decreta, parum ſaltem obtinent ponderis humanæ rationes.

Ergo ut primo loco dè Iudæis loquamur, quos, utì diximus, iunioris illius Eccleſiæ auctores in libris canonicis computandis ſunt imitati, ſex eos potiſſimè rationes, quò minus libros hos ueteris Teſtamenti, Eccleſiaſticum dico, Sapiẽtiam, Iudith, Tobiam, & Machabæorum priores duos, non uocarent in canonem, impuliſſe uidentur. Quinque quidem ante Meſſiæ aduentum, altera poſt aduentum ipſius, & poſteaquàm ab Eccleſiaſtico corpore per obſtinatiſſimam illam apoſtaſiam deſciuerunt. Illarum trium, prior nõ fuit alia quàm auctorum nouitas, quæ apud Iudaicum ingenium, ut grauiſſimæ quæque res contemnantur, eſt potentiſſima. Fuerunt ſemper antiquiorum rerum pro ſua ſuperſtitione admiratores Iudæi, nouarum contrà contemptores, moroſi: nihilque illis erat ſacroſanctum, niſi quod eximiam quandam redoleret uetuſtatem, & tanto rem quancunque, præcipuè uerò ſcripturas, uenerabantur affectu, quanto à ſuo ſæculo fuiſſet remotior. Nihil ſeipſis ſuoque ſæculo uilius; contrà nihil fœlicius antiquis illis patribus prioribusque ſæculis apud ſe ſtatuebant. naſcebatur hic affectus potiſſimè, poſt Babylonicam deuaſtationem, ex eius populi, tum in imperij potentia, tum uerò in diuinorum chariſmatum, quæ olim propitio Deo, & nondum per idololatriæ grauiſſima peccata irritato, populus ille ſingulariter accipere ſolebat, deiectione. unde quemadmodum præ antiquo illo imperio & potentiæ magnitudine illud, quod fuit poſt Babylonicã captiuitatem, tot gentium & populorum conflictione detritum, ſolebant contemnere: ita quoque illis, omnis eorum ſæculorum ſapientia, omniſque prophetia, præ ea ſapientia & prophetia, quibus patres eorum fœliciori illa ætate polluiſſent, uilis erat. Qui affectus, cum ipſo quoque naturæ omnium mortalium, quibus ſemper antiqua quàm ſua ſæcula magis placent, pondere iuuaretur, potiſſimus erat, ut noui quicunque quan-

Quæ Iudæos rationes impulerint, ne in canonē eos libros admitterent.

tumuis ſapientia & prophetia pleni, in antiquorum tamen numerum non reducerentur, ſed ſeorſum, quaſi inuiolabili illa ueritate non prӕditi haberentur.

Triplex prophetarũ genus.
Rabi Dauid Chrabon in cõm. trium ultimorum prophetarum.

Hinc illa celebris apud eius gentis ſapientes, iuxta triplex ſynagogӕ tempus, triplex prophetarum quoque diſtinctio, ut ſint excellentiſsimi quidam, qui ſpiritus primitias accipientes, clariſsima rerum futurarũ uiſione fruerentur, in quibus Moſem, Samuelem & cӕteros uſq; ad eius populi prӕuaricationẽ annumerant: medij alij, quos licèt non tanta ſpiritus plenitudo ditaſſet, nondum tandem per totius eius populi abominationẽ abalienato Deo, mediocri chariſmate delibuiſſet ſpiritus: in quibus ſunt Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Oſeas &c. uſque ad Babylonicam deuaſtationem. Poſtremi demum, quos eius populi ſenium & effœta iam ӕtas tulit, qui propter exilem ſpiritum, non ſint aliud quàm propherarum reliquiӕ, nequaquam cum duobus prioribus illis ordinibus, ſiue rerum profunditatem, ſiue uiſionis claritatem appendas, conſerendi. Primos illos tanta prophetando, ſpiritus libertate uſos docent, ut quoties uellent, ſiue rerum opportunitas poſceret, ſiue non poſceret, prophetarent tamen, quod eo ſcripturӕ loco

Exo. 33.

ſignificari uellent, quo dicitur, loqui dominum cum Moſe facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum, quaſi nulla eſſet Moſi, cùm Deum ſecum loqui cuperet, expectanda mora, quemadmodum nec amico, ut cum amico loquatur, ullum tempus attenditur. Secundos non cùm pro libiro uoluntatis, futura uidere cuperent, ſed cùm rei opportunitas & conditio poſtularet, uolentes tamen, in propheticas uiſiones & echſtaſes diuina uoluntas uocabat, cum eadem, poſtremos ſine ulla prorſus libertate, quaſi diuina inſtrumenta, in prophetica uaticinia compelleret. Quӕ quàm ſint uera & quàm aptè ſanctӕ ſcripturӕ locis, quos adducunt, firmentur, in hac parte non dicam. hoc ſolum ſtatutum uolo, eam gentem pro magno antiquitaris amore, cӕteras quaſcunque ſcriptutas quanuis ſapientia plenas, quanuis à Spiritu ſancto diuites, minoris feciſſe, quàm ut cum ueteribus illis ӕquaret. Hanc igitur fuiſſe unam earum rationum, quam ueteris illius ſynagogӕ ſapientes, ne in canonem libros illos ueteris Teſtamenti, referret, cùm tamen hagiographos, ideſt ſanctas ſcripturas uocarent, impuliſſe crediderim. Erant aliquanto recentiores hiſtoriӕ, Iudith, Tobias, & Macabӕi libri, quàm ut in ſanctarum illarum ueterum hiſtoriarum, quas prӕter auctorum ſanctiratem uetuſtas quoque uenerabiles fecerat, ordinem redigerentur. Quòd ſi uetuſtiores fuiſſent hiſtoriӕ, & ea, quӕ illis libris, uel uirorum, uel fœminarum deſcribuntur facinora, auctores tamen recentiores erant, quàm ut eorum ſcripta, quantũcunq; uera, cum ueterum patrum, quos longa ſӕculorum ſeries prӕter probatam uitӕ ſanctitatem ſacroſanctos effecerat, conferrentur ſcriptis. Nam quanuis à Ioachim ſacerdote maximo, filio Ioſedech, magni quoque ſacerdotis, qui poſt Babylonicam ſeruitutem primus templo ac Hieroſolymis reſtitutis, ſacerdotio prӕfuit, quorundam opinione Iudith, & Heſter,

Iſid. lib. 6. Etymolo. cap. 2.

Tobias uerò ab eodem Tobia ferantur ſcripti (quòd tamen neque certum eſt, neq; tam probabile, quàm quod poſt receptam quietem, per quam & libris & ſapientiӕ uacare liceret, hi libri prodierint) non erat tamen illa tanta uetuſtas, quanta ad hos libros, non propheticos, quos non tam auctorum ſanctitas quàm ipſe rerum prӕnunciatus euẽtus, diuinos declarare ſolet, ſed hiſtoricos & doctrinales, qui non à rerum euentu, ſed potiſsimùm à ſcribentis ſanctitate & antiquitate dependent, comprobandos ſufficeret. Nam quòd aliorum trium librorum, Sapientiӕ, Eccleſiaſtici, & Machabӕorum auctores recentiores extiterint, quàm ut his honos per Iudaicum ingenium eiſdem deferretur, & Iudӕi & Chriſtiani ſcriptores conueniunt. Scripſit Eccleſiaſticum librum, Ieſus Syrach filius, ſub Grӕcorum imperio. Sapientiam, quanuis quòd Salomònis, & doctrinam & docendi rationem liber ille imitetur, immo uerò quòd moralis diſciplinӕ, quӕ apud Hebrӕos Salomonem, ſicut apud Grӕcos, Socratem habet auctorem compendiũ tradat, à quibuſdam fuerit Salomoni tributa, uerior tamen ſententia à Philone, non illo, qui Paulo coӕuus, pro Alexandrinis Iudӕis, cum Claudio Cӕſare contra Gonrium perſecutiones acturus Romam adiit, ſed alio quopiam eximiӕ ſanctiratis uiro, qui

Qua ratio ut Salomon in Sapientiӕ libro introducatur.

pluſquàm centum annis prӕceſſerit, editum docet. Introducit uerò ibi nonnunquam Salomonis perſonam, ut cum inquit, Tunc elegiſti regem populo tuo, &c. quod Philoni conuenire non potuit, non alia ratione, quàm illa, qua Plato, Xenophon, & reliqui eius temporis philoſophi, Socratem moralis diſciplinӕ principem ſuorum dialogorum au-

ctorem conſtituunt, dum in omnibus illis eundem ſub docentis perſona loquentem inducunt. hoc enim Græcæ ſapientiæ, quæ poſt imperium Alexandri, apud Iudæam quoq; inoleuit, fuit ſempet ſolenne, ſcientiarum inuentoribus præcipuas perſonas, immo & librorum titulos in docendo deferre, ut cùm Timæus Pythagoreus naturæ doctor à Platone introducitur, & totus ille liber uocatur Timæus, ſic Gorgias, Phædo, Crato, Philebus, Eutiphro, Prothagoras, &c. Quam rationem, quoſdam noſtrorum impuliſſe crediderim, ut eundem librum Salomonis putarent, quòd nimirum, & eum librum Salomonis Sapientiam uocari, & in eo regiam Salomonis perſonam, induci, nonnunquam uiderent, quæ profectò ratio uniuerſos dialogos, ſeu libros, Platoni, Xenophonti, immo & apud Latinos, Ciceroni præriperet, quos uel amicorum, uel eorum, quorum ſapientiam imitari conantur, honeſtarunt nominibus.

Baſil. Ambr. Irenæus, Clemẽs Alexã. Tertul. Cypri. locis multis et poſteriores quidam.

Machababorum priorem, à quopiam ſcriba, eorum, qui Sanedrim conſtituebant, uel à toto eodem concilio, qui annales digerendi curam gerebant, fuiſſe editum, communiori doctiorum ſententia tenetur. Secundam uerò Epitomen illorum quinque librorum, quos Iaſon Cyreneus, eorum temporum ſcriptor ediderat, fuiſſe ex eiuſdem cap.2. colligitur, quæ epitome facta fuerit à Simone Macabæo, ſacerdote maximo in epiſtolæ modum, ad mittendum fratribus per Aegyptum diſperſis, ut ſolennia pro beneficiis receptis illic contenta concelebrarent. neque uerò Iaſon, neque Scriba ille, neque Simon Macabæus tantæ potuerunt eſſe uetuſtatis, ut à totius illius ſæculi hominibus, eorum ſcripta in ordinem diuinorum uoluminum redigerentur, quanuis, uel propter auctorum ſanctitatem, uel geſtorum gloriam uel propter ſtyli ueritatem uenerabiles eſſent.

Secunda ratio, quæ hos ſanctos libros ante Chriſti aduentum à canone Iudæorum excluſit, fuit inuidia, quæ ſicut apud omnes mortales, cum ingenti uirtutis ſpecie rebus recentioribus ſolet detrahere, ita gentis Iudaicæ fuit ſemper peculiariſsimum uitium, præſertim in ſapientes uiros, & eos, qui aliquo uel Dei, uel populi teſtimonio habebantur illuſtres. Ecce (inquit) Chriſtus ſapientiæ nomine, ego mitto ad uos Sapientes & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis ueſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat ſuper uos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter tẽplum & altare. Et ſubinde, Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, &c. Et demum, Quem inquit prophetarũ non ſunt perſecuti patres ueſtri? Erant apud Iudaicæ gentis populos, ſicut ſanctitatis & prophetiæ, ita uirtutis & ſapientiæ, mors & infamia certiſsima præmia, quemadmodum apud alias totius Orbis nationes, uirtutem & ſapientiam immortales honores conſequebantur. Neque enim his ſatis erat ſanctorum uirorum ſcripta nauci facere, & quanuis certiſsimo indicio, à Deo profecta, apud plebes, apud quas uenerabiles habebantur, ſibilis & maledictis inceſſere, ſed uitam quoque aggredi, immo quæ maiora cenſentur, nomen, honorem, & famam inuadere, ita ut cum illo optimè ageretur, cuius in media ſanctitate, ſapientia aut prophetia, quantumuis eius ſcripta iacerent, eſſet uita ſuperſtes. Hæc fuit unica cauſa quare cùm nullibi magis, quàm apud eam gentem, uel eius peculiari ingenio, uel quod magis crediderim, diuino munere, ſapientia uigeret, tam pauci ad nos eiuſdem ſapientiæ fructus uſque peruenerint. Nam ſi apud cæteras gentes ampliſsimi honores ſapientiæ ſtudio deſtinati, prohibere non potuerunt, quin & in ſapientum ſcripta tempus deſæuiret, quid putamus in ea gente factum fuiſſe, in qua uitam poſt ſapientiam ſuperſtitiſſe ingens erat prodigium? aut quo pacto ſcriptis hi parcerent, qui auctorum uitæ, quam indignam, quæ ſupereſſet, putabant, non parcebant? Ij ergo tantùm libri inter ſæuas illas perſecutiones fuerunt ſuperſtites, quos diuina prouidentia ad futurorum ſæculorum gubernationem neceſſarios præuidit, & ij tantùm ſunt tandem in ueneratione habiti, quorum doctrinam, parentum in poſteris generationibus ſuperata inuidia, ipſe rerum euentus ueram eſſe comprobauit: cæteri aut prorſus cum auctoribus aboliti, aut ſi non aboliti, nequaquam eo honore recepti. Nullam profectò, neque Iſaias, neque Hieremias, neque Ezechiel, aut ullus eorum prophetarum, qui eius populi inuidiam ſuſtinuerunt, nacti fuiſſent apud eam gentem, alioqui & proprij & paterni odij tenaciſsimam, auctoritatem, niſi ea, quam ſuis ſcriptis prædixerant Baby-

Matth. 23.

lonica, & alienarum gentium uexatio, intellectum dediſſet auditui, & uera fuiſſe, quæ prædixerant, comprobaſſent.

Iſa. 28. Cvm ergo hi libri, quanuis eſſent ſpiritu prophetico pleni, nondum eius populi ſuperaſſent inuidiam, quòd ad id efficiendum nondum idoneum tempus fuiſſet elapſum, neque diuinum ſubſecutum flagellum, diuinos eſſe prodidiſſet, ut in Hieremiæ, Iſaiæ &c. ſcriptis corrigit, nimirum quòd ab eo tempore, quo editi fuerunt, uſque ad Romanū excidium, eorum qualecunque imperium, quantumuis finitimarum gentium bellis attritum, nondum tamen occidiſſet: non mirum eſt ſi nondum fuerint in eorum ordine *Matth. 23.* habiti, quorum iam, quòd uates ueri fuiſſent, ſepulchra paſsim ædificabantur: immo uerò mirum eſt, quo pacto, cùm eorum uaticinia, quæ quantò Euangelico ſæculo erant propinquiora, tantò eiuſdem Euangelici ſtatus imaginem expreſsius referebant, ac proinde, tantò carnali Iudæorum ingenio, minus congruebant, non fuerint prorſus peſſundata, & omnino quaſi aniles fabulæ toti illi genti interdicta. Quæ profectò ratio, ſi rectè aduertatur, non modò apud eam gentem, quæ (uti diximus) inuidiæ peculiari ueterno laborat, ſed apud alias quoque nationes latiſsimè patet. facilius enim ex hoc uitio, externa & abſoleta quanuis deteriora, quàm ea, quæ apud nos, & noſtra ætate naſcuntur, laudare ſolemus. neque facilè cuiuſque, quantumuis eruditi hominis, labores, & ſcripta, tanto ſua ætate, quanto poſterioribus ſæculis, ubi deferbuerit inuidia, fauore excipiuntur.

Tertia ratio cur Hebræi hos libros quaſi canonicos non admiſerint. Tertia cauſa, neque minima profectò fuit, quòd hi quinque libri, inter cætera teſtamenti ueteris uolumina, non Hebraico & genuino ſermone, ſed alienis linguis, & idiomatibus ſcripti fuerunt. Nam Iudith, & Thobiam, Chaldaico ſermone ac literis editos fuiſſe, in prologis eorum docet Hieronymus: Sapientiam uerò, Eccleſiaſticum, & Machabæorum hiſtoriam, Græco, quòd, poſt Græcorum imperium barbaris linguis relegatis, Aſiaticis nationibus inoleuit, idiomate ſcriptos, præter ipſam dictionem, quæ ſatis hoc oſtendit, communis eſt auctorum ſententia. Sed neque in Hebraicis Bibliis huiuſmodi uolumina reperias, quòd illic nihil, niſi quod primitus Hebraico ac paterno ſermone, quem ſolum ſanctum uocitare ſolent, fuerit editum, collocare quis audeat, cùm tamen in Bibliis Græcis, integrè inuenias. Liber Sapientiæ (ait Hieronymus) apud Hebræos nuſquam eſt: unde & ipſe ſtylus Græcorum magis eloquentiam redolet. Eccleſiaſticum librum aut Græcè primitus fuiſſe editum, aut ex Hebraico in Græcum ſermonem conuerſum, tunc primùm, cùm in manus hominum uenire cœpit, emerſiſſe, interpres ipſe in prologo docere uidetur. Quòd ſi librum priorem Machabæorum, Hebraicū *Hierony. in prolog. lib Sap.* ſe reperiſſe Hieronymus doceat, aut certè Hebraicum, ideſt Chaldaicum, qui ſermo poſt Babylonicā ſeruitutem, præcipuè uerò circa Chriſti aduentum, quod ut Euangelicis dictionibus, Hebraicis patet, pro Hebraico habebatur, intelligit, aut ex prothotypo Græco, eius gentis conſuetudine, quæ Euangelia quoque noſtra in Hebraicum ſermonem traduxit, fuerat in Hebraicum conuerſus. Nam de cæteris, quòd Græco ſermone prodierint, auctores conueniunt. Et profectò magnopere cum ratione conuenire uidetur, eo ſæculo, quo Græcus ſermo uniuerſis penè nationibus, propter Græcorum imperium familiariſsimus erat, tam egregia Machabæorum facinora, non Hebraica, quæ ſoli Iudææ nota erat, ſed Græca, tunc temporis, apud omnes nobiliſsima lingua, conſcribi: præcipuè cùm etiam, ſi ſolis Iudæis ſcriberentur, non omnes poſt diſperſionem, in penè uniuerſas Orbis nationes & linguas, per Aſſyrios, & Babylonios factam, niſi fortè Rabini, & hi, qui docendi ſtudium exercebant, Hebraicè ſcirent. Immo uerò, neque hi qui Hieroſolymis morabantur, Hebraicè nouerant, quòd ſcilicet poſt Babylonicam ſeruitutem, iàm non Hebraica quaſi uulgari, ſed aut Chaldaica, omnes, uſque ad imperium Alexandri, aut poſt eius imperium nobiliores quidem Græca, uulgus uerò, miſto quodam ex Chaldaica & Græca lingua ſermone, Hebraico ueteri ac paterno penès ſapientes tantùm ſeruato, uterentur. Non igitur aut eius gentis glorioſa prælia, indigna *In prolo. Sap.* profectò, quæ ſilentio tegerentur, aut ſapientia, qua, ut nepos ille Ieſu filij Sirach inquit, etiam extranei poſſent, & diſcentes & ſcribentes eſſe periti, ei linguæ cōmendanda erant, quæ non modò, his Orbis nationibus, quæ celebres habebantur, ignota erat, ſed nec ſuæ genti ſatis comperta. Atque hæc profectò fuit ratio, propter quam Iudith egregium facinus, & cum Thobia diuinitus patratum miraculum, non Hebraico, qui

tamen

tamen tunc temporis nondum exciderat, ſed Chaldaicó, qui ante Græcorum graſſationem, propter Babylonicorum regum potentiam, in precio habebatur, Hebræi auctores ſermone conſcripſerint. Ex hac tertia cauſa forſan, neque trium puerorum Hymnum, neque Suſannæ & Belis hiſtorias, quæ ex Theodotionis uerſione Hieronymus addidit, neque Mardochæi ſomnium, à libri Heſter. c. 10. uſque ad finem, neque ſimilia quædam, in ſanctarum ſcripturarum ordinem Iudæi admittunt. propterea (inquam) quòd ea non Hebraico ſermone, ſed Græco ſcripta crediderint, de quibus tamen poſtea.

Verùm obiiciet quis, pauló in ſanctarum ſcripturarum lectione curioſior, neque Iob, neque Ezram, neque Danielem, qui tamen in diuinorum librorum numero computantur, Hebraico ſermone fuiſſe editos, unde neque hanc tertiam cauſam, quòd hæc quinque ueteris Teſtamenti uolumina exularunt à canone, forſan probabit. Ezram profectò totum, Danielem uerò, à capite ſecundo, literis Hebraicis, idiomate uerò Chaldaico editos fuiſſe, Iob partim Hebraico, partim Syriaco, partim Arabico ſermone fluere, præter ipſum lectionis uſum, in prologis eiſdem libris præfixis, Hieronymus docet. *Obiectio.* *In prologo Danie. & priori prolo. Iob.*

VERVM hæc obiectio, ſi rectè res aduertatur, facilè diluitur. primò quidem ob hãc cauſam hos libros non fuiſſe eodẽ honore, quo erãt ſanctiores illi, quos propriè canonicos uocant, exceptos, canon Hebræorum antea recitatus oſtendit. neque enim illic, in priori illo ſanctorum uoluminum numero collocantur. Deinde, neque toti hi libri, externo ſermone, ſed partim externo, partim Hebraico ſermone, pro rerum opportunitate ſunt editi, ut cùm Daniel regem Babylonis ſua, auctor uerò libri Iob eius è diuerſis regionibus profectos amicos, ſuis quoque linguis loquentes inducit. Tertiò, horum librorum auctores, & propter diuina teſtimonia, & propter ingentia beneficia Hebræo populo collata, in magna quadam ueneratione habebantur. nam Moſes, qui librum Iob frequentiori doctiorum ſententia, in Iſraëlitici populi, dura illa ſeruitute preſſi, ſolatium, ſcripſiſſe memoriæ proditur, quantam propter horum utrunque, apud eum populum auctoritatem obtineat, non eſt opus oſtendere. Ezras uerò, quàm benè de ea gẽte, immo de uniuerſa illa religione ſit meritus, eiuſdem populi docent hiſtoriæ. Quemadmodum enim olim Moſes, eidem populo cælitus legem accepit, ita poſteris ſæculis, Ezras fuit eiuſdem legis inſtaurator, adeò ut nihil ex diuinis libris, quod ille ſanctum ac diuinum non dixerit, ſanctum, aut diuinum habeatur. immo uerò adeò in eo Sancti ſpiritus plenitudo exundaſſe refertur, ut uniuerſam legem & prophetas, quæ omnia Chaldaico perierant incendio, eo, quo prius ſpiritu ſcripta fuerant, nouis diuina quadam auctoritate literis inuentis, multis ex ſuo additis, reſtituiſſe dicatur. quæ reſtitutio profectò neque ſine diuino teſtimonio, quod ſancto uiro auctoritatem conciliaret, neque ſine ingenti eius populi obſequio, magna uitæ ſanctitate & beneficiis comparato, fieri potuit. Quin & prophetico ſpiritu claruiſſe, ex ultimo duodecim prophetarum uolumine, quod eidem & Hebræi & Chriſtiani doctores, ſub nomine Malachiæ tribuunt, apertiſsimè conſtat. Iam Danielis hiſtoriam & prophetiam, non Daniel ipſe, ſed uiri maiores ſynagogæ, qui Sanedrim, ideſt, ſupremum Hebræorum concilium conſtituebant, qui magiſtratus, apud eam gentem totius religionis ſummam tenebat, quẽadmodum & Ezechielem & alios quoſdam compilaſſe referuntur. His uerò, tam nefas erat, in rebus ſacris contradicere, aut eorum ſcriptis, quaſi ſacroſanctis non præſtare conſenſum, quàm prophetas ipſos, aut legem ſpernere: immo horum traditiones, quas Deuteroſes uocant, magis quàm legem apud eum populũ obtinuiſſe, non uno loco Chriſtus inſinuat. Quòd ſi Daniel ipſe cùm librũ ſuum compoſuit, ingenti eundem populum beneficio deuinxerat, dum propter eum, apud Babylonicos principes in precio habebãtur, tanta etiam erat eius ſanctitas, ut adhuc cum uiuis agens, ut Noë olim & Iob diuino commendaretur encomio. ſic enim de illo apud Ezechielem legimus, Fili hominis terra cùm peccauerit mihi, cùm præuaricetur præuaricans, extendam manum meã ſuper eam, & conteram uirgam panis eius, & immittã in eam famem, &c. Et ſi fuerint tres iſti uiri in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait dominus exercituum. Quòd ſi & beſtias peſsimas induxero ſuper terram, ut uaſtem eam, & fuerit in uia, eo quòd non ſit pertranſiens propter beſtias, & tres uiri iſti fuerint in ea, Viuo ego, dicit dominus, quia nec filios nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli

Dilutio. *Dan. 2.* *Hierony. in duobus prologis duodecim pphetarũ. Adri. Fin. &c. Rabi Dauid Chim.* *Ezec. 14.*

ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur. Sed & eius nationes calamitate & preſſura;
1.Mach.2. poſt Abraham, Ioſeph, Phinees, Ioſue, Caleb, Dauidem, Eliam, Ananiam, Azariam,
& Miſaëlem, quaſi ſingulare ſanctitatis exemplum, in media tribulatione patientia eius
admiranda, imitanda proponitur. Iam quanta fuerit eius ſapientia cùm multis locis
diuina oracula doceant, id tamen abundè oſtendit; quòd per Ezechielem prophetam,
Ezech. 28. cum principe Tiri Deus irrisoriè diſceptans, eidem inquit, Ecce ſapientior es tu Da-
niele, & omne ſecretum non eſt abſconditum à te, quaſi nullus eſſet, qui eius ſancti uiri
non humanitus comparatam, ſed cœlitus indultam ſapientiam inter mortales attinge-
ret. Ingens ergo horum uirorum in Deum ſanctitas, ingentia etiam in ſuam gentem
beneficia faciebant, ut eorundem ſcripta, quanuis externo ſermone edita, eo loco, quo
cæteri ſacratiores libri, & qui iam auctoritatem diuinitatis obtinuerant, haberentur.
Quæ ratio in auctoribus illorum quinque uoluminum, qui nec tanta uitæ ſanctitate,
apud eum populum celebres erant, nec tam bene de Iudæorum republica meriti fue-
rant, quanuis eſſent certiſsima uaſa Spiritus ſancti, profectò non militat. Sed de ter-
tia cauſa iam ſatis, nunc de quarta dicamus.

Quarta cã ob quam hi libri ad Hebræorũ canonem non fuerint admiſſi. QVAM non aliam eſſe arbitror, quàm eius doctrinæ, quæ in his libris continetur,
naturam. horum enimuerò quinque librorum quidam, quanuis, quòd cæteris ſan-
ctæ ſcripturæ libris ſolet eſſe familiare, propheticis paſsim reſpergantur oraculis, præ-
cipuè tamen in hiſtorico genere continẽtur: quidam autem quanuis etiam prophetales,
propter admiſtas prophetias uocari potuiſſent, præcipuè uerò doctrinales habentur, ac
in his præcipuè à Iudæis, nihil aliud attenditur, quàm humanæ uitæ catechesis aut
inſtructio. Hæc uerò duo doctrinæ genera, ampliori temporis ſpatio, maiorique pro-
batione, quàm id, quod rerum futurarum prænunciatus euentus admirabile reddidit,
indigere non eſt qui ambigat. Moralis profectò inſtructio, quanuis ſapientiſsima, in-
fallibiliter tamen diuinitatem non arguit. multi enim humana tantùm ſapientia præ-
diti, admirabiles morum inſtructiones ediderunt, multa grauiſsimaque de morum
diſciplina præcepta tradidere, quibus apud omnes mortales habentur in precio. Hiſto-
rica deinde narratio, cùm omne id, quod in eo genere ſcribendi requiritur, maximè ha-
beat, ſuapte natura nullum habet apertum diuinitatis argumentum, quod eam à diui-
nitate profectam ob oculos ponat. Contrà prophetica ſcriptura, ut huius operis libro
ſecundo docuimus, cùm ipſe rerum euentus eidem reſpondit, ulteriori, ut diuina ha-
beatur, demonſtratione non indiget: Futura, inquit, annũtiate nobis, & dicemus, quia
dij eſtis uos. Ergo cùm uniuerſi libri prophetales, licèt præcipuè de Euangelico ſtatu
futuroque Meſsia continerent oracula, multa tamen de eius populi, propter peccata ido
lolatriæ, futuro excidio uaticinia in ſe clauderent, quæ iam gentium finitimarum triũ-
phis impleta, perſpicua uiderentur, non opus erat, ut à poſteris ſancti haberentur, nec
tẽporis longitudo requirebatur, aut eorundem librorum ulterior expenſio. Contrà, in
eorũ diuinitate uenanda, qui uel morales, uel hiſtorici erant, quòd ipſum doctrinæ ge
nus eandem diuinitatẽ ſuapte natura non arguat, utrunque requiritur. Vnde neq; in his
duobus ſcribendi generibus, niſi quas diuinitus inſpiratas fuiſſe morum inſtructiones,
aut hiſtorias conſtabat, aut quas magna ſæculorum ſeries honorabiles fecerat, diui-
nas putabant. Taliserat in genere catechetico lex, quam cœlitus indultam fuiſſe ex
Exo.20. parentum, qui uoces audierant, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fuman-
Reg.3.c.3. tem uiderant, teſtimonio conſtabat. Tales erant Salomonis libri, quem initio regni ſa-
Iacob. 1. pientiam à Deo, qui dat omnibus affluenter poſtulaſſe, eaque diuino munere ſupra
omnes mortales ditatum fuiſſe, non tantùm apud eum populum, ſed apud longiſsimè
2.Paral.9. poſitas nationes, quæ ad fruendum eius ſapientia, regnis & propriis ſedibus relictis
ueniebant, erat compertiſsimum. In hiſtorico uerò genere, tales erant Ioſue, Iudi-
cum, Ruth, & Regnorum hiſtoriæ, quæ & quorundam uaticiniorum, quæ hiſtoriis mi-
ſcentur, impletione, & longiſsimo ſæculorum ordine, in librorum diuinorum nume-
rum ut reponerentur, ipſa ratio impellebat. Præter hoc, quòd harum hiſtoriarum
auctores, Spiritu ſancto polluiſſe, uel ex uitæ diſcurſu, uel ex aliis propheticis operibus,
quæ ueridica fuiſſe, ipſe rerum euentus comprobarat, apud totam eam gentem mani-
feſtò conſtabat. Nam Ioſue ſanctiſsimum ducem, diuinitus in Iſraeliticæ gentis poſt
Moſis obitum ducem ſuffectum, & dignum qui extortem illum populum, in promiſ-

ſam

ſam iam olim hæreditatem induceret, quique olim ſoli, ne moueretur, præceperat, hiſtoriam ſuam compoſuiſſe fertur. Iudicum uerò librum, & Ruth hiſtoriolam, cum duobus prioribus Regnorum libris, Samuelem, quo nemo apud Hebræos ſanctior habetur, edidiſſe commemorant: Malachiam uerò, qui duos reliquos Regnorum libros cõplectitur, & Paralipomena, ſancto propheta Hieremia auctore prodiiſſe, Hebraicæ traditiones inſinuant. Adde quòd in his libris, quaſi in eius populi annalibus, totius Iſraeliticæ gentis, & non huius aut illius hominis geſta, & multa alia ad pacificum conuictum neceſſaria, quæ publica cuſtodia aſſeruari decebat, breuiſsimo compendio clauduntur. in Ioſue enim, poſt Iordanis tranſitum & Regnorum hoſtilium ſubuerſionem, terra uictori populo diuiditur & per ſingulas urbes, uiculos, montes, atque confinia, ſortes mittuntur; in Ruth Dauidis, & deinde regiæ proſapiæ ſeries & generatio narratur. non enim alior ſum totus ille libellus contendit, quàm ad Obedis Ieſſe patris, à quo genitus Dauid, eius regni perpetuum diuinitus accepit, maiores declarandos: hoc autem ſciri, & ex publica fide non ex uacillanti teſtimonio cognoſci, populi illius magnopere intererat. quod profectò fieri non potuiſſet, niſi liber ille diuino donaretur honore. Idemque iudicium eſto de cæteris hiſtoricis libris, qui non erant aliud, quàm breuiſſimi quidam publici commentarij, in quibus, quem ſtatum quouis tempore populus ille habuiſſet, minores cognoſcerent. quos profectò non apocryphos aut dubiæ fidei, ſed diuinæ prorſus auctoritatis eſſe oportebat. Iam uerò hæc, quæ in his quinque libris continebantur prophetica oracula, quæ omnia planiſsimè omnium loquuntur de Euangelico ſtatu, cùm nondum eſſent impleta, non modò ut ſacroſancti ac diuini haberentur, non proderant, ſed inſuper oberant. Purgatorius ignis, ſiue ſtatus inter huius uitæ mortalis diſcrimina, & futuræ fœlicitatis adeptionem, medius, res erat noua Iudæorum ſapientibus, apud quorum quoſdam, nec ipſa immortalitas animorum ſatis erat comperta: & tamen hic ſtatus in libris Machabæorum apertiſsimè ponitur. Admirandus ille triumphus, quem rectus ordo redemptionis poſcebat, fœminam nimirum, quæ olim diabolica fraude, totum genus humanum ſubuerterat, eiuſdem diaboli caput abſcindere, prorſus ab eorum mentibus erat abſconditus: ſingularis illa rerum humanarum prouidentia, præſertim per angelica miniſteria, angelici ordinis, ſancta illa ciuitas, quam omnes ſancti Apoſtolico teſtimonio futuram inquirunt, his, qui carnales ſeruatæ legis tantùm benedictiones optabant, carnaleque Hieroſolymarum imperium futurum credebant, prorſus erant ignota. Qui enim huiuſmodi hominibus, ille liber eſſet canonicus, in quo poſt alia multa, in quibus Spiritus ſanctus cœleſtis illius ciuitatis, quæ olim Saranica expugnatione ceciderat, typico ſermone inſtaurationem depingit, hæc uerba ſcribuntur, Portæ Hieruſalem, ex ſaphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide precioſo: omnis circuitus murorum eius, ex lapide candido & mundo: omnes plateæ eius ſternentur, & per uicos eius halleluia cantabitur? Quæ neque ſecundæ illi Hieruſalem, quæ ſub templo ſecundo uiguit, ullo modo conuenerunt, neque ulli mortaliũ urbi conuenire poſſe, ſi non erant cæci, manifeſtè uidebant. Iam, qui totius Euangelicæ œconomiæ rationem ignorabant, quo pacto Chriſtianæ fidei (quæ uera ſapientia eſt) encomia, & Eccleſiaſtici regni propagationem, diuerſis tropis & metaphoris adũbratam, in Eccleſiaſte ſcirent? Quo pacto, nomine etiam Sapientiæ, ſecunda in Trinitate perſona (quo dogmate ab eorum theologia, nihil erat alienius) in eo libro tam graphicè deſcripta, Iudaicos non offenderet animos? aut quo pacto IESVM maris & abyſsi fundatorem, æquanimiter ferrent, qui de ſancto incarnationis myſterio tam parum cognouerant? Demum in libro Sapientiæ, tam apertè Chriſti aduentus & ſacratiſsima paſsio ob oculos ponitur, ut quantùm Chriſtianas mentes, quæ diuinam diſpenſationem nouerunt, ædificat, tantùm Iudaicos animos, qui nihil tale de ſuo Meſsiah ſuſpicabantur, potuiſſet ſubuertere. Vocatur, inquit Hieronymus, liber Sapientiæ, quia in eo Chriſti aduentus, qui eſt ſapientia Patris, & paſsio eius, euidenter exprimitur. Immo uerò tanta eſt uaticiniorum, quæ in eo libro continentur, claritas, ut poſt Chriſti paſsionem, à quibuſdam editum fuiſſe à Philone illo Alexandrino credatur. ſed & inter eos, qui librorum Eccleſiaſticorum, rigidos noſtra memoria cenſores egerunt, quidam inde colligit, poſt Chriſti paſsionem librum hunc ſcriptum, quòd potius rem geſtam, quàm futuram uideatur ſcribere. Et profectò nemo, qui rem geſtam uidiſſet, mollius peſsima

Rabi Dauid Chim.
Iſido.lib.6. Ethim.c.2.
Matth.22.
Act.23.
2.Mac.12.
Iudith.
Thob.
Hebr.11.
Tob.13.
Eccl.24.
Eccl.43.
In prologo libri Sap.
Eraſmus in ſingua.

Sap. 2. Iudæorum conſilia potuiſſet deſcribere. Circumueniamus (ait phariſæorum induta perſona) iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam habere Dei, & filium Dei ſe nominat, factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Et ſubinde, Videamus ergo ſi ſermones illius ueri ſunt, & tentemus, quæ uentura ſunt illi, & ſciemus, quæ erunt nouiſsima illius. Si enim eſt uerus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum: contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reuerentiam eius; probemus patientiam illius. Morte turpiſsima condemnemus eum &c. Hæc enimuerò prophetica uaticinia, ac ſimilia multa, quibus Euangelicorum hominũ, ideſt Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ſtatus futurus prædicitur, quæ in his quinque libris, tertio quoque uerſu reperies, cùm altiora eſſent Hebræorum ſapientia, cumque nondum eſſent opere impleta, eius ſæculi homines, quantumuis abeſſet malitia, potius deterrere potuerunt, quàm permouere, ut eoſdem in diuinorum librorum ordine ponerent.

Atque idem ſuſpicari licet de Baruch prophetia, in qua diuinus in carnem aduentus manifeſtè prædicitur. Nam poſteaquàm multa de diuina Sapientia, quæ eo loco non eſt aliud, quàm religioſa ratio uiuendi à Deo mortalibus per legem indulta, fuiſſet locutus, continuò ſubiungit, Qui ſcit uniuerſa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia
Bar. 3. ſua. Qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus & quadrupedibus &c. Et ſubinde, Hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem uiam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quæ uerba Iudaicum ingenium, cùm longè eſſet ab eo myſterio, hucuſque temporum ualidiſsimè torquent. Sed iam ad quintam cauſam uenio.

Quinta cauſa. Ea uerò eſt, quòd cùm uoluminum diuinorum canon fuit editus, horum librorum, quoſdam nondum Spiritus ſanctus dictaſſet, quoſdam autem recenter ſcriptos, in illa rerum Iudaicarum conditione examinandi, an, ut inter diuinos computarentur, digni eſſent? nondum ocium ſuppeteret, quod haud dubiè in re omnium grauiſsima, maximè
Quo tempore hi libri editi ſint. erat neceſſarium. Et liber quidem Eccleſiaſticus, ducentos annos, liber uerò Sapientiæ, centum tantùm, Chriſti incarnationem præceſsit. Machabæorum autem hiſtoria, hunc annorum numerum non potuit excedere, quòd Iudaicæ gentis cum Græcis bella geſta recenſeat. Iudith, ſi à Ioachim ſacerdote maximo, Ioſedech maximi ſacerdotis filio, fuit editus, licèt his, quos diximus, habeatur antiquior, multò tamen poſt Iſraëlitici populi reductionem emerſit. Tobias etiam ſi ſuum librum ſcripſerit, quod non eſt, uti diximus, tam ueroſimile, quàm quòd poſtea fuerit eidem à quopiam ex poſteris hoc officium impenſum, non fuit multò tamen hoc ſæculo antiquior, cùm iam eſſent per Babylonicam graſſationem Hieroſolymæ dirutæ. Canon autem ſicut & cætera omnia, quæ ad ſanctæ ſcripturæ conſeruationem faciebant, poſt Babylonicam captiuitatem, ab Ezra fuit editus. Igitur ſicut neque Sapientia, neque Eccleſiaſticus, neque Iudith, neque Machabæorum hiſtoria ab eodem in canone potuerunt reponi, ita neque Tobiæ hiſtoria, neque ſimilia cætera, quæ ſub Babylonica ſeruitute contigerant, quale Mardochæi ſomnium, Suſannæ, & Belis hiſtoriæ, &c. potuerunt ab eodem, legi, & illorum librorum, qui indubitatò diuini habebantur, reſtitutioni intento, & tanto inſtaurandæ urbis labore diſtricto, in examen uocari, præſertim primoribus Iudæorum, qui Sanedrim conſtituebant, quibusque hoc muneris incumbebat, diſperſis. Erant autem ei genti, Ezræ in hac parte, tam Sacroſancta decreta, ut tam ſacrilegus apud poſteros haberetur, qui illis, quos ille diuinos dixit, libris uel ſyllabam adderet, quàm qui demeret aut auferret. Atque hæc fuit ratio, quare neq; poſt Ezræ tempora ullo pacto ſuperſtitioſus ille Iudæorum ſenatus, & antiquarum traditionum tenaciſsimus, eoſdem libros uocarit in canonem, niſi etiam id fuerit in cauſa, quòd cùm primùm per gentium finitimarum incurſus, dare operam ſapientiæ licuerit, earum rerum, quæ ad hoc opus erant neceſſariæ, originalium ſcilicet, quæ maximè Ezram in canone conficiendo iuuiſſe par eſt credere, aut teſtium omni exceptione maiorum, qui horum librorum auctores Spiritu ſancto polluiſſe docerent, quibus duobus mediis in canonizandis libris ea gens utebatur, non ſuppeteret copia, quod magis arridet; quòd nimirum hos ultimos prophetas

in di-

in diuinotum librorum nnmerum, non ab Ezra, qui fuit illis æqualis, ſed à ſequentibus Iudæorum ſapientibus, repoſitos ſuſpicot. Quorum erat tamen diuerſa ratio: nam præter quòd & hi libti paterno ſermone, & in ſolo paterno ſunt editi, ſuorum etiam auctorum, qui in eo populo iam ab exilio teduces, uixerant, clariſsimo teſtimonio, habebantut illuſtres. omnes enim in eo populo nouerant, eos, in denunciandis propheticis oraculis, legitimos Dei fuiſſe miniſtros, uidebantque multa ex his, quæ illi prædixerant, impleta eſſe. Vnde neque ſi eorum prophetias ſanctorum librorum catalogo aſcriberent, futuros ſe ſacrilegij reos ullo pacto putabant. Eo nimirum pacto, quo neque nos, ut eos, quos propter Chriſti confeſsionem, uitam hanc mottalem amiſiſſeiudicamus, in ſanctorum numerum reponamus, multis uitæ ſanctitatis, ac miraculorum, quæ tamen in aliorum ſanctotum apotheoſi, requiiuntur, teſtimoniis egemus. Satis enim habemus ſi publicè conſtet, eos ob Chriſti martyrium, ideſt, teſtimonium, nitam poſuiſſe, licèt nulla miracula ediderint, immo etiam ſi totam anteactam uitam turpiter uixetint. Sic nimirum concilium illud Synagogæ, quod huiuſce rei curam gerebat, ſanctos illos tres prophetas, Aggæum dico, Zachariam, & Malachiam, qni, ut diximus, non eſt alius, quàm Ezras, quòd eorum eſſet aperta diuinitas, diuinotum librorum numero inſerere potuit, cùm cætetos, qnorum non erat tam aperta, extra canonem exulare permitteret. Arq; hactenus quidem quinque illas cauſas, quas hos libtos extra canonem Hebtæorum eieciſſe, ueriſimile eſt credere, ſumus pteſequuti.

Quare Iudæi poſt Christi aduentum eos lib. in canonem nõ admiſerint.

NVNC iam cauſam, quæ eandem gentem, poſt Chriſti aduentum, ab eorum librorum approbatione deterret, conſequenter prodamus. neque enim ea potuit eſſe, rei nouitas, in tanto ſæculorum ordine, ſed neque auctorum inuidia, quam iam, ipſorum operum ſuperaſſet uetuſtas, neque linguarum, quibus editi ſunt, à paterna, diuerſiras. Nam ſi eorum librorum prophetias & oracula libuiſſet attendere, uidere potuiſſent, iam ea per Euangelici ſtatus aduentum eſſe completa, quòd ſine diuini ſpiritus unctione, qui quacunq; lingua æque ac Hebræa uti poteſt, fieri non potuit. Et quemadmodum, Ezræ, Iob, & Danielis ſcripta, quantumuis extranea lingua edita, ex uaticiniorum impletione, quaſi diuina uenerantur & colunt, ita & iſta, ex eadem cauſa cognoſcere potuiſſent, à Spiritu ſancto profecta. Sed neque hiſtoricum aut catecheticum ſcripturæ genus, poſt Chriſti aduentum hos libros à canone Iudæorum excludit, tum quòd, ut illæ hiſtoriæ, aut ſapientes morum inſtructiones, propheticis uaticiniis non fuiſſent teſperſæ, in tam prolixa tamen ſæculorum memoria, earum diuinitas mnltis argumẽtis patère potuiſſet, quemadmodum & illas, quæ à Salomone aliiſque ſapientibus proceſſerant, quæ uno prouerbiorum uolumine continerẽtur, ſanctas fuiſſe ac diuinas, tempus oſtendit. Tunı uerò, quòd prophetica oracula, quæ in his libris clauduntur, iam Euangelico ſæculo completa uidiſſent, unde facile eſſet depræhendere, has hiſtorias aut morum inſtructiones, non humanas ſed diuinas fuiſſe. Sed neque, ſi Ezras hos libros canoni non inſetuiſſet, quòd nondum eſſent editi, aut nondum tempus examinandi ſuppetiiſſet, propterea non eſſent nunc canoni inſerendi, poſt tam longum examen. Immo uetò, ſi rectè aduertiſſent, ſtultum illis nideri potuiſſet, ita diuinorum librorum canonem claudere, ut nullo pacto futuris libris, quos Deus pro ſua prouidentia, & pto tempotum ratione, ſuo populo indulgere uoluiſſet, locus telinqueretur.

Inuidia Iudæorũ hos libros à canone modò excludit.

Eſt igitur unica ac ſola ratio, quæ toto hoc Euangelico ſæculo, hos libros à canone Iudæorum excludat, inueteratum illud odium, quo Chriſtianam fidem, quam his potiſsimùm libris foueri uident, proſequuntut: quo non modò canoni diuinorum librorum, aliquid, quod in eiuſdem fidei auxilium produci queat, addere nolunt, ſed inſuper uniuerſa illa, quæ eidem ſuffragantut, quaſi ſputia & notha, ſi fieri potuiſſet, prorſus contendunt abſcindere. Vident his libris ſua peſsima conſilia, quibus Chriſto mortem intulerant, & ſibi perpetuum dedecus apud omnes Orbis nationes acquiſierunt, patenter deſcribi. Vident, ut antea dicebamus, in eiſdem, totius Euangelicæ diſpenſationis Sacroſancta myſteria, tanto minus figuris & rerum externarum uelamine operta quàm in aliis prædici, quanto auctores tẽporis plenitudini magis ptopinqui, Euangelicæ lucis radios plenius hauriebant. Acceſsit huic odio, antiqua illa illins genris æmulatio, qua tantùm diuinas ſcriptutas, ſibi tributas inſolenrer putantes, ſibi quoque ſolis, auctoritatem, hunc librum diuinum, illum contrà non diuinum, declarandi, ſu- *Sap. 2.*

 perbiſsimè

perbiſsimè arrogant. Vnde quem illi ſemel diuinum non dixerunt, ſi quis fortè alius hoc munus anticipet, continuò pro Iudaica procacitate irridentes, perpetuo ſæculorum ordine apocryphum & mendacem declarant. Arguunt nos (inquit Hieronymus, de Tobia loquens,) Hebræorum ſtudia, & imputant nobis contra ſuum canonem Latinis auribus iſta transferre: ſed melius eſſe iudicans Phariſæorum diſplicere iudicio, & Epiſcoporum iuſsionibus deſeruire, inſtiti ut potui, &c. Puto ego nec prorſus inaniter, non ſolùm hos libros, iam olim Iudæorum ſenatum, ſi huic ſtudio non incubuiſſet Eccleſia, in canonem miſſurum fuiſſe, ſed etiam uniuerſa illa, quæ ex ueteri teſtamento, unquam controuerſiam habuiſſe leguntur, quòd ſcilicet in tanto ſæculorum ſpatio, eorum ueritas ac diuturnitas ſufficientiſsimis argumentis fuiſſet expenſa.

In proleg. Thobiæ.

Ponuntur Iudæorum obiectiones aduerſus libros Machabæorum, & diluuntur. *Cap. XIII.*

Habes iam ſex generales rationes & cauſas, quæ hos libros ueteris teſtamenti, uel ante Chriſti aduentum, uel poſt Euangelium prædicatum, à canone excluſerint. iam accipe modò potiora quæque, quæ in eos libros, ut error ſpecioſus uideretur, Iudaicum noſtro ſæculo excogitauit ingenium, quanuis talia eſſe iudicemus, ut eorum ſimilia, immo multò fortiora, in eos libros, quos illi canonicißimos habent, à cauilloſis hominibus obiici poſsint, quod olim Apion Alexandrinus, Lucianus, Celſus, Proculus Lycius, Iulianus Imperator, & Porphyrius philoſophus, libris in legem & cæteras ſcripturæ partes editis, feciſſe leguntur. Verùm, omiſsis illis, quæ ſuos habuerunt Ioſephos, Apollinares, Cyrillos, & Methodios, nunc uideamus, quæ Iudaica manus, iam prorſus eneruis, in hos ſanctos libros tela contorqueat.

Prima in libros Mach. obiectio.

Ergo priori loco libros Machabæorum apertæ contradictionis inſimulant, quòd libro priori capite ſexto, Antiochum propter ſacrilegium, quod templo Hieroſolymitano inferre tentauerat, diuinitus languore correptum, in Elimaida Perſiæ urbe occidiſſe dicatur, cùm ſecundo libro capite primo, in eadem prouincia, in templo Naneæ, capite truncatus apertè ſcribatur. Immo uerò (aiunt) in eodem libro ſecundo, capite 9. alia ab his duabus prorſus diuerſa cauſa interitus Antiochi, ab ſcriptore profertur, quòd ſcilicet, cum apud Perſepolim, templum ſpoliare tentaſſet, à populo ad arma conuerſo, turpiter extra urbem fugatus, & putans ſe hanc iniuriam in Iudæos poſſe retorquere, illis minitans, redditurum ſe Hieroſolymas in congeriem ſepulchrorum, diro poſt minas uiſcerum dolore, diuinitus tortus, uermibus tandem conſumptus occiderit.

Verùm hic cauillus ex eo fonte deſcendit, à quo cætera quæque, quæ miſeri & ſtupidi homines quotidie in noſtros, noſtraque dogmata, mendaciter proferunt, ab ignorantia nimirum hiſtoriæ, qua ſupra omnes mortales, lucellis, & propter ſuam antiquam auaritiam ſordidiſsimis quibuſque muneribus intenti, laborare non deſinunt. Videre eſt eorum annales & calẽdaria, tot mendaciis & nugaciſsimis fabulis reſperſa, ut nemo, niſi qui id obfirmato animo apud ſe inſtituerit, ſtatim tædio confectus ea perſequi ualeat. Sed ad rem. Falluntur Iudæi dum duos Antiochos, unum & eundem Antiochum putant. falluntur deinde, dum duos Machabæorum libros unam & eandem hiſtoriam exiſtimant, cùm prior integram, uſque ad Ioannis ſacerdotium, narrationem contineat, poſterior uerò, ſola Iudæ facta, nec omnia recenſeat. Sunt illi duo libri, duorum auctorum, ut antea docuimus, Prior ab eius gentis concilio, quod annales conficiendi curam gerebat, compoſitus. Poſterior à Simone ſacerdote maximo, ex quinque Iaſonis libris in epiſtolæ modum coactus. Non ergo mirum ſi in primo & in ſecundo, cùm ſint diuerſæ hiſtoriæ, eiuſdem Antiochi deſcribatur interitus. Quemadmodum non eſt mirum ſi Liuius, Iuſtinus, Salluſtius, &c. eaſdẽ hiſtorias diuerſis locis enarrent. Antiochus ergo ille, qui ſexto capite à prioris libri auctore ex triſtitia mortuus eſſe narratur, idem eſt cum illo, qui lib. 2. c. 9. uiſcerũ torminibus à ſecundi libri ſcriptore refertur extinctus. Antiochus nimirum, quem Syri cognominarunt Epiphanem, aut illuſtrẽ, quòd

Duo Iudæorum errores.

Appia Ale-

nis

alienis regnū uſurpantibus, ipſe auitæ ditionis aſſertor exortus, ſuis illuxerit, qui cum patre Antiocho magno, Romæ datus cùm fuiſſet obſes, mortuo patre, fratreque Seleuco Philoparore, ab Heliodoro quodam purpurato, per uiolentiam occiſo, cum Attali & Eumenis regum Aſiæ auxilio fretus, non modò Syriam regnum paternum occupaſſet, ſed finitimas quaſque gentes grauiſsimis bellis pertentaſſet, præſertim eas, quæ nondum populi Romani amicitiam adeptæ fuerant, grauiſsimas calamitates Iudæorum genti, quæ tunc domeſticis quoque uiribus ac potentia tyrannis reſiſtebat, intuliſſe fertur. Is itaque Antiochus, cùm amicitia ac ſocietate horum regum, finitimas nationes continuis bellis afflixiſſet, Artaxiamque regem Armeniorum bello ſuperaſſet, & in Aegyptum contra Ptolemæum ſextum, quem Euergentem uocant, cuius pater tunc è uiuis exceſſerat bellum mouiſſet, mortuus eſt, relicto nouem annorum filio Antiocho, cui Syri nomen addiderunt Eupatori, propter patris uirtutem. Cuius pueri, ut etiam prophani auctores conueniunt, Lyſias educator fuit. Huius tamen Antiochi, quòd neque cum Romanis, neque cum Græcis, iam Romanorum ſociis, bellum geſſerit, ſed tantum Aſiaticis nationibus, in hiſtoriis quidem Græcis aut Romanis exilis mentio. Genus uerò mortis, quo fuerit hac uita ſublatus, apud unum Appianum Alexandrinum legiſſe me memini: cuius uerba quòd mirè cum ſacra hiſtoria conueniant, hìc oportet inſerere. Antiochus uerò inquit, biennio tantum regnauit. quo tempore Artaxiam cepit Armenium, & in Aegyptum expeditionem ſuſcepit contra Ptolemæum ſextum, cuius pater tunc è uiuis exceſſerat, duobus filiis ſuperſtitibus. In eius caſtra prope Alexandriam Popilius à Romanis legatus uenit, cum literis denunciantibus ut abſtineret à regno Ptolemæorum. quibus lectis, cùm ſe deliberaturum diceret, uirga eum circūſcripſit Popilius, dixitque, Hîc delibera. ille territus diſceſsit, ſpoliatoque in Elymeis templo Veneris, tabe periit, relicto nouēni filio Antiocho Eupatore. Hactenus Appian. Cui quantum conſonet Machabæorum hiſtoria, iam audi. Et Rex Antiochus, inquit, perambulauit ſuperiores regiones, & audiuit eſſe ciuitatem Elemaidem in Perſide, nobiliſsimam, & copioſiſsimam in argento & auro, templumque in ea locuples ualde, & illic laminas aureas, & loricas & ſcuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedonum, qui regnauit primus in Græcia. Venit, & quærebat primò capere ciuitatem, & non potuit, & inſurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum triſtitia magna, & reuerſus eſt in Babylonem, & uenit qui nunciaret ei in Perſide, quia fugata ſunt caſtra, quæ erant in terra Iuda, & quia abiit Lyſias cum uirtute forti in primis, & fugatus eſt à facie Iudæorum, & inualuerunt armis, & uiribus, & ſpoliis multis, quæ acceperunt de caſtris, quæ exciderunt, & quia diruerunt abominationem, quam ædificauerant ſuper altare, quod erat in Hieruſalem, & ſanctificationem, ſicut prius circundederunt muris excelſis, ſed & Bethſuram ciuitatem ſuam. Et factum eſt, ut audiuit rex ſermones iſtos, expauit, & commotus eſt ualde. Hactenus in libro priori Machabæorum. Ex hoc itaque infauſto nuncio partim animo conſternatus, partim uehemēti ira commotus Antiochus, Iudæis minitabatur, ut lib. 2. c. 9. refertur, poſiturum ſe Hieroſolymas in Iudæorum ſepulchrum. poſt quas minas diuinum furorem ultorem expertus, dolore uiſcerum, quem Appianus talem uocat, cæpit torqueri. hanc uerò tabem ſiue uiſcerum dolorem, cùm libri poſterioris auctor, apertè explicet, auctor primi illo ſexto capite nomine uehementis triſtitiæ occultò ſignificat. Quæ profectò paruiſsima diſſonantia, in omnibus auctoribus, qui eandem hiſtoriam ſcribunt, etiam cùm ſunt ueraciſsimi, frequentiſsimè accidit. Neque enim omnes eandem rem eodem prorſus pacto, neque omnia, quæ circa illam contigere, eiſdem uerbis prorſus recenſere tenentur. Sic itaque prioris libri auctor, Antiochi interitum illo loco deſcribit, Et factum eſt, ut audiuit rex ſermones iſtos (infauſtum nimirum nuncium è Iudæa relatum) expauit, & commotus eſt ualde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non eſt factum ſicut cogitabat, & erat illic per dies multos, quia renouata eſt in eo triſtitia magna, & arbitratus eſt ſe mori, & aduocauit omnes amicos, & dixit illis, Receſsit ſomnus ab oculis meis, & concidi & corrui præ ſolitudine, & dixi in corde meo, in quantam tribulationem deuêni, & in quot fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea: nunc uerò reminiſcor malorum, quæ feci in Hieruſalem, unde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea, quæ erant in ea, &

[Margin: xan. lib de bellis Syriacis.]

[Margin: Appia. Alexan de bellis Aſſyriacis.]

[Margin: 1. Mach. 6.]

miſi auferre habitātes Iudæam ſine cauſa. Cognoui ergo quòd propterea inuenerunt me mala iſta, & ecce pereo triſtitia magna in terra aliena. Hactenus mors Antiochi ab auctore primi libri deſcribitur. In qua deſcriptione, quanuis tormentorum uiſcerū expreſsè mentio non fiat, clarè tamen indicatur triſtitiam illam ingentem ex grauiſsimo morbo, quo fuerat diuinitus percuſſus, exortam. Decidit, inquit, in lectum & incidit in languorem præ triſtitia magna, & arbitratus eſt ſe mori: uel ex conſideratione cauſæ eius morbi, Nunc, inquit, reminiſcor malorum, quæ feci in Hieruſalem, unde abſtuli omnia ſpolia &c. Abſtuliſſe uerò hunc Antiochum nobilem uaſa aurea 5. cap. 2. lib. memoriæ proditur. Et demum, quòd hic cuius mors lib. 1. c. 6. deſcribitur, idem ſit cum illo, qui propter blaſphemiam lib. 2. c. 9. percuſſus dicitur. Ex utroque loco nō obſcurè colligitur, cùm utrobique hunc Antiochum patrem Antiochi Eupatoris fuiſſe dicatur. Nam 1. lib. c. 6. ſic ſcribitur, Et cognouit Lyſias quoniam mortuus eſt, & cōſtituit regnate Antiochum filium eius, quem nutriuit adoleſcentem, & uocauit nomen eius Eupatorem. Libro uerò ſecundo cap. 10. ita poſt eius interitus deſcriptionem, Et Antiochi quidem, quia appellatus eſt nobilis, uitæ exceſſus ſe ita habuit. Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ geſta ſunt narrantes &c. Neque uerò uel in urbe, in cuius templum tentauit eſſe ſacrilegus, ulla eſt apud utrunque horum auctorum, aut librorum diſcordia. Nam quæ apud priorem Elymais appellatur, nomine proprio, apud ſecundum Græco iam nomine, quòd, ut fieri ſolet, immo quod Græci perpetua conſuetudine ſeruarunt, ex Græcorum nouo imperio ſuſceperat, quòd eſſet totius Perſiæ nobiliſsima ciuitas, Perſepolis dicitur. Ergo primus auctor antiquo, ſecundus nouo uſus nomine, eandem urbem intelligunt. Sed neque in locorum, ubi mortuus eſt, commemoratione ulla eſt contradictio. Nam quanuis à prioris libri auctore, poſt fugam ex Elymaide reuerſus Babylonem, à ſecundi uerò auctore, circa Ecbathanam diuinitus percuſſus dicatur, quarum urbium prior in Chaldæa, poſterior in Media ſita eſt: cùm non tamen in Babylone correptus languore dicatur, ſed tantùm quòd poſt fugam ex Elymaide, in Babylonem fuerit reuerſus, potuit in ipſo in Babylonem itinere, circa urbem illam Mediæ, quæ Ecbathanæ uocabatur, diuinitus percuti. Duo itaque illi loci de Antiocho Epiphane ſiue illuſtri, Antiochi magni filio, qui Iudæos afflixit, interpretati, nullo pacto à ſe inuicem diſsident.

Quis fuerit Antiochus, cuius lib. 2. c. 1. Machab fit mentio.

TERTIVS autem ille, qui ex ſecundi libri primo capite profertur, ubi Antiochus in templo Naneæ, capite truncatus ſcribitur, alius quiſpiam Antiochus huius prioris ſucceſſor, ex his, quos multos Syriæ reges huius nominis infeſtiſsimos hoſtes, Hieroſolymæ illa ætate tulerunt, eſt accipiendus. Hic tamen quis fuerit, non ſatis explicatum apud auctores inuenio. nam quòd non fuerit Antiochus Epiphanes, quod tamen quidam ex noſtris putarunt, ipſum genus mortis diuerſum, ſufficienter oſtendit. Quòd etiam non fuerit Epiphanis filius, qui ſexto capite prioris libri, & decimo ſecundi, à Lyſia regis propinquo Eupator uocatur, uel hoc manifeſtè conuincit, quòd idem Antiochus Eupator ipſi regni initio, à Demetrio Seleuci Philopatoris filio, qui Romæ obſes fuerat, capite ſeptimo prioris libri interficitur.

Sunt & qui hunc Antiochum, fuiſſe Antiochum Alexandri filium, qui libri prioris capite undecimo, à Triphone, deiecto Demetrio, in regnum erigitur, ſuſpicentur. nam ipſe poſtea capite decimotertio, ab eodem Triphone tyranno per dolum occiditur. Potuit autem hic dolus fuiſſe, qui illo primo capite ſecundi libri deſcribitur, quòd ſcilicet, cùm eſſet iuuenis, & ad templum Naneæ dotis nomine multas pecunias, quas illic doloſè per ſacerdotes, Triphon regni inuaſor, ne eius facinoris reus uideretur, collocaſſet, accepturus peruenſſet cum paucis, templum ingreſſus, fuerit lapidibus obrutus.

Improbatio præcedentiū ſenten.

Quas ſententias, ideò approbare non poſſum, quòd ſiue Antiochus Eupator Antiochi Epiphanis filius, ſiue Antiochus Sedetes, Alexandri filius, in tam parua ætate, tam acerbas clades Iudaico populo intuliſſe, ut publica congratulatione totius gentis eorum mortes ſuſceptæ fuerint, ueriſimile non credam. Præter hoc, quòd ut ex capite ſexto, & tertiodecimo libri primi colligitur, nulla iſti Antiochi contra populum Iudæorum bella mouerunt.

Vera ſententia.

Eſt itaque hic Antiochus, qui primo capite ſecundi libri, in templo Naneæ occiſus dicitur, Antiochus Demetrij primi filius, quem quoque ſæuiſsimum hoſtem eſt per-

peſſa

peſſa Iudæa, cuius penultimo & ultimo capite libri prioris fit mentio, neque eius interitus toto libro, qualis fuerit, recenſetur. Hic enim inter omnes reges Syriæ propriè hoſtis & potentiæ Iudaicæ domitor ab hiſtoricis dicitur. Igitur, inquit Iuſtinus, Antiochus, memor quòd etiam pater propter ſuperbiam inuiſus, & frater propter ſegnitiem contemptus fuiſſet, ne in eadem uitia incideret, accepta in matrimonium Cleopatra uxore fratris, ciuitates, quæ initio fraterni imperij defecerant, ſumma induſtria perſequitur, domitasque rurſus, regni terminis adiecit. Iudæos quoque, qui in Macedonico imperio ſub Demetrio patre, armis ſe in libertatem uēdicauerant, ſubigit. Quorum uires tantæ fuere, ut poſt hunc nullum Macedonum regem tulerint, domeſticisq; imperiis uſi Syriam magnis bellis infeſtauerint. Hactenus Iuſtin. Conſtat autem hunc Antiochum, filium eſſe Demetrij, qui contrahendorum auxiliorum gratia contra Triphonem Mediam perueniens, ab Arſace Perſidis, & Mediæ rege comprehenſus eſt. Conſtat etiam fuiſſe fratrem Demetrij prioris illius Demetrij primogeniti, qui Simoni ſacerdotium ſummum Hieroſolymitanum donauit. Conſtat demum ex eodem capite, Iudæorum gentem cum cæteris ciuitatibus tempore horum Demetriorum ab imperio Syriaco defeciſſe. Ita ut & prophanorum tum Græcas, tum Latinas, ſiue ſacras hiſtorias mihi conſideranti, is Antiochus, cuius ultimo & penultimo capitibus prioris libri fit mentio, illemet prorſus eſſe uideatur, quem ſæuiſsimum hoſtem Iudæorum, utrunque genus hiſtoriarum recenſet. Is nanque cum primùm, tantiſper, dum Triphonem tyrannum opprimebat, opera Iudæorum, & amicitia fit uſus, poſtea tamen eorundem hoſtem, paterni regni recuperandi prætextu, ſe profeſſus eſt. Huius igitur, qui, ut Iuſtinus inquit, Iudaicam potentiam omnino contriuit, & poſtquam nullus alius Iudæam uexauit, mors & interitus, ſumma totius gentis Iudaicæ, quaſi finitis iam, & de medio ſublatis perſecutoribus, in ea epiſtola lætitia ſuſcipitur. eſtque initio eius libri ab auctore poſita (cùm tamen hic Antiochus ultimus perſecutorum extiterit) per anacephalæoſim, ne ſuſpenſa prioris libri, qui eiuſdem Antiochi ultimò meminerat, uideretur hiſtoria. aut, quòd magis puto, ut omnium atrociſsimi hoſtis denunciato interitu, tota epiſtola, ideſt totus ille liber ſecundus, quietius legeretur, ut ſtatim dicemus.

Iuſtin. hiſtor. lib. 35.

1. Mach. 15

Atque huic ſententiæ, quam profectò ueriſsimam puto, nihil aliud uidetur aduerſari, quàm quòd in titulo epiſtolæ, in qua Antiochus in templo Naneæ capite truncatus refertur, Iudas ponitur, cuius tempore nondum hic rex Antiochus Demetrij filius extiterat. Nam Iudas ſub Demetrio Sotere Seleuci Philopathoris filio, qui Romæ fuerat obſes contra Bacchidem pugnans, prioris libri cap. 9. interemptus ſcribitur. Vnde huius Antiochi, qui Simoni ſacerdoti maximo cap. 15. prioris lib. epiſtolas mittit, mortem uidere non potuit, ut eam per Aegyptum conſtitutis Iudæis gratulabundus ſcriberet.

Verùm huic obiectioni facilè reſpondetur illo primo capite prioris libri nō unam, ſed duas eſſe epiſtolas non tam uerborum forma quàm ſcribentium intentione diſtinctas, ut ſcilicet Iudæ uoluntas, qui iam fuerat uita defunctus, non item ipſe Iudas in ea epiſtola loquatur. ſciebant enim hanc fuiſſe olim Iudæ Machabæi uoluntatem, ut dies illi in gratiarum actiones ab omnibus Iudæis ſolennes colerentur, atque adeò nacti iam pacem ex antiqua Iudæ epiſtola, & propria, quam mittebant, unam & eandem facientes, Iudam honoris gratia, Simonis nomen reticentes in epiſtolæ exordio, quaſi eius auctorem conſtituerint. Meminerunt autem huius Antiochi potius quàm alterius cuiuſcúq; ex his, qui Hieroſolymis fuerant infeſti, quòd eius minas, & ſæuitiam tota Iudæorum gēs cum ætate creſcentem formidaret. fuit enim hic Antiochus omnium crudeliſsimus. unde & Gryphi nomen ſortitus eſt. Quamobrem huius epiſtolæ, quæ ad conſolandos Iudæorum animos tot bellis fractos, mittebatur, ſtatim ipſo exordio, hoſtem, quē tantopere formidarunt, ut epiſtola quietori animo legeretur, annuntiare conueniebat.

Oportet autem lectorem aduertere, adeò eſſe perplexam eorum Regum, qui uel apud Aegyptum, uel apud Syriam regnauerunt, hiſtoriam, totque fuiſſe Antiochos, Seleucos, Alexandros, Ptolemæos, ut nedum in hiſtoriæ Iudaicæ breuiario, ſed neque in prophanis auctoribus, qui eorum temporum hiſtorias habent, planè percipiantur. Adeò enim eorum ambitio, & eorum Regum crudeliſsima dominandi libido fuit, ut potius eorum imperia fortunæ ludibria, quàm regna fuiſſe uideantur.

Sūt, fateor, inter Chriſtianos auctores, qui de uno & eodē Antiocho, Epiphane ſcilicet

accipi

accipi uelint, ita ut in tẽplo Naneæ dicatur occiſus, non quòd ipſe ibi fuerit occiſus, ſed quòd eius ſodales, & amici ibi fuerint dolo ſacerdotũ oppreſsi. Ipſe autem inde fuga ſublatus, & forſan percuſſus, & triſtitia uehemẽti, ut primo lib. auctor c. 6. prodit, & uiſcerũ diuinitus inflicto tormento, ut 2. lib. ſcriptor c. 9. ait, fuerit tandẽ extinctus. Sunt & qui hunc Antiochum non Epiphanem, ſed Antiochum Magnum eius parentem uelint fuiſſe. Cuius ſententiæ, niſi penitus ſallor, Ioſephum Iudæum patronum me legiſſe memini.

Verùm iſtæ opiniones, ac ſimiles, ſunt eorum hominum, qui, ne uideantur aliquid ignoraſſe, ubique uolunt aliquid dicere. Profectò Antiochus Magnus nulla cum Iſraëlitico populo bella geſsit: unde non erat cur uel diuinitus percuteretur, uel Iudæi de eius interitu tantopere gratularentur. Deinde quiſquis ille fuerit Antiochus, qui primo cap. lib. 2. Machabæorum in templo Naneæ occiſus ſcribitur, ex illa profectò oppreſsione ſupereſſe non potuit, tum quòd ſi euaſiſſet, auctor libri, qui poſtea c. 9. mortem Epiphanis deſcribit, hanc euaſionẽ uel hîc uel illic non ſiluiſſet: tum deinde quòd apertè eo loco cum ſociis occiſus dicatur. Cùm autem, inquit, intraſſet Antiochus, aperto occulto aditu templi, mittentes lapides percuſſerunt ducem, & eos, qui cum eis erant, diuiſerunt membratim, & capitibus amputatis, foras proiecerunt. Dux profectò eo loco alius, niſi Antiochus ipſe, intelligi non poteſt. Sed neq; ſociorum occiſio tanti eſſet

2. Mach. 1. apud Iudæos, ut pro ea tota Iudæorũ reſp. lætari debuiſſet, Per omnia, inquit, benedictus Deus, qui tradidit impios. Antiochus deinde Magnus, patet Antiochi Epiphanis, quòd nunquam fuerit reipublicæ Iudæorum infeſtus ſed tantùm Romanis & Græcis, non erat, cur ſua morte eidem populo tantam afferret lætitiam, quanta ex eius Antiochi interitu, quaſi ex ſæuiſsimi hoſtis diuina ultione, contigiſſe inſinuatur. Obiiciunt ſecun-

Secunda Iudæorũ obiectio. dò Iudæi, quòd in his libris Machabæorum, in temporis numero multa ſint mendacia, quæ neque ſecum, neque cum ueris hiſtoriis Græcorum conueniant. Quale eſt illud, quòd epiſtola Iudæorum, & Iudæ, ſub numero annorum 118. prænotatur. Cùm Iudas contra Bacchidem Demetrij Seleuci filij ducem pugnans, anno 152. obierit in prælio, Vnde ridentes colligunt, Iudam 36. annos poſt mortem, eam epiſtolam ſcripſiſſe. Quo loco & aliud uolunt eſſe non minus intolerabile in computatione annorum epiſtolæ Simonis. Nam cùm eam epiſtolam non ante adeptam per Demetrium Demetrij filium libertatem ſcripſerint, hanc uerò libertatem non ante annum 170. fuerint conſecuti, ut auctor, libri 1. c. 13. ſcribit, non potuit anno 169. ut illo loco dicitur, epiſtola ſcribi. aut concedendum eſt, alterum horum locorum eſſe mendacem. Eſt & alius locus lib. 2. c. 1. qui quanuis contradictionem non arguat, eſt tamen omnium Græcorum computationi contrarius, ubi dicitur, Antiochus Epiphanes, anno 137. regnaſſe, cùm regnauerit anno 153.

Ioan. Viterbien. Quibus obiectionibus quidam ita reſpondent, ut uelint uniuerſos numeros, qui ſunt in libris Machabæorum, quos à Ioſepho editos dicunt, falſos eſſe: Vnde libros Machabæorum antiquos, uolunt eſſe canonicos, hos uerò, quos modò in manibus habemus, ex adiectione numerorum uolunt eſſe apocryphos. Verùm hoc potius eſt nodum ſcindere, quàm diſſoluere. ſtatuimus enim hos, quos modò habemus, libros Machabæorum, canonicos eſſe, & ab Eccleſia eodem honore coli, quo reliqua, quæ in canone cõtinentur, ſacra uolumina, ad quæ, ſi ſemel mendacium fuerit admiſſum, ut rectè inquit

Auguſt. in epiſt. ad Hieron. 9. d. c. Si ad ſcripturas. Auguſtinus, tota eorum auctoritas corruit. Sed neque eſt uero ſimile, aut Eccleſiam libros hos à Ioſepho uitiatos approbaſſe, aut Deum, qui in hac parte non paruam adhibet prouidentiæ portionem, quique tot ſæculis reliqua ſacra uolumina, contra aliarum ſcripturarum conſuetudinem, quæ uix centum annis incorruptæ permanere ſolent, inuiolata ſeruauit, libros hos, ſi ſemel fuerunt canonici (ut hi aiunt) permiſſurum, ut cuiuſque hominum uiolentas manus ſuſtinerent. Præter hoc, quòd, qui hoc ſcribunt, neque hanc traditionem numerorum à Ioſepho factam, quemadmodum neque multa alia, quæ uaniſsimè in commentariis Beroſi nobis effutiunt, legerunt, neque alia probabiliori ratione eam nobis obtrudunt, quàm quòd ita ſomniarint. Sunt etiam & huius ingenij, ut multi alij ſola nominis profeſsione Chriſtiani, qui ſi uiderint prophanas hiſtorias uel in minimis rebus à noſtris diſcedere, illas ueriſsimas, noſtras contrà falſiſsimas, & mendaciſsimas arbitrentur. Quòd nimirum prophani ſcriptores, præſertim uerò Græcorum hiſtorici, noſtris amantiores ueritatis extiterint. Itaque his, Dionyſius

ſius, Diodorus, Arrianus, immo Herodotus, & ſi quem alium mendaciorem, ueridica
illa Græcia tulit, ſanctioris ſunt auctoritatis, quàm Moſes, Samuel, Hieremias, &
reliqui rerum diuinarum ſcriptores. Cùm contrà ſit lectionis uſu compertiſsimum, etiã
in rebus grauiſsimis, nec dum in numerorum computatiunculis, quibus nullus cum alio
conuenit, prophanos ſcriptores, unum ab altero, pluſquàm cœlum à terra ſæpe diſce-
dere. Quis enim eorum duos in eiuſdem hiſtoriæ narratione uidit unquam concordes?
Et quidem ſi externorum ſcriptorum ſit auctoritate certandum, ego (fateor) mallem
Ioſepho uiro diligentiſsimo, & in Iudæorum antiquitate conſultiſsimo, quàm ulli pro-
phano, præſertim Græco ſcriptori, ubi diuina ſcriptura non contradicit, fidem adhibe-
re. Sed ad rem.

Epistola illa, in qua Iudas cum Senatu Iudæorum, Iudæis, extra terram promiſ- Diluitur Iu-
ſionis uagantibus, ſcribit, cùm eo tempore, quo nondum pace per Græcorum reges in- daica obie-
dulta, immo uerò in ipſis mediis belli conflictationibus, uiuente adhuc Iuda Macha- ctio.
bæo, fuerit ſcripta, non Græcorum, ſed Hebræorum, quo poſt Babylonicam ſeruitu-
tem utebantur, computo, fuit prænotata. Erant adhuc res Iudæorum integræ, neque
quippiam ab externis nationibus, à quarum commercio ſuo more alieni erant, fuerant
mutuati. Quæ res poſtea, per Simonem Pontificem, fœdere cum Demetrio percuſſo,
& pace iam compoſita, durare non potuit, quòd pacis nimirum ipſa conditio poſtulare
uideretur, ut in his, quæ patriis legibus non obuiarent, Græco illi imperio, cuius com-
mercio iam gaudebant, ſeſe accommodarent. Sunt igitur illo loco, ſicut duæ epiſtolæ,
altera Simonis Pontificis, Iudæ & totius Senatus Iudæorum altera, ita quoque duæ an- 2. Mach. 1.
norum computationes, Iudaica una, quæ in epiſtola Iudæ ponitur, Græca altera, quæ in
epiſtola Simonis collocatur. Et illa quidem prior non à Græcorum imperio, ſed à duo-
decimo anno Regni Aſſueri, quo anno admirãda quadam ratione, tota Iudæorum pro-
genies ab interitu per Aman procurato, fuit præſeruata, numerum incipit: altera uerò,
ab imperio Alexandri. Sic autem numerus prioris computationis deducitur. Regnauit Nicol. Lyr.
Aſſuerus quadraginta annis, quorum duodecimo incluſiuè mirabilis illa Iudæorum li- Dan. 9.
beratio fuit facta. Remanent igitur uiginti nouem regni Aſſueri, poſt populi Iudaici li- & 1. Ma-
berationem. Huic autem Aſſuero, Darius Heſter filius iuxta Hebræorum, contra quos chab. 1.
in hac parte decertamus, ſententiam, in imperio ſucceſsit, qui ſex annis uſque ad Hie-
roſolymitani templi ſecundam erectionem tantum regnaſſe, & ex ſexto capite Ezræ, &
Neæmiæ quintodecimo proditur: quo ſcilicet tẽpore fuit per Alexandrum Aſia truſus,
à quo & Græcorum imperium incepit. Huius uerò regni Græcorum, cum Iudas Ma-
chabæus, poſt templi per Antiochum Epiphanem uiolati expiationem, eam epiſtolam
ut feſtum illud purificationis à cæteris quoque Iudæis coleretur, ſcriberet, 148 annos
fluxiſſe, certiſsimè conſtat. Quòd ſi his uiginti nouem, qui ſub imperio Aſſueri, poſt
populi liberationem fluxerunt, & ſex Darij ab Alexandro ſuperati coniunxeris, integer
ille numerus, qui in epiſtola Iudæ prænotatur, conſurget, nimirum 188.

Sunt & qui hos centum octuaginta octo annos ita numerent, ab Alexandro uſque ad
Iudæ Machabæi uictoriam, qua Iudæi liberati fuerunt ab impiis, fluxerunt, anni 148
ut patet primo Machabæorum 4. Ante Alexandrum autem, ex quo Iudæi liberati fue-
rũt per Heſteris matrimonium, fluxerũt anni circiter 46, Darij quidem ultimi anni ſex,
Arſacis 4, Artaxerxis Ochi 26. qui ſimul 36 annos explent. Ex regno uerò Aſſueri, ſu-
muntur anni 6. ante cuius obitum fuit illa liberatio, quam Iudæi פורים phurim,
ideſt, ſortes, appellant, cùm idem Aſſuerus annos quinquagintaquinque regnauerit.
Rationi uerò conſentaneũ eſt, non eo anno, quo facta fuit liberatio, ſed ſequenti, quòd
indictio nouæ feſtiuitatis non modicam apud eam gentem, ſuopte ingenio ſuperſtitio-
ſam, deliberationem requireret, feſtum illud Phurim Hieroſolymis fuiſſe cœptum cele-
brari. Reſultat igitur 188 annorum ex omnibus his integer numerus, non quidem ex
anno, quo gens Iudæorum fuit à periculo illo liberata, ſed à ſequenti anno, quo Hie-
roſolymis fuit cœpta celebrari phurim, ideſt ſortium feſtiuitas. Atque hæc ſecunda com-
putandi ratio, magis mihi placet, quòd cum gentium hiſtoriis & Chriſtianis chronicis,
quæ inter Aſſuerum ſiue magnum Artaxerxem, & Alexandrum, Artaxerxem Ochum,
& Arſacem, regnaſſe conſentiunt, magis conueniat.

Hinc ad ſecundum ſcrupulum, qui ex epiſtola Simonis conſurgebat, patet reſponſio.

Vtitur iam Simon & totus ille Indæorum Senatus, recepta computatione Græcorũ, quorum per fœdus iam ictum utebantur commercio. Eſtque nerißimum, quod in obiectione dicitur, eam epiſtolam ante adeptam pacem à Demetrio Demetrij filio ſcriptam non fuiſſe, eamq; pacem 170 anno fuiſſe per Demetrium indultam, ut libri prioris au-
1. Mach. 13 ctor ſcribit. Verùm cùm res ac negotia, præſertim grauißima, & pro quibus inter eas nationes tantum ſanguinis fuerat effuſum, non uno temporis momento, geſta fuiſſe, ſit rationi conſentaneum, nihil ſanctæ ſcripturæ ueritati detetitur, ſi dicamus Simonem Pontificem, annum, qno cœpta fuit utriuſque Iudaicæ & Græcæ nationis concordia, tractari: anctorem uerò primi libri, ſequentem, quo pax erat iam profecta, reſpexiſſe, ut uiris & rerum Iudaicarum & ſanctæ ſcripturæ conſultißimis placuit.

Nicol. Lyr. Excluditur tertius Iudaicus ſcrupulus.

ACCEDAMVS iam ad tertium ſcrupulum, qui ex primo capite libri primi Machabæorum deſumitur, quo contra prophanorũ hiſtorias, Antiochus Epiphanes, anno 137 regnaſſe refertur. Quem ſcrupulum, ſunt apud noſtros, qni hac ratione diluant ut uelint, hanc annorum computationem, non ab Alexandro, ſed à Seleuco, qui primus poſt Alexandrum regnauit in Syria, hoc pacto deduci. Seleuci quidem Nicanoris 42, Antiochi Soteris, iuxta ueriorem compntationem 19, Antiochi, qui Theos cognominatus eſt, 15, Seleuci Galinici 20, Seleuci Cerauni 3, Antiochi Magni 36, Seleuci Philopatoris, cui in Regno ſucceßit Antiochus Epiphanes, 12. ex quibus ſimul iunctis 147 annorum numerus conſurgat.

Verùm cùm Danielis nono primo & ſexto capite, libri prioris Machabæorum, regnum Græcorum, non à Seleuco, ſed ab Alexandro Macedone exordium habuiſſe dicatur, neqnaquam aliis tuta uidetur hæc ſententia, nec ſatis cum gentium hiſtoriis, quæ omnes ab Alexandro Macedone hanc computationem inchoant, cohærens. Immo uerò falſam eſſe dicunt eam computandi rationem, in qna ultimus annus prioris regis, pro primo ſequentis compntatur: unde prouenit, ut in nouem regum Syriæ ſucceßione, nouem anni fraudentur, cùm idem annus bis computetur. Volunt ergo hoc pacto numerum illum 147 annorum integrum ſurgere, à Selenco Nicanore ad Antiochum Epiphanem fluxerunt anni 138, ſi eundem annum bis non computemus, quibns ſi addas nouem qui in his nouem Syriæ regibus bis computabantur, & quibus in Aſia Alexander imperauit, reſultant integri 147. Quòd ſi obiicias, capite illo primo, primi libri Machab. ſcribi, Alexandrum duodecim annos regnaſſe, reſpondent, hunc duodecim annorum numerum, non ab imperio Aſiatico, cui tantùm nouem annos præfuit, ſed ab eo tempore, quo Philippo patri, regi Macedoniæ, ſucceßit, eſſe inchoandum, ut tres ſcilicet annos in imperio Aſiatico expugnando conſnmpſerit, ex quibus omnibus numerus ille 150 annorum, quo in Græcorum hiſtoriis Epiphanes regnaſſe perhibetur, integer ſurgit, ac proinde inter numerum illum, qui primo Machab. ponitur, & illum, qui à Græcis ſcribitur, nulla eſt diſcordia, dum hi ab integro imperio Alexandri, ſacra uerò hiſtoria ab eiuſdem imperio Aſiatico computationem deducunt. Cui ſententiæ, quòd & cum gentium hiſtoriis & cum ipſa ueritate conueniat, diſſentire non poſſum.

EST autẽ hîc mihi admonendus lector, huiuſmodi quaſtiones uanißimas eſſe, & ſemper apud grauißimos quoſq; uiros irriſas. Quis enim in tanta ſæculorum antiquitate, in tanta gentium, & nationũ, quarum nulla niſi poſt Rom. imperium cum alia in menſium & annorum menſura conuenit, uarietate, tot uel tot annos hunc aut illũ regem regnaſſe, hunc aut illum hominum uixiſſe, niſi cum euidenti leuitatis indicio aſſeuerare audeat, cùm reges, qui noſtra aut parentũ memoria imperarunt, quot annos aut menſes regnarint, immo cùm nec dũ aui noſtri quot annos uixerint, ſatis certò ſciamus? Scio grauißimos uiros huiuſmodi ſtudiis, Euſeb. Hierony. Rufin. &c. nauaſſe operã, uerùm quantis quamq; denſis opinionũ tenebris eorum chronica reſpergantur, dum omniũ opiniunculas recitant, qui in eorũ, ac ſimilium chronicorum lectione fuerit frequens, ſatis cognoſcet. Et alioqui, quis Chaldæas annorũ myriadas, quis Aegyptiaca ſæculorum milliaria,
Iuſti hiſto. lib. 1. cum cæterarum gentium cõputatione concordet? immò quis in eadem gẽte (Hebræam dico) ſatis percepit quæ eſſet illa annorũ ratio, qua Adam nongentos & triginta, Seth
Gen. 5. nõgentos & duodecim, Mathuſalem nongentos & ſexaginta nouẽ annos, uixiſſe referuntur, & ſimilia multa, quæ ſupradictis auctoribus olim non paruã ingeſſernnt difficultatẽ? Demum quãta in annorum numero inter Hebraicam ueritatem & ſeptuaginta interpre-

tes,

tes, in rebus etiam grauiſsimis, ſit differentia, neminem latête arbitror, qui uel tãtillam ſacræ lectionis ſtudio operam dederit. Non itaq; propter numerorum diſcordiam, cùm ſcilicet à prophanis auctoribus, qui in hac parte minimè omnium curioſi fuerunt, dum magis aliis rebus intendunt, ſancta ſcriptura diſſentit, immo neque ſi ab ſeipſa diſſentiret, falſa eſt exiſtimanda, quòd ſcilicet non omnes eius libri uno eodemq; ſæculo, neque proinde una & eadem computandi ratione uigente, fuerint editi.

Arguuntur tertiò iidem libri mendacij, quòd libro 1.c.9. Alchimus Demetrij dux, muros interioris domus templi euertiſſe cõmemoretur, cùm, ut aiunt, uſque ad Herodis regnum duraſſe ſit compertiſsimum. Verùm qui ſcite poſſunt Iudæi illos eoſdem muros uſque ad Herodis tempus ſtetiſſe, in tanto præſertim bellorum turbine? Potuerunt profectò illa ſancta ſanctorum, quæ ſecunda illa templi erectione facta fuerant, Alchimi ducis præcepto ſubuerti, & ſtatim Machabæorum ſtudio rurſus ædificata, conſurgere: nã multas huiuſmodi reædificationes ab eiſdem factas fuiſſe, eadem hiſtoria commemorat. Et alioqui quantum lucri putant Iudæi, illius libri auctori ex eo mendacio acceſsiſſe? Enimuerò res erat, quæ ſi non contigiſſet, neſcio cur ei hiſtoriæ fuiſſet inſerenda. Perſuaſum habebant duces illi, quibus cum Iudæis tunc temporis de imperio certamen erat, admirandam illam bellorum fortunam, qua Iudæi fruebantur, non aliunde quàm ab eius Dei, quem colebant, templo deriuari, præſertim uerò à ſanctis ſanctorum, ubi redebantur oracula. Cur ergo, ea rerum Iudaicarum conditione, cùm Iudas Machabæus fuerat occiſus, & Bacchides & Alchimus, cùm propter famem ſubortam, tum propter uires Iudæorum attritas, integro totius eius gentis potirentur imperio, non putemus ſancta ſanctorum prophana impietate ac ſuperſtitione, quæ ſibi perſuaſerat, loco oraculorum diruto, omne prorſus auxilium, quod diuinitus illi populo ſciebant impendi, ceſſaturum, fuiſſe diruta, & rurſus à Ionatha erecta? Sed neque capite illo 9. Alchimum ſancta ſanctorum, aut muros interioris templi facto diruiſſe commemorat, ſed præceptum de diruendis dediſſe, Anno, inquit, centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecũdo, præcepit Alchimus, deſtrui muros domus ſanctæ interioris, & deſtrui opera prophetarum (nimirum Aggæi, Zachariæ & Malachiæ, qui ſecundæ ædificationis fuerunt miniſtri) & cœpit deſtruere. in tempore autem illo, percuſſus eſt Alchimus, & impedita ſunt opera illius, & occluſum eſt os eius, & diſſolutus eſt paralyſi, nec ultrà potuit loqui uerbum & mandare de domo ſua, & mortuus eſt Alchimus in tempore illo, cum tormento magno. Vides tantummodò hîc de ſanctis ſanctorum diruendis inſinuati præceptum, & euerſionis aggreſsionem? Cœpit inquit deſtruere. Immo uerò uides diuinitus inflicta paralyſi, à nefandi operis patratione fuiſſe prohibitum? Percuſſus eſt, inquit, Alchimus, & impedita ſunt opera illius.

Ter. obiectio in lib. Machab.

Quartò rident Iudæi hiſtoriam arcæ fœderis, altaris incenſi, tabernaculi & oraculi, quam auctor libri ſecundi Machabæorum primo eius lib. cap. ſcribit, ubi poſt Hieroſolymitanum excidium, ea omnia, à ſacerdotibus Dei præcepto, in montem, ex quo Moſes terram promiſsionis primitus uiderat, aſportata commemorat, poſteaque remigrationis tempore à nepotibus eorundem ſacerdotum rurſus inuenta &c. Præſertim cùm doceat eiuſdem libri cap. 2. præceptum illud diuinum de his rebus aſportandis, per Hieremiam ſacerdotibus fuiſſe prolatum. Aut id diuinum præceptum ante uerbis excidium, aiunt, fuit per Hieremiam ſacerdotibus denunciatum, aut poſt. Ante quidem denuntiari non potuit, quòd toto illo tempore Hieremias uinctus in carcere fuerit, ut ex 37 & 38 eius capite habetur, præſertim in tam acerbo odio, quo eundem prophetam & reges & ſacerdotes, immo uerò uniuerſus populus proſequebatur, quòd quantumuis ille uinculis ſolutus fuiſſet, ne præceptum illud diuinum crederetur, potentiſsimè impediiſſet. Sed neque poſt urbis expugnationem, id factum fuiſſe credi poteſt, cùm inſolentiſsimi hoſtes, & uictoria elati, quique uiliſsimis quibuſque pro militari rapacitate inhiare ſolent, res illas precioſiſsimas quæque ingenti precio redimi, aut in patriam, in eius ſuperbiſsimæ nationis triumphos aſportari potuiſſent, dimiſſuri non eſſent. Qui enim credi poſsit, aiunt, ut qui uniuerſa templi ornamenta, columnas ſcilicet æreas, quæ erant in templo Domini, baſes & mare æneum, ollas quoque æreas, trullas, & tridentes, ſcyphos & mortariola, & omnia uaſa ærea, in quibus miniſtrabant, nec nõ & thuribula & phyalas rapuerint, tabernaculum, arcam fœderis, altare &c.

Quarta Iudæorum obiectio.

4. Reg. 25.

quæ illic commemorantur, contempſerint? aut cur Nabuzardam militiæ princeps, quẽadmodum & cæteri quique duces, gloriæ auidus, quiq́ue omnia uaſa aurea & argentea ſibi uſurpauerat, has precioſiſsimas exuuias, cum duabus illis colũnis argenteis & mari æneo non aſportaſſe credamus? Sic iſti totam eam narrationem fabuloſam irrident.

Verùm tantum abeſt ut Iudaicæ ratiunculæ, in hac parte, quod intendunt, obtineãt, ut potius contrarium ſuadeant. Nam cùm res illæ, ut ueriſsimè aiunt, uniuerſorum Iudaicorum ſpoliorum eſſent precioſiſsimæ, ſi cum reliquis templi & eius generis exuuiis ab exercitu Babylonico abductæ fuiſſent, cur earum, cùm trullæ & mortariola & uiliſsima quæque templi uaſcula referantur, non fuiſſet habenda ratio? Cur, inquam, cùm columnæ argenteæ, & mare uitreum, & reliqua aurea & argentea templi ſupellex, à principe militiæ uſurpata minutim recenſeantur, arcæ fœderis, quam conſtat fuiſſe

Exo. 25. & 37. preacioſiſsimam, tabernaculi, in quo conſtruendo, tantum fuit diuitiarum expenſum, propitiatorij ſiue oraculi, duorum cherubin aureorum &c. in ea graſſatione memoria non fieret? Itaque non leui, ſed uehementi prorſus argumento colligitur, nunquam illa, hoſtili licentiæ fuiſſe permiſſa, neque in prophanæ gentis ſpolia ceſsiſſe. Neque uerò decebat res illas ſanctiſsimas, & quæ in eo populo tot ſæculis certiſsimæ pyxides diuinitatis extiterant, quibusq́ue ex pacto, Deus ſuam fidem obſtrinxerat, & quas ſolus Pont. non ſemper, ſed ſemel tantùm in anno, propter eximiam earum ſanctitatem, non quo-

Heb. 9. uis pacto, ſed cum ſanguine, quem pro ſe ipſo & populi, quaſi Deo ipſi præſenti, peccatis offeret, accedens uidere poterat, ſpurcè gentis libidini exponere. Ergo reſpon-

Diluitur Iudæa ratio. demus Iudæis, non ante urbis excidium, tum propter eius gentis cæcam iniquitatem, & infidelitatem, propter quæ prophetico uaticinio, fidem adhibere non poterant, tum propter ſancti prophetæ carceres, ſed poſtea expugnata iam urbe, præceptum illud diuinum de abducendis tabernaculo, arca, propitiatorio, igne ſacro, &c. per Hieremiam prophetam ſacerdotibus latum. Neque uerò eius præcepti executionem uictoris exercitus, qui non quantum uolebat, ſed quantum diuinitus ſinebatur, ſæuire poterat, quòd tantum eſſet diuini furoris uirga, militari auaritia prohiberet, cùm certum ſit, ex ipſa ſacra hiſtoria, eundem Hieremiam à Nabuchdonoſore & Nabuzardane, Dei miniſtrum & prophetam ueridicum creditum: immo quando certum eſt, Babylonium illum regem apud ſe ſtatuiſſe, non ſua aut ſui exercitus militari uirtute, ſed propria ne-

Hier. 40. quitia & peccatis, eum populum ſibi diuinitus traditum. Dominus Deus tuus (ait ad ſanctum prophetam militiæ princeps) locutus eſt malum, ſuper locum iſtum, & adduxit & fecit Dominus ſicut locutus eſt, quia peccaſtis Domino, & non audiſtis uocem eius, & factus eſt uobis ſermo hic. Profectò uictor exercitus, qui ita apud ſe ſtatuiſſet, non quantam poſceret militaris rapacitas, ſed quantam ſancti prophetæ, quem Dei miniſtrum certiſsimè nouerat, præſtituiſſet imperium, ſibi erat rapiendi licentiam indulturus. Atque ad id quidem mihi pertinere uidetur præceptum illud, quod capta

Hier. 39. iam Hieroſolyma, à rege Babyloniæ principi exercitus de Hieremia traditur, Tolle, inquit, illum, & pone ſuper illum oculos tuos, nihilq́ue ei mali facias, ſed ut uoluerit, ſic facias ei. Quo generali præcepto, haud obſcurè innuitur liberum fuiſſe Hieremiæ, quidquid uellet ex templo aut aliunde, præſertim ſi id diuinitus poſtulari diceret, in illa urbis deſolatione ſurripere.

2. Mach 1. Quintò mendacij eandem primi capitis narrationem accuſant, quòd tranſlationem

Quinta obiectio. Iudæorum in Perſidem factam doceat, cùm ex ſacra hiſtoria conſtet, in Chaldæam &

4. Reg. 25. & 2. Paralip. 36. Babyloniam factam fuiſſe. Cui quidem obiectioni, ſunt qui reſpondeant hanc translationem in Perſidem, non de quibuſcunque, ſed tantùm de Iudæorum decem tribubus eſſe accipiendam, quæ & in Aſſyrios & in Perſas tranſlatæ dicantur.

Sed ego cùm in Aſſyrios & Medos traductas legam, nullo tamen ſacræ hiſtoriæ loco,

4. Reg. 17. & 18. decem tribus in Perſidem tranſlatas reperio: neque ſi alicubi legerem, hunc locum de eorum Iudæorum, quibus nihil erat cum ſacerdotio aut templo commune, tranſlatione poſſe accipi exiſtimo. Cùm (inquit) in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes &c. in decem profectò tribubus, ſacerdotes non erant, quòd ſi fuiſſent, apertè hic auctor inſinuat, non ſe de priori illo Samaritici regni excidio, quando nullo pacto templum fuit læſum, ſed de ſecundo illo, quando cum tribus Iudæ tranſlatione, ſimul cum urbe fuit templum incenſum.

Sunt,

Sunt & qui ita hunc ſcrupulum eximant. Cnm rege, aiunt, Babylonio, cùm eius
nrbis expugnandæ gratia Hieroſolymam aſcenderet, multi quoque Perſæ, quæ prouin-
cia Babylonico regno finitima erat, ſunt aſcendiſſe credendi, quibus poſt nrbis exci-
dium, multi captiui obuenerint, potuit fieri ut Sacerdotes, qui tunc temporis miniſtra-
bant in templo, captiui ducerentur in Perſas. quod quanuis ſcriptura non conſtet, con-
ſtabat tamen Machabæorum ſæculo traditione parentum. Vnde Simon ſacerdos, qui
hoc ex paterna traditione ſciebat, dicere potuit, Nam cùm in Perſidem ducerentur pa-
tres noſtri &c. Quam ſententiã, quòd nihil illi aduerſari uideam, reprobare non audeo: *Vera Iudaica caluñia dilutio.*
mallem tamen, in hac parte, figuratam eſſe locutionem, ita ut per ſynecdochẽ, pars pro
toto accipiatur, non quidem eius tẽporis, quo Iudaicæ tribus translatio facta eſt, re-
ſpectu. nam tunc per Arbacem & Belum militiæ principes, occiſo Sardanapalo, & diſ-
ſoluta Monarchia, in ſingulis illis prouinciis Media, Aſſyria, & Perſia, à ſingulis Regi-
bus regnatum eſt. Vnde neque Iudæos, Rex Aſſyriorum aut Babylonis, in Perſas trans-
ferre poterat, ſed eius temporis, quod poſt Monarchiam per Cyrum & Darios reunitã,
quæ uſq; ad Alexandri Aſiaticum imperium durauit, per anacephalæoſim habita ratione.
Quo quidem tempore quòd Cyrus & celeberrimi quique eius Monarchiæ reges, Perſæ
eſſent, uniuerſæ illæ prouinciæ, quæ eorum ſubiacebant imperio, Perſis aut Perſarum re-
gnum uocabantur, quemadmodum & Romanum aut Græcum imperium, quidquid ad
illud, ubicunque pertineret, uocare ſolemus. Dicit igitur auctor, in Perſidem ſacer-
dotes translatos, non quòd in ipſam Perſiæ prouinciam translati fuerint, ſed quòd in
Perſiæ imperium, per quod uniuerſas illas Aſiaticas prouincias, adhuc Machabæorum
ſæculo, quando antiqua illa conſuetudo loquendi nondum prorſus exciderat, intelligit,
traducti fuerint. frequens enim eſt, tum in communi colloquio, tum apud ſcriptores,
præſertim ſacros, non nouis ſed antiquis, & èconuerſo, non antiquis, ſed nouis prouin-
ciarum aut urbium per recapitulationem uti uocabulis. Neque uerò tempus illud, quo
Græci in Aſia regnauerant, tantùm fuerat, aut imperium eorum Aſiaticis nationibus,
præſertim uerò Hebræis, qui à Perſis Monarchis, ingentibus beneficiis cumulati fue-
rant, tam gratum, ut ratio illa antiqua loquendi euanuiſſet. Quòd autem poſt reſtitu-
tam monarchiam, totius Aſiæ reges, reges Perſarum, ac perinde tota Aſia, regnum Per-
ſiæ uocarẽtur, præter prophanos auctores, frequenti ſanctæ ſcripturæ phraſi docemur.
Anno tertio (inquit Daniel) Cyri régis Perſarum, uerbũ reuelatum eſt &c. Et ſubinde, *Dan. 8.*
Princeps regni Perſarum teſtitit mihi &c. non eius prouinciæ regnum tantùm, ſed totius *Dan. 10.*
Aſiæ, quam Perſiæ reges iam occuparant, imperium intelligens. Et poſteà, Ecce adhuc *Dan. 11.*
tres reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes, & cùm
inualuerit diuitiis, concitabit omnes aduerſus regnum Græciæ: per quos tres Perſiæ re-
ges, Hebræorum ſapientes, Cyrum, Cambyſem, Aſſuerum, ſiue Artaxerxem & Darium
eius & Heſter filium, à quo fuerit per magnum Alexãdrum, Aſiaticum imperium abla-
tum, intelligunt. quos tamen totius Aſiæ Monarchas fuiſſe, & ſacris & prophanis hiſto-
riis apertiſsimè conſtat. Quòd autem ea conſuetudo loquendi Machabæorum tempore
non euanuiſſet, ea, quæ in ea narratione ſubiunguntur, oſtendunt. Cùm autem, ait,
præteriiſſent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Neæmias à Rege Perſidis &c. Re- *2. Mach. 1.*
gem Perſidis non alium enimuerò, quàm Artaxerxem, qui tamen uniuerſæ Aſiæ impe-
rabat, Simon intelligit. *Neæ. 1.*

Quòd ſi cui placeat, Iudæos Hieroſolymitanos, non modò in Babylonem, ſed in
Perſidem quoque, quanuis tunc temporis Perſia ſub Babylonici imperij ditione nõ eſſet,
fuiſſe translatos, quemadmodum & Samaritæ antea per Aſſyriorum reges, non modò in
proprium regnum, ideſt Aſſyriam, ſed in Mediam quoque traducti fuerant, non refra- *4. Reg. 17. & 18.*
gor. Hoc unum ſat ſcio, tam his, qui hunc locum calumniantur, incredibilem futuram
eorum Iudæorum, qui ſub Samariæ ditione erant, translationem in Medos, quàm hãc,
ſacerdotum Hieroſolymitanorum in Perſidem, niſi id ſcripturæ auctoritate cogerentur
fateri. cùm Aſſyriorum rex eo ſæculo non Mediæ ſed Aſſyriæ tãtùm potiretur imperio.

Sextò Iudæis falſum uidetur, quod in eadem narratione dicitur, regem Perſidis, cõ- *Sexta obiectio.*
perto miraculo, quo aqua, Neæmiæ tempore aſperſum ſacrificium, diuinitus arſerat,
templum ædificaſſe. Vt uerò (ait) manifeſta eſt res, renunciatum eſt regi Perſarum, *2. Mach. 1.*
quòd in loco, in quo ignem abſconderant, hi, qui translati fuerant, ſacerdotes, aqua

apparuit, de qua Neæmias, & qui cum eo erant, purificauerunt ſacrificia. conſiderans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, ut probaret quod factum fuerat: & cùm probaſſet, ſacerdotibus donauit multa bona & alia, atque alia munera, & accipiens manu ſua tribuebat eis. Templum (aiunt) nullum aliud Deo aut erectum eſt, aut erigi potuit, quàm quod Hieroſolymis erat, quem locum Dominus iam dudum ele-
Deut. 12. gerat, iuxta illud, Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem uideris: ſed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcunq; præcipio tibi. de qua te nos alibi multa.

At loco huic, non erat, ut quibuſdam uidetur cur Iudæi calũniam inferrent, ſi rectè
Lib 2. de præcepto & diſpenſatione. ſuas hiſtorias & annales aduertiſſent. Nam rex hic, à quo Neæmias mittitur, quiq; templum propter hoc miraculum ædificaſſe refertur, (ut uolunt) idem ipſe eſt, ſi Iudæorum traditionibus eſt fides adhibenda, qui & Darius, à quo ſecundum tẽplum Hieroſo-
Nicol. Lyr. lymitanorum apud Ezram extruitur. Nec obſtat quòd apud Neæmiam Artaxerxes,
Ezra 6. apud Ezram uerò Darius uocetur, cùm illud dignitatis & officij nomen ſit, ut apud Aegyptios Pharao, aut Ptolemæus, & apud Romanos Cæſar &c. Hoc autem nomẽ proprium: qui duorum nominum uſus peculiari quadam ratione Aſiatico imperio familiariſsimus erat. Nam niſi uniuerſos illos Reges, binomines, trinomineſq; credideris, totius Aſiaticæ hiſtoriæ, ſiue apud Græcos, ſiue apud Barbaras nationes, etiam poſt mul-
4 Reg. 15. tam lectionem, expers abibis. Itaq; eiſdem Aſſyriis Phul ſecundus, qui Aſſar & Teglat, & ex omnibus conflato nomine Teglarphulaſſar, qui Galilæam & tribum Nephtalim regnante Phaceæ filio, Romeliæ in Aſſyrios tranſtulit: idem Salman qui Aſſar tertius, qui Oſee cum decem tribubus tranſtulit: idem Sennacherib, qui Sargon, qui contra Iudam ſub regno Ezechiæ aſcendit & cepit ciuitates munitas. Et ne omnes percurramus, idem Darius, cuius imperio templum Hieroſolymitanum erigitur, & Artaxerxes, qui Neæmiam Iudæam deſtinat, quique erecto templo priuilegia donat. Tantummodò enim quatuor reges poſt reunitam per Cyrum monarchiam (ut antea docuimus) Iudæis regnaſſe placet. primùm quidem Cyrum; ſecundum Cambyſem Cyri filium; tertium Aſſuerum Heſter uirum; quartum Darium, qui & Artaxerxes, in quo Perſica monar-
Dan. 11. chia finem accepit. Qua ratione uaticinium illud Danielis intelligunt, Ecce adhuc tres reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus &c.

Sed hæc ſententia, præter quàm quòd tantummodò quatuor reges in Perſica monarchia regnaſſe docet, quòd (ut antea diximus) neque cum gentium cæterarum hiſtoriis conuenit, quæ duodecim ponunt, neque cum ipſa ueritate ſatis cohæret, quæ nullo pacto permittit, tot ſæculis, quot Perſica monarchia approbatiſsimis ſcriptoribus duraſſe memoriæ proditur. quatuor tantummodò principes regnaſſe, neque rationi ipſi conſonat, quæ planè docet nequaquam ueriſimile eſſe, ut Deus ab eo, qui templum ſibi tãta animi pietate conſtruxerat, uniuerſum imperium per Alexandrum auferret: ipſi etiam ſacræ hiſtoriæ uiolenta uidetur, quæ Artaxerxem diuerſum à Dario, cuius mandato templum erigitur, planiſsimè docet: dum illo ſexto Ezræ capite, Artaxerxem inter eos reges, qui præceptum de reædificando templo dederant, diſtinctum à Cyro & Dario numerat. Et ædificauerunt & conſtruxerunt (ait) iubente Deo Iſraël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Perſarum, & compleuerunt domum Dei iſtam, &c. Vides hìc nimirum nullum his, qui Darium cum Artaxerxe confundunt, relinqui ſuffugium. nam tres reges ſub tribus coniunctionis notis ſcribuntur, quæ res manifeſtam diſcretionem arguit. Si quis enim dicat, M. Tullius Cicero legit, quòd nulla tria hæc nomina nota coniunctionis diſtinguantur, unum eundem hominem illis tribus nominibus ſignificari concipimus. Si quis autem notam coniunctionis interſerat, hoc pacto, Marcus & Tullius & Cicero legit, tribus illis nominibus tres diſtinctas perſonas ſignificari intelligimus, præſertim uerò, ſi uerbum pluralis numeri tribus illis reſpondeat. Ergo ſi Ezras dixiſſet, Aedificauerunt iubente Deo Iſraël, & iubente Cyro & Dario Artaxerxe regibus Perſarum, &c. nonnulla forſan ſuſpitio potuiſſet legentium animos ſubire, eundem eſſe Darium, qui Artaxerxes. Nunc uerò cùm diſtinctis notis ſcribantur, diſtincti ſunt reges. Agendum fuiſſet cum his Aſiaticis hiſtoriis, tum Latinis, tum Græcis, quæ quanuis non unum Artaxerxem, aut unum Darium, tantùm in Perſica monarchia fuiſſe recenſeant: nullum tamen Darium, cum aliquo Artaxerxe confundunt, niſi ſciremus,

eis

eis eas omnes in hac parte falſas haberi, quo Iudæorum, quam ſemel probarunt, ſenten-
tiam tueantur. Mihi itaque dicendum uidetur, non de quopiam alio templo, quàm de *Scrupulus*
Hieroſolymitano hîc ſermonem fieri, qui propterea à Rege Perſarum ædificatum dici- *Iudaicus*
tur, quòd ad id extruendum & facultatem, & ſumptus impenderit. *diluitur.*

Atqui hactenus quidem cum præcedenti ſententia libenter conuenio, cæterùm quis *Confutatio*
fuerit rex ille Perſidis, qui id præſtiterit, maior eſt difficultas. nam quanuis hoc loco, *prioris ſen-*
eum fuiſſe colligamus, qui Neæmiam ſacerdotem Hieroſolymam miſerit, & hunc eun- *tentiæ.*
dem Artaxerxem fuiſſe, Neæmias fateatur, tamen quis fuerit hic Artaxerxes, cùm duo *Neæmi. 1.*
in Ezræ priori libro legantur, alter qui Cyro, alter qui Dario in imperio ſucceſſerit, non *Prima ra-*
immeritò quæritur. Et quidem ille, qui capite ſeptimo Dario ſucceſsiſſe ſcribitur, quã- *tio.*
uis multa templi ſacerdotibus, & reliquis miniſtris conceſsiſſe referatur, eſſe non po-
tuit, quòd antea capite ſexto Darij eius anteceſſoris anno ſexto, totum templi ædi-
ficium conſummatum dicatur. Et ædificauerunt, inquit, & conſtruxerunt, iubente
Deo Iſraël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Perſarum, & compleue-
runt domum Dei iſtam, uſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni
Darij regis. Deinde, in hac narratione innuitur, aquam illam craſſam, in quam fue- *Secunda*
rat ignis ſanctuarij conuerſus, primò quod poſt reditum è Babylone ſacrificio fuit cele- *ratio.*
bratum, aſperſam fuiſſe. Conſtat autem ante hunc Artaxerxem, Darij tempore con-
ſummato templo, fuiſſe antiqua illa ſacrificia repetita, & celebrata, quòd apertè ea uer-
ba, quæ ſtatim ſubiunguntur, inſinuant, Fecerunt autem filij Iſraël ſacerdotes & Leuitæ *Ezra 6.*
& reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem domus Dei, in gaudio, & obtule-
runt in dedicatione domus Dei, uitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringen-
tos, hircos caprarum pro peccato totius Iſraël duodecim, iuxta numerum filiorum Iſ-
raël. Et demum edicto illo, quod Artaxerxes, qui Dario ſucceſsit 7. cap. dedit, nulla *Tertia ra-*
fit de templi ædificatione mentio, ſed tantùm facultas conceditur Ezræ ferendi ſecum *tio.*
Hieroſolymam quoſcunque Sacerdotes & Leuitas, qui patrium ſolum uellent repetere:
portandi etiam ſecum aurum, & argentum, quod idem Artaxerxes, & conſiliatores
ſponte obtulerunt Deo Iſraël, deferendique uaſa, quæ ab eodem rege in Dei miniſteriũ
donabantur. Et demum Sacerdotibus, & Leuitis cæteriſque templi miniſtris, priui-
legia libertatis conceduntur. Quæ omnia & templum & urbem iam ædificatam ſuppo-
nunt. Reliquum eſt igitur ut Artaxerxes, qui & Neæmiam mittit, & qui poſt illud mi-
raculum, templum Domino ædificaſſe hîc ſcribitur, ſit ille prior Artaxerxes, qui Cyro
immediatè ſucceſsit, cuiuſque idem Ezras cap. 4. meminerat, qui & Aſſuerus uocaba-
tur, In regno, inquit, Aſſueri ipſe & Artaxerxes.

Verùm qua ratione hic Artaxerxes templum Domino ædificaſſe dicatur, cùm potius
id priuilegium, quod eius ædificandi, Cyrus indulſerat, quorundam peſsimorum ſug-
geſtione ſubſtulerit; maius eſt dubium. Tamen ſi edictum, quod illo loco ab hoc Arta-
xerxe de impediendo Hieroſolymitano ædificio datur, rectè aduertatur, non abſolutè
templum aut urbs ædificari prohibetur, ſed quouſque aliud ille præcepiſſet. Prohibea-
tis, inquit, uiros illos ut urbs illa non ædificetur, donec ſi fortè aliud à me iuſſum fue- *Ezra 4.*
rit. Ergo quamuis publico edicto, ut illorum hominum, qui ſancto ædificio inuidebant,
zelo ſatisfaceret, de templo & urbe ædificanda priuilegium à Cyro prius indultum reſci-
derit, poſtea tamen, ut Neæmiæ, quem propter eximiam ſapientiam, & morum integri-
tatem cariſsimum habebat, cõplaceret, aut quod magis eſt credendum, quòd ita à di-
uina prouidentia ageretur, de urbe & de templo ædificando priuilegiũ dedit. Nam quòd
quando Neæmias ab hoc Artaxerxe miſſus Hieroſolymam uenit, neque templum neque
urbs proinde ædificata fuiſſet, neque proinde Darij, cuius capite ſexto fit mentio, neque
Artaxerxis illius, cuius capite ſeptimo fauores & priuilegia urbi ac templo iam ædifica-
tis indulta deſcribuntur, tempora aduenisſent, quæ ſtatim cap. primo Neæmiæ ſcribun-
tur, clarè oſtendunt. Venit (inquit) Anani unus de fratribus meis, & uiri ex Iuda, &
interrogaui eos de Iudæis, qui remanſerant, & ſupererant de captiuitate, & de Hieru-
ſalem, & dixerunt mihi, Qui remanſerant & derelicti ſunt de captiuitate, ibi in prouin-
cia in afflictione magna ſunt, & opprobrio, & murus Hieruſalem diſsipatus eſt, & portæ
eius combuſtæ ſunt igni. Et ſubinde ſecundo capite, cùm mœſtitiæ, quam præ ſe fere-
bat Neæmias, cauſam Artaxerxes exquireret, Rex, inquit, in æternum uiue, quare nõ

mœreat uultus meus, quia ciuitas ſepulchrorum patris mei deſerta eſt, & portæ eius cõ-
buſtæ ſunt igni. Apud Eccleſiaſticũ hoc illi laudi tribuitur. quòd muros erexerit, Neæ-
Eccl.49. mias, inquit, in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit
portas & ſeras, qui erexit domos noſtras. immo toto illo libro Neæmiæ penè nihil
aliud, quàm urbis ædificatio deſcribitur. nam cùm cœpta fuiſſe urbs & templum ædifi-
cari per Cyri priuilegium, & poſtea Cyro per Thomirim Scyrharum reginam extincto;
hoc Artaxerxe Rege malorum hominum ſuggeſtione, idem priuilegium fuiſſet reuoca-
tum, murus, qui iam aliquantus ſurgebat, per eoſdem dirutus eſt, & portæ combuſtæ.
Reſurgunt autem & murus & portæ, poſtea, eiuſdem Artaxerxis per Neæmiam extorto
mandato. Poſtea autem, ædificata iam urbe, & templi iactis fundamentis, ex hoc Ar-
taxerxis mandato & priuilegio, cùm in templi eiuſdem ædificio, ad quod erigendum,
& facultatem & ſumptus, idem Rex, poſt Cyrum impenderat, Iudæi deſides eſſent, per
Aggæum & Zachariam, prophetas repræhenduntur, Hic (ait Aggæus) dicit Dominus
Agge. 1. exercituum, populus iſte dicit, non uenit tempus domus Domini ædificandæ, nunquid
tempus uobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis; & domus iſta deſerta? Docenturq́;
ſubinde terræ ſterilitatem, qua tunc premebantur, non aliunde, quàm à templi Domini
ædificandi deſidia promanare, Ponite, inquit, corda ueſtra, ſuper uias ueſtras. ſemi-
naſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis & non eſtis ſaturati; operuiſtis uos;
& non eſtis calefacti; bibiſtis & non eſtis inebriati; & qui merces congregauit, miſit eas
in ſacculum pertuſum. Hæc dicit Dominus, Ponite corda ueſtra, ſuper uias ueſtras,
aſcendite in montem, portate ligna, ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glori-
ficabor dicit Dominus, Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus; intuliſtis in
domum, & exſufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus? quia domus mea deſerta
eſt, & uos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper uos prohibiti ſunt
Zach.8. cœli, & uocaui ſiccitatẽ &c. Et apud Zachariam, Hæc dicit Dominus exercituum,
Confortentur manus ueſtræ, qui auditis in his diebus ſermones iſtos per os prophetarũ,
in die, qua fundata eſt domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur; ſiquidem
ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum, nec introeunti neq;
exeunti erat pax præ tribulatione, & dimiſi unumquenque contra proximum ſuum; nũc
autem, non iuxta dies priores, ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus, ſed ſe-
men pacis erit, uinea dabit fructum ſuum, terra dabit germen ſuum &c. Tunc uerò pro-
pheticis his exhortationibus acti Iudæi, templum ædificare incipiunt, unde apud Ag-
Agge. 1. gæum ſubditur, Et ſuſcitauit Deus ſpiritum Zorobabel filij Salatiel, ducis Iuda & ſpiri-
tum Ieſu filij Ioſedech ſacerdotis magni; & ſpiritum reliquorum de omni populo, &
ingreſsi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui. Quanuis autem
uterque horum prophetarum, Darij Regis, qui succeſsit, Artaxerxi Aſſuero, tempore
prophetaſſe dicatur, non tamen ad templi ædificium, uirtute priuilegij eiuſdem Darij
ſed uirtute edicti Cyri primi Perſarum monarchæ, & Artaxerxis Aſſueri, qui eundem
in Regno ſecutus eſt, populum adhortantur. Nam ſi prohibitionem illam urbis & templi
ædificandi, quam Artaxerxes dederat, Ezræ 4. cap. non reuocaſſet, & aliam prorſus
contrariam, in qua & urbem & templum ædificari, ad Neæmiæ ſacerdotis petitionem,
tributis etiam expenſis præciperet, nequaquam ulla eſſet ratio reprehendendi, & tot ca-
lamitatibus affligendi populũ, qui nec à potentiſsimis monarchis, quorum imperium
detrectare non poterat, facultatem haberet, nec tanti operis, quod ex captiuitate ac
ſeruitute egrederetur, exſtruendi diuitias. Quòd autem, non uirtute cuiuſque pri-
uilegij, quod tunc Darius indulſiſſet, populum exhortarentur, ex ipſo libro Ezræ aper-
tè proditur. Nam cùm capite quarto, prohibitionem Artaxerxis, uſque ad tempus, quo
aliud ſibi fuiſſet uiſum, ſcribat, ſubinde horum ſanctorum prophetarum uaticinia recen-
ſet: Prophetauerunt autem (inquit) Aggæus & Zacharias filius Addo, prophetantes ad
Iudæos, qui erant in Iuda & Hieruſalem, in nomine Dei Iſraël. Et ſubinde, ut quid
prophetaſſent, inſinuet, Tunc, ait, ſurrexerunt Zerobabel, filius Salatiel, & Ioſue fi-
lius Ioſedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Hieruſalem, & cum eis prophetæ
adiuuantes eos. Hucuſque profectò Artaxerxis Aſſueri priuilegium & mandatum dura-
uit uſque ad ſecundum nimirum Darij annum, & forſan ulterius. Nam cùm propheta-
re & exhortari populum cœperunt, annus erat ſecundus, ut ex eorum titulis patet, ne-

a ceſſarium

ceſſarium autem erat, ut tẽpus aliquod in præparando templi ædificio uſquequo à finitimis ad Darium regem res differretur, tempus efflueret. nec enim tantæ res ſubitò fiũt. Ergo poſt horum prophetarum exhortationes, & oracula, cùm Iudæi totos templi ædificationi neruos intenderent, re ad Darium per Thatanai earum prouinciarum, quæ trans flumen erant, præfectum delata, & Cyri priuilegio in bibliotecha Ecbathanarum inuento, libera procedendi in ædificio propè iam finito, tributis etiam expenſis, ad opus, quod ſupererat, extruendum denuo facultas conceditur. Vnde cùm templum ſexto anno Darij regis finitum Ezras doceat, fieri potuit, ut unum tantùm aut alterum annum ex ſex illis, eius priuilegium ualuerit; à tempore nimirum illo, quo per eundem Darium opus fuerat prohibitum. Fit igitur ut inter Perſas illos monarchas, is, qui propriè & uerè templum & urbem Domino dicaſſe dicatur, ſit Artaxerxes, non ille, qui extructa iam urbe, & templo, ad legis reparationem Ezram mittit. nam ille poſt Darium, cuius ſexto anno templi ædificium finitur, & quoſdam alios reges, monarchiæ præfuit ut in chronicis patet: ſed ille qui Cyro ſucceſsit, quique regnauit quarto capite, ut prauis illis hominibus, qui regni zelo agitari uidebantur, morem gereret, urbis & templi ædificationem, quouſque ſibi aliud uiſum fuiſſet, intermitti iubet. A quo & Neæmias cum ingentibus donis (ut par eſt credere) utpote qui & regi & reginæ chariſsimus eſſet, Hieroſolymam mittitur.

Nec obſtat quòd Darius ſexto Ezræ capite ſolum Cyri regis priuilegium inueniat, & quòd Iudæi ſolum illud quoque cap. quinto urbis & templi ædificationi prætendant. Primò quidem, quòd Artaxerxis Aſſueri priuilegium, ne hoſtis monarchiæ uideretur, & ne, quam ſemel dederat, prohibitionem, leui animo uideretur peſſundare, præſertim contra tot rationes, quot à prauis illis delatoribus fuerant prætenſæ, non publicum ut olim Cyrus, dederat aut in publica forma, ſed ſimplex quædam fuerat ædificandi facultas, datis etiam ad finitimos præfectos epiſtolis, ne opus illud impedirent, ſed potius promouerent, ut regi gratiſsimum. Quod Neæmias ipſe docet capite ſecundo. Si regi, inquit, uidetur bonum, det mihi epiſtolas ad duces regionis trans flumen, ut tranſducant me donec ueniam in Iudæam, & epiſtolam ad Aſaph cuſtodem ſaltus regis, ut det mihi ligna & tegere poſsim portas templi, turres domus, & muros ciuitatis, & domũ, quam ingreſſus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei bonam mecum, &c. Deinde edictum, tum propter eius principis animi magnitudinem, qua non modò Perſis, ſed uniuerſis etiam Orbis nationibus admirabilis erat, tum quòd Perſicæ monarchiæ auctor extitiſſet: tum demum quòd antiquitas eundem amabilem & minimè inuidioſum ſequentibus monarchis feciſſet, plauſibilius erat, quàm id, quod proceſſerat ab Artaxerxe, rege & iuniori, & cui forſan Darius, quanuis, ut quidam putant, eius filius, ut in his, qui ſibi ſuccedere ſolent, principibus contingere uidemus, non ſatis erat affectus. Quod Iudæi intelligentes, cautè illud quaſi ualidius, non hoc, prætenderunt.

Ergo ut quæ in re, mea quidem ſententia, & eorum, qui non ſatis habent ſanctæ ſcripturæ ſuperficiem elambere, abſtruſiſsima, latiori ſermone diximus, in compendium reducamus, dicimus, templum illud, quod in hac Simonis pontificis narratione, à rege Perſidis ædificatum recenſetur, non eſſe aliud, quàm Hieroſolymitanum: regem uerò iſtum, cùm in eadem narratione ille fuiſſe dicatur, qui Neæmiam ſacerdotem miſit, non eſſe alium, quàm Artaxerxem Aſſuerum, non illum quidem, qui Heſter uxorem duxit, ut poſtea dicemus, de quo Ezræ cap. ſeptimo fit mentio, quique ad legis reparationem, Ezram mittit cum magnis muneribus, ſed illum priſcum, cuius eiuſdẽ Ezræ quarto cap. fit memoria. Qui Artaxerxes, cùm prius ſuggeſtione quorundam, & urbis & templi ædificationem, uſque ad tempus ſibi placitum intercepiſſet, rurſus, propter Neæmiæ, quem ſummè cum regina diligebat, iuſtitiam, facultate indulta, eundem Neæmiam cum epiſtolis, & maximis fauoribus, tributis etiam donis & expenſis, in hoc opus accinxit. Dicitur uerò hic Artaxerxes, potius quàm alij ex his, qui ædificandi priuilegium indulſerant, templum Domino ædificaſſe, quòd eius priuilegio ac fauore, tẽpli potiſsima pars, propter tempus maius, quo durauit, excreuerit, & quòd quantum per ipſum erat, niſi morte fuiſſet præuentus, ſuis expenſis, & beneficiis ad coronidem fuiſſet perductum. Quòd autem apud Ioannem quadraginta ſex annis, templum ædificatum dicatur, hunc ſenſum habet, non quòd totos illos quadraginta ſex annos, ædifi- Ioan. 2.

cium indeſinenter fuerit continnatum, ſed quod à primi edicti, quod per Cyrum datum eſt, exitu, uſque ad annum ſextum Darij regis, quo fuit opus conſummatum, totum id annorum ſpacium effluxerit. Regnauit enim Cyrus uiginti annos, Artaxerxes autem Aſſuerus uiginti duos, Darius Longimanus Aſſueri filius, triginta ſeptem, cuius ſexto anno totum opus abſoluitur. Ergo ſi uiginti Cyri, uiginti duos Artaxerxis addideris, reſultabunt quadraginta duo. quòd ſi iis ſex Darij adiunxeris, conſurgent quadraginta octo; ex quibus ſi duos demas, unum, quo edictum datum eſt (fuit enim datum anno primo Cyri) alterũ quo ipſum edictum executioni mandatum eſt, remanebunt quadraginta ſex anni. Cyri quidem tempore quàm parum uel urbis uel templi fuerit ædificatũ, ex iis, quæ ex Neæmiæ cap. primo, & Ezræ cap. quinto produximus, liquet. Quàm uerò magna utriuſque portio, uel templi uel urbis, rege Artaxerxe, fuerit extructa, ex eo proditur, quòd ſexto anno Darij totum ædificium finitur. Cuius tamen ſecundo anno Aggæus & Zacharias, nondum per Darium ædificationis priuilegio indulto, populum arguunt.

Diluuntur ea difficultates, quæ huic ſententiæ aduerſari uidentur.

Sed tres in hac noſtra ſententia, quam rectè rem aduertentibus, plauſibilem fore ſpero, difficultates emergunt. Prima quidem, quòd in hac narratione dicatur Neæmias ab Artaxerxe miſſus, ſacrificium obtuliſſe: immo non aliàs regem Artaxerxem templum ædificaſſe, quàm audito miraculo aquæ aſperſæ & ſuper ſacrificium incenſæ: Qui enim fieri potuit, ut nondum templo, quod poſtea Darij tempore conſummatum eſt, extructo, Neæmias ſacerdos ſacrificium obtulerit? Immo uerò capite illo ſexto Ezræ, poſt deſcriptionem perfectionis templi, & eiuſdem templi dedicationẽ, & primum, quod poſt eius ædificationem oblatum eſt ſacrificium, deſcribitur, in quo tamen huius prodigij nullum extat ueſtigium. Tantum autem miraculum, ſi tunc accidiſſet, nequaquam ſiluiſſet Ezras, Fecerunt, inquit, filij Iſraël Sacerdotes & Leuitæ, ut reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio. Et obtulerunt in dedicatione domus Dei, uitulos centum, & arietes ducentos.

Verùm hæc difficultas parum urget, quamuis enim templo permanente, Iudæis prohibitum fuerit alibi quàm in eo ſacrificium offerre, eo tamen euerſo, ea lege non conſtringebantur, ſed uel ad illam, quæ ſub Abraham uiguerat, in hac parte cùm tabernaculo quoque carerent, legem naturæ reducti erant: præſertim ſi id in terra promiſsionis fieret, aut quod magis probo, in eo loco, quo templum antea ædificatum fuerat, altari extructo, hoc ſacrificium ante eiuſdem templi ædificationem, quaſi totius illius populi poſt tranſmigrationem primitiæ fuit oblatum. hoc autem lex non uetabat: fiebat enim

Deut. 12. in loco, quem dominus Deus illorum elegerat. Sed & nos, qui tamen eius gentis in diuinis cæremoniis rationem imitamur, ante templorum ædificationem extructo ſacello, ſanctum plerunque ſacrificium offerimus, ut ſacrorum ius in domum aut agrum, ubi templum eſt extruendum, obtineamus. Ita quoque Neæmias ſacerdos, ut iam locus ille expulſis ſpurcitiis ſacroſanctus haberi inciperet, & tum pro totius populi, quem è Babylonia attulerat, tum uerò pro regis Artaxerxis proſperitate, ac ſalute, & animi in eo ædificio fouendo, directione, extructo altari, ſacrificium obtulit. Quod ita fuiſſe non obſcurè in hac Simonis narratione proditur, dum neque templi, neq; alicuius partis templi, in quo ſacrificium offerri ſolebat, templo ſuperſtite, ſed ſolius altaris fit mẽtio. Neque uerò credibile eſt, totos illos quadraginta ſex annos, quibus templum ædificatum eſt, Iudæos, qui iam ſuam prouinciam habitarent, & terræ promiſsionis fructus legerent, quiq; ut olim prophetia iam coornarentur, & ſuæ integræ reipublicæ formam recepiſſent, ſacrificio fuiſſe deſtitutos, præſertim cùm in Ezra, & Neæmia ſub Artaxerxe, & Scenopegias celebratas, & domini Gaziophylatia, primitias, etiam & decimas oblatas, à Dario uerò ante templi conſummationem, uitulos, & hœdos, &

Ezr. 3. agnos, in holocauſtum Deo cœli, frumentum, ſal, uinum, oleum, ſecundum ritum ſa-

Neem. 8. cerdotum, qui erant in Hieruſalem, per ſingulos dies tributa legamus. Quin uerò in

& 10. hac parte coniecturis agere non licet, ubi res eſt expreſſa. Sic enim apud Ezram ſcri-

Ezr. 3. bitur, Iam uenerat ſeptimus menſis, & erant filij Iſraël in ciuitatibus ſuis, congregatusque eſt ergo populus quaſi uir unus in Hieruſalem, & ſurrexit Ioſue filius Ioſedech, & fratres eius ſacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel & fratres eius, & ædificauerunt altare de Iſraël ut offerrent in eo holocauſtomata, ſicut ſcriptum eſt in lege

Moſis

Moſis uiri Dei. collocauerunt autem altare ſuper baſes ſuas deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt ſuper illud holocauſtum domino, mane & ueſpere, feceruntque ſolennitatem tabernaculorum, ſicut ſcriptum eſt: & holocauſtum ſingulis diebus per ordinem, ſecundum præceptum, opus Dei, in die ſuo. & poſt hæc holocauſtum iuge, tam in kalendis, quàm in uniuerſis ſolennitatibus domini, quæ erant conſecratæ in omnibus, ultrò offerebatur munus domino. A primo die menſis ſeptimi cœperunt offerre holocauſtum domino. Porrò templum Dei nondum fundatum erat. Hactenus Ezras. Atque hoc ſacrificium id fuiſſe puto, in quo orante Neæmia, aqua ſuper ſacrificium aſperſa, in hac narratione arſiſſe memoratur. Nam & Artaxerxis, à quo miſſus fuit Neæmias, tempore, celebratum fuiſſe, ſi recte res deſpiciatur, non obſcurè uidetur. Neque obſtat quòd ante Artaxerxis edictum factum fuiſſe memoretur. Neque enim ſtatim initio regni ſuggeſtio illi Samaritarum Artaxerxi facta fuiſſe ſcribitur, ſed, In regno, ideſt tempore regni Artaxerxis. Potuit ergo fieri, ut Cyro extincto, cum Artaxerxis epiſtolis miſſus Neæmias, totam eam Iudæorum partem, quæ in Hieruſalem erat, gentium finitimarum iniuriis oppreſſam, & propter eiuſdem mandatum præcedens, quo opus intermitti iubebat, conſternatam erexerit, & noua regis uoluntate denunciata, in ſacrificia pertraxerit. Et alioquì, toto illo Cyri tempore quanuis in id opus propenſiſsima eſſet regis uoluntas, propter eius frequentiſsima bella, in quibus totus erat, neſcio quo pacto Iudæi tam ſolennes hoſtias, & ſacrificia potuerint offerre. Refertur tamen prius id ſacrificium, quàm regis Artaxerxis edictum, per recapitulationem, quæ figura in Hebraicis hiſtoriis eſt frequentiſsima.

Neque obſtat etiam quòd cap. quarto Ezr. antea quàm Artaxerxis ulla mentio fiat, dicatur, Samaritas conduxiſſe conſiliatores, qui conſilium Iudæorum deſtruerent toto tempore Cyri. Qua periodo auctor libri, hiſtoriam Cyri uidetur claudere, atque perinde inſinuare omnia, quæ à libri principio, uel circa urbis, uel circa templi ædificium facta recenſuerat, Cyri tempore & regno facta fuiſſe. Non, inquam, id obſtat: tum quòd neque Cyri mors, aut regnandi finis ibi deſcribitur, nec proinde regni Artaxerxis initium. Tum deinde, quòd non tantum Cyri tempore impeditos fuiſſe ab ædificatione templi docet Iudæos, ſed omnibus, inquit, diebus uſque ad regnum Darij, cuius uidelicet tempore, ædificio fermè iam conſummato, regum præcedentium edictis animaduerſis, uniuerſa impedimenta ſunt è medio ſublata. Eſt igitur ibi aperta anacephalæoſis, in qua & ea, quæ ſub Artaxerxe contigerunt, quoque clauduntur, atq; adeò nullo pacto, quæ capite illo præcedenti, de eo ſolenni ſacrificio ſcribuntur, in Cyri regno contigiſſe fateri compellimur.

Tertiò non obſtat, quòd id ſacrificium, Ioſue filius Ioſedech, non autem Neæmias obtuliſſe dicatur. Nam, ut in ea narratione inſinuatur, non unus erat, ſed multi ſacerdotes, cantores, &c. Erat igitur Ieſus filius Ioſedech ſacerdos maximus in illo ſacrificio, ſed Neæmias, quòd regis nouum & genti deſiderabile attuliſſet imperium, quæcunque erant facienda, imperabat, præſertim cùm in lege doctiſsimus eſſet, & ſpiritu prophetiæ propter regis Artaxerxis gratiam, eſſet inſignis. Vnde in hac narratione eiusque alterius cuiuſcunque, maior ſit ratio, eiusque oratio potius quàm alterius deſcribitur, non quidem quaſi maximi ſacerdotis, ſed quaſi totius eius congregationis præcipui, & à quo totius eius populi fauor, & gratia, apud potentiſsimũ regem pendêret.

Secvnda difficultas, non modò in noſtram hanc ſententiam, qui potiſsimas partes in erigendo templo Artaxerxi Aſſuero tribuimus, ſed & in ipſam Ezræ hiſtoriam, quæ cap. 6. non ante Darij annum ſextum, templum finitum docet, inſurgit. Dicitur enim tertio eiuſdem Ezræ capite in hunc modum, Anno autem ſecundo aduentus eorum ad templum Dei in Hieruſalem, menſe ſecundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedech, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes & Leuitæ, & omnes, qui uenerant de captiuitate Hieruſalem: & conſtituerunt Leuitas à uiginti annis & ſuprà, ut urgerent opus Domini. ſtetitque Ioſue & filij eius & fratres eius Cedmichel & filij eius, & filij Iuda, quaſi uir unus, ut inſtarent ſuper eos, qui faciebant opus in templo Dei. Et ſubinde, Fundato itaque templo Domini à cæmentariis ſteterunt ſacerdotes in ornatu ſuo cum tubis, & Leuitæ filij Aſaph cum cymbalis, ut laudarent dominum per manus Dauid regis Iſraël. Et poſt pauca, Plurimi etiam ex Sacerdotibus & Leuitis, *Diluitur ſecunda difficultas.*

& principes patrum, & ſeniores, qui uiderant templum prius, cùm fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant uoce magna. Vides hîc non modò ante Darij annum ſextum, ſed & ante Artaxerxis imperium, templum erectum? Non igitur ab Artaxerxe, templi & urbis ædificandæ gratia mitti potuit Neæmias, cùm iam antea & urbs, & templum fuiſſent extructa.

Verùm hoc loco, aut per templum fundatum, non aliud quàm templi fundamenta, quæ Cyri tempore iacta fuerant, Ezras intelligit, ex quibus quaſi ex unguibus leonem, quale futurum eſſet opus, quantumque ab antiquo illo templo, quod Salomon ædificarat, diſtaret, ſenioribus, qui aliud uiderant, dabatur conijcere, aut omnia per recapitulationem dicuntur, cùm eadem hiſtoria doceat, non ante ſextum Darij annum fuiſſe opus perfectum.

Diluitur tertia difficultas. Tertia demum difficultas eſt, quòd Neæmiam ſacerdotem ab Artaxerxe Aſſuero priſco, qui Cyro in imperio ſucceſsit, miſſum dicamus. Ezram autem ab Artaxerxe Magno, qui poſt Darium monarchiam tenuit, cùm communi tum Hebræorum, tum noſtrorum ſententia iactetur, Neæmiam eundem fuiſſe cum Ezra.

Sed huic uel noſtrorum, uel Hebræorum ſententiæ ſubſcribere nequeo, primò quidem, quòd ij libri, qui Ezras & Neæmias inſcribuntur, quanuis eadem tractent, diuerſorum tamen auctorum uidentur. Deinde quòd non uideatur ulla ſufficiens ratio, cur in hoc libro Neæmias, in illo uerò Ezras uocetur: quanuis ſcimus Salomonem in Eccleſiaſte nomen mutaſſe, ſed illic & tanti regis auctoritas, & munus concionandi, quod aſſumebat, nominis permutationem poſtulabat, hîc nulla harum rationum, aut nominum ſignificatio perurgebat. Tertiò quòd ex ipſa ſacra hiſtoria eos fuiſſe diſtinctos probari uideatur, cùm unus pro ædificanda ciuitate & templo ab Artaxerxe Cyri ſucceſſore, alter ab Artaxerxe Darij, non illius, qui huic Artaxerxi Aſſuero ſucceſsit, ſed alterius, qui Nothus fuit appellatus, ſucceſſore, pro lege reparanda miſſus fuerit; inter quos, etiam ſi miſſus fuerit Neæmias anno uigeſimo Artaxerxis Aſſueri & Ezras anno primo Artaxerxis magni ut in hiſtoriis eorum dicitur, adhuc interfluxerunt quinquaginta ſex anni. Quibus conſonare uidetur, quòd cùm Neæmias ubique Helchiam patrem habeat, Ezras tamen eundem nõ patrem, ſed auum aut atauum habet: auum quidem apud tertium Ezræ, atauum uerò apud primum eiuſdem. Sed & ratio loquendi ſcripturæ idipſum docere uidetur, dum apud Neæmiam nota coniunctionis eoſdem unit, quod realem diſcretionem, ut antea dicebamus, ſemper inſinuat. Et uenerat, inquit, menſis ſeptimus Scænophegiæ ſuper Ezra, & Neæmia. Quod antem Iudæos in eam opinionem impulit, friuolum eſt. nimirum, quòd apud Neæmiam capite octauo ſcribatur, Dixit Neæmias ipſe eſt Atharſatha, & Ezras Sacerdos, & Scriba, & Leuitæ interpretantes uniuerſo populo. Nam quanuis hic & iuxta quorundam ſententiam ſecundo Ezræ cap. Neæmiam nomine Syro à regibus indito, Atharſatha uocari conſentiam, nullo tamen pacto ex hoc loco eundem, Ezram quoque uocari compellar, niſi etiam & Leuitas, qui legem quoque populis interpretabantur, eoſdem cum Neæmia quoque ſim cogendus fateri. Sic ergo locus ille legendus eſt, Dixit Neæmias (ipſe eſt Atharſatha) & Ezras Sacerdos & Scriba. ſubintellige, dixit quoque, & Leuitæ interpretabantur uniuerſo populo, ita ut utrique ſacerdotali auctoritate legem diſſererent. Leuitæ uerò, quæ ab illis dicebantur, populo exponerent. Aut Neæmias quidem ſacerdotali auctoritate legem recitabat, Ezras autem cum Leuitis, quos in eam rem docuerat, interpretabatur.

Neem. 1. 3. Ezræ 8. 1. Ezræ 7.

Neq; uerò quòd ij ambo hanc legis explicationẽ ſimul fecerint ea, quæ antea diximus, unum, ſcilicet ab Artaxerxe Aſſuero ſecundo, alterum ab Artaxerxe Aſſuero Magno, qui Heſter duxit uxorem, miſſum fuiſſe confundit. Potuit enim Neæmias uſque ad illud tempus durare. Immo uerò ſi altera ſententia, quæ unum cum altero confundit, & eundem eſſe docet, probetur, neceſſarium eſt id fateri. Nam illemet Neæmiæ nomine, ante conditam urbem & templum ab uno Artaxerxe, ut ex eius capite primo notum fecimus, & Ezræ nomine, poſt conditam, ad legem diuinam reparandam, ab altero miſſus, eſt ueniſſe dicendus. Vnde ſi neque eundem fuiſſe Neæmiam cum Ezra, nos quoque dicemus, ullum noſtra ſententia detrimentum acciperet, dum à diuerſis regibus, diuerſis rerum conditionibus, & diuerſis temporibus, eundem Hieruſalem ueniſſe

niſſe (quod neceſſarium eſt fateri) non negetur. Tantùm hîc ſuadere conamur, tem-
plum, quod in hac narratione propter miraculum à rege Perſidis ædificatum dicitur,
non fuiſſe aliud, quàm quod Hieroſolymis fuit extructum: quod, cùm ſacræ hiſtoriæ
non cohæreat, ſi hunc regem illum eundem Artaxerxem, qui Ezram aut Neæmiam
Ezræ nomine cap. ſeptimo mittit, dicamus, cùm iam anno ſexto regni Darij fuerit to-
tum templum abſolutum, neceſſariò fateri cogimur, regem illum fuiſſe Artaxerxem,
qui priuilegium à Cyro indultum, prius reuocauerat: quando & Neæmias ipſe, ſe ab
Artaxerxe miſſum fatetur: & quandoquidem ſexto cap. Ezræ, dicitur templum ædifi-
catum iuſſu Dei Iſraël, & iuſſu Cyri, Darij, & Artaxerxis, nimirum eius, qui inter
Cyrum & Darium regnauerat. Nam ſi de ſecundo illo ſit accipiendum, præter eas,
quas attulimus, rationes, non ad quadraginta ſex annos templum fuit ædificatum, ſed
centum. Cyrus enim, cuius primo anno reædificandæ urbis & templi, priuilegium
eſt indultum, prius cum Dario Cambyſis filio duos annos regnauit, ſublato Dario, ui-
ginti duos, Artaxerxes Aſſuerus uiginti, Darius longimanus huius Artaxerxis filius,
poſt longas cum Cyro Artabano concertationes, triginta ſeptem. Darius Nothus lon-
gimani filius, cui Artaxerxis, à quo Ezras uel Neæmias, Ezræ nomine fuit miſſus, decem
& noueni. Ergo etiam ſi huius Artaxerxis ſecundi de ædificando templo Dei, primo
anno edictum indultum fuiſſet, centum annos templi conſtructio duraſſet. Verùm in
hoc nodo explicando non plus credo prolixi fuimus, quàm rei difficultas poſtulabat.

Quòd ſi cui placeret, templum, quod in hac Simonis pontif. narratione memoratur,
non illud Hieroſolymitanum, ſed aliud quodpiam apud Perſiam, aut alibi eius regis,
qui Neæmiam miſit, imperio, in Dei Iſraël honorem propter miraculum illud extructū,
non tanta ſunt Iudæorum argumenta, ut eum ab hac ſententia dimoueant. Quanuis
enim Iudæi extra Hieroſolymam, templum habere legis prohibitione non poſſent, po-
terat tamen rex Perſarum illud extruere, qui legis Moſaicæ uinculis non erat aſtrictus.
Quin neque eius in hac parte pietas & religio, & præmio & ſumma laude careret. Do- *Pſal. 23.*
mini enim eſt terra & plenitudo eius. Neque uerò defuerunt eo ſæculo, qui templa aut
altaria Deo Iſraël, apud gentes dicarunt. Nam & ex Iudæis ſunt quidam, qui locum *Rabi Sala.*
illum Iſaiæ, In illa die erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Cha- *Iſa. 19.*
naam, & iurantes per dominum exercituum, &c. de quibuſdam Aegyptiis principibus
interpretentur, qui cùm captiui ex eo bello, quod rex Aegypti contra Tharthanem re-
gem Aethiopiæ à Sénacherib rege Aſſyriorum, qui à parte Tharthanis ſteterat, adduce-
rentur, Sénacherib exercitu, propter blaſphemiā, diuinitus una nocte percuſſo, uincu- *Iſa. 36.*
lis, quibus tenebantur, liberi, apud quaſdam urbes Aegypti, templa & altaria Deo
Iſraël erexerunt. Apud Athenas quoque Paulum Apoſtolum, aram Deo uero, ſub no-
mine ignoti Dei dicatam inueniſſe, Apoſtolica hiſtoria teſtatur. Templum præterea in *Acta. 17.*
monte Garizin Deo Iſraël à Samaritis dicatum, apud Ioſephum eſt celebre. Quin
& Onias miræ ſanctitatis ſacerdos, quique in Machabæorum hiſtoria multis magniſque
laudibus commendatur, adeò ut cùm ſancto propheta Hieremia, poſt mortem Iudæ *2. Mach. 3.*
Machabæi orans pro patria, mirabili uiſione fuerit oſtenſus, cùm Epiphanis Antiochi *& 15.*
& quorundam ſuorum ciuium perſecutionibus actus, Aegyptum intraſſet, benigneq; &
honorificè à Ptolemæo receptus, donatusque ciuitate fuiſſet, uolēs implere illud, quod
Iſaias prædixerat, In illa die erit altare domini in medio terræ Aegypti, & titulus do- *Iſa. 19.*
mini intra terminum eius, magnifico templo & altari erectis, domino hoſtias, & obla-
tiones ſolēnes obtuliſſe memoratur. Quæ res licèt apud Danielem prophetam, eundem *Ioſeph. li-*
inter filios præuaricatorum conſtituat, non tamen tam factum culpatur, quàm quòd *br. 1. de bel*
propheticum uaticinium, quod apertè de Euangelico ſæculo intelligebatur, ſuo illo fa- *lo Iud. c. 1.*
cto & ſtudio implere, & Dei conſilium perinde præuenire uoluiſſe, ſit uiſus, Filij, in- *& lib. 7.* *cap. 19.*
quit, præuaricatorum tuorum extollentur, ut impleant uiſionem, & corruent. Quæ *Dan. 11.*
uerba tantummodò uanum & effectu carentem conatum oſtendunt. Nam neque totam
illam prophetiam implere potuit Onias, cùm ibi quoq; dicatur, In illa die erunt quin-
que ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaam, & iurantes per dominum *Iſa. 19.*
exercituum. cùm tantummodò in una templum erexerit, & nullum forſan præter Iu-
dæos, quos ſecum detulerat, in Dei religionem & obſequium traduxerit. Quòd ſi in
ea altaris & templi erectione, ſancto uiro fuit aliqua culpa, eadem à ſancto illo diuini

honoris zelo ſuit prorſus abſorpta. nam ni fuiſſet uir ſanctiſsimus, neque poſt mortem cum Hieremia apparuiſſet, neque tot laudibus à ſancta ſcriptura fuiſſet ornatus. Quòd ſi Onias homo Iudæus, & lege Moſaica conſtrictus, extra Hieruſalem, contra legis man datum, ſancto tamẽ zelo templum erexit, cur Artaxerxes, à quo miſſus eſt Neæmias, qui nihil habebat cum ea lege commune, audito celebri miraculo, non potuit erigere? Immo ſi Onias ſummo ſacerdotio inſignis, & apud uniuerſam eam gentem ſanctitate conſpicuus, in eo templo, & altari, quod Ptolemæus Epiphanes extruxerat, hoſtias ſolennes, & oblationes, quas tantùm in templo Hieroſolymitano per legem ſas erat offerre, ſacrificans, ſacerdotio fungebatur, cur Rex Perſidis ex illa tranſmigratione, quæ reuerti Hieroſolymam, propter illius urbis frequentiſsimas calamitates nolebat, Iudæos non reperiiſſet, qui in eo templo, quod extruxerat, ſacerdotio fungerentur? Non enim T», ei, quod eo loco ponitur, neceſſariò Neæmiam refert, ita ut neceſſariò intelligatur regem Perſidis, Neæmiæ, templum ædificaſſe, ſed poteſt quoque ad locum in quo puteus erat referri, ut ſit ſenſus, Vt autem manifeſta res facta eſt, & nunciatum eſt regi Perſarum, quòd in loco, in quo ignẽ abſconderant, hi, qui tranſlati fuerãt, &c. Conſiderans autem Rex, & rem diligenter examinãs, fecit, ei (loco ſcilicet) templum, ideſt fecit eo loco, ut datiuus more Græco pro ablatiuo ſumatur. Deinde hîc non dicitur, quòd ſacerdotes illi Iudæi fuerint: potuerunt enim Gentiles eſſe, quos tamen Rex ille, in eo templo ſacerdotes inſtituerit, cùm ſciret non tantùm dominum, quem illo templo colebat, Iudæorum, ſed totius Orbis omniumque mortalium dominum eſſe, ab uniuerſiſque illi obſequium deberi. Et profectò fieri potuit, ut cùm ſibi per Cyrum anteceſſorem, Deo Iſraël, apud Hieroſolymam legitimum templum ædificandi, honorem præreptum rex ille Perſarum, qui Neæmiam miſit, intelligeret, aliud templum cùm legi Moſaicæ non aſtringeretur, illo loco ubi hoc prodigium idem Deus oſtenderat, muneribus, ut hîc dicitur, ſacerdotibus tributis, extrueret. Non quidem ut in illo per legalia ſacrificia & myſticos ritus, ut in Hieroſolymitano, Deus coleretur, ſed in ſuæ pietatis & admirandi illius prodigij teſtimonium perpetuum.

Septima Iudæorum obiectio. Septimò, in librum ſecundum Machabæorum, ex ipſo ſcribendi genere inuehuntur Iudæi. Patet (aiunt) librum illum prophanum eſſe, ut qui Græcè ſcriptus ſit, & lepôrem Græcanicum prophanis ſcriptoribus familiarem oſtentet, qui ſui auctoris labores & uigilias, contra prophetarum & aliorum ſanctorum auctorum conſuetudinem uenditer. *2. Mach. 2.* Et nobis quidem ipſis, ait, qui hoc opus breuiandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, immo uerò negotium plenum uigiliarum & ſudoris aſſumpſimus &c.

Quare lib. ſecundus Machab. nonnullaque alia ſcripta ſacra, lingua Græca aut peregrina edita fuerunt. At his duabus Iudaicis calumniis facilè ſatisfaciemus, ſi duo prius reuocentur in mentem. Prius quidem quòd poſt Babylonicum excidium, cum fortè (ut ferè captiuis nationibus accidere ſolet) propria lingua interdicerẽtur Iudæi, etiam in propriam prouinciam regreſsi, uſque ad Chriſti aduentum potius Aſſyrio & Chaldaico ſermone in familiari conuictu, quàm Hebraico, ſint uſi: quòd ille ſcilicet niſi apud ſapientes, prorſus penè excidiſſet: adeò ut iam captiuitatis tempore, iuxta quorundam ſententiam, ſancta ſcriptura ab Ezra ipſo in Chaldaicum ſermonem conuerſa in communem uſum Iudæorum, per omnes celebres Synagogas fuerit miſſa. Sed & ratio legendi, & ſcribendi priſca ſimul, cum literis, quibus à Moſe uſque ad tranſmigrationem, uniuerſus ille populus uſus fuerat, adeò uel magnis illis calamitatibus & preſſuris, uel Babyloniorum regum imperio excidit, ut nunquam poſt Babylonicam ſeruitutem, in uſum redierint, ſed earum loco, Chaldaicis literis utantur, ab Ezra, priſcarum illarum Hebraicarum literarum magno ſtudio ſuffectis. Atque hinc Ionathæ filij Vzielis, & Oncheli, conuertendi ex Hebraica lingua in Chaldaicam, ideſt in uulgarem, ſacros libros, ſtudia originem habuerunt: quòd nimirum uiderent ſermonis Hebraici peritiam tantummodò apud Rabinos manſiſſe; plebem uerò uniuerſam, legis diuinæ ob linguæ ignorantiã prorſus ignaram. Sed neque in ipſis, qui doctiſsimi habebantur, linguæ notitia perfecta remanſerat. Nam & ſeptuaginta illi, qui Ptolemæi tempore ſcripturam ſunt interpretati, in quot, & quantis ſcripturæ locis, linguæ defectu non fuerint perfectum ſenſum aſſecuti, præter Hieronymi frequentiſsima teſtimonia, uel parum Hebraicè eruditus non ignorat. Hinc etiam eſt, ut quoties in nouo teſtamento uel à Chriſto uel ab Apoſtolorum quopiam hoc aut illo pacto quippiam Hebraicè uocari dicatur, non de lingua Hebraica

illa

illa germana, qua ſanctorum prophetarum libri ſunt editi, ſit accipiendum, ſed ea, qua tunc & poſt Babylonicam ſeruitutem, utebantur Iudæi. quæ quidem in Iudæa uſque ad Alexandri imperium, quo Græcia linguam & leges (ut uictoribus mos eſt) Aſiaticis nationibus cœpit influere, pura Chaldæa erat: poſt illud uerò, partim Chaldæa partim Græca, et poſt Romanum ex eadem ratione, partim quoque Latina increbeſcere cœpit. In aliis autem prouinciis, ea communi lingua utebantur, qua eius urbis aut prouinciæ indigenæ, Hebraica ſemper, qua ſancti libri ſcripti erant, apud ſapientes ſeruata. Vnde factum eſt, ut qui Romam incolebant, Latina, qui uerò Græciæ urbes habitarent, cum cæteris conciuibus Græca lingua uterentur. Cùm uerò apud eas nationes, quæ Græcum ſuſceperunt imperium, quæque ab Alexandro Macedone aut à quopiam ex ſuis ſucceſſoribus ſunt domitæ, cum Græcis legibus, Græcæ quoque literæ, & lingua infundi cœpiſſent, cœpit quoque Græcus ſermo quemadmodum olim Chaldaicus, uniuerſis illis fieri communis, & maiori propter gentis uictricis ingentem auctoritatem, quàm reliquæ, quæque linguæ, & rationes loquendi in precio haberi. præcipuè apud eas urbes, & prouincias, in quibus regni Græci ſedes collocatæ ſunt, Antiochiam uidelicet, Alexandriam, &c. In his enim excluſo prorſus priſco ſermone, tam familiaris, quàm Athenis Græcus ſermo haberi cœptus eſt. Ergo cùm liber hic Machabæorum ſecundus, ut ex eius capite primo manifeſtè proditur, Iudæis propter Epiphanis Antiochi perſecutiones per Aegyptum diſperſis; præcipuè uerò apud Alexandriam omnium Aſiaticarum urbiũ Græciſsimam commemorantibus, fuerit ſcriptus, ea lingua ſcribi debuit, qua illis omnibus, non illi aut huic Rabino prodeſſet. Ea igitur cùm Græca eſſet, Græca & nõ Hebraica lingua ſcribi debuit, præſertim cùm eadem Machabæorum hiſtoria, à primi libri auctore hebraicè, ideſt, ea lingua Hebraica, qua tunc, tempore Machabæorum, Iudæi utebantur, quæ Chaldaica erat, in uſum Iudæorum, qui apud Iudæam, apud quã Græcum imperium tunc temporis præualere non poterat, fuerit ſcripta. Nam quòd librum hunc priorem Machabæorum Chaldaicè, & non Hebraicè ſcriptum credam, multa ſunt, quæ me moueant. Primò quidem quòd poſt Babylonicam ſeruitutem, omnes penè libri Chaldaica lingua nõ Hebraica, uera ſint editi, ut Iudith, Thobias, Ezras &c. ut in præcedentibus docuimus. Secundò quòd in Euangelio ſæpe dicatur, hoc aut illud, illo aut hoc pacto Hebraicè uocari, & tamen uniuerſa ſunt Chaldaica, ut iam diximus. Ergo quanuis Hieronymus ſe hunc librum Hebraicum reperiſſe doceat, non ab re dicemus, ſi Hebraicum, ideſt Chaldaicum intelligat, cùm idem Euangelium ſecundum Matthæum, ab eodem Apoſtolo, editum Hebraicum ſe uidiſſe teſtetur, quod tamen Hebraicum, ideſt Chaldaicum, neceſſariò debere accipi, non eſt dubium. Scripſit enim Matthæus eo Hebraico ſermone, quo tunc in Iudæa Iudæi utebantur, propter eos, qui ex circunciſione crediderant. Vtebantur autem eo ſæculo Chaldaico, non Hebraico ueteri, qui iam exoleuerat. Cùm uellet igitur Iudæorum Senatus, fratres, qui tantùm, quòd apud Alexandriam habitarent, Græcè ſciebant, eius quoque hiſtoriæ participes facere, ex illis quinque Iaſonis Cyrenei, qui omnium præſtantiſsimè rem uidebatur aſſequutus, Græcis libris, epitomem fecit, quam illis deſtinaret. qui labor poſtea non his ſolùm fuit utilis, ſed & cunctis in uniuerſum Iudæis, qui ſub Græco, quod tunc latiſsimè patebat, imperio, degebant: qui omnes lingua Græca pro uulgari utebantur. Nam quàm parum etiam doctiſsimi Iudæorum ex iis, qui Aegypti morabantur, Hebraicè ſcirent, Philonis, qui tamen diſertimus Iudæorum uocitatur, labores oſtendunt, in quibus, cùm multum ſit Græcæ ſapientiæ, pauciſsimum tamen reperies eruditionis Hebraicæ, præſertim uerò ubi de Hebraicis dictionibus, quatum, non ſatis fuiſſe uidetur conſultus, ſermo incidit.

Liber primus Machab. Chaldaicè nõ Hebraicè editus.

Fuit & alia cauſa non minor quare hunc librum Iudæorum ſenatus, non Hebraicè ſed Græcè ſcripſerit, quanuis huic affinis. quòd nimirum parùm antea per ſeptuaginta interpretes, totam legem Græcè Iudæi, qui apud Aegyptum habitabant, immo & cæteri omnes, qui ſub Græco imperio uiuebant, accepiſſent. Vnde & reliquæ ſacræ hiſtoriæ hæc quoque uidebatur adiungenda.

Tertiam cauſam antea tradidimus, quòd præclara ſcilicet illa Machabæorũ facinora, nobiliſsima ac latiſsima eius temporis lingua propalare uellent, quæ res effecerat, ut & Chaldæa lingua, quæ ante Alexandri monarchiam per totam Aſiam nobiliſsima erat,

& illuſtria

& illuſtria uirorum aut fœminarum facta, quò ad plures peruenirent, emiſerint. ſed de hac re antea plura.

Quòd Spiritus ſanctus non prorſus eloquentiæ lepore à ſancta ſcriptura excludat, ſed auctorum naturæ & dictioni ſe accommodat.

Sacri ſcriptores inter ſe in elocutione diuerſi.

In prolog. Iſai.

ALTERVM, quod notari oportet, & ex quo ſecundæ obiectionis Iudaicæ calumnia diluitur, eſt ſancti Spiritus, qui uerus ſanctarum ſcripturarum eſt auctor, perpetua conſuetudo, qua non modò linguarum, ſed neque eorum, quibus in eadem ſcriptura ſcribenda, quaſi calamis utitur, naturam aut proprietates euertit. Cùm enim Iſaiam, Hieremiam, Oſeam, Amos, & cæteros ſanctos prophetas diuinæ reuelationis miniſtros aſſumeret, non nouam eiſdem loquendi rationem, aut phraſim infudit, ſed ueterem illã, quam quiſque uel natura, uel educatione, uel demum arte & ſtudio ſibi comparaſſet, quòd uerborum nimirum parum eſſet ſolicitus, in eiſdem ſeruauit. Quis enim non uideat, quàm inter ſanctos prophetas & reliquos ueterum ſanctarum ſcripturarum auctores, uel linguæ candore, uel ſtyli eloquentia, multum interſit? De Iſaia, inquit Hieronymus, quòd in ſermone ſuo diſertus ſit, quippe ut uir nobilis & urbanæ elegantiæ, & quòd nec quicquam in eloquio ruſticitatis admiſceat. Contrà Amos (ait Propheta) paſtor & ruſticus & ruborum mora diſtringens, paucis uerbis explicari non poteſt. De Hieremia uerò in hunc modum, Hieremias propheta ſermone quidem apud Hebræos, Iſaia, & Oſea, & quibuſdam aliis prophetis uidetur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt; quippe qui eodem ſpiritu prophetauit. porrò ſimplicitas eloquij, à loco ei, in quo natus eſt, accidit. Fuit enim Anathotidea &c. Idem etiam in noui teſtamenti ſcriptoribus uideas. multò enim Lucas, qui præter ſancti Spiritus unctionem, & Attica eloquentia, & humanarum diſciplinarum peritia, polluiſſe probatur reliquis omnibus, qui Hebræi fuerunt, atque adeò Græcæ linguæ puritatem & proprietatem ad uiuum non potuerunt exprimere: uel à parum ſermonis Græci peritis præſtare cognoſcitur. Sed & Paul. Apoſt. uas electionis, cùm tamen præter Spiritus ſancti familiare magiſterium, humanis quoq; diſciplinis haberetur doctiſsimus, ut ex frequentiſsimis eius hyperbatis conſtat, ſermonis elegantia non multum delectat. Immo uerò, quàm parum cum Apoſtolico miniſterio fuiſſet eloquentiæ aſſequutus, ipſemet pro Apoſtolica modeſtia con-

2. Cor. 10. fitetur ingenuè, Præſentia, inquit, corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Et rur-

2. Corin. 7. ſus, Imperitus, ait, ſermone, ſed non ſcientia. Quod igitur huius libri Machabæorum ſecundi auctor, Græci ſermonis, qui omnium eſt excultiſsimus, & cui maxima familiaris eſt eloquentia, candorem non contempſerit, non aliunde quàm à diuini ſpiritus (qui nec hominum, nec linguarum proprietates ſpernit) conſuetudine dimanat. Nam quanto labore & uigiliis rem quampiam fuerimus aſſequuti, lectori, uel auditori, quo uterque attentior fiat, in exordio proponere, ad eloquentiam pertinere Rhetorici docent. Immo uerò tantum abeſt, ut auctor iſte eloquentiam affectet, ut potius ſermonis inconcinnitatẽ modeſtiſsimè fateatur, dum ſe potius rerum geſtarum ueritati, quàm ſermonis candori, in hac hiſtoria concinnanda ſtuduiſſe commemorat. Niſi & illa extenuatio ſermonis pigmentis annumeretur: qua tamen & ad Corinth. ſcribens Apoſto-

1. Corin. 2. lus utitur, Et ego, inquit, fratres cùm ueniſſem ad uos, ueni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuncians nobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me aliquid ſcire inter uos, niſi IESVM Chriſtum & hunc crucifixum. Et ſubinde, Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & ueritatis, &c.

Ponuntur Iudæorum obiectiones contra librum Tobiæ, & diluuntur. Cap. XIIII.

Tobias.

ATque hactenus quidem de his, quibus Hebræi libros Machabæorum eleuare contendunt, ſumus locuti, nunc iam pauca, quæ in alios quoſdam intorquent, proferantur in mediũ. Igitur in libro Tobiæ illud (ut aiũt) manifeſtum mendacium tolerari nequit, quod eius hiſtoriæ cap. tertio Sara Raguelis filia in Rages ciuitate Medorum fuiſſe dicatur, cùm peractis iam nuptiis, capite nono, Raphaël in Rages ad Gabellum pecuniæ debitorem, à Tobia mittatur. Ab ea (aiunt) urbe miſſus eſt Raphaël, in qua Saram

Raguelis

Raguelis filiam matrimonio ſuſceperat: ſuſceperat autem eam in Rages ciuitate Mœdorum. Non igitur in Rages potuit mitti, aut Sara non fuit in Rages, qua urbe tertio illo capite fuiſſe refertur.

Sed haec calumnia facilè ex editione ſeptuaginta euaneſcit, in qua, tertio illo cap. Dilutio.
non in Rages, ſed in Ecbatanis Mœdiæ, Sara memoratur fuiſſe, quæ ciuitas nono cap. ponitur, atque ita in Chaldaico originali ſcriptum fuiſſe: itaque Hieronymum conuertiſſe, fuiſſeque uitio ſcriptorum unam pro alia ciuitatem intortam, non eſt dubitandũ: Neque uerò mihi placet eorum reſponſio, qui ideò Hieronymum, urbem illam, in qua Sarra fuiſſe ſcribitur, Rages appellaſſe credunt, quòd ad Rages urbis, in qua Gabellus agebat, pertineret dominium, quemadmodũ, Mediolanum non ipſam urbem ſolam, ſed & quæ ſunt Mediolani territorij appellare aſſueuimus, &c. aut quòd eſſet illi urbi finitima, quo pacto ea, quæ parùm diſtant, eodem nomine uocare ſolemus. Primò quidem, quòd hic modus loquendi, ſit omnino improprius nec ſanctæ ſcripturæ familiaris. Deinde quòd ipſa hiſtoriæ ratio, locum certum, non autem integrum dominium, aut regionem inſinuare uideatur. Poſtremò, quòd, ut plurimùm, hæc loquendi licentia auctori hiſtoriæ licuiſſet; non tamen licuiſſet Hieronymo, qui optimi atque fidelis interpretis, cuius eſt originalem ſenſum exprimere, præſtabat officium. Sunt uerò multa in hac noſtra uulgari uerſione ſimilia, quæ non interpretis uitio, ſed ſcriptorum incuria irrepſiſſe credendum eſt.

Quæ contra lib. Iudith à Iudæis obiiciuntur, quo pacto ſint diluenda. Cap. XV.

Similí calumnia Indirh librum ſuggillant. Quomodo aiunt, cùm Iudith hiſtoria, poſt Babylonicam captiuitatem acciderit: quo tempore, quòd totius Aſiatici imperij ſumma eſſet apud Perſas, neque apud Mœdos, neque apud Babylonios, ulla erat regni poteſtas, aut Arphaſat regnare potuit in Mœdia, aut Ecbatanas in robur fortitudinis ſuæ ædificare, aut Nabuchdonoſor rex Aſſyriorum, qui Holofernem cum exercitu miſerit, eidem præualere?

Verùm hunc nodum non maiori opera Chriſtiani ſcriptores, quàm præcedentium diſſoluunr. Neque enim, ut iſti putant, de Nabuchdonoſore illo primo aut ſecundo, qui ambo Perſicum præceſſerunt imperium, ſed de Artaxerxe ſiue Aſſuero priſco, Cyri filio, qui poſt patrem, cum duodecim annis Nabuchdonoſoris cognomento regnaſſet in
Niniue, tyranno illo Arphaſat, qui Cyri apud Scythas internitione, Ecbatanarum urbe Hiſt. ſcola.
refecta, Mœdorum regnum occupare moliebatur, excluſo, paternam recuperauit mo- Nicol. Lyr.
narchiam: unde exalratum cor eius fuiſſe deſcribitur, & ad uniuerſas gentes, quo in il- & Philo in breuiario
lius imperium, quod iure paterno acquiſiuiſſe uidebatur, concederent, legatos miſiſſe: tempo.
Fuit uerò hic Artaxerxes, uel gentis conſuetudine, apud quam, ut antea docuimus, πολυωνυμία in proceribus, præcipuè uerò regibus familiaris erat, uel ut multis nationibus & regnis, ipſis nominibus, quibus antea ſuos reges appellare ſolebant, placidus haberetur, πατρώνυμα. Nam præter nomen Cambyſis, quo nomine apud hiſtoricos Græcos eſt celebris, Artaxerxes Perſico nomine, & Aſſuerus Medico. Et demum Nabuchdonoſor, Aſſyrico, aut Babylonico fuit appellatus. Quod ne Iudæi Chriſtianorum commentum
exiſtiment, ſanctarum ſcripturarum teſtimonio probabimus. Ecce ego, inquit, apud Hiere 43.
Hieremiam dominus, Aſſumam Nabuchdonoſor regem Babylonis ſeruum meum, & ponam thronum eius ſuper lapides iſtos, quos abſcondi, & ſtatuet ſolium ſuum ſuper eos, ueniensque percutiet terram Aegypti, quos in mortem, in mortem: quos in captiuitatem, in captiuitatem: & quos in gladium, in gladium. Loquitur uerò de lapidibus, quos ſancto prophetæ ſub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis abſcon-
dere iuſſerat. Et rurſus, Verbum quod locutus eſt dominus ad Hieremiam prophetam, Hiere 46.
ſuper eo, quòd uenturus eſſet Nabuchdonoſor rex Babylonis, & percuſſurus terrã Aegypti, &c. Conſtat autem Aegyptum uſque ad hunc Cambyſem Cyri filium, aut ſucceſ-

ſorem, qui ſuperſtitionis tædio, in eandem exercitum conuertit, nunquam fuiſſe ſubuerſam. Quanquàm antea idem Nabuchdonoſor, qui Hieroſolymam ſuccendit, ad fluuium Euphratem ſuperato Nechao Aegypti Pharaone, eiuſdem tentarit imperium.
Iuſtin. hiſto. lib. 1. Hic ſolus eſt, qui, ut hiſtoriæ docent, non modò Aegyptum domuit, ſed celeberrimum & toti Orbi uenerabilem Iouis Amonis templum, omnemque Aegypti ſuperſtitionem ſubuertit. Ex his apertè colligitur, quare Philo in breniario temporum, Iudith hiſtoriam, ſub Cambyſe contigiſſe commemoret: quòd idem nimirum Cambyſes cum Nabuchdonoſore iſto Niniuita, Aſſuero, aut Artaxerxe fuerit, qui propter occiſum à Iudæis Holofernem & Samaritarum prauas ſuggeſtiones, templum, quod Cyrus indulſerat, ædificari prohibuit. Sunt & alia multa, quæ partim ab Hebræis, partim à Chriſtianis auctoribus contra huius libri auctoritatem coguntur, quæ paſsim in eiuſdem libri commentariis, præcipuè uerò apud Lyranum diluta reperias. Sed & quidam noſtra memoria eadem (meo quidem iudicio) cùm de huius libri auctoritate ageret, abundè comminuit, cuius neque libet, neque æquum eſſet uſurpare labores.

Quæ rationes Eccleſiam permouerint, ut hos lib. ueter. teſtamenti catalogo diuinorum lib. adſcriberet. Cap. XVI.

Ludouicus Carnatalus in prol. de reſtituta theologia. ATque hucuſq; quidem de Iudaicis calumniis. Sed iam quæ rationes Eccleſiam, ut hos libros quaſi canonicos coleret, impulerint (quanquàm in harum calumniarum, ſiue generalium, ſiue peculiarium, quæ a Iudæis in eos libros ſunt excogitatæ, dilutione, multæ magnæque huius rei rationes, & quæ uel ſolæ potuiſſent ſufficere, à nobis fuerint perſtrictæ) paucis accipies.
Sapientia. Inuenit libro Sapientiæ Iesv Saluatoris noſtri mortis
Sap. 2. & paſsionis non tam prophetiam quàm expreſſam hiſtoriam. inuenit in Eccleſiaſtico li-
Eccleſiaſticus. bro præter auguſtiſsima illa præcepta uiuendi, quæ Deum auctorem non obſcurè prætendunt, nomine diuinæ Sapientiæ, diuini uerbi proceſſum, & humanæ carnis, quam
Eccl. 24. aſſumptura erat; manifeſtum oraculum, aliaque multa, quæ (ut antea diximus) uniuerſis Eccleſiaſticæ reipublicæ partibus, martyribus, uirginibus, confeſſoribus, & ante
Tobias. hos ordines, Apoſtolis ipſis conuenire probantur. Inuenit in Tobia clarius quàm alibi
Tob. 2. ſcripturarum, alterius uitæ fieri rationem, Vitam, inquit, illam expectamus, quam Deus daturus eſt iis, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Inuenit in eodem præter admirandum illum prouidentiæ ordinem, quo, quorſum iuſti nonnunquam affligantur, inſtruimur, non modò angelicos ſpiritus eſſe, contra Sadducæorum inſaniam, ſed
Hebr. 1. etiam in miniſterium noſtrum cœlitus ſupremos quoſque deſcendere, quod Paulus ſcribit. Inuenit demum in eo, non modò nuptias Deo acceptas, quod hæretici negant,
Machabæi. ſed & eaſdem angelico miniſterio honoratas. Inuenit in Machabæorum libris, non tantùm futuræ reſurrectionis fidem, ſanctiſsimi ducis teſtimonio confirmari, ſed &
Iudith. purgatorias pœnas, & defunctorum parentationes ſtatui. Inuenit in Iudith hiſtoria
Gene. 3. ſanctiſsimæ uirginis, quæ iuxta diuinum oraculum caput ſerpentis contriuit, expreſ-
Baruch. ſiſsimum typum. Inuenit in Baruch prophetia, quemadmodum & in Eccleſiaſtico,
Baruch 4. ſapientiæ figura, irrefragabile diuinæ incarnationis oraculum; Hic eſt, inquit Deus noſter, & non reputabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem uiam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris uiſus eſt: & cum
Lud. Carnatalus. hominibus conuerſatus eſt. Quò magis miror, librum hunc cum epiſtola Hieremiæ, inter apocrypha reiici à quodam ex noſtris, leuiſsimo argumento, quòd ſcilicet non ſit in Hebraico canone; quaſi uerò Eccleſiaſticas ſcripturas Hebraico canone, aut lingua metiri liceret.

Quæ Suſannæ & Belis draconis hiſtoriæ, tum à Iudæis, tum à Chriſtianis quibuſdam obuciantur, eorumq́; dilutio. Cap. XVII.

DE Suſannæ & Belis draconis hiſtoriis, deque trium puerorum hymno,
ſcimus olim magnas inter Origenem & Africanum controuerſias fuiſſe,
Africano contendente, Suſannæ hiſtoriam fabuloſam eſſe, contrà Ori-
gene magnis rationibus reclamante. arguitur & à Rufino Hieronymus,
quòd hæc tria proprio loco contra Eccleſiaſticum uſum eraſerit, & inter
apocrypha coniecerit.

Iudaicæ uerò illæ argutiæ, quas Hieronymus in prologo Danielis memoriæ prodidit,
nec tales erant, quæ uirum alioqui doctiſsimum ſuperare debuiſſent, nec tantæ, quæ no-
ſtri temporis ſcriptores ualuiſſent opprimere, & adeò eos occludere, ut quod calumnio-
ſo Rabinulo, dum eccleſiaſticam impetiriam ſubſannaret, reſpondendum ſit, ſcire ſe ne-
get. Profectò nec eſt mirabile, ſi diuinæ uirtutis poteſtatem attendas, nec in ſancta
ſcriptura inſuetum, hominem per capillum à Iudæa Babylonem deferri, quod ille calu-
mniabatur. Quòd ſi argutulum illum, qui Ezechielem è Chaldæa in Iudæam delatum
oſtendit, Iudæus meritò irriſerit, quòd ea nimirum delatio, non corpore ſed ſpiritu
fuerit; nos certè irridere non poterit, ſi Enoch & Heliam diuino miraculo raptos pro- Gen. 5.
feramus, non in ſpiritu, ſed in ponderoſo corpore. Iudaicæ ſunt deinde næuiæ, quòd 4. Reg. 2.
non credit tantùm tribus pueris ocium fuiſſe ut in camino æſtuantis incendij, metro lu-
derent, & per ordinem ad laudem Dei elementa prouocarent, & quòd potius ad pru-
dentis uiri ſolertiam, quàm ad prophetatum ſpiritum, uel offa illa Danielem interemiſ-
ſe draconem, uel ſacerdotum Belis machinas depræhendiſſe, pertiuere credat. Quid,
obſecro, mirum, quòd in media ignis fornace metricè laudarent, quibus Angelico mi-
niſterio excuſſo foras in diaboli miniſtros igne, medium fornacis erat quaſi medium to-
ris flantis? Quid mirum quòd uniuerſa elementa in laudes diuinas prouocarent, quos
ignis omnino non tetigit, neque contriſtauit, neque moleſtiæ quicquam intulit? Ex ipſo
profectò Danielis Hebraico textu conſtat, tres illos iuuenes in ardētem fornacem fuiſſe Dan. 3.
coniectos. Viri, inquit, ij tres, ideſt, Sidrach, Miſach & Abdenago, ceciderunt in me-
dio ignis ardentis, & alligati. conſtat etiam ſeruatos fuiſſe. Tunc, inquit, acceſsit Na-
buchdonoſor ad oſtiū fornacis ardentis, & ait, Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſerui Dei
excelſi, egredimini, & uenite. ſtatimq́ue egreſsi ſunt Sidrach, Miſach, & Abdenago de
medio ignis &c. Non igitur nocuit illis ignis. Cur ergo non potuerunt uel metricè lude-
re, uel elementa ad diuinas laudes prouocare? An non potuit olim filiorum Iſraël pro-
miſcua multitudo inter impendentes undas maris rubri Deum laudare? Ergo non maius
eſt prodigium in medio ignis iuuenes iſtos diuinas laudes ceciniſſe; cùm eos ignis omni-
no non tetigerit, quàm ſi in amœniſsimo campo fuiſſent expoſiti. Iam quæ de ſacerdo-
tum machinis depræhenſis, uel de draconis interfectione dicuntur: non negamus hu-
manæ prudentiæ & ſolertiæ eſſe impoſsibilia: ſcimus tamen plerunque ea etiam, quæ ad
humanam rationem ſpectant, diuinitus tradi. Nam ueſtes ſacerdotales conſuete ex auro
& argento, & precioſis lapillis fabrefacere, humanæ rationis iudicium non ſuperat, &
tamen implet quoſdam Deus ſpiritu prudentiæ, ut ueſtes faciant Aaroni, & implet Be- Exod. 28.
ſeleel filium Vri ſpiritus Dei, ſapiētia & intelligentia, & ſcientia in omni opere. Quòd Exo. 31.
ſi tam facile erat ſacerdotum dolos depræhendere, cur neque Regi, neque cæteris Sa-
trapis, quos habebat ſapiētiſsimos, non fuiſſent cogniti? Quòd ſi naturali uirtute phar-
macum illud ex pice, adipe, & pilis confectum, draconem interfecit, unde harum rerum
uirtus Danieli, qui neque medicam artem didicerat, niſi diuina reuelatione fuit cogni-
ta? Quin uerò cùm neque pix, neque adeps res ſint exitiales & uenenoſæ, non alia ra-
tione mihi draconem peremiſſe creduntur, quàm ea, qua emplaſtrum ab Iſaia confe-
ctum, morbo aut uulneri Ezechiæ fuit medicatum, ideſt, prorſus diuina. Iſa. 38.

Quòd ſi nullum neque in doli ſacerdotalis depræhenſione, neque in draconis interfe-

ctione fuiſſet diuinitatis argumentum, non perinde portio illa ſcripturæ contemnenda fuiſſet. Non enim ideò ponitur, ut actiones illæ miraculoſæ oſtendantur, ſed ut pars hiſtoriæ Danielis, & eius ſanctiſsimi uiri celebre factum, qualia ſunt multa in ſcriptura. Neque enim uniuerſa, quæ uel de Patriarchis, uel de aliis quibuſque iuſtis uiris, ſcripturæ memoriæ prodiderunt, ſunt prorſus diuina opera, aut diuinitus operata; ſed multa ad perfectionem hiſtoriæ, multa humana tantùm ratione, ſed ſapientiſsimè tamen facta referuntur.

Nam quòd Rabinulus ille hiſtoriam Suſannæ ideò falſam probet, quòd fuerit Græcè ſcripta, iam in præcedentibus eſt comminutum. Quid enim ſi iam tunc exules Hæbræi lingua propria deſtituti, Græca utebantur? Quòd ſi linguam Græcam cum Græco quoque imperio in Aſiam commigraſſe, ut nos antea docuimus, obiiciat, ac proinde eam hiſtoriam, quæ ante Græcum imperium accidit, Græco ſermone ſcribi non potuiſſe contendat: quid mirum quòd quæ antea contingerant, ſpiritu agente quiſpiam Iudæorum Græco poſtea ſermone deſcripſerit, & quæ de Danielis hiſtoria, traditione ſuſceperat, Græcis characteribus, & linguæ mandauerit? Neque uerò ad ueritatem hiſtoriæ multū attinet, ut illis dictionibus Græcis σχῖνος, & πρῖνος, quæ ἀπὸ τοῦ σχίσαι, & ἀπὸ τοῦ πρίσαι, ideſt abſcindendo & ſecando deſcendant, utatur. Sed ſatis eſt, ſi ſimile aliquid Daniel ab earum arborum, ſub quibus Suſannam, cum iuuene concũbentem, ſe uidiſſe, mentiebantur presbyteri, fuerit imprecatus: cuius rei non eſt ineptum exemplum, quod Hieronymus ponit, de ilice & lentiſco. Rectè enim & ſine mendacij ſuſpicione, qui in Latinum ſermonem locum illum conuerteret, loco dictionum illarum Græcarum σχῖνος & πρῖνος, ilicem & lentiſcum Latina nomina, aliarum tamen arborum ponere potuiſſet: immo erat hoc aut ſimile quid, neceſſarium, cùm ab illis dictionibus Græcis, ad illa, quæ Daniel imprecabatur, non poſſet fieri alluſio, quæ totius illius loci præcipua eſt intentio. Vnde qui locum illum tranſtulit, nominibus illis Græcis immotis, non ſatis auctoris mentem explicuit: neque quid illa nominum alluſione ſignificetur, niſi à Græcè ſcientibus poteſt cognoſci. Et tamen boni interpretis officium eſt, ſaltem ſenſum exprimere.

Sed iis iam controuerſis poſt tot ſæculorum decurſus, poſt tot tantorumque conciliorum approbationes, non relinquitur locus. Nam quòd non ſint apocryphæ hæ hiſtoriæ uel hæc una ratio conuincit, quòd eæ in Eccleſia tot ſæculis ſint legi & decantari permiſſæ, quod non contigiſſet, ſi fuiſſent apocryphæ. Sed neque eas Gelaſius Pontif. cùm libros apocryphos recenſeret, inter apocrypha numerat. Fuit deinde magna horum locorum ratio, & ante & poſt Chriſtum, à ſanctæ ſcripturæ interpretibus habita, Septuaginta ſcilicet, Theodotione &c. Celebrant ea ſancti Patres Tertullianus, Origenes, & poſtea Ambroſius, Auguſtinus, Cyrillus Alexandriæ patriarcha, & cæteri. Immo uerò trium puerorum hymnũ, in quo uniuerſa cœli & terræ creatura Deum collaudat, ut docet concilium Toletanum quartum, Eccleſia tota catholica per totum Orbem diffuſa celebrat. Sunt ergo quãtum ad auctoritatem attinet, hæ hiſtoriæ non hagiographæ modò, ideſt ex quibus pro populi ædificatione, non item pro dogmatis catholici robore, loci petantur, ut quidam etiam noſtra memoria putarunt, ſed planè canonicæ, & quæ non minus, quàm alij quicunque canonici libri in hæreticos ualeant. Verùm de librorum ueteris teſtamenti calumniis ſatis hucuſque.

Bartho. Miran. Archiepiſc. Toletanus in cõtrouer. de libr. canon.

Diluuntur calumniæ, quæ uel ab Hæreticis, uel à Catholicis quibuſdam, in libros quoſdam noui teſtamenti, aut in eorum auctores ſunt excogitatæ, & primò de Marci Euangelio. Cap. XVIII.

NVnc iam, quas uel quorundam hæretica temeritas, uel aliorum (niſi eſſent alioqui uiri grauiſsimi) mẽs forſan temeraria, in libros noui teſtamẽti, de quibus olim dubium fuiſſe prædiximus, nõ ſine magno Eccleſiæ malo, & hæreticorum emolumento, calumnias excogitarit, continuò proteramus. Neque enim hoc, quàm illud minus eſt neceſſarium, ſed tantò magis, quantò zeli Eccleſiaſtici ſpecie, & ſapientiæ & auctoritatis imagine, nobis

bonam

bonam eius ſcripturæ partem, quæ non umbraticè & per nebuloſos typos, ſed per ipſam rerum factarum hiſtoriam, Euangelicam diſpenſationem continet, ab ea, uel auctorum uel ueritatis auctoritate relegata, conantur abripere.

Ergo ut uetuſtos hæreticos, quorum nonnulli in totum uetus teſtamentum, nonnulli in ſancta quatuor Euangelia, aut horum tria, aut horum duo, nonnulli in Apoſtoli Pauli epiſtolas omnes, quòd iis ſua dogmata iugulari uiderent, excogitarunt ſycophantias, omittamus, quòd ſcilicet ſingulorum fabuloſa deliria uelle confutare fuiſſet opus immenſum, ad ea tantùm, quæ noſtra memoria hanc Eccleſiaſticæ doctrinæ portionem uexarunt, conuertamus ſermonem. Habent enim illorum temporum inſaniæ, ſuos Tertullianos, & Ireneos, qui eas, ut oportet, digno uerborum pondere frangant.

Tert. cōtra Marcio. Ir.cō.Valē.

Itaqve in Marci euangelio (nam de illo, quod eſt iuxta Matthæum, nulla noſtra ætate fuit digna controuerſia) illud in primis ſcrupuloſum uidetur, quod, inquit, Sub Abiathar, comediſſe Dauidem panes propoſitionis, cum in Regum hiſtoria non Abiathar, ſed Abimelech, nominetur, qui Abiatharis fuit pater.

Obiectio in dauicō. Marci Euāgeliū. Mar. 2. 1. Reg. 2.

Huic tamen ſcrupulo multiplex à Chriſtianis auctoribus reſponſio affertur. Prima quidem quòd Abimelech binomius extiterit, uocatuſque fuerit Abiathar, quemadmodum & filius Abiathar quoque uocabatur. Fuit enim eius ſæculi, & gentis non prorſus infrequens, multa nomina, quæ pro rerum caſibus diuerſis obtigerant, uſurpandi conſuetudo. Nam & Eſau Iſaac filius Seir, & Edom, frequentiſsimè dicitur, & multa ſunt in ſcriptura ſimilia, ut antea diximus. Sunt & alij, quibus placeat, Abimelechum, fuiſſe quidem ſacerdotem domini, Abiatharem autem ſacerdotum principem: atque adeò, hiſtoriam regum propter ætatis progreſſum, & quòd is uerè alioqui panes Dauidi porrexiſſet, ad parentem, quamuis dignitate inferiorem, Marcum uerò ad filium, propter maiorem dignitatem & principatum, reſpexiſſe. Quæ duæ ſententiæ quamuis ueræ eſſe potuerint, illud tamen magis arridet, Abiatharem cum patre Abimelecho functum fuiſſe ſacerdotio, atque adeò utriuſque in hiſtoria regum & Marci Euangelio, habitam fuiſſe rationem.

Dilutio. Ambr.Catarin. Senē. 5 clauibus. Teophilact. in Marcū. Hierony. Lyran.

Caput ultimum Marci, ideſt, ſextum decimum, eò quidam canonicarum ſcripturarum auctoritate nudare conantur, quòd à cæteris Euangeliſtis in deſcribenda Chriſti reſurrectione, diſcordet, cùm dicat, eam ualde mane una ſabbatorum contigiſſe, Matthæus autem ueſpere ſabbati. Vnde in Græcis exemplaribus, ut ait Chiliad. auctor, aut non reperitur, aut ſi reperitur, ſic poſt finem aliorum capitum ponitur, ut reiectitium uideatur.

Quidam apud Hiero. in epiſtola ad Hebdiam Caten. & Chil. auctor.

Hunc uerò nodum ſufficienter Hieronymus ſoluiſſe uidetur, omnium Euangeliſtarum narrationibus in hac parte conciliatis, ut tempus, quod noctis medium & auroram interiacet, pro ſui quidem initio, quo ſanctæ illæ fœminæ domo in ſepulchrum ſunt profectæ, ueſpere, pro ſui uerò fine, quo ſepulchrum applicuerunt, mane, dicatur, & una ſabbati. Neque uerò urgentior erat ratio, Marci, quàm Ioannis, aut Lucæ, hoc argumento narrationem laceſſendi, cùm uterque horum, ſi tantùm externam faciem uerborum cōſideres, à Matthæo diſcedat. Ioannes enim ait, Vna ſabbati, cùm adhuc tenebræ eſſent, Lucas uerò, Vna ſabbati ualde diluculo. conſtat autem unā ſabbati, non ueſperam ſabbati, ſed Hebraica ratione loquendi, primam diem poſt ſabbatum, ideſt Dominicam, apud hos Euangeliſtas exprimere.

In epiſtola ad Hebdiā. Ioan. 20. Luca 24.

Itaque ut ſuo uſu, & approbatione, omnē hanc controuerſiam dirimeret, hac Marci narratione, nō alia, dominicam reſurrectionem, ipſo die & hora reſurrectionis, Eccleſia denunciat. Eſt autem uero ſimile id non fuiſſe factum ſine magna expenſione ac iudicio, præſertim cùm fuerit reiecta coronis illa, quæ olim adiecta erat illi euangelio, maximè in Græcorum exemplaribus, de qua Hiero. in 2. dialogo aduerſus Pelagianos ſcribit, quæ, poſt illa uerba, Quia his, qui uiderant eum reſurrexiſſe à mortuis, non crediderant, in hunc modum habebat, Et illi ſatisfaciebant, dicentes, ſæculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantiæ eſt. quæ non ſinit per immundos ſpiritus ueram Dei appræhendi uirtutem: idcircò iam reuela iuſtitiam tuam &c. quam non alia cauſa reiectam crediderim, quàm quòd euangelica illa grauitate & Spiritus ſancti tinnitu, prorſus carere uideretur.

Quæ in Lucæ Euangelium afferantur, & eorum dilutio. *Cap. XIX.*

Lucæ Euāgelium. LVcæ Euangelium, ideò quidam nō canonicæ auctoritatis putarunt, quòd, ut eius initio ſcribitur, Chriſtum non uiderit, ſed ab aliis acceperit, Sicut, inquit, tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi uiderunt.

In prolog. lib. 3. citra Valē. c. 14. Contra quos cùm Irenæus ſolertiſsimè diſputet, nos pauca dicemus. Ij itaque eadem ratione uniuerſas Apoſtoli Pauli epiſtolas ſunt reiecturi, quòd Paulus cum Chriſto, dum adhuc uiueret, non fuerit conuerſatus. Quòd ſi id in huius ſancti uiri recipiendis ſcriptis, non obſtat, neque oberit Lucæ euangelio, quò minus habeatur canonicum, quòd Chriſtum non uiderit. Fuit Lucæ euangelium, non aliud, quàm Pauli Euangelium, quod nō ab homine, neque per hominem, ſed per IESVM Chriſtum accepit, non quidem dum adhuc uiueret uitam mortalem prædicatione, ſed poſt mortis triumphum diuina reuelatione. Fuit Paulo Lucas indiuiduus

Act. 16. comes, & ſeruidus euangelicæ prædicationis cooperator. Vnde in Apoſtolica hiſtoria, ut plurimùm de ſe & Paulo numero multitudinis loquitur. Quod & ipſe Paulus alibi non ſemel inſinuat, Demas, inquit, me dereliquit, & abiit Theſſalonicam, Lucas eſt mecum ſolus. Et alibi, Salutat uos Lucas medicus dilectus. Et ne tantùm perſonā approbaſſe uideretur, miſimus, ait alibi, cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in euan

1. Corin. 8. gelio per omnes Eccleſias, non ſolùm autem ſed & ordinatus eſt, comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam, quæ miniſtratur nobis, ad domini gloriam & deſtinatam noluntatem noſtram. Quo loco, Apoſtolum, de Luca loqui, præter rei euidentiam, una-

2. Tim. 2. nimi conſenſu docetur ab omnibus. Tale eſt etiam, quod ait ad Timotheum, Memor eſto dominum noſtrum IESVM Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid, ſecun-

Euſeb. Eccleſiaſt. hiſto. lib. 3. c. 4. dum euangelium meum &c. Vocat euangelium ſuum ſanctus Apoſtolus, iuxta quorundam ſententiam, Lucæ euangelium, quod à ſe fuerit Lucæ, qui linguæ & calami elegantia magis placebat, Spiritu ſancto cooperante dictatum. Itaque ſi quòd præſens cùm Chriſtus cum hominibus ageret, Lucas non erat, euangelium eius auctoritate carere debet, carere debet etiam & Moſes, qui mundi fabricationi non adfuit. Habuit Lucas præter Paulum, ſacratiſsimam Virginem, qua cum familiariſsimè uteretur, uel ſi non adfuiſſet ſpiritus, fidelius, quàm qui uiderant, potuiſſet cognoſcere. Atq; hoc eſt profectò, quod in prologo dicit, Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi uiderunt, & miniſtri fuerūt ſermonis. Enimuerò nemo præter ſacratiſsimam Virginem ab initio uidit, ex his, qui poſt Chriſti reſurrectionem uixerunt. Neque quiſquam ab initio ſermonis huius præter illam, quæ omnia uerba conſeruabat, conferens in corde ſuo, functus

Luc. 2. eſt miniſterio. Hoc igitur duplici magiſterio, ſpiritu agente, Lucam, dum aſſequutus

Luc. 1. fuiſſet omnia ab initio, non item humana, & fragili coniectura, animum poſt tot alios ad ſcribendum euangelium, appuliſſe credendū eſt. Vnde per eundem plura nobis inno-

Iren. lib. 3. cōt. Valen. tuerūt, inſtruente Dei matre, quibus per aliorū euangelia fueramus deſtituti: qualia ſunt Ioannis Baptiſtæ natiuitatis & conceptionis hiſtoria, Chriſti conceptio, Angelica denun-

Luc. 1. & 2. ciatio, Mariæ partus, Paſtorum adoratio, Simeonis & Annæ teſtimonia, & plura alia, quæ in decimum canonem Ammonius Alexandrinus coniecit.

Caietan. & Chiliaſt. auctor. EIVSDEM euangelij caput uigeſimumſecundum, ea parte, qua angelum confortaſſe Chriſtum commemorat, ſunt, qui non ſolidæ auctoritatis exiſtiment, quòd in antiquis

Lib. 10. de Trini. & Græcis originalibus non legatur. Vnde Hilarius, Nec ſanè ignorandum à nobis eſt & in Græcis, & in Latinis codicibus complurimis, uel de aduenienre angelo, uel de ſudore ſanguinis nihil ſcriptum reperiri.

Dilutio. At quàm parum ea diuerſorum codicum lectio eundem Hilarium permouerit, quominus hunc locum ad ſacram hiſtoriam pertinere putaret, ea, quæ ſubinde ſcribit, abūdè declarant. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris uariis aut deſit, aut ſuperfluum ſit, (incertum enim hoc nobis relinquitur de diuerſitate librorum) certè ſi quid ſibi ex hoc hæreſis blanditur, ut infirmum affirmet, cui opus fuerit angeli confortantis auxilio, meminerit creatorem angelorum creaturæ ſuæ non eguiſſe præſidio, tum de-

inde eo modo eum confortari, quomodo & triſtem eſſe. Nam qui nobis triſtis eſt, ideſt propter nos triſtis eſt, neceſſe eſt ut propter nos ſit confortatus & nobis. Quia ergo, qui de nobis triſtis eſt, & de nobis confortatus eſt. ſudorem uerò nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam eſt ſanguinem ſudare. neque infirmitas eſt quòd poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſsit, neque ad hæreſim infirmitatis pertinere ullo modo poterit, quod aduerſum hæreſim phantaſma mentientem proficiat per ſudorem ſanguinis ad corporis ueritatem. Igitur cum & triſtitia & nobis eſt, & oratio pro nobis eſt, non poſſunt non omnia propter nos geſta eſſe intelligi, cùm omnia pro nobis, quibus timebatur, orata ſint. Præſtant autem ſibi mutuam Euangelia plenitudinem, dum alia ex aliis, quia omnia unius ſpiritus prædicatio ſit, intelliguntur. Hæc Hilarius multaque alia in eandem ſententiam, quibus non mediocriter perſuadet, eam hiſtoriam ad Euangelicæ hiſtoriæ integritatem, quæ ſimul omnibus quatuor Euangeliſtis conſtat, pertinere, nulloque pacto ab hæreticis, cùm eorum inſanias non promoueat, intrudi potuiſſe. Sed hi cùm Hilarij dubitationem libenter amplectantur, eius tamen ſancti uiri nec iudicium neque ſententiam imitari dignãtur.

Inſerunt & eãdẽ hiſto. quaſi partẽ Euãgelii Lucæ, Ammo. Alexãd. ſuæ Euangel. rhapſodiæ [illegible]

Quæ in Ioannis Euangelium à quibuſdam obijciantur, & eorum dilutio. Cap. XX.

Caieta. & Chil. auct. Ioan. 8.

Habuit & noſtra memoria, apud quoſdam, ex iis, qui cenſores agunt ſcripturarum, quæſtionem in Ioannis euangelio, adulteræ mulieris hiſtoria, tum quòd ea à Theophilacto, & quibuſdam aliis Græcis fuerit prætermiſſa, aut in calcem reiecta: tum quòd iis non uideatur cum ratione cohærere ad Chriſtum, quem tam acerbo odio Phariſæi perſequebantur, ream adulterij fuiſſe, quaſi ad iudicem deportandam.

Sed nec poſt tot ſæculorum Eccleſiaſticum uſum, poſt tot patrum, tum Latinorum, tum Græcorum in eam quemadmodum & in reliquam partem euangelij Ioannis commentaria, non erat profectò, cur (ſi modò Eccleſiaſticæ auctoritatis reuerentia teneretur) quiſquam Catholicorum in diſputationem reuocaret. Enimuerò hanc eandem hiſtoriam Papiam Ioannis apoſtoli diſcipulum, ut ab ipſo Ioanne tradita fuerat, ſcripto prodidiſſe, Euſebius Cæſarien. eſt auctor. Teſtatur & idem Papias in euangelio ſecundum Hebræos reperiri. Neque uerò inſolitum erat Phariſæis, difficillimas quaſque ad Chriſtum, quò eum, quem operibus damnare non poterant, aſtutia ſermonis interciperent, legis cauſas, & quæſtiones deducere, ut patet de Cæſaris cenſu, de ea, quæ ſeptem fratribus nupſerat, de eo, qui cauſam hæreditatis aduerſus fratrem agebat. Porrò Theophilacti & quorũdam aliorum omiſsio, non tanti eſſe debuit, quanti, tanti temporis Eccleſiæ, & aliorum ſanctorum patrum, qui ſi non maiores, ſaltem non fuerunt Theophilacto inferiores, receptio & approbatio. Non eſt profectò ueroſimile, Chryſoſtomum, & reliquos Eccleſiæ Græcæ uel Latinæ patres, rationes illas, quibus Theophilactus eam lectionem omiſit, ignoraſſe, cùm fuerint longè doctiſsimi, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ & ſanctarum ſcripturarum conſultiſsimi: uerùm non tantæ fuerunt apud eos, ut eam propter illas omitterent, aut minori loco & dignitate haberent.

Vtitur eccleſia hoc euã. ſab. hebd. 3. quadrag. Cyril. in Ioan. Chryſo. homil. 60. in Ioã. Auguſt. &c. Diluitur ſcrupulus. Lib. 3. Eccleſia. hiſt. c. ult. Matth. 22. Luc. 12.

Neqve tamen uel Theophilactus, uel quiſquam alius eas, aut ſimiles Euangelicas, aut Apoſtolicas lectiones, ſine magna animaduerſione ſunt omiſiſſe, aut in calcẽ reieciſſe credendi. Erant tunc temporis frequentiſsimi in ſanctas ſcripturas hæreticorum doli, quibus ad ſuarum hæreſum conciliandam auctoritatem, falſas ſcripturas ueris miſcebant, ut ex eorum ſæculorum hiſtoriis, manifeſtè colligitur. Sancti igitur ſcriptores, & ſcripturarum interpretes, nihil æquè formidabant ac ſuppoſititia hæreticorum figmenta, aut eas ſcripturarum partes, quas hæreticæ fraudes infecerant, quaſi ueras & germanas ſcripturas Chriſtiano populo apponere. Ergo ea, de quibus fuiſſet aliquãdo quæſtio, quãuis eſſent longè ſacratiſsima, aut prorſus omittebant, aut in capitum calce collocabant, quò nimirum eodem dubitationis ſcrupulo legerentur, quo ipſi ſcripſerãt. Atque hinc immenſus ille labor Tatiani quondam Iuſtini martyris diſcipuli, antequam ad hæreſim deficeret, Ammonij Alexandrini, & Euſebij Cæſarien. in conficiendis ca-

Quare ueteres theologi quoſdã ſcripturæ locos aut non receperint aut in fine reiecerint.

nonibus,

Hierony. in pro. euāg. q̄d incipit. Nouum opus &c.

nonibus, quibus catholici certi eſſent, quæ, in quibuſque capitibus continerentur: ne deinde figmentis hæreticis locus daretur.

Quæ fuerit rō quòd apud uete. libri originales non teſtam non eſſent uniformes.

Qvare autem hoc euangelij fragmentum & ſimilia, qualia apud Lucam angelica apparirio, & Marci ultimum caput, de quibus ſumus loquuti, ac alia quædam, non in omnibus codicibus reperiantur, hoc fuiſſe in cauſa putarim, quòd ea opera (ut ſcribentibus contingere ſolet) non uno eodemque calami impetu fuerint ſcripta, ſed iis, quæ prius anctores in nulgus emiſerant, multa poſt deinde, iidem ſeqnentibus editionibus addiderint. Vnde ſequentes Chriſtiani, priores illos codices cum poſteriotibus conferentes, corruptionum hæreticarum, quæ tunc, cùm nondum ſatis compertum fuiſſet, qui libri ſacri habendi eſſent, frequentiſsimæ erant, timore correpti, quouſque res ad plenum examinaretur, eaſdem additiones in aliarum ſcripturarum auctotitatem, non andebant admittere. Verùm huiuſmodi locos, cùm nulli eius temporis hæreſi ferrent patrocinium, facilè ſacri poſteriorum ſæculorum doctiores auctores, ad ſanctas ſcripturas pertinere, potuernnt cognoſcere.

Eraſm. falſò pſua ſentētia Aug. & Hieron. profert.

Illvd tamen in hac parte notandum falſum eſſe, quod Eraſmus ſcribit, Auguſtinum hunc locum contempſiſſe cum in eum, quemadmodum & in totum reliquum Ioannis euangelium, abſque ullo diſcrimiue commentarios ediderit. Sed neque Hieronymus aduerſus Pelagianos, huius loci teſtimonium adducere timuit, dicens, ut ait Eraſmus, In multis Græcis & Latinis codicibus non inueniri. Immo planè contrarium agit Hieronymus. Vtitur enim hoc loco, ad huius dictionis ἀναμάρτητος, ideſt ſine peccato, ſignificationem oſtendendam; & docet in multis tum Græcis, tum Latinis codicibus inueniri. Vnde & eam proſequitur, tanqnam authenticam & canonicæ auctoritatis hiſtoriam. Quin & Ammonius Alexandrinus, quaſi legitimam euangelij Ioannis portionem, eandem hiſtoriam ſuæ rhapſodiæ euangelicæ inſeruit, quod profectò maniſeſtiſsimo indicio eſt, iam ſuo ſæculo euictis ſcrupulis, eandem quaſi ueram Euangelij Ioannis partem ab Eccleſia receptam. Neqne enim ullam adnotationem appoſuit, quòd, ſi ullus iam tunc temporis reſtaret ſcrupulus, diligentiſsimus auctor, non fuiſſet facturns. Quo magis eorum ſententiam damnare compellor, qui hanc hiſtoriam ex Hebræorum euangelio deſumptam docent, Euſebium allegantes, cùm Euſebius teſtimonio Papiæ Ioannis apoſtoli diſcipuli, nt antea diximus, ab eodem Ioanne ſcriptam teſtetur: & cum non ſit uetoſimile ex apocrypho euangelio, Eccleſiaſticos patres, ullam in Ioannis ſacroſanctum euangelium acciuiſſe portionem: neque ſit uerosimile hoc Ammonium ignoraſſe. nam quod Papias inquit, eam hiſtoriam in Euangelio ſecundum Hebræos reperiri, non hoc dicit, quòd inde deſumptam credant, ſed quod illic etiam legatur.

Quæ in Ioannis priorem canonicam producantur, & eorum dilutio. *Cap. XXI.*

1. Ioan. 5.

TAle eſt, quod iidem, ab eiuſdem Apoſtoli priori canonica truncant illud, Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & ij tres unum ſunt. illud tantùm quod ſubinde connexum eſt permittentes. Tres ſunt, qni teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: & ij tres unum ſunt, quòd nimirum Græcis codicibus, quibus magis quàm Latinis tribuunt, non fuetit ſcriptum.

Dilutio.

In prol. Canonicar.

Qvam rem, iam Hieronymus, quo tamen nemo in ſanctis ſcripturis uel examinandis, uel recipiendis, ſolertior, multò ante diſcuſſerat, docens apertè, Græca exemplaria ab hæreticis hominibus fuiſſe corrupta. Quæ, ſi ſic, inquit, ut ab eis digeſtæ ſunt, ita quoque ab interpretibus, fideliter in Latinum uerterentur eloquium, neque ambiguitatem legentibus facerent; nec ſermonum ſeſe uarietas impugnaret, illo præcipuè loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Ioannis epiſtola poſitum legimus; in qua etiam ab infidelibus tranſlatoribus errarum eſſe, à fidei ueritate comperimus, trium tantummodò uocabula, hoc eſt aquæ ſanguinis & ſpiritus, in ipſa editione ponentibus, & Patris Verbique atque Spiritus teſtimonium omittentibus, in quo maximè fides catholica

roboratur,

roborarur, & patris, filij, & Spiritus ſancti, una diuinitatis ſubſtantia comprobatur. Hactenus Hieronymus. Vnde habes apertè, huius loci deletionem, non aliud fuiſſe, quàm Arrianorum aut ſimilium hæreticorũ, qui hoc loco ſuas hæreſes iugulari uidebant, temerarium ſacrilegium. Semper igitur erunt ridiculi, qui quòd lingua Græca labia tinxerint, quoſcunq; Græculorum codiculos, totius uniuerſalis Eccleſiæ grauirati præponunt, & ex eis quaſi ex ſacroſanctis oraculis, quæ reliqui homines indocti (ut illi uo luut) & bonarum literarum, ideſt, Græcarum, ignari, non attigerint, Latinos libros, poſt tot ſanctiſsimos & doctiſsimos uiros emendare contendunt; cùm tamen fieri potuerit, ut codices illi tantæ antiquitatis maieſtate tremendi, non Chryſoſtomi, Cyrilli, Athanaſij, Damaſceni, Gregorij, ſed Arrij, Eunomij, Aetij, Euſthatij, Neſtorij, Dioſcori, aut Eutichis fuerint. Illi tamen indigniores ſunt uenia, qui cùm neque Hebraicè, neque Græcè, immo uerò forſan neque Latinè ſatis ſciant, quòd has aut huiuſmodi nænias, iam ante mille annos ſepultas, in quorundam libris, quibus nihil eſt magis in uotis, quàm Eccleſiam ſtultam ac fatuam, ſi fieri poſsit, oſtendere, legerint, quaſi Crœſi theſauros effoderint, ingenti ſupercilio populo uenditant: ſingulis quibuſque uerbis illud crepantes; Hîc dubius fuit Hieronymus; de hoc quoſdam ſuo tempore dubitare dixit Hieronymus (& quòd his hominibus eſt impudentius) hoc non habetur in Græco codice; illud non eſt in Hebraico originali, cùm nihil minus, quàm Hieronymum, Græcos codices aut Hebraica originalia nouerint, omnia ſcilicet ex nouorum quorundam hominum, qui ad nihil aliud, quàm ad nouanda omnia, nati eſſe uidentur, ſcriptulis metientes.

De duabus poſterioribus Ioannis epiſtolis, & quæ in eas obiiciantur. Cap. XXII.

Euſdem Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ duas poſteriores epiſtolas, ideò quidam ſanctarum ſcripturarum numero ſubmouere conantur, quòd non fuerint ab eodem ſcriptæ, ſed à quodam Ioanne Apoſtolorum diſcipulo, cognomento Presbytero, aut Seniori. Cuius rei argumentum eſſe uolunt, quòd cùm presbyteratus in iis epiſtolis mentio fiat, Apoſtolatus uerbum nullum ponatur. Deinde quòd uterque Ioannes Epheſi uixerit, & obierit. Conſiderabam, ait Papias apud eundem Euſebium & Hieronymum, quid Andreas, quid Petrus, dixiſſent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthæus, uel alius quiſpiam diſcipulus Domini; quid etiam Ariſtion, & Senior Ioannes diſcipulus domini loquebantur. Non enim mihi tantùm libri ad legen dum proſunt, quantùm uiua uox, uſque hodie in ſuis auctoribus perſonans. Hactenus Papias. Fuit ergo, aiunt, Ioannes ſenior, cuius titulo hæ duæ epiſtolæ prænotantur, diuerſus à Ioanne Apoſtolo & euangeliſta. Sed & idem Euſebius Cæſarienſis, dum Ioannis Apoſtoli ſcripta commemorat, poſtquàm euangelium, & unam canonicam, de quibus nunquam fuerit aliquando controuerſia, recenſuit, De reliquis autem duabus epiſtolis, ait, & reuelatione, & nunc anceps ſententia eſt, &c.

Duæ epiſt. poſteriores Ioan. Quidem apud Hier. Eraſ. Caie. Euſe. lib. 3. Eccle. hiſto, c. 25. et 39. Lib de Vir. illuſtr.

Lib. 3. eccl. hiſt. c. 24.

Leuiſsima tamen ratione, mea quidem ſententia, duabus his epiſtolis Apoſtolicæ auctoritatis robur adimitur, præſertim cùm ſciamus, Ioannem Apoſtolum, ob grandæuam ætatem, qua uniuerſos Apoſtolicos uiros ſuperauit, ſeniorem uocatũ. Cur, quæſo, in ſenili ætate ſcribens ut uel propter ipſam ſenectutem, apud eos, ad quos ſcribebat, auctoritatem obtinerent eius literæ, eaſdem titulo ſenectutis prænotare nõ potuit? Fuit ergo Ioannes diſcipulus cognomento Presbyter, aut ſenior (fateor) ſed illum has duas epiſtolas ſcripſiſſe, niſi leuiſsimis rationibus perſuaderi nõ poteſt: præſertim cùm & ſtylus & materia, cum ſtylo & materia prioris epiſtolæ per omnia cõueniat. Quæ ratio uel obſtinatos hæreticos, & qui pro ſua libidine & iudicio ſcripturas diuina auctoritate euacuare ſunt ſoliti, profectò cõuincit. Nihil enim in his duabus poſtremis epiſtolis, quàm amoris & dilectionis mandatũ, quæ duo, Ioannis euangelium & epiſtola prior, per ſingulas pe-

Diluuntur obiecta.

Euſe. lib. 3. Eccle. hiſto. cap. 22.

Matthias, Flac. Illyr. & reliqui centuriarũ cõpilatores lib. 2. cẽt. 1.

 riodos

2 Ioan. Ibid. 3. Ioan.

tiodos nerborum ſpitat, ſrequentius ſcribitur. Senior, inquit, Electæ dominæ & natis eius, quos ego diligo, &c. Et rurſus, Et nunc domina rógo te, non tanquàm mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum, & hæc eſt charitas ut ambulemus ſecundum mandata eius, &c. Et rurſus ad Caium, Senior Caio, quem ego diligo in ueritate, &c. Agit ibi de Antichriſto, & de mandatorum obſeruatione, ſub eadem uerborum forma: qua de iiſdem priori epiſtola catholica egerat. Immo ſi harum epiſtolarum periodi, cum periodis præcedentis epiſtolæ conſerantur, eadem per omnia penè iiſdem uerbis & ſtylo, quæ prius in illa dixerat, repetuntur. Quo magis miror, homines alioquì in diſcernendis ex ſtylo libris, ad nauſeam perſpicaciſsimos, quique uel ex unius periodi diſſonantia, ſolent ingentia quæque uolumina antiquis auctoribus deſtituere, & huic uel illi pro ſua uoluntate, quaſi ſuppoſititios partus intorquere, quo pacto Græcis illis, qui uel apud Hieronymum, uel apud Euſebium has duas epiſtolas, Ioannis Apoſtoli auctoritate nudabant, ex ipſo ſtyli iudicio, non reſponderint. Verùm hi, ut Eccleſiaſticis libris, quacunque ratione auctoritatem detrahant, ſunt oculatiſsimi, ut eam aduerſus hæreticorum fictiones tueantur, ſunt prorſus hebetes. Sed ad rem.

Quare in duabus poſterioribus epiſt. Ioannes apoſtolatus ſui nō meminerit.

LIcèt in his duabus epiſtolis Apoſtolatus memoria non fiat, quòd ad fœminam & uirum ſibi notiſsimos, & pro ſingulari cauſa, & ubi non tam erat auctoritate, quàm amore certandum, ſcribantur, ipſa tamen doctrina Apoſtolicum odorē, & non alium quàm Ioannis, clariſsimè inſinuat. Ineſt etiam his epiſtolis Apoſtolica auctoritas. neminem enim ad ſuæ doctrinæ confirmationem adducunt, quod eſt Apoſtolicum. Nam cæteros diſcipulos Apoſtolorum auctoritate & ſententia, ſuas doctrinas communiiſſe, ex eorum ſcriptis lucidiſsimè cernitur. Quin & ut gentes, quibus Paulus, Barnabas, & quidam alij diſcipuli Euangelium ſeminarant, legis & circunciſionis ceſſationem reciperent, ipſum Apoſtolici teſtimonij neceſſarium fuit robur, Apoſtoli, aiunt, & ſeniores fratres, (*Acto. 15.*) iis, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem. Et ſubinde, Placuit nobis collectis in unum, eligere uiros, & mittere ad uos, cum cariſsimis noſtris Barnaba & Paulo. Et ſubinde, Viſum eſt nobis & ſpiritui ſancto, &c. Vides Apoſtolico teſtimonio uel ipſum ut reciperetur indiguiſſe Paulum, quòd ſcilicet quanuis alioquì uerus eſſet Apoſtolus, non tamen, hoc apud populum ſatis erat perſuaſum? Vides etiam eam doctrinam, quam & Paulus & Barnabas docuerant, non fuiſſe apud gentes ratam, quouſque Apoſtolicum teſtimonium reciperet?

Iam quanuis Euſebius Cæſarienſis, aut Hieronymus, quibuſdam harum epiſtolarum auctoritatem, dubiam fuiſſe ſcribant, cùm aut quibus dubia fuerit, non prodant, aut ſi alicubi Euſebius prodit, non tanti fuerint illi, qui cum aliorum longè ſacratiori auctoritate, qui eaſdem tanquàm Apoſtolica monumenta adorarunt, conferri ualeant, nihil fuiſſet noſtri ſæculi hominibus, modò integra pietas adfuiſſet, de ea dubitatione curandum. Habuerunt etiam ſanctiſsima illa prioris Eccleſiæ ſæcula, non modò qui has, & ſimiles ſcripturæ partes, leuiſsimis rationibus, immo contradicendi aut nouandi libidine, ſuo loco mouerent, ut noſtra, ſed etiam hæreticos, qui uel totum uetus teſtamentum, uel uniuerſa euangelia, & quicquid Spiritus ſanctus ediderat, petulantiſſimè inceſſerent.

Sed neque Hieronymus, neque Euſebius ipſe (ut ex eodem loco colligitur) aut alius quiſquam, ex iis, quos uel propter eruditionem, uel propter ſanctitatem, aliquando ſuſpexit Eccleſia, de harum epiſtolarum aut auctore, aut auctoritate dubitarunt, ſed eas ſemper quaſi Apoſtolica ſcripta, quod ex eorum operibus & commentariis proditur, coluerunt. Verùm iis importunis nouatoribus ſatis eſt, ut olim de quapiam re fuerit controuerſia, ut nunc quoque & uſque ad extremum mundi ſæculum, dubitationi ſit locus. Vnde ſi putrida papyrus & tineis ſemiexeſa, olim tamen ſcripta, de Ioannis euangelio dubitaſſet, protinus eiuſdem euangelica auctoritas fuiſſet peſſundata. Sed iam ad alia.

De Iacobi epiſt.

De Iacobi epiſtola, & his, quæ contra eam proferuntur. *Cap. XXIII.*

Idem ſunt, qui rerum nouarum, quo flagrant, ſtudio, Iacobi epiſtolam catholicam à canone ſanctarum ſcripturarum delent, aut dubiam, & ancipitis auctoritatis efficiunt, quòd, ut illis uidetur, Apoſtolicam maieſtatem & grauitatem non ſapiat, aut, quòd, ut alius quidam inquit, eius epiſtolæ ſalutatio, tam pura ſit, ac ieiuna, ut nihil Dei, nihil Iesv Chriſti habeat, ſed prophano more ſalutem. Accedit, quòd Hieronymus lib. de Viris illuſtr. dum de Iacobo loquitur, fuiſſe dubium ait, utrum eius eſſet hæc epiſtola. Quod Euſebius Cæſarienſis quoque refert, dum ea ſcripta commemorat, de quibus inter Eccleſiaſticos uiros aliquando fuit dubium. Nam cùm ea, de quibus nunquam fuit controuerſia, numeraſſet, ſequenti (inquit) loco iam ſunt illa, de quibus à nonnullis dubitatum eſt, Reuelatio Ioannis, epiſtola Iacobi &c. *Eraſm. Luthe, & quidam alii.* *Caietan.* *Lib. 3. c. 24.*

At ista futiliſsima ſunt, & hominibus alioqui eruditis (de Catholicis loquor) indigniſsima: cumque apud omnes uiros doctos, hæ, & ſimiles ratiunculæ nihil obtineant, ingentem tamen aut leuitatem, aut rerum ueterum faſtidium oſtendunt. Ij mihi profectò uidentur, qui in Apoſtolica hac epiſtola maieſtatem aut grauitatem deſiderât, ut ſi de Matthæi quoque Euangelio olim fuiſſet, uel à treſsi græculo dubitatum, nihil eo euangelio magis indignum Apoſtolica grauitate & maieſtate peierarent. Immo uerò nulla eſt, mea quidem ſententia, inter epiſtolas Catholicas, una illa Ioannis excepta, quæ tanta ſententiarum & ſermonis maieſtate reſplendeat. An illud Apoſtolicam maieſtatem non redolet? Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in uarias tentationes incideritis, ſcientes quòd probatio fidei ueſtræ patientiam operatur: patiẽtia autem opus perfectum habet &c. Ergo nec Apoſtolica auctoritate indignum eſt, quod ſimili ſententia, immo ſimili uerborum penè ſpecie, Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribit, Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit &c. An indigna Apoſtolica maieſtate illa ſententia? Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum &c. Sed ſtultũ eſſet potius, quàm neceſſarium, propter paucos admodum non ſatis bene feriatos homines, qui nihil magis quàm rimulas inuenire moliuntur, per quas, ſanctarum ſcripturarum, quibus ſua placita comprimi uident, uiolentiam effugiant, ſingulas quaſque huius Apoſtolicæ epiſtolæ periodos in examen uocare. Hoc iſti antiquis illis dubitatoribus ſunt potiores, quòd illi quidem, & ſi de epiſtolæ huius & aliarum quarundam auctoribus ambigerent, nunquam eis auctoritatem detraxerunt: contrà glorioſi homines, non tantùm ab eis Apoſtolicam auctoritatem excludunt, ſed earum quoque ſententias maieſtate nudât, & maledictis inceſſunt. Puto apud hos magis Ciceronis epiſtolas Apoſtolicæ grauitate confines, quàm hanc Iacobi aut alias quaſcunque, quarum auctoritatem ſubmouere conantur. *Diluti.* *Iaco. 1.* *Rom. 5.* *Iaco. 1.*

Rem dicam: non fuit iis in cauſa, hanc epiſtolam Apoſtolo ſubtrahendi, quòd grauitatis aut maieſtatis Apoſtolicæ inops eſſet, ſed tres aliæ. Prima quidem, quòd tædio ſanctarum ſcripturarum, quibus neque explicandis, neque tractandis, ob defectum fortſan pietatis, nati fuerant, immedicabiliter affecti eſſent. Vnde quàm pauciſsimas eſſe deſiderabant, quæ cogendi inuitos & reluctantes, auctoritatem haberent. Hoc enim ſemper male habuit, homines mente liberos & uinculis fidei non ſatis aſtrictos. Secunda, quòd quidam eorum inanis gloriolæ hydropiſi laborarent, unde cùm ſe, propter ſapientiæ eminentiam, omnium mortalium beatiſsimos ducerent, cum cæteris omnibus ſentiendum non putarunt, præſertim in his, quibus, quòd alij aliquando dubitaſſent, neque hæretici à maioribus fuiſſent appellati, integrum ſibi à communi ſententia uidebatur diſcedere. Accedebat huic ſecundæ rationi, quòd fuerint id ſæculum nacti, in quo facile erat in literario certamine primas obtinere. Vt igitur uaria illa auctorum tum Græcorum, tum Latinorum lectio, qua cæteri cõmunis diſciplinæ cultores deſtituebantur, *Tres rõnes ob quas noſtra memoria huius epiſtolæ & quarũdam aliarũ ſcripturarũ auctoritas cõcuti cœpta ſit à quibuſdam.*

 tur,

tur, in aliquod cõmodum ſibi cedere oſtenderent, prodendum erat, quicquid in uete-
ribus auctoribus tot ſæcu'is fuerat ſepultum, & magna contentione defendendum. Alio-
qui, quo pacto docti quibuſdam uiderentur, ſi non eas opiniones, quæ, quòd omnium
ſapientum iudicio fuiſſent iam olim ſepultæ, prorſus fundamento deſtituebantur, apud
homines recentioribus, ſed doctioribus opinionibus aſſuetos, uſque ad liberam probro-
rum iactationem defenderent? Sic profectò ſe habent res humanæ, ut nemo ſapien-
tis opinionem ſibi uendicet, niſi qui cauſas prorſus deſtitutas, & communi ſapientum
iudicio damnatas, defendendas ſuſcipiat. Tertia cauſa, & qua una fæx hæreticorum no
ſtra memoria, cum hac epiſtola bellum gerit irreconciliabile, eſt inueteratum bonorum
operum odium, quo ſua ſterili fide contenti, flagrant. Nulla profectò portio ſanctæ ſcri-
pturæ, tam aperte noſtrorum ſæculorum uniuerſas hæreſes, uno uerbo confundit, quàm
Iacobi epiſtola, dum caput omnium illarum, fidem nimirum ſolam iuſtificare, adeò ir-
Iaco. 5. refragabiliter amputat, dum ait, Fidem ſine operibus mortuam eſſe: & ſicut corpus ſine
anima, & nihil fidem ſine bonis operibus prodeſſe, &c. ut cùm nulla gloſſula hunc locum
eludi poſſe uideant, totam epiſtolam procaciter abrogent. Dolendum eſt tamen quòd
inueniant in noſtris, qui ſibi editis libris, immo & publicè permiſsis, & iam penè per to-
tum Orbem Chriſtianum quaſi publico conſenſu approbatis, ſuppetias ferant. Quid
enim de hæretico iudicemus, qui uidear non modò apud quoſdam antiquorum, de his
Caietan. & Chilani. & ſimilibus ſcripturæ partibus, ſed nunc apud eos, qui Catholici, immo magni theologi
uocantur, eſſe controuerſias, & eorum libros in hac parte publicè permitti, quòd qui-
dam, quorum pietas & religio qualis fuerit, non ſatis eſt exploratum, antiquiſsimis illis
ſæculis, dubitaſſe legantur: magnis alioqui Theologis, doctiſsimis & ſanctiſsimis qui-
buſque patribus, quique, cùm eruditione & ſanctimonia priores haberentur, ſemper
ſeruarunt unitatem Eccleſiæ, reclamantibus?

Sed ad aliud, quod ultimo loco adducebatur, de tituli ſterilitate, dicamus. Nam
quòd uel apud Hieronymum, uel apud Euſebium, quidam olim dubitarint, quo loco ſit
Apoſtolicos uiros nõ eadem phraſi aut loquēdi ſtylo uſos. habendum: iam ſatis eſt dictum. Falluntur iſti uehementer dum putant uniuerſos Apo-
ſtolicos uiros, eodem præſcripto ſcribendi teneri: immo uerò (quod eſt ridiculum)
omnibus ex æquo eadem ingeſturos. Quid, quæſo, ſi Paulus & Petrus, inter omnes
eam in conſcribendis epiſtolis, quam iſti in Iacobi epiſtola efflagitant, rationem ſequā-
tur, an perinde quoque cæteri, eam imitari tenebantur? ergo niſi titulis, quibus iſti
ſcripturarum cenſores ſuas epiſtolas prænotabant, utamur, non erimus Chriſtiani quia
illi fuerint Chriſtiani? Ergo niſi eos titulos, quos olim Cyprianus, Auguſtinus, aut
Ambroſius, ſuis epiſtolis præfixerunt; cæteri uel illius uel huius ſæculi Epiſcopi per om-
nia imitentur, futuræ poſteritati non erunt Epiſcopi? Immo uerò nec ipſi, Cyprianus
ſcilicet, Ambroſius &c. Epiſcopi erunt: quoniam in titulis præfigendis, à ſe inuicem di-
ſtent. Ergo ſi certiſsimò ſciamus has aut illas literas, à quopiam ex Cardinalitio colle-
gio ſcriptas, cæteræ uniuerſæ, quæ idem ſalutationis genus non ſeruant, non erunt Car-
dinalium. Et tamen inter hos & Apoſtolicos uiros etiam in hac parte, magnum erat di-
ſcrimen. Ij enim ſuas habent iam dudum præſtitutas ſcribendi rationes, cùm illi liber-
tate ſpiritus agerentur. Itaque ſi huius rationis pondus ſit aliquod, Ioannis Apoſtoli
epiſtola prima iam non erit eiuſdem, quoniam abſolutè ſine Apoſtolatus mentione, in-
1. Ioan. 1. cipiat, Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris, quod pro-
ſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt, de uerbo uitæ &c. Vbi hîc Iesv Chriſti me-
moria? ubi Apoſtolatus mentio? Ergo non eſt Apoſtoli. Nam & quicunque Chriſti di-
ſcipulus, hunc titulum prænorare poterat, cùm Chriſtum uiderit, & audiuerit, & ma-
nus eius eundem contrectauerint. Immo hac ratione optimæ conſequentiæ pondere,
amplius infertur, ergo non eſt Chriſtiani, quia in titulo nihil habet Iesv Chriſti, ut de
Iacobi epiſtola iſta aiunt. Nam quod Iesv Chriſti mentio non arguat in auctore Apo-
ſtolatum, per hoc patet quòd & diſcipulis Chriſti, & quibuſcunque Chriſtianis, tam fre-
quens erat eo ſæculo Chriſtus uel in ſcriptis uel in ore, quàm Apoſtolis, ut ex Ignatij,
Polycar. in epiſt. ad Philippen. Polycarpi, & aliorum huius temporis Chriſtianorum epiſtolis proditur. Polycarpus
inquit, Et qui cùm eo ſunt presbyteri, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Philippis, miſericordia
uobis & pax à Deo omnipotente, & Iesv Chriſto Saluatore noſtro, abundet. Ignatius,
qui & Theophorus, Dilectæ Deo patri & domino Iesv Chriſto, Eccleſiæ ſanctæ, quæ eſt
Trallis,

Trallis, electæ, & Deo dignæ, pacificatæ in carne, & ſpiritu, Iesv Chriſti ſpei no- In epiſt. ad
ſtræ, in paſsione per crucem & mortem, &c. Et rurſus Ignatius, qui & Theopho- Trallianos.
rus, Benedictæ Eccleſiæ Dei patris in Chriſto Iesv Saluatore noſtro, in quo ſaluto Eccle- In epiſt. ad
ſiam, quæ eſt in Magneſia iuxta Mæandrum: & oro, in Deo patre & Iesv Chriſto domi- Magneſios.
no noſtro, &c. Et rurſus Ignatius, qui & Theophorus, Salutem conſecutæ in Chriſto Ec- In epiſt. ad
cleſiæ, laude dignæ, & memoria dignæ, quæ eſt in Tharſo miſericordia & pax à Deo pa Tharſen.
tre & domino Iesv Chriſto. Et rurſus Ignatius, qui & Theophorus, Ex imperio Dei pa-
tris, miſericordiam conſecutæ, in fide & patientia & dilectione, Eccleſiæ, quæ eſt Phi- In epiſt. ad
lippis, miſericordia & pax à Deo patre & à domino Iesv Chriſto, qui eſt Saluator om- Philipp.
nium hominum maximè fidelium. Et rurſus Ignatius, qui & Theophorus, Eccleſiæ pa-
tris altiſsimi, & dilectiſsimi filij eius Iesv Chriſti &c. Et iterum Ignatius, qui & Theo- In epiſt. ad
phorus, Epiſcopus Antiochiæ, qui eſt teſtis Iesv Chriſti, Polycarpo Epiſcopo Smyr- Polycar.
nenſium. Et rurſus Ignatius, qui & Theophorus, Eccleſiæ Antiochenſi, &c. in Deo pa- In epiſt. ad
tre noſtro & domino Iesv Chriſto ſalutem. Et alibi, Ignatius, qui & Theophorus, Deo Antiochen.
honorabili & deſiderabili pudico Chriſtiphero, &c. gratia & pax, ab omnipotente Deo
& Chriſto Iesv domino noſtro. Et rurſus Ignatius, qui & Theophorus, Benedictæ ma- In epiſt. ad
gnitudinis repletæ, Dei patris & prædeſtinatæ ante ſæcula &c. Eccleſiæ beatitudine di- Epheſ.
gnæ, quæ eſt Epheſi in Aſia, plurimam in Chriſto Iesv & immaculato gaudio ſalutem.
Et demum Ignatius, qui & Theophorus, Miſericordiam conſecutæ, magnitudine Dei
altiſsimi patris Iesv Chriſti, unigeniti eius filij, Eccleſiæ ſanctificatæ & illuminatæ, in
uoluntate Dei, qui fecit omnia, quæ ſunt, ſecundum fidem & dilectionem Iesv Chri-
ſti Saluatoris noſtri, &c. ſaluto in nomine domini omnipotentis & Iesv Chriſti filij
eius, &c. Ne dum igitur epiſtola prima, quæ Ioannis nomine fertur, non eſt Ioannis
Apoſtoli, ſed nec diſcipuli, aut Chriſtiani hominis, immo uerò neque Ethnici Cicero-
ne ſanctioris, qui omnibus ſuis epiſtolis ſalutem plurimam prænotat. Et multò profectò
Apoſtolico ſtylo ſcribendi, propinquior his uideri debuit epiſtola Iacobi, quàm Ioan-
nis, quòd Iacobus, ſalutem iis, quibus ſcribit, Ioannis autem epiſtola neque ſalutem
deſideret, ſed abſolutè, Quod fuit ab initio, quod uidimus, &c. incipiat.

Itaque ſciant iſti, titulos illos, in quibus pax à Deo patre & domino Iesv Chriſto prænotatur, non adeò eſſe Apoſtolico ſtylo familiares, ut ſine illis non potuerint ſcribi. ſciant non tam ad rem pertinere, quòd Chriſtus in titulo prænotetur, quàm quòd in receſſu & Chriſti, & Chriſto dignæ ſententiæ collocentur. Quales profectò, ut dicebamus, ſi qua in alia, ſunt in hac epiſtola. Sciant Apoſtolicos uiros nullum habuiſſe ſcribendi præſcriptum, ſed alios, aliis modis uſos fuiſſe: quemadmodum & nunc, non omnes Chriſtiani, uel eoſdem titulos præfigimus, neque eadem ratione ſcribimus. Multos ego uidi, qui nomen Iesv & Mariæ, ſuis epiſtolis prænotabant, quorum mihi pietas non tam comperta erat, quàm eorum, qui ab ea ſcribendi ratione multùm abeſſent. Multas ego, hiſce ſanctis nominibus, & Spiritus ſancti præfationibus, ornatas epiſtolas legi, quæ intus nec pietatis, nec ſenſus tam eſſent plenæ, quàm illæ, quorum auctores, nihil minus quàm hos titulos curant. Non quòd ij & ſimiles tituli mali ſint, immo non quòd nō ſint Chriſtianiſsimi, ſed quòd non neceſſariò, uel uir Apoſtolicus uel Chriſtianus quiſquam, minus ſit Apoſtolicus aut Chriſtianus, ſi iis non utatur, aut quod ſcribit, minus ſit Apoſtolicum, aut Chriſtianum futurum, ſi Chriſtum uel pacem in fronte non gerat, dum gerat in receſſu. Sed hæc notiſsima ſunt, & uſu quotidiano peruia.

Illvd uerò hoc ignoraſſe non dubito, cùm tamen quidam eorum ad prodigium uſq; rhetores eſſent, quòd uaria epiſtolarum ratio, uarios quoque titulos poſtulet, uaria etiam perſonarum, ad quas ſcribitur & temporum conditio, non eadem, ſine ſtultitiæ inſigni nota ingeri permittat. Vtitur Apoſtolus Paulus longis illis titulis, in quibus & ſui Apoſtolatus, & electionis memoria refricetur, quoniam bellum illi erat cum pſeudoapoſtolis, & competitoribus perenne, qui quòd illum in negocio Euāgelico ſolertiorem uiderent, eius prædicationis auctoritatem deterere moliebantur, illud præferentes quòd neque Chriſtum uidiſſet, neque eſſet Apoſtolus. Immo aliquando Dei Eccleſiam fuiſſet perſecutus. Non utitur ad Hebræos ſcribens eodem titulo, quòd ſciret apud eos & nomen ſuum & auctoritatem inuiſam. Vtitur Petrus eodem genere tituli, ut ſui apoſtolatus & auctoritatis memoria, doctrinam ſuam commendabilem faceret. Tam enim

amabile erat apud gentes Petri nomen, quòd eum diuina uoce cunctis in Chriſtum credentibus prælatum agnoſcerent, quàm Pauli apud Iudæos erat inuiſum. Itaque hic, ut ſui apoſtolatus auctoritate, falſorum apoſtolorum peruicaciam retunderet, ille ut ſui apoſtolatus mentione, doctrinam ſuam acceptabilem faceret, non modò ſpiritus inſtinctu, ſed & prudentiſsima ratione, hoc genere ſcribendi utebantur. Ioannes autem & Iacobus, quòd eos iſtæ rationes non cogerent, & quòd aliàs apud hos, ad quos ſcribebant, & amorem & auctoritatem nacti eſſent, ea titulorum maieſtate aut terrendos, aut alliciendos non arbitrabantur, ſed potius apoſtolatus auctoritate ſuppreſſa, ea, quam Chriſtus potiſsimè docuit, & quam crebrò ſuis ſcriptis ingeminant, Chriſtiana moleſtia & humilitate utebantur. Mirabile uerò, quòd apud hos ſcripturarum iudices, neque cùm prætendendi principatus occaſiones non cogunt, apoſtolicis uiris non liceat eſſe modeſtis. Scribebat Iacobus non his, apud quos competitorum ſtudio apoſtolicæ auctoritatis iacturam feciſſet, ſed duodecim tribubus, quibus ſolo Iacobi nomine (ut produnt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ) non modò uenerandus, ſed admirabilis erat. Immo uerò hoc ſolo Iacobi nomine Iudæis ipſis Chriſti hoſtibus, quanto fuerit in honore, præter ea, quæ apud Euſebium, Clemens Alexandr. ſcribit, eiuſdem Euſebij, & Hegeſippi, non obſcurè uerbis oſtenditur. Suſcepit, inquit, Eccleſiam cum Apoſtolis Iacobus frater Domini, qui ab omnibus cognominatus eſt Iuſtus, ab ipſis Domini temporibus perdurans, uſque ad nos. Et multi quidem Iacobi uocati ſunt, ſed hic ex utero matris ſanctus fuit, uinum & ſiceram non bibit, ſed neque animal manducauit, ferrum in caput eius non aſcendit, oleo non eſt perunctus, balneis non eſt uſus; huic ſoli licebat intrare in ſancta ſanctorum. Neque enim laneo utebatur indumento, ſed tantùm ſindone, ſolus ingrediebatur templum, & iacebat ſuper genua orans pro populi indulgentia, ita ut orando callos faceret in genibus ad modum cameli, ſemper genua flectendo, nec unquam ab oratione ceſſando. Itaque pro incredibili hac continentia, & ſumma iuſtitia, appellatus eſt Iuſtus, & Oblias, quod interpretatum eſt, monimentum populi & iuſtitiæ: ſicut prophetatum eſt de ipſo. Hactenus Hegeſippus. Vides ergo quantus apud eum populũ, non Apoſtolatus auctoritate, quam Iudæi non curabant, ſed ſolo Iacobi nomine, fuerit hic Apoſtolus. Sed audi ampliora. Quædam, inquit, de ſeptem hæreſibus, quæ erant in populo, interrogabant eũ, quòd eſſet oſtium Iesv, at ille dicebat hunc eſſe Saluatorem, ex quibus aliquanti crediderũt, quia Iesvs eſt Chriſtus. illæ autem hæreſes non crediderunt, neque ſurrexiſſe eum, neque uenturum ut retribuat unicuique ſecundum opera ſua. qui uerò crediderunt, per Iacobum crediderũt. In quibus, cùm multi etiam ex principibus crediſiſſent, perturbatio erat Scribarum, & Phariſæorum dicẽtium, nihil iam ſupereſt, quin omnis populus credat in Iesvm, quòd ipſe ſit Chriſtus. Conueniẽtes igitur ad Iacobum, dicebant ei, Oramus te, ut reuoces populum, quia ecce errat in Iesvm, putans quòd ipſe ſit Chriſtus. Deprecamur ergo te, ut ſuadeas omnibus conuenientibus in die Paſchæ de Iesv. Tibi enim omnes obtemperamus, & de te tam nos quàm populus teſtimonium ferimus, quia iuſtus es, & perſonam nullius accipis. Tu ergo ſuade populo de Iesv, quia omnes tibi obedimus. Et ſubinde, Statuerunt igitur ſupradicti Scribæ & Phariſæi, Iacobum ſupra pinnaculũ templi, & uoce magna clamantes dicunt, Virorum iuſtiſsime, cui omnes obtemperare debemus, quoniam populus errat poſt Iesvm, qui crucifixus eſt, enuntia nobis, &c. Quibus cùm apoſtolico pectore Chriſtum prædicaſſet è pinnaculo, cumque ſua reſpõſione, & teſtimonio multis ſatisfactum eſſet, & libenter audiſſent, quæ Iacobus conteſtatus eſt: cœperunt glorificare Deum & dicere, Oſanna filio Dauid. Phariſæi autem pœnitudine ducti, quòd totam rem in ſancti uiri iudicium refudiſſent, pinnaculum tẽpli aſcendentes, & eundem inde deiicientes, etiam poſt hoc teſtimonium, contra ſe latum, non in contumelias, ſed in hæc uerba irruperunt, O, o, & iuſtus errauit. Vides inauditam & prorſus ſtupendam hominis alioqui Chriſtiani, in peſtilenti illo populo, qui flagellis, & multis contumeliis, immo uerò & mortibus alios apoſtolicos uiros, poſt Chriſtum affecerat, reuerentiam? Vides quo honore nomen Iacobi, etiam apud peſsimos Chriſtiani nominis hoſtes fuerit exceptum? Sed audi hiſtoriæ colophonem. Ita, inquit, mirus erat, & apud omnes homines opinatiſsimus, in obſeruatione totius iuſtitiæ Iacobus habebatur, ut Iudæorum prudentes quique crederent, hanc eſſe cauſam,

Iac Apoſt. Iacobi nomine Iudæis plurimum amabilis.
Eccleſiaſt. lib.2.c.23.

ſtatim conſecutæ oppugnationis Hieroſolymorum, quòd in illum ſceleratas iniecerint manus. Et Ioſephus ita ſibi uideri euidenter indicat. Nam cùm eius ciuitatis inauditum exitium narraſſet, continuò ſubdit, Quæ omnia acciderunt Iudæis, pro nindicta Iacobi iuſti, qui erat frater IESV, qui dicitur Chriſtus: quem iuſtiſsimum, & piiſsimum, omnium confeſsione uirum, Iudæi interfecerunt. Hactenus hiſtoria. Quæſo te per Deum, lector, qui nomine Iacobi omnibus Iudæis, non modò fidelibus, ſed infidelibus, non modò iuſtis, ſed peccatoribus, tam notus erat, tam uenerandus erat, tam admirabilis erat; quid neceſſe habebat, maieſtate plenos titulos, in quibus Apoſtolicæ auctoritatis memoria fieret, epiſtolæ, quæ ad eandem gentem ſcribebatur, prætendere?

Sed ad alia. Quis Chriſtianus tam impudentem calumniam æquo animo ferat? tam pura eſt, aiunt, ſalutatio ut nihil Dei, nihil IESV Chriſti habeat: ſed prophano more ſalutem. At recitetur titulus. Iacobus, inquit, Dei & dominini noſtri IESV Chriſti ſeruus, duodecim tribus, quæ ſunt in diſperſione ſalutem. *Iacob. 1.* An hic titulus tam purus eſt ut nihil Dei, nihil habeat IESV Chriſti? Ergo oportuit hos tam tetricos ſcripturarum Ariſtarchos nec titulos earum legiſſe. Sed hæc tam præceps ſcripturas calumniandi libido, alia ratione quàm calamo aut uerbis forſan fuiſſet coërcenda.

Demũ; ſi fuerunt aliqui, qui de hac epiſtola dubitarint, cùm illos, qui fuerint, neſciamus. neque ueterum rerum ſcriptores, eorum nomina poſteritati mandarint, quis niſi rerum nouarum molitor, eoſdem, ſanctiſsimis & doctiſsimis uiris, tum Græcis, tum Latinis, qui ex eadem epiſtola teſtimonia citant; aut in eam ſcripſerunt commentaria, poſtponat? Neque uerò ingens eſſet periculum ſuſpicari tales ac tantos eos fuiſſe, quales quantoſque eos, quos quoque, ut dubitarent, noſtrum ſæculum tulit; & talibus tantiſque rationibus in dubitationem impulſos, quales quantaſque nunc exſufflamus. Profectò ſi uel illi uel illæ, memoria dignæ fuiſſent, (ſatis ſcio) non tacuiſſet Hieronymus; nõ tacuiſſet Euſebius. Immo aut illis darent uictas manus, aut eaſdem diluerent, ut in minoribus controuerſiis agere ſolent. Modò quales auctores aut rationes putamus, quorũ uel quarum, in Eccleſiaſticis ſcriptis, uel ab his, qui de his ſcripturæ partibus fuiſſe olim dubium ſcripſerunt, non eſt habita ratio? Euſebius enimuerò ſic de hac epiſtola ſcribit. Hactenus de Iacobo, cuius illa habetur epiſtola, quæ prima ſcribitur inter eas, quæ catholicæ appellantur. Sciendum tamen eſt, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè quis *Lib. 2. Eccl. hiſt. c. 23.* antiquorum meminerit eius. Sed neque illius quidem, quæ dicitur Iudæ, quæ & ipſa eſt una de ſeptem. Nos tamen ſcimus, etiam iſtas cum cæteris, ab omnibus penè Eccleſiis recipi. Hactenus Euſebius. Et tamen noſtri ſcripturarum iudices omnibus his Eccleſiis, immo tota, quæ nunc per Orbem diſperſa eſt, Eccleſia ſapientiores apparere uolunt.

Illud ultimo loco monendum, neque Hieronymum, ut iſti falsò illi imponunt, neque quenquam eorum, quos probatæ fidei tulit antiquitas, de hac epiſtola dubitaſſe, ſed tantùm aliquorum dubitationem, cui tamen ipſi non ſubſcriberent, retuliſſe. Quod ut uerum appareat, *Hierony. de Vir. illuſtr.* Hieronymi uerba huc inſerere libet, Iacobus, inquit, qui appellatur frater Domini, cognomento Iuſtus, ut nõnulli exiſtimant Ioſeph ex alia uxore, aut ut mihi uidetur, Mariæ ſororis matris Domini, poſt paſsionem domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus, unam tantùm ſcripſit epiſtolam, quæ de ſeptem catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine eius edita aſſeritur, licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Hactenus Hieronymus. Ex quibus profectò uerbis nemo Hieronymum de eius epiſtolæ auctore dubitare, ſed tantùm aliorum ſententiam referre, cum ratione dicet, præter hoc, quòd & iam ſuo tempore canonicam auctoritatem obtinuiſſe manifeſtò pronunciat.

Quæ in ſecundam Petri epiſtolam à quibuſdam proferantur. Cap. XXIII.

Euſeb. Eccl. hiſto. c. 24. Hieron. lib. de Vir. illu. & in epiſt. ad Cypri.

IAm de Petri Apoſtoli ſecunda epiſtola, quæ inter ſeptem catholicas nnmeratur, dicamus. Et hanc enim horum eximia ſapientia, iiſdem penè cauſis & rationibus pertentauit. Nam & Euſebius, & Hieronymus quoſdam referunt, in ea recipienda fuiſſe animi dubios. Accedit qnòd cum alia epiſtola, de qua nunquam fuit dubium, in dictione ac phraſi non ſatis conueniat. Verùm quanti momenti habeat ueteres quoſdam, de his ſcripturæ partibns, quas iam poſt tot ſæcula, in ſacrum canonem acciuit Eccleſia, ſatis in præcedentibus eſt declaratum.

Auctorum opera ex phraſi & dictione metiri plerūq; leuiſsimū.

Nunc iam ea ratio exagitanda eſt, quæ ex phraſi & dictione, eam epiſtolam & ſimiles ſcripturæ partes, uel præcedenti ſæculo, uel noſtra memoria uocauit in dubium. Quæ profectò nunqnam non eſt mihi uiſa leuiſsima, & homine prudenti & erudito indignißima. Quis, quæſo, mortaliū eiſdem animæ & ingenij uiribns, ſempet eſt nſus? Quis non aliquando aut ſeſe minor eſt, ant maior? Quis non uidet, quantum nonnunquam in ratione dicendi apud Larinos ſe ſuperet Cicero, & apud Græcos Demoſthenes? Pendet enimuerò lingua, pendet & calamus, pendet & ratio dicendi ab animi interiori uirtnte, quæ cùm in hac nita mortali corpus, & corpotis conditiones ſequatur, & eæ cum loco & tempore, & nūtrimentis mutentnr, neceſſariò qnoque uariationem recipiunt. Multos ſancti auctores ediderunt tractatus, ſed non omnes pari elegantia, ſed non omnes pari concinnitate ſermonis. Qnò minus eſt rolerabile, qnod quidam homines mente præcipites, noſtra memoria fecerunt: dnm ſanctos omnes penè auctores, ſuis laboribus, quos ſi non propria indnſtria, ſaltem antiquitate, præſcripſerant, impudenter nudarunt, illud frigidiſsimè iactantes, Hæc epiſtola non ſapit ſtylum Hieronymi, hic liber longè abeſt ab Auguſt. dictione, ille multùm à phraſi Cypriani diſcedir, &c. Cùm tamen hi iidem ſint, qui ut Arnobij cōmentarios in pſalmos, quos ſuo labore purgatos ediderant, barbaros quidem, & nihil minus quàm Arnobici candoris & lepòris habentes, nobis intrudant, ingenti uerborum apparatu, duplicem dictionem fuiſſe ſanctis patribus familiarem, unam hnmilem, exactam alteram, multis ex iiſdem ſanctis patribus adductis exemplis, diffuſiſsimè doceant. Quod ſi ita eſt, (ut eſt quidem) qui ergo fieri potuit, ut iidem ipſi tot moleſtiſsimis cenſuris, tot libros, tot epiſtolas, tot commentatios, Auguſtino, Hieronymo, Cypriano, Hilario, & cæteris ſanctis auctoribus niolentiſsimè abſtulerint? An non potuerunt ſancti ſtylo humili in hoc libro, in illo exactioti uti? An uerò ſemper ingenij debebat eſſe neruus extenſus? Ergo nihil eſt lenius, & nullum apertius uanitatis indicium, quàm ex ſtylo & dictione, quam nonnnnquam etiam pro rerum opportunitate, data opera diſsimularunt auctores, pronunciare iudicium: præſertim uerò in his ſcripis, quæ longus ſæculorum ordo, & maiorum conſenſus huic aut illi dicanit. Quod ſi ita res habet, quo pacto non leues erunt, qui hanc epiſtolam, quam non modò longa annorum ſeries, non modò uniuetſalis eorum patrum conſenſus, quorum in Eccleſiaſtico regno ſemper eſt habita ratio, ſed Eccleſiæ quoque in diuerſis conciliis, nbi res ad uiuum exiguntur, ſacroſanctum iudicinm Petro auctoti conſecrauit, frigidis ratiunculis, ſanctarum ſcripturarum nnmero ſummouere conantur? Et in aliis quidem ſcriptis hac ratione laſciuire, forſan ſacrilegum, in hac nerò parte, nbi iam nictis opiniunculis Eccleſiaſticum iudicium interceſsit, exitialis blaſphemia.

Eraſm.

Eraſm. in præfatione pſal. Arnobii.

Admirabile uerò, quòd ex una epiſtola & ea breuiſsima, cenſores iſti, Petri apoſtoli phraſim & dictionem metiantur. Idem pnto feciſſent ſi uel unam rantùm periodum ſcripſiſſet. Qnid ſi Petrus non rotam ſuam dictionem illa breuiſsima epiſtola exhauſit? an uerò ſi centum epiſtolas ſcripſiſſet, eas uniuerſas, ex illius prioris dictione ac phraſi metiri debuiſſent? O prodigium. Sed ad rem. Neſcio quo pacto, in ſui temporis phraſatios illos, qui iſtis noſtris anſam præbuiſſe uidentur, Hieronymus alioqui uetetis Ec-

clcſiaſticæ

cleſiaſticæ ſententiæ zeloſiſsimus cultor, non protſus exarſerit, cùm ouum non ſit ſimilius ouo, quàm hæc ſecunda epiſtola priori illi, quam omnes, & nunc, & olim Petro Apoſtolo dicant. Profectò auſim dicere, nec epiſtolam ad Corinthios ſecundam, aut ad Theſſalonicenſes ſecundam, de quibus minus, quàm de cæteris quibuſcunque dubitari poteſt, fore apoſtoli, ſi hæc non eſt Petri. Nam ſi in eis priorum epiſtolarum fit mentio, & eundem ſe prodat auctor, qui priores ſcripſerit, hîc id ipſum euidêtius ab auctore præſtatur. Hanc (inquit) ecce uobis cariſsimi ſecundam ſcribo epiſtolam, &c. In illis uerò, quæ'nam maior cum præcedentibus epiſtolis poteſt eſſe conformitas, quàm ea, quæ inter iſtas duas uel à cæcis aduertitur? Vbique idem titulus, idem ſalutandi modus, eadem uerborum ſententia, idem hyperbariſmos, eadem periodorum ratio, idem ſcribentis nomen, eædem gentes, quibus ſcribit, adeò ut ſi eius epiſtolæ Petrus non fuerit auctor, neceſſe ſit nebulonem aliquem, qui nomen Petri ſacrilegè uſurpauerit, auctorem fuiſſe. Nam à Chriſti aut Apoſtolorum diſcipulis, immo à quibuſcunque Chriſtianis, nihil eſt alienius, quàm mendacium: præſertim dum falſæ ſcripturæ pro ueris obtruduntur, quod non alij quàm hæretici faciunt. Equidem epiſtolam ad Hebræos aut Iacobi, ſi quis uel Paulo, uel Iacobo extorqueat, quòd illa nullum titulum habeat, hæc tantùm nomen Iacobi, quo nomine multos fuiſſe legimus, non protinus ſtatim eaſdem epiſtolas damnare compellitur: quoniam licèt ad auctoritatem apoſtolicam aſpirare non queant, fuerunt alij Chriſti & apoſtolorum diſcipuli, quorum auctoritas, & tunc, & nunc à Chriſtianis ſuſpicitur. Vnde qui apud Hieronymum illam ad Hebræos epiſtolam Paulo apoſtolo extorquent, eandem non uiris contemnendis, ſed planè Apoſtolicis Barnabæ, Lucæ, Clementi ac ſimilibus tribuunt. At ſi hanc Petro extorqueas, cui tam uecordi Chriſtiano, qui nomen Petri, & Apoſtolatus auctoritatem fuerit mentitus, intorquebis? An uerò Clemens, Barnabas, Lucas, immo uerò Chriſtianus quiſpiam è uulgo, tam ſacrilego mendacio, ſcripto committeret, ut ſe & Petrum, & Apoſtolum, in ipſo epiſtolæ iactaret exordio? immo non Petrum tantùm, quem tamen hoc nomine, ſolum in illa prima Eccleſia appellatum, ſat ſcimus, atque adeò ut Apoſtolum intelligeremus, ſuffeciſſet, ſed Petrum apoſtolum, ne forſan alibi alius eſſe Petrus, qui non eſſet apoſtolus. immo non tantùm Petrum apoſtolum, ſed ne fortè Chriſtus alios Petros inſtituiſſet apoſtolos, Simonem Petrum apoſtolum, in exordio ſe uocat. Simonem, inquam, illum filium Ioannis, quem omnes Eccleſiaſtico gregi perfectum ſciebant. Et demum ne fortè alij eſſent alicubi terrarum Simones Petri apoſtoli IESV Chriſti, eum tandem ſe dicit, qui in Domini transfiguratione præſens fuerit. Accipiens, inquit de Chriſto, à Deo patre gloriam, & honorem, uoce delapſa ad eum huiuſcemodi, à magnifica gloria, Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui, ipſum audire. Et nos hanc uocem audiuimus de cœlo allatam. Quando, quæſo, tu huius epiſtolæ auctor, quiſquis es, hanc uocem audiſti? Cùm eſſemus (inquit) in monte ſancto cum ipſo. Ergo tu es ille Petrus apoſtolorum princeps, quē ſimul cum Iacobo & Ioanne Zebedæi filiis, in montem excelſum ſeorſum Chriſtus aſſumpſit. Quis, quæſo, Eccleſiaſtici zeli uel tantillum habens, non fremat in hos rerum nouatores, qui tam atrocem iniuriam ſanctæ Eccleſiæ inferant? ut dicant eam tot ſæculis hunc nebulonem, qui falsò ſe dicat Simonem Petrum ſeruum & Apoſtolum IESV Chriſti, teſtem transfigurationis? Sed quid nebulo iſte hoc mendacio moliretur, dic obſecro? nam tanti mendacij oportuit eſſe finem aliquem aut ſcopum, quò tenderet. Nunquid fideles à uera religione & Apoſtolicæ maieſtatis auctoritate pertrahere. Nunquid ut ſub ouili pelle in dominicos greges uiolentus irrumperet? At huic ſacrilego ſtudio per eam doctrinam, quam ibi tradebat, quæ nunquam ſæculorum, non eſt apud Catholicos, etiam apud illos dubitatores, iudicata ſanctiſsima, non patebat acceſſus, ſed potius ad ueram doctrinam, & eam religionem, quam poſt Chriſtum docebant Apoſtoli, lectores prouocabat. Fit ergo, ut ſi non Petrus hâc epiſtolam ediderit, neque à Chriſtiano, neque ab hæretico, ſed à motione quopiam perinde proceſſerit. Chriſtianus nanque falſas ſcripturas, pro ueris tam ſacrilega apoſtolici nominis uſurpatione non obtruſiſſet: contrà hæreticus nunquam apoſtolici nominis furtum patraſſet, niſi ut falſa doctrina mactaret & perderet, ut de Actibus Petri, Thomæ, Matthiæ, Andreæ, Ioannis & aliorum Apoſtolorum prodit Euſebius. Nam

Marginal notes: 2.Corin.2. 2.Theſſ.2. 2.Pet.3. Hieron. de Vir. illuſtr. 2.Pet.1. Matth. 18. Ioan. 10.

poſtquàm falſorum Chriſtianorum, qui Apoſtolico nomine falsò honeſtati fuerant, recenſuiſſet ſcripta, protinus ſubdit, In quibus & ipſe ſtylus multùm ab Eccleſiaſtica cõ- *Euſe. lib. 2. Eccle. hiſto. cap. 24.* ſuetudine deprehenditur eſſe diuerſus, ſenſus quoque ipſe & omnia, quæ in eis inſeruntur, longè ab Apoſtolica diſſonant fide: ex quo figmenta eſſe prauitatis hæreticæ comprobantur. Hactenus Euſebius.

Fit igitvr neceſſariò, ut quia hæc epiſtola ab homine hæretico, quòd ſanam & apoſtolicam doctrinam contineat, non fuerit ſcripta, neque ab ullo uero Chriſtiano, qui tanti apoſtoli nomen uſurpare, & falſas pro ueris ſcripturas obtrudere, ſacrilegium duceret, non prodierit, ab ipſo Petro apoſtolorum principe, cuius nomine inſignitur, quaſi à legitimo auctore ſine dubio proceſſerit. Quam rationem tantam futuram fuiſſe apud ueteres illos & nouos noſtros iſtos dubitatores, ſat ſcio, ſi eam intimis præcordiis aduertere uoluiſſent ut fumoſæ illæ ratiunculæ, quæ huius epiſtolæ auctoritatem tentabant, modò impotens nouandarum rerum obfuiſſet ſtudium, protinus euanuiſſent, & in uentum abiiſſent.

Sed rem preſsius urgeamus. Aiunt uel illi, uel iſti, phraſim præcedentis epiſtolæ abſimilem eſſe huius epiſtolæ phraſi. hoc quàm uerum ſit, ex periodorum collatione *1. Pet. 1.* iudicabitur. Conferamus titulos, ſic habet prima, Petrus apoſtolus Iesv Chriſti electis aduenis, diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ ſecũdum præſcientiam Dei patris, in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam, in aſperſionem ſan- *2. Pet. 1.* guinis Iesv Chriſti. Secunda ſic, Simon Petrus ſeruus & Apoſtolus Iesv Chriſti, iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, in iuſtitiam Dei noſtri & Saluatoris Iesv Chriſti. An'non in his duabus periodis tanta eſt dictionis affinitas, quanta eſſe poteſt? Quid ergo, eadem'ne uerba utrobique debuerunt ſcribi? An'non eſt idem hyperbaton & ſententiæ interclusio utrobiq;? Oſtendant mihi, obſecro, hi quibus duabus epiſtolis fuerit ſibi Paulus uicinior quàm in hac parte Petrus, oſtendant ubi magis ſeſe æmuletur Apoſtolus, demonſtrent ubi Ioannes Apoſtolus in illa priori epiſtola, de qua nemo dubitare auſus eſt aliquando, dictioni illi ſuæ euangelicæ ſit ſimilior. Sed harum epiſtolarum exordia ſcrutemur. Sic prior, Benedictus Deus & pater Domini noſtri Iesv Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem uiuam, per reſurrectionem Iesv Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis, in uobis, qui in uirtute Dei cuſtodimini, per fidem in ſalutem paratam reuelari, in tempore nouiſsimo, in quo exultabitis modicum, nunc ſi oportet contriſtari, &c. Secunda ſic, Quomodo omnia nobis diuinæ uirtutis ſuæ, quæ ad uitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, qui uocauit nos propria gloria & uirtute, per quam maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, ut per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo & concupiſcentiæ corruptionem, &c. Eos alloquor, qui dictionis dignoſcendæ ſine odio, & nouitatis ſtudio ſunt ſagaces. An'non utrobique eadem figura dicendi. An'non eadem ſententiæ ſuffocatio & immerſio? Eademque omnia in cæteris utriuſque epiſtolæ periodis, ſiue Græcè, ſiue Latinè conferantur, eſt dictionis & phraſeos affinitas?

Lib. de Vir. illuſtr. Sed ais, Hieronymus quoque inſinuare uidetur, inter duas epiſtolas eſſe dictionis diſtantiam. Reſpondeo, Non hoc dixit Hieronymus ex propria ſententia, & quòd ita ſibi uideretur, ſed quòd tale fuiſſet aliorum iudicium. Quod profectò nunquam tale fuiſſet, niſi prius, uel quòd illi, qui primitus originalem epiſtolam acceperunt, ante mortem Petri non prodidiſſent, (ut fieri ſolet) aut alia ratione, de eius epiſtolæ auctore dubitari cœptum fuiſſet. unde cœptæ ſubinde quoque ſunt à curioſulis exquiri rationes, quibus eandem epiſtolam Apoſtolica auctoritate nudatam, è numero ſanctarum ſcripturarum expungerent, ita ut non dictionis iudicium, dubitationem, ſed dubitatio, dictionis iudicium multò antè præcederet, quod in aliarum ſcripturarum cenſura quotidie contingit. prius enim doctrina accuſatur, deinde, ſi res indigna tali auctore uideatur, diuerſitas ſtyli, & dictionis exquiritur, quæ cùm nunquam auctores etiam in eiſdẽ libris ſibi reſpondeant, facilè inuenitur.

Talia ſunt itaque grauiſsima illa ratiouum momenta, quibus à Catholicæ & uniuerſalis Eccleſiæ ueteri iudicio deturbatus quidam, pronunciauit, Secunda epiſtola, quæ dicitur Petri, non eſt certè Petri.

De Iudæ epiſtola, & quæ in eam à quibuſdam proferantur. Cap. XXIIII.

IVdæ epiſtolam unicam, quæ inter ſeptem quoque, Catholica dicitur, his rationibus noni, & ueteres dubitatores inceſſunt. Primò quidem quòd ex apocrypho libro Enoch teſtimonium adducat, Deinde quòd contentionem Michaëlis cum diabolo, de Moſis corpore occultando, ex libro etiam apocrypho alleget. Tertiò (quod noſtris iſtis non eſt parui momenti) quòd & apud Hieronymum, & Euſebium, quidam de eius epiſtolæ auctoritate ſint dubij. Quartò, quòd ſe non Apoſtolum, ſed ſeruum ſe IESV Chriſti appellet. Quintò, quòd huius epiſtolæ auctor, ipſe ſe poſt apoſtolos uixiſſe prodat, cum inquit, Vos autem dilecti memores eſtis uerborum, quæ ante hac dicta ſunt ab apoſtolo domini noſtri IESV Chriſti: quòd dixerunt uobis, &c. Sextò, quòd quædam de uerbo ex poſteriori Petri epiſtola ſumat. Septimò, quòd Iudam, non in Græciam, ſed in Perſiam ueniſſe memoriæ proditum ſit, ubi Perſicè potius quàm Græcè ſcripſiſſet.

Matthias Illyr. li.2. Cent. Eraſm. Caietan. Lib. de uir illuſt. Eccleſiaſt. hiſto. lib.3.c.24.

Quarum tamen rationum uigori quantū ſit tribuendum, uel ex iis, quæ diximus cōſtare poteſt. Nam quantum uel apud Euſebium, uel apud Hieronymum, quorundam dubitatio aut in titulo apoſtolicæ dignitatis omiſsio, auctoritatis illi detrahat, ex iis, quæ diximus perſpicuum eſſe arbitror. Ergo ad alias rationes & argumenta diluenda conuertamus ſermonem. Et prius quidem illud totius huius diſputationis fundamentū iaciatur, non ideò librum hunc aut illum apocryphum dici, quòd uniuerſa, quæ in illo continentur, ſint apocrypha, ſed ideò, quòd quædam occultæ aut ſuſpectæ ueritatis in ſeipſo contineat. ἀπόκρυφον enim occultum & obſcurum dicitur, cuius ſcilicet ueritas nondum enituit. Vocabant uerò ita ueteres Eccleſiaſtici patres, obſcura & nondum apertæ ueritatis uolumina, quòd tot perſecutionibus acti, qui ueri aut qui falſi eſſent libri non uacaret inſpicere: unde ea appellatione faciebant, ut à falſæ doctrinæ ueneno, quod eo libro uehementi ſuſpicione latere credebatur, interim, dum res Eccleſiaſtico non clareret iudicio, ſe fideles auerterent.

Soluitur prima rō. Quare liber hic aut ille apocryphus dicatur.

FALSVS quoque liber non ideò uocatur, quòd omnia, quæcunque eo clauduntur, ſint falſa, ſed quòd quædam eius operis capita præcipua, clarè & apertè à ueritate diſſideant. alioqui ſi omnia, ut liber falſus dicatur, quæ eo continentur, neceſſariò futura ſunt falſa, quia in ipſis quoque fabularum libris quædam ſunt uera, nullus liber meritò falſus uocabitur. Hinc iam fit multos libros apud ueterem illam Eccleſiam fuiſſe, qui cum in initio inter fideles, nondum perſpecta ueritate, haberentur apocryphi, poſtea re iam examinata, nec apocryphorum quidem appellationem merentur, ſed planè ſunt falſi. Tales ſunt hi, quos poſtquàm Eccleſiaſtici ocij indulgentia, ſanctarum ſcripturarum culturæ cœptum eſt uacari, ſanctorum patrum cenſura proſcripſit, ſcilicet euangelium Petri, Thomæ, Matthiæ, &c. Hi enim, licèt ſtatim poſt Apoſtolica ſæcula, quibus rem examinandi nondum erat fidelibus hominibus indulta facultas, apocrypha eſſent, tempore tamen Euſebij quo loco haberentur, eius uerbis oſtenditur. Nam cùm eos enarraſſet, in his, inquit, ſtylus, multùm ab eccleſiaſtica conſuetudine deprehenditur eſſe diuerſus: ſenſus quoque ipſe & omnia, quæ in his inſeruntur, longè ab Apoſtolica diſſonant fide, ex quo figmenta eſſe prauitatis hæreticæ comprobantur. Vnde non inter illa quidem, de quibus dubitari diximus, collocanda ſunt. (intelligit uerò has partes ſcripturæ, quas modò propugnamus) ſed ut aliena penitus à pietatis regula diſcrepantia propellenda ſunt. Hactenus Euſebius. Vides ergo iam Euſebij tempore, ea ſcripta non apocrypha, ſed falſiſsima haberi, quòd ſtyli, an cum Eccleſiaſtica conſuetudine conueniret, & ſenſus, an cum Apoſtolica fide cohæreret, examinandi fuiſſet tempus indultum? Tunc enim primùm Pontificum concilia cœpta ſunt cogi, & Eccleſiaſtica ſapientia cœpit increſcere. Quemadmodum ergo libri illi, quorum falſitates prioribus illis ſæculis nondum erant perſpectæ, poſtea ſanctorum Epiſcoporum & conciliorum iudicio, ſunt falſi, & ab Apoſtolica doctrina alieni pronunciati, ita li-

Quare falſus liber ſit aut appelletur.

Euſe. lib. 3. cap. 44.

bri quidam, quorum eo tempore ueritas, & auctoritas nondum erat aperta, poſtea per idem iudicium Eccleſiaſticum, omni ſuſpicione uacarunt: ita ut neque illi amplius apocryphi aut dubij, ſed prorſus falſi, & iſti non amplius ancipitis, ſed claræ & perſpectæ ueritatis nocentur. Ij ſunt Ioannis duæ illæ epiſtolæ, canonica Iacobi, Petri ſecũda, &c. Nec tamen iſta, quanuis non ſatis illis prioribus ſæculis apertam auctotiratem obtinuiſſent, appellata ſunt apocrypha, quòd ſcilicet non tantis rationibus eorum concuteretur auctoritas, ut eandem obſcurare ualerent. Deinde dubitatio erat non de doctrinæ uerirate, ſed de auctore, eùm contra in illis, quæ apocrypha dicebantur, auctoritas cum uiolenta doctrinæ ſuſpicione nutaret.

Diluantur rationes aduerſariorũ. Nunc iam rationes illas, quæ tamen magnos iſtos uiros adeò torſerunt, ut propter eas, neque hanc epiſtolam Iudam apoſtolum auctorem habuiſſe, neque ſolidæ auctoritatis crediderint, diluamus oportet. Fatemur Iudam apoſtolum, ex duobus illis libris apocryphis, loca citaſſe: negamus tamen loca illa apocrypha eſſe. quoniam, ut dictum eſt, non eſt neceſſe, ut omnia, quæ apocrypho aut falſo libro continentur, ſint perinde apocrypha aut falſa. Multa in falſis hiſtoriis ſcribuntur, quæ ſunt prorſus uériſsima: quæ profectò ſanctos auctores colligere, & ſuis ſcriptis inſerere, non magis repugnat, quàm margaritas è maris Oceano collectas auro inſerere. Immo ſi ita ſit, ut libri, qui apocryphorum librorum uolumina citant, ſint ſtatim apocryphi, penè omnes libri ueteris teſtamenti, qui librorum, quos in canone ſanctarum ſcripturarum, nec apud Iudæos, nec apud Chriſtianos continentur, teſtimonio ututur, apocryphi erunt. Erit
4. Regum. c. 18. itaque apocryphus quartus libri Regnorum, & Hieremiæ prophetia, quòd utrobique
Hiere. 35. liber conſtitutionum Ionadab filij Recab allegetur. Erit apocryphus uterque liber Pa-
1. Paralip. ralipomenon, quòd in altero Nathanis, & Gadis, in altero, eiuſdem Nathanis, Achiæ,
ult. Salonitis, Iehu filij Anani, Ozaî, Oziæ, Azariæ filij Obed, Anani Iazielis filij, Zacha-
2. Par. 29. riæ Ehezeris filij, Dodã & Obed, hiſtoriæ aut prophetiæ allegentur. Tertius quoque
2. Para. 9. Regum apocryphus erit, quòd libri Michææ filij Iembla, meminerit. Apocryphus erit
2. Par. 20. etiam apud iſtos uterque Machabæorum liber, quòd prior libri dierum ſacerdotij
2. Par. 33. Ioannis Hyrcani, alter libri Hieremiæ, in quo legem dedit tranſmigratis, teſtimonio
2 Par. 26. ſit uſus. Immo uerò ſit apocrypha Apoſtoli Pauli epiſtola ad Titum ſit, etiam apo-
2. Par. 15. cryphi Apoſtolici actus, quos Lucas deſcripſit: quoniam in illa Epimenides adducitur,
2. Par. 16. in his uerò ad Pauli prædicationem confirmandam Aratus poëta, & Aræ illius Athe-
2. Par. 10. nienſis inſcriptio. In quibus tamen libris, præter hoc, quod non erant à Dei ueri cul-
2. Par. 20. toribus, ſed ab idololatris editi, multa ſuperſtitioſa, prophana multa, falſa penè
2. Par. 28. omnia continentur.

3. Reg. 22. 1. Mac. ult. 2. Mach. 2.

Licet itaque ſanctis auctoribus, non tantùm ex libris apocryphis, ſed & falſis, dummodo quæ adducunt, non ſint falſa aut apocrypha, ſine auctoritatis detrimento, & iactura teſtimonium adducere: quemadmodum nobis ſine ueritatis præiudicio è Tito Liuio, aut Herodoto, Thucydide, Salluſtio, &c. in quibus tamen multa mendacia continentur, fuiſſe Iulium Cæſarem, Alexandrum in Aſiaticas gentes expeditionem feciſſe, Semiramidem Aſiam occupaſſe, aut Græcas urbes bellis ſæuiſsimis conflagraſſe, etiam cùm de rebus diuiniſsimis agimus, petito teſtimonio comprobare ſolemus. Quanuis grandis eſſet horum & illorum librorum diſparitas; illis enim de rebus longè ſacratiſsimis, quanuis quæ nondum diuino teſtimonio conſtarēt, agebatur, ab auctoribus deinde
Pſal. 5. non prophanis, ſed Dei, qui perdit omnes, qui loquuntur mendacium, cultoribus, quique non hominum & lucrorum affectibus inſeruirent, ſunt editi: contrà iſtis de huius ſæculi rebus, à prophanis auctoribus, qui neque Dei, neque uirtutis magnam habebant rationem, hiſtoria contexitur. Non eſt itaque de ratione canonicæ ſcripturæ ex libris apocryphis non citare teſtimonia, ſi modò materiæ, de qua agitur, neceſsitàs poſtulet, ſed quòd ea, quæ citantur ex apocrypho libro, non ſint apocrypha. Ea uerò, quæ Iudas allegat, eſſe apocrypha, cùm alterum ſit fidei articulus, alterum uerò ſanctæ hiſtoriæ conforme, nunquam probabitur. Enimuerò in hac epiſtola quod ex Enoch allegatur, omnibus Chriſtianis fidei catholicæ confeſsione præſcribitur. Ecce, inquit, ue-
In epiſt. Iudæ. niet dominus cum ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impij. An non hoc fides credere cogit?

git? cogit profectò. Immo & ex Malachia eandem ſententiam habemus, Ecce, inquit, Dominus ueniet, & cum eo ſanctorum millia, &c. Et apud Danielem, Ecce in nubibus cœli filius hominis ueniebat, &c. Michaëlis cum diabolo corpus Moſis, uolente reuelare certamen, quãquàm ſanctæ ſcripturæ textu expreſsè non contineatur, continentur tamen quædam, cum quibus cohæreat. Nam Michaëlem cum diabolo certaſſe, aliquando in libro Apocalypſis Ioannes oſtendit, Factum eſt, inquit, prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, &c. Quem locum quanuis ad Eccleſiaſtici impetij principes rapias, quod quidam fecerunt, non tamen fit ut bellum illud Angelicum in cœlo non fuerit: immo innuit Apoſtolus, terreſtre illud & Eccleſiaſticum bellum, quo miniſtri diaboli, ideſt, Eccleſiæ perſecutores à Chriſtiano, quicunque fuerit ille, Imperatore ſunt domiti, ſimile fuiſſe illi, quod olim Michaëli cum dracone interceſsit. eſt enim unius ad alterum ſubtiliſsima alluſio. Habemus etiam ſanctæ ſcripturæ teſtimonio comprobatum, Michaëlem totius Iſraëlitici populi ducem & protectorem fuiſſe. Annunciabo tibi, inquit Danieli angelus, quid expreſſum eſt in ſcriptura ueritatis, & nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michaël princeps ueſter. Conſtat deinde ſanctæ eiuſdem ſcripturæ teſtimonio, Moſis corpus ita fuiſſe ſepultum, ut locum nullus eius populi ciuis potuerit agnoſcere. Mortuus eſt, inquit, Moſes ſeruus Domini, in terra Moab, & ſepeliuit eũ Dominus in ualle terræ Moab, contra Phegor, & non cognouit homo ſepulchrum eius uſque in hodiernum diem. Hoc profectò non alia ratione factum fuiſſe concorditer creditur, quàm quòd ea gens prona eſſet in idololatriam, unde timeri poterat, ne gentium aliarum more, Moſi, à quo tot beneficia ſuſceperat, poſtea religione ſeruiret. Quod & in ſerpente æneo, quem idem Moſes diuino præcepto in ſerpentini morſus medelam erexerat, accidiſſe uidemus: quem è medio abſtuliſſe inter laudes regis Ezechiæ ſacra hiſtoria recenſet. Quòd ſi Michaëlem non eſt nouum nec incredibile, aduerſus draconem diabolum bella gerere, quòd ſi eſt Iudaicæ gentis princeps, quòd ſi cautum eſſe ne Moſis corpus proderetur, ſcriptura teſtatur, quòd ſi populus ille pronus erat in idololatriam, quòd ſi diabolum non modò uitia & peccata fouere, ſed occaſiones obtrudere, quibus ab hominibus in peccata ruatur, habetur certiſsimum, cur & idem Moſis cadauer retegere contendiſſe, Michaëlemque contrà, pro eodem occultando pugnaſſe, non ſit uероſimile? Citat ergo Iudas teſtimonium ex apocrypho libro, ſed non apocryphum teſtimonium, quod ſcilicet uiolenta ſuſpicione falſitatis notetur, ſed quod rationabiliſsimè ex iis, quæ in ſancta ſcriptura traduntur, credibile appareat.

Malac. ult.

Apoc. 12.

Lyran. & alii complures.

Dan. 8.

Deute. 34.

4. Reg. 18.

Iam isti quoniam ex libri apocryphi citatione continuò libros apocryphos reddi ſibi perſuadent; nondum aduertiſſe uidentur apocryphorum librorum duplex eſſe diſcrimen. Sunt nanque libri, qui ideò apocryphi dicuntur, quòd uti prius dicebamus, iunioris Eccleſiæ tempore, de falſa & hæretica doctrina, non quocunque pacto, ſed uehementer ſuſpecti erant, quos poſtea Eccleſiaſtica cenſura falſos eſſe decreuit. Licèt antiqua illa ac priori nomenclatura retenta, apocryphi quoque modò appellentur. Sunt alij, quos non propter doctrinæ ſuſpicionem aut falſitatem, uel noſtri, uel antiqui dixerunt apocryphos, ſed quòd cùm à ſanctis ueteris aut noui teſtamenti prophetis aut apoſtolicis uiris editi fuerint, certa tamen & occulta diuinæ ſapientiæ ratione inter canonicas ſcripturas, non ſint computati, ſed extra catalogum eſſe permiſsi. Tales ſunt apud ueterem illum populum ij omnes, quos parùm antea, libris ueteris teſtamenti ab ipſis ſcripturis, quæ modò canonicæ habentur, allegari docuimus. Tales etiam ſunt in ſtatu euangelico narrationes illæ, quas multos aggreſſos eſſe, nec plenè rem aſſecutos, in ſui euangelij procemio Lucas narrat, Quoniam quidem (inquit) multi conati ſunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ ſunt, &c. Talia etiam ſunt multa alia, quæ uериſimile eſt (ut cùm de librorum canonicorum numero ageremus, dicebamus) ſanctos apoſtolos apud eas gentes, quibus prædicabant, ſcripſiſſe. quæ tamen in numero ſanctarum ſcripturarũ, à ſanctis illis prioris ſæculi patribus, diuino (ut par eſt credere) inſtinctu, non fuerunt repoſita. Quantumuis igitur ex prioris generis libris teſtimonia citaſſe, canonicæ ſcripturæ auctoritatis detrimentum afferret, ſecundi tamen generis libros adducere, niſi uniuerſi illi libri canonici, quos huiuſmodi apocryphas, aut

Apocryphi libri ſunt duplicis differentia.

 hiſtorias,

hiſtorias, aut prophetias, adduxiſſe dicebamus, ſint prorſus apocryphi, nihil auctoritatis adimit ſcripturæ canonicæ.

Auguſt. in qq. Noui & uet. teſtam. & in gloſſ. ord. 1 epiſt. ad Timoth. in illa uerba Epimenidis adducta à Paulo, Cretēſes ſemper mēdaces, &c. Iudam nō citaſſe apocryphos libros.

Sciant itaque iſti, diuinæ auctoritati licere undecunque noluerit, quod uerum inuenerit teſtimonium ſumere. Sicut Paulus, ait Auguſtinus, ut legitur in Actibus Apoſtolorum, cum loqueretur Athenienſibus, ait, de Deo, In illo uiuimus, mouemur & ſumus, ſicut & quidam ſecundum uos dixerunt. Et de Athenienſi aræ inſcriptione ait, Inueni aram, in qua ſcriptū eſt. Ignoto Deo. ita diuina auctoritas undecunque ſumit quod neceſſarium inuenit, ſed non omnia, quæ ibi ſcripta ſunt, accipienda confirmat. Vnde in lege præceptum eſt Iudæis, ut ſi mancipium gentile emerent, eius pili raderentur, & unguium incrementa abſcinderentur, deinde ad uſus domeſticos aſſumeretur. Ita uanis atque ſuperfluis gentilium ſuperſtitionum ac poëtarum ſententiis abraſis & deciſis, quod purum repertum fuerit, ad miniſterium domus Dei aſſumendum eſt. Hactenus Auguſtinus. Immo non tantùm ſanctis auctoribus ex libris apocryphis aut ſuſpectis, uel ut Paulus fecit, ex falſis, prophanis, & poëticis, conueniens teſtimonium licet adducere, ſed eſt inſuper à diuina illa, non cattis, ſed Spiritus ſancti, prudentia profectum, unamquanque gentem illis ſcripturis aut mediis, in fidem pertrahere, quæ apud eas ſacroſancta haberentur. Hinc factum eſt ut Iudæis oraculis diuinis aſſuetis angeli, contrà gentibus aſtronomicæ ſapientiæ cultoribus, Chriſti natiuitatem ſtella nunciauerit. Sic & Paulus Athenienſibus, qui ſanctorum prophetarum non erant conſulti; non prophetas, ſed poëtas obiecit, uerſum Arati ponens in medium: nimirum ut de falſis eorum, quibus contradicere non poterant, ſuam ueritatem firmaret. Sic & idem Paulus, eos conuincere uolens, qui reſurrectionem mortuorum negabant, non modò cum eiſdem ſcripturæ & rationum uirtute confligit, ſed propria eorum conſuetudine, licèt ſuperſticioſa & hæretica. Si mortuorum (inquit) reſurrectio non eſt, quid faciūt, qui baptizantur pro mortuis? Non enim alia ratione pro mortuis baptizabantur, quàm ut poſtea reſurgerent. Sic Iudas, cum uel Iudæis, uel iis, apud quos propter fidem receptam, non modò canonici libri, ſed & Iudaicæ quæcunque hiſtoriæ gratiſsimæ erant, ad fidei confirmationem hanc epiſtolam mitteret, prudentiſsimè, quæ ſuo dicendi inſtituto ex illis libris congruere uidebat, teſtimonia citauit.

Ioſephus & Beroſus.

Sed quo magis eorum ſententia, qui propter librorum apocryphorum adductionem, hanc epiſtolam è librorum canonicorum elencho delere conantur, quàm ſit leuis, appareat, rem amplius urgeamus. Vnde, quæſo, norunt iſti Iudam apoſtolum, è libris apocryphis, hunc de Chriſti aduentu, & Michaëlis cum diabolo conflictatione teſtimonia petiiſſe? neque enim illi libros allegant. Sed Enoch quidem, ſolam prophetiam, Angelicæ uerò conflictationis nudam hiſtoriam. Quæ profectò ego non credo libris aliquando, ſed ſola traditione fuiſſe contenta. Quanuis quod ad Enoch attinet, ſint, qui duabus columnis, marmorea una, latericia altera, ſuas poſteris ſæculis mandaſſe prophetias apud Chaldæos ſcripſerint. Quod ut ueriſsimum ſit, non erat tamen libri; ſed columnæ, quibus forſan cùm nihil aliud quàm illa de Chriſti aduentu prophetia contineretur, non fuit amplius libris, ſed memoriæ mandata: quemadmodum & alia non pauca, quæ in eo populo ſola traditione conſeruabantur. Immo quis ſcit, an illæ uetuſtiſsimæ columnæ, quæ non in Iudæa, ſed in Chaldæa ſunt inuentæ, à Iudæis hominibus, qui ſolis pro ſuæ gentis ſuperbia ſui populi libris utebantur, fuerint receptæ? aut ſi ſunt receptæ, quis ſcit, an hæc prophetia, quæ in epiſtola Iudæ citatur, illa eadem fuerit, quæ in columnis continebatur? Itaque nulla ratione conuincitur, Iudam apocryphos libros aliquando citaſſe; ſed ea, quæ fuerant à prioribus parentibus, quaſi ueriſsima & certiſsima traditione ſuſcepta. Immo nunquam librum Enoch aut concertationis angelicæ fuiſſe, non paruo eſt teſtimonio, quòd neque inter Iudæos, neque inter Chriſtianos, huiuſmodi librorum ulla fiat mentio. Cur enim inter apocryphos libros, quos ſumma diligentia in concilio Romano recenſuit Gelaſius, non numerarentur? Quòd ſi quis contendat hos libros, uel modò eſſe, uel aliquando fuiſſe, qui ſcit an prioribus ſæculis integri fuerint, nunc iam ab hæreticis hominibus fuerint peruerſi? Quod canonibus & conſtitutionibus Apoſtolorum & multis aliis libris, quos illo loco numerat Gelaſius, non eſt dubium accidiſſe. Potuit certè eſſe ut ſi aliquando fuerint integri, cum à Iuda ex illis fuerunt hæc teſtimonia deſumpta, nunc iam prorſus ſint hæretica

retica prauitate peruerſi. Vnde Beda, Dubitatum eſt, inquit, aliquando de epiſtola Iudæ propter teſtimonium de libro Enoch apocrypho: ſed uide quòd liber, qui circunfertur ſub nomine Enoch, apocryphus eſt, ideſt incertus, an fuerit uerè ille liber Enoch propter multa incõcinna. quæ uidentur appoſita fuiſſe illi libro ſat certum eſt quòd tempore Iudæ extabat uerè liber Enoch certus, non apocryphus, quia apoſtolus non ſumpſiſſet teſtimonium libri apocryphi. Hactenus Beda. Magis tamen ſum in illa ſententia ut quanuis Bedæ tempore ſuppoſititius libellus aliquis Enoch fuerit ab hæreticis intruſus, tempore tamen Iudæ nullus huiuſmodi liber extiterit, ſed ex uulgari traditione teſtimonium citarit. Immo uerò non ſatis intelligo, quo pacto factum fuerit, ut ſi Bedæ tempore aliquis huiuſmodi libellus fuiſſet, à Gelaſio Pontifice in apocryphorum librorum catalogo fuiſſet omiſſus. Hinc iam colligitur quàm rationabiliter quidam pronunciauerit, Epiſtola, quæ fertur Iudæ, non eſt certè Iudæ. Et non abs te refutatur, quia apocrypham prophetiam, ut ſimpliciter prophetiam, citat.

In cõm. huius epiſt. — *Caietan.*

Iam qvod quinto loco obiiciebatur, eius epiſtolæ auctorem non fuiſſe apoſtolum; propter ea uerba, Vos autem dilecti memores eſtis uerborum, quæ antea dicta ſunt, ab apoſtolis Domini, &c. Non minus à craſſa quadam inſtituti huius epiſtolæ ignorantia, quàm à carpendi libidine prodiiſſe uidetur. Eſt non quæcunque hæc epiſtola; ſed catholica, id eſt, uniuerſalis inſtructio, quæ ſcilicet non huic aut illi genti, ſed omnibus in uniuerſum Chriſtianis, uirorum apoſtolicorum prædicatione conuerſis, ab Apoſtolo mittitur. non ergo mirandum ſi apoſtolorum, ad quorum imitandam doctrinam Chriſtianos hortatur, in hac parte meminerit. Nam quòd non ſe coapoſtolum eorum dixerit, quominus Apoſtolus habeatur, non obſtat: neque enim Apoſtolicæ dignitatis defectus, ſuſpicione laborabat, ut Paulus, qui eiuſce dignitatis prætextum, propter inuidos detractores ubique frequentat.

Simile eſt quod ſexto loco opponebatur, Iudam non in Græcia, ſed in Perſia euangelium ſeminaſſe, atque adeò hanc epiſtolam, non Græco ſed Perſico ſermone debuiſſe conſcribi. Nam ut omnino demus Iudam apoſtolum nunquam in Græciam perueniſſe; quod nequaquam probabitur, certum eſt, eundem Iudam, Galilæam, Samatiam, Idumæam, Arabiam, Syriam, Meſopotamiam, quibus poſt Aſiaticum imperium nullus alius ſermo, quo ſe mutuò communicarent Eccleſiæ præter Græcum cõmunis erat, percurriſſe. Non ergo Perſico ſermone, cùm non tantùm Perſis ſcriberet, ſed Græco & omnibus communi oportebat ſcribere. Quin neſcio cur ij Apoſtolo Paulo cæteriſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ea, quæ ipſis tribuuntur, eadem ratione conſequenter non auferant: nam cùm Roma Paulus epiſtolas complures ad diuerſas urbes, & prouincias emiſerit, omnes tamen non Latino ſed Græco ſermone conſcripſiſſe probatur. Non itaque locum, quo opera aut epiſtolæ ſcribuntur, ut iſti non tam calumnioſè quàm ſtultè ſenſerunt, ſed eos, ad quos ſcribuntur, attendere oportet. Sunt autem ſiue hæc epiſtola, ſiue aliæ quæcunque uirorum apoſtolicorum ſcripta, præter panca, de quibus eſt dubiũ, Græca lingua conſcripta, quòd ea eo ſæculo, non modò in Europa, ſed apud Aſiaticas gentes, quibus Apoſtolicus labor, ut plurimùm profuit, celebrior haberetur.

Dilutio ſexti cauilli. — *Niceph. libr. 2. c. 40. & 44.*

Demvm ſeptimi loci calumnia, qua iidem aiunt, huius epiſtolæ auctorem, ea uerba ex poſteriori Petri epiſtola uſurpaſſe, In nouiſſimis diebus uenient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes, &c. omnino eſt ridicula, & quæ eorum animos in ſanctis ſcripturis pertractandis aperiat. Quid enim? An'non ij ſunt, qui eandem paulò ante reiiciebant, quòd ex apocrypho libro teſtimonium adduceret? Cur ergo eandem modò damnant, quòd eſt epiſtola, quam & Petri, & canonicam habent, ſententiam uſurpat? An'non eadem ratione ſanctas omnes ſcripturas repudiare licebit? Multi ſancti Prophetæ ex aliis prophetis, multa Euangeliſtæ ex aliis Euangeliſtis, multa denique à ſe inuicem acceperunt apoſtoli. Erat hæc ſententia uiris apoſtolicis frequentiſsima, quòd eam uniuerſi per Spiritus ſancti reuelationem, aut per Chriſti doctrinam, populis quò hæreticos, & ueræ doctrinæ peruerſores cauerent, prædicandam ſuſcepiſſent, utiturque ea Paulus apoſtolus in ambabus epiſtolis, quas ad Timotheum ſcripſit. Spiritus, inquit, manifeſtè dicit, quia in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, &c. Et rurſus, Hoc autem ſcito, quia in nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, &c. Et alioqui,

Dilutio ſeptimi obiecti. — *2. Pet. 3.* — *Matthias Flaccus Illyricus & cæteri Centuriarũ auctores. Cẽt. 1. lib. 2.* — *1. Tim. 4.* — *2. Tim. 3.*

ſi huius

ſi huius epiſtolæ auctor, aut apoſtolica dignitate non fuiſſet inſignis, aut apoſtolico tempore non uixiſſet, Petrum apoſtolorum principem, aut eum quemcunque eius epiſtolæ auctorem, cuius ſententiam tanti faciebat, ut ſuæ epiſtolæ insereret, omnino allegaſſet. Verùm hæc in has aut ſimiles ſeditioſas ratiunculas ſcripſiſſe ſufficiet.

De epiſtola ad Hebræos, & de his, quæ in eam proferuntur. Cap. XXV.

DE epiſtolæ ad Hebræos auctore, & eiuſdem auctoritate, grauiter olim fuiſſe dubitatum, in præcedentibus diximus. Verùm nondum eorum rationes eliſimus, quibus uel Pauli apoſtoli fuiſſe negatur, uel extra canonem ſanctarum ſcripturarum, nunc quoque poſt tanti temporis Eccleſiaſticum uſum, poſt tot Pontificum & conciliorum decreta, à quibuſdam excluditur.

Ergo quòd auctorem non habuerit apoſtolum Paulum, & illo priori ſæculo & noſtro hæ potiſsimæ rationes urgebant. Primò quidem, quòd Pauli nomen non haberet in titulo, contra Paulinam ſcribendi conſuetudinem; deinde quòd à reliquis Paulinis epiſtolis & cultu, & elegantia ſermonis, dictio eſſet diuerſa.

Diluuntur obiectiones. HARVM autem utrique rationi, nihil mea quidem ſententia, aptius reſponderi poteſt, quàm quòd Hieronymus in prologo epiſtolarum Pauli reſpondet, Epiſtolam ſanè (inquit) quæ ad Hebræos ſcribitur, quidam Pauli non eſſe contendunt, eò quòd non ſit eius nomine intitulata, & ob ſermonis ſtylique diſtantiam. Quibus reſpondendum eſt, Si propterea non eſt Pauli, quia eius non habet nomen, Ergo nec alicuius erit, quia nullius nomine intitulatur. quod ſi abſurdum eſt, eius magis cenſenda eſt, quæ tanto ſuæ doctrinæ fulget eloquio. Sed quia apud Hebræorum eccleſiam deſtructor habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis, & ueritate Chriſti reddere rationem, ne mentione ſui nominis in fronte prætitulati utilitatem excluderet lectionis. Nec ſanè mirum, ſi eloquentior uideatur in proprio, id eſt, in Hebræo, quàm in peregrino ſermone, id eſt in Græco, quo cæteræ epiſtolæ ſcriptæ ſunt. Hæc Hieronymus. Quo loco ſatis colligitur, quàm longè fuerit ab ea ſententia, quæ uel è numero epiſtolarum Pauli, uel è ſanctarum ſcripturarum catalogo, hanc epiſtolam trudit: quod tamen illi noſtra memoria à quibuſdam impingitur, de quo poſtea.

Et quantum quidem ad nominis & Apoſtolicæ dignitatis ſilentium, ea quoque adduci poſſunt, quæ, cùm de epiſtola Iacobi loquebamur, ſcripſimus. Apud has gentes Pauli nomen & dignitas, tum propter perſecutiones grauiſsimas, quas eiſdem Hebræis ad Chriſtum conuerſis, paulò antè cùm eſſet paternarum traditionum zelator, intulerat, tum propter gentium conuerſationem, quæ res etiam Chriſtianiſsimis Iudæis habebatur inuiſa, parum erant fauſta. Voluit igitur, utroque diſsimulato, magis rationum uirtute, quàm nominis & Apoſtolicæ dignitatis titulo, eoſdem comprimere. Quam rem, inter eos uiros, qui Dei & proximi caritate tenentur, neque primus, neque ſolus eſt feciſſe credendus. cùm enim nomina, dignitatem, aut uiuendi rationem, iis, quibus ſcribunt, inuiſam norunt, cùm ſciant, nihil æquè uerbis, quanuis ſanctiſſimis, efficaciam, quàm odium & maleuolentiam auferre, uel in uitiorum correctione, uel in promotione uirtutis, eadem plerunque ſancti Spiritus prouidentia diſsimulant. Quòd ſi nominis fauore non ſint gratæ futuræ literæ, ſaltem eiuſdem nominis odio, quæ alioqui ſuarum rationum uirtute profuiſſent, non reddantur ingratæ. Scribebat quidem apoſtolus Iudæis iam ad fidem Chriſti conuerſis, ut ex multis eius locis epiſtolæ proditur. Verùm neque omnes ſtatim baptiſma, ueteris hominis affectus excluſerat, ut Paulum, paulò ante Eccleſiæ perſecutorem, ad apoſtolatus dignitatem, æquis animis, promotum audirent, aut ut inueteratum cum gentibus odium, ad quas Paulus diſceſſerat, omnino deponerent: quod grauiſsima illa inter Iudæos & gentes controuerſia, quam in epiſtola ad Rom. idem expōnit, luculenter oſtendit. Nam quòd hi, ad quos ſcribebat, necdum moribus & humanorum affectuum compoſitione perfecti eſſent, ſed etiam Chriſtianæ uitæ inſtitutionem non ſatis tenerent, illa, quæ eiſdem, occulti

nominis

nominis libertate exprobrat, non obſcurè demonſtrant. Cùm deberetis (ait) eſſe magiſtri propter tempus, rurſus indigetis ut uos doceamini, quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo, &c. Diſsimulat ergo Paulus apoſtolus nomen, & Apoſtolicæ dignitatis faſtigium, ne horum odio apud infirmos literæ interceptæ fructu deſtituerentur. Hebr 5.

Neqve uerò eſt mirum, etiam ſi neque nomen neque dignitas Apoſtolatus in Paulo apud Iudaicam gentem fuiſſet odioſa, nouo, cum nouis hominibus, ſcribendi genere, eundem fuiſſe uſum. Scribebat in cæteris epiſtolis gentibus, quibus propter Apoſtolatum, Pauli nomen fauſtiſsimum erat, quibusque grandis erat Apoſtolica auctoritas. Vnde utrunque, ipſo ſermonis initio, quò literæ fierent gratiores & efficaciores, collocandum erat. Scribit modò Iudæis, quibus quòd fratres eſſent, nominis quidem auſpicio non erat opus: quòd autem ſanctæ ſcripturæ ſagaciſsimi eſſent, cum eiſdem neque apoſtolatus, nec dignitatis auctoritas erat obiicienda, ſed eiuſdem ſcripturæ ſanctæ efficaciſsimis locis erat agendum: præter hoc quòd non oportebat cum iis de Apoſtolatus dignitate agere, quorum non erat Apoſtolus, ſicut nunc Epiſcopi aut alij magiſtratus, quando iis, in quos imperium, aut auctoritatem non obtinent, Suarum dignitatum titulos non prætẽdunt. Præterea quis neſciat, alia ratione cum noſtris, alia cum exteris uel communi, uel epiſtolari ſermone agendum eſſe? Profectò qui cum ſuis agẽs in loquendo, uel ſcribendo, eandem, quam cum exteris auctoritatem ſeruaret, ineptus haberetur.

Aptissima demum illa ratio uidetur, quæ in huius epiſtolæ argumento continetur. In primis (ait) uidendum eſt, cur apoſtolus Paulus in hac epiſtola ſcribenda, non ſeruauerit morem ſuum, ut uel uocabulum nominis ſui, uel ordinis deſcriberet dignitatem. Hæc cauſa eſt quòd ad eos ſcribens, qui ex circuncisione crediderant, quaſi gentium Apoſtolus & non Hebræorum, ſciens quoque eorum ſuperbiam, ſuamque humilitatem, ipſe demonſtrãs, meritum officij noluit anteferre. Nam ſimili modo etiam Ioannes apoſtolus propter humilitatem, in epiſtola ſua nomen ſuum eadem ratione nõ protulit. Hactenus ibi. Auctor. argu. epiſtolæ ad Hebr.

De sermonis autem diſtantia, quamuis ea ratio, quam affert Hieronymus multum arrideat, ſunt tamen qui putent, hanc epiſtolam non tantum lepôris ab auctore contraxiſſe, quantum nunc habet. Sed inſuper multum illi ex traductione in Græcum ſermonem à Luca uel Clemente facta, acceſsiſſe, cùm non tam uerbis quàm ſententiæ in traducendo inhærerent: quod, ut erant apoſtolici ſenſus conſultiſsimi, & eiuſdem Apoſtoli comites indiuiſi & diſcipuli, abſque ulla infidelitatis nota facere potuerunt. Qua ſententia, & ueterum opiniones, quas Hieronymus refert, quæ Lucæ, Barnabæ, aut Clementi, eam epiſtolam tribuebant, in concordiam adducuntur, dum compoſitio quidem apoſtolo Paulo, elegantia uerò & dicendi lepor uni iſtorum tribuitur. Quare epiſt. ad Hebr. à cæteris ſermone diſſet. Putat Origе. epiſt. ad Heb. à Luc. uel Clemẽ. uerſam ex Hebræo in Græcũ ſermonem.

Est et magnopere cum ratione conueniens illa ſententia, quæ credit, inuentionem quidem eorum, quæ in hac epiſtola tractantur, eſſe epiſtolæ Pauli, diſpoſitionem uerò Amanuenſis ſcribæ: ita ut quòd frequentiſsimè ſolet accidere, immo, quod eſt in quotidiano uſu, iis, qui non tantum laboris pondus ſuſtinent, locos tractandos docto & eleganti Amanuenſi tribuerit, Amanuenſis uerò dictionem poliuerit. Neque enim hac ratione deſinit eſſe Pauli, quemadmodum neque regis aut Pontificis literæ, quarum ipſi locos ſuggerunt, ſi ſcribantur à notario, non erunt Regis aut Pontificis.

Nam pavlvs in ſcribendis epiſtolis, Amanuenſi miniſtro, quem modò ſecretarium aut notarium uocamus, fuiſſe uſum, ex fine eius epiſtolæ, quam ad Romanos ſcribit, apertè cognoſcitur. Saluto, inquit, uos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam: quo loco Tertius, non eſt nomen numerale, ut optimè Lyranus adnotauit, ſed proprium nomẽ notarij Paulini, cuius permiſſu nomen ſuum epiſtolæ inſeruit. Quod textus græcus apertius inſinuat, dum in eo non τρίτος, ſed τέρτιος ſcribitur. Atque hanc ſententiam uериſsimam puto, & quæ maximè uniuerſas iſtorum dubitatorum rationes euertat, præſertim ſi, ut quibuſdam non ſine maximis rationibus placet, hæc epiſtola non primitus, Hebraicè ſed Græcè, qui ſermo tum Iudæis iis potiſsimè, qui in Græcia morabantur, uſu erat, fuerit ſcripta. Habebat Apoſtolus ſecum ſermonis Græci peritiſsimos uiros, & qui Attico lepôre in ſcribendo ualerent, Lucam, Clementem, & alios, quorum opera, Paulũ miniſtro amanuẽſi uſũ.

(ut eſt uerisimile) in hls epiſtolis conſcribendis, quemadmodum in cæteris quibuſq;, quæ ad euangelicæ prædicationis munus expectabant, frequenter eſt uſus. Cuius ſententiæ auctorem, ne mea ſolùm eſſe uidearur, producere præſtat, Origenem nimirum, cuius tanta in hac parte futura eſt auctoritas, quanta & antiquitas. Nonnulli, inquit, de ea, quæ eſt ad Hebræos, epiſtola dubitarunt, pro eo quòd non uideatur in ea ſeruari eius illa ſentenria, quam de ſe ipſo pronunciat, dicens ſe imperitum ſermone. Sed ego dico, ſicut mihi à maioribus traditum eſt, quia manifeſtiſsimè Pauli eſt, & ſemper omnes antiqui maiotes noſtri, ita eam, ut Pauli epiſtolam, ſuſceperunt. Si uerò requiras à me, per quem ſit eius ſetmo compoſitus? pro certo quidem Deus uidet: opinio tamen, quæ ad nos uſque peruênit, huiuſmodi eſt. A' quibuſdam dicebatut, quòd Clemens apoſtolorum diſcipulus, Græco eam ſermone non ſenſibus explicuerit: alij uerò quòd Lucas, qui euangelium ſcripſit, & Actus Apoſtolorum. Hactenus Origenes.

Apud Euſeb. lib. 6. Eccl. hiſt. cap. 18.

Quanquàm autem hæc ſententia mihi ſemper placuerit, priorem tamen illam reprobare non poſſum, quæ docet, tum ex eo, quòd Hebraico & genuino ſermone fuerit ſcripta, tum ex uerſione Lucæ aut Clementis, à cæteris epiſtolis Paulinis in dictione diſtare, quòd utraque harum, iis, quæ in hanc epiſtolam excogitantur, calumniis ſufficienter reſpondcat.

Sic habet Euſe. li. 3. Eccl. hiſt. cap. 17.

Sed iam in eas, quæ affetũtur à noſtri ſæculi quibuſdam auctoribus, qui non ſatis eſſe crediderunr, huic epiſtolæ auctotitatem auferre, niſi etiam & falſam & mendacẽ traducerent, conuertamus ſermonem. Quanuis profectò ſatis animo Chriſtiano tolerari nõ poſsit, ut antetioribus ſæculis, quibus tamen, quòd nondum tauta Eccleſiaſticum uſum confirmaſſet antiquitas, & tot ſanctorum patrum comprobaſſet auctoritas, liberius erat in hac parte iudicium, non amplius in eam epiſtolã ualuerit audacia, quàm quòd eam quidam Apoſtolo auferrent; noſtris uerò temporibus, quibus poſt tot patres, poſt tot ſynodos, poſt tot ſæculorum uſum, uel hanc dubitationem ſemel iam ſepultam & Eccleſiaſtico uſu damnatam, in medium reuocare nefas erat, auguſtiſsima hæc epiſtola, quæ uix alia tatione ſubtrahebatur Apoſtolo, quàm quòd cæteris epiſtolis uideretur ſublimior, tanta libertate dicendi laceretur, ut & falſitatis & mendacij accuſetur, ſed ad rem. Primum itaque telum, quod in hanc epiſtolam iacitur, eſt, quòd Hieronymus, qui (ut iſti aiunt) eſt regula canonicorum librorum, de eius auctoritate dubius fuerit. Quæ tameu ratio quantum ponderis habeat, non eſt arduum expendere. Profectò neque Hierouymus, quanuis fuerit ſanctiſsimus, & in tractanda ſcriptura maximè ſtreuuus, eſt regula ſanctorum librorum, ſed Chriſti Eccleſia, quæ nec fallit, nec falli poreſt, nec aliquando de ea epiſtola aut de eius auctoritate dubitaſſe probatur. niſi ſit, dubitare, aliorum opiuiones in medium adducere. Nam quantum Hieronymus huic epiſtolæ, etiam aliis inuitis, tribucrit, in epiſtola ad Dardanum apertiſsimè prodit. Illud, ait, noſtris dicendum, epiſtolam, quæ ad Hebræos dicitur, non ſolùm ab Eccleſiis Orientalibus, uerùm etiam ab omnibus Eccleſiæ Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli apoſtoli ſuſcipi. Licèt plerique, eam uel Barnabæ, uel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit, cùm Eccleſiaſtici uiri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quòd ſi eam Latina conſuetudo iuter ſcripturas canonicas nou recipit, nec Græcorum Eccleſiæ apocalypſim Ioannis eadem libertate recipiunt: & tamen nos urranq; ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed ueterum ſcriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerunque utriuſque utuntur teſtimoniis, nou ut interdum facere ſolent, de apocryphis, ſed quaſi Canonicis & Eccleſiaſticis. Hæc Hieronymus. Ergo tantum abeſt Hieronymus ab horum recentiorum dubitatorum ſententia, ut eam uel inuiris Latinis, quaſi canonicam & diuinam proteſtetur ſe colere. Illud autem mirandum, quòd Hieronymus, qui tamen hos adeò, & ſanctitate & doctrina ſuperauit, ut ab eis canonicorum librorum norma uocetur, contra Latinorum ſententiam epiſtolam ad Hebræos recipiat: iſti uerò Hieronymi eximij imitatores, nec Eccleſia Rom. & Latina quaſi diuinam & canonicam iam dudum colente, canonicam credant. Ex hoc itaque Hieronymi loco ſic licebit colligere, Hieronymi ſæculo, non modò ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus Eccleſiis, una excepta Latina, ut Pauli, & ut canonica, epiſtola ad Hebræos colebatur, & modò iam à Latina Eccleſia, ante mille centum annos, à tempore uidelicet Innocentij primi, & Zozimi Romanorum Pontificum

Prima corũ, qui epiſto. ad Heb. canonicam auctoritatẽ auferunt, ratio.

Dilutio.

ficum

ficum, inter canonicas ac ſanctas ſcripturas refertur: ergo, ij quicunque ſint illi, contra totius Eccleſiæ uniuerſalis diffinitionem moliuntur, uel dum eam Apoſtolo auferunt, uel dum eam canonica auctoritate deſtituunt. Enimuerò, Eccleſiis (ut Hierony. eſt anctor) tanquam Pauli, & tanquam canonica colitur. Ab Innocentio quoque & Zozimo, ut ex eorum, quas antea attulimus, epiſtolis elucet, quaſi canonica, & quaſi Pauli ſuſcipitur, ergo iſti dum negant utrunque, &c. Deinde, ad homines ſic licebit arguere. Hieronymus eſt norma canonicorum librorum, ita, ut quoſcunque ille ſuſcipit, ſimus ſuſcepturi; & quos ille reiicit, debeamus reiicere. recipit autem cum uniuerſis antiquis ſcriptoribus, & Græcis Eccleſiis hanc epiſtolam, tanquam canonicam, & tanquam à Paulo editam, quod etiam ex prologo eiuſdem in epiſtolas Pauli colligitur: ergo iſti eandem, ſi futuri ſint catholici, ſuſcipere debent, aut ſi non ſuſcipiunt, ab Hieronymo, qui iuxta illos eſt norma catholicorum librorum, ideſt fidei, diſcedunt.

Illa deinde ratio hos urget, quò minus hanc epiſtolā Paulo auctori tribuant, quod & ipſe, qui eam ſcripſit, ſeſe in eorum numero reponat, in quos per eos, qui audierunt, ſit confirmata ſalus. Quomodo, inquit, effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cùm initium accepiſſet enarrandi per dominum, ab iis, qui audierunt in nos, confirmata eſt, conteſtante Deo, ſignis, & portentis, & uariis uirtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam uoluntatem. Quæ uerba nullo pacto (aiunt) Paulo apoſtolo, qui non ab homine accepit euangelium, ſed per reuelationem Iesv Chriſti, conuenire poſſunt. *Secunda obiectio.* *Heb. 2.* *Gala 1.*

At hoc loco Paulus non tam de ſe loquitur, quàm de illis, ad quos ſcribit, in quibus licèt euangelium, initium accepiſſet enarrandi per dominum, confirmatum eſt tamen Apoſtolica opera. Deinde, non ſemper debuiſſet Paulus cœleſtes illas ſuas reuelationes iactare, ſed ubi de eius auctoritate agebatur, ut in epiſtola ad Galathas. Tertiò, quamuis Paulus Euangelij cognitionem ab Apoſtolis non acceperit, cum illis tamen idem euangelium, quod diuinitus acceperat, ne fortè in uanum cucurriſſet, aut curreret, contuliſſe narratur. Demum, non hic dicit, ſe euangelium accepiſſe ab iis, qui audierunt à Chriſto, ſed ab eis in ſe confirmatam eſſe ſalutem, cum ſignis & portentis. Quod quàm ſit uerum, oſtendit Apoſtolica hiſtoria, quæ docet eundem Paulum ab Anania Chriſti diſcipulo baptizatum, & gemina corporis & animi cæcitate liberatum: hanc uerò ſalutem, magna portenta præceſſerunt, Chriſto in nubibus ſubito fulgore apparente. Accepit & Paulus tum temporis ſpiritus chariſmata; quæ hîc appellat uirtutes, & Spiritus ſancti diſtributiones, ut eadem docet Apoſtolica hiſtoria. *Dilutio.* *Gala. 2.* *Acta. 9.*

Increscit tertiò iis hominibus ſuſpicio, hanc epiſtolam non eſſe Pauli, quòd ſe Hieroſolymam uenturum ſpondeat, cùm tamen paulò antè inde euadendæ mortis, ergò profugiſſet. Verùm huic leuiſsimo ſcrupulo, & qui apertè prodiit calumniandi libidine, nihil aliud reſpondemus, quàm quod Chriſtus olim diſcipulis mirantibus, cur cùm paulò antea inde lapidibus fuiſſet fugatus, Hieroſolymas reuerteretur, Ioannes Euangeliſta reſpondiſſe recenſet, Non'ne duodecim ſunt horæ diei? Itaque nouerat ſanctus apoſtolus, iuſtorum animas in manu Dei eſſe: nouerat etiam quàm parua opera poſſet illum Chriſtus non ſemel, ſed centies à Iudæorum furore eripere, atque adeò Iudæorum impetum, quem niſi diuino nutu præualere non poſſe, ſatis ſciebat, non formidabat. Quemadmodum nec antea formidarat, cùm poſt denunciatas ab Agabo grauiſsimas futuras Hieroſolymis perſecutiones, conſtanter dicebat, Ego autem non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Iesv. *Heb. 13.* *Ioan. 11.* *Sap. 3.* *Acta. 21.*

Verùm iam non modò in hac epiſtola auctoritatem & canonicum robur, ſed compluribus quoque locis ueritatem, in auctore uerò ſanctæ ſcripturæ cognitionem deſiderant. Primo capite, aiunt, inefficaciter arguit Chriſtum eſſe filium Dei ex ueteri ſcriptura, quæ ſiue in libro Regnorum, ſiue in libro Paralipomenon, non de Chriſto, ſed Salomone Dauidis filio, neceſſariò intelligitur, ubi dicit, Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. *Quarta obiectio.* *2. Reg. 7.* *1. Par. 22.*

In quo loco, ac ſimilibus, cùm in ſuis libris apertum habeant hiſtoricum ſenſum, ad noſtra quoque euangelica myſteria in noui teſtamenti libris comprobanda adducuntur. Scio communiorem eſſe theologorum ſententiam, duplicem, triplicem, & interdum quadruplicem, dari literalem intellectum, ita, ut idem locus, literaliter, de

Nicol. Lyr. in gl. biblio rū. & Daniel. 8. & cæteri.

eo, de quo in ueteri illa hiſtoria profertur, & literaliter etiam de noui noſtri euangelici ſtatus rebus, aut perſonis uſurpetur. Vnde hunc locum ad Salomonem & ad Chriſtum ſimul, in ſenſu literali pertinere contendunt, atque adeò nullam eſſe calumniam, quæ huic epiſtolæ infertur. Quãquàm enim uerum ſit, locum illum, de Salomone in ſenſu literali accipi: nihil tamen prohibere arbitrantur, quin idem de Chriſto quoque accipi poſsit.

Nō dari duplicem literalem ſenſum.

Qvæ ſententia profectò, quamuis ſanctiſsimos ac doctiſsimos uiros auctores habeat, mihi omnino perſuaderi non poteſt. Primò quidem, quòd eam ab inani quodam timore prodendi euangelium deriuatam non dubitem: dum enim non ſatis magnis rationibus ſibi perſuaſerunt, à ſolo literali, aut hiſtorico ſenſu, inefficax argumentum necti, cùm uiderent bonam euangelicæ œconomiæ partem in iis locis, à ſanctis auctoribus collocari, quæ illic, unde proferuntur, ſuos quoque hiſtoricos ſenſus apertos habeant, protinus ad multiplicem hunc literalem intellectum uel inuiti confugiunt. Verùm, quàm familiare fuerit ſanctis auctoribus, etiam in rebus grauiſsimis, non ab hiſtorico & literali ſenſu modò, ſed à myſtico quoque & allegorico, ſuas rationes & argumenta nectere, ſi rectè aduertiſſent, potuiſſent cognoſcere. Itaque Paulus cùm de Euangelici muneris præmio in epiſtola ad Corinthios ſcriberet, nulla alia ratione Euãgelicum prædicatorem, pro Euangelico labore, diuino iure remunerandum ſuadet, quàm quòd olim Deus in lege præceperit boui trituranti non eſſe os alligandum. Quis, inquit, militat ſuis ſtipendiis? Quis plantat uineam, & de fructu eius non comedit? Et quoniam hæ rationes humanæ uidebantur, ſubiungit ſtatim, Nũquid ſecundum hominem hæc dico? id eſt, nunquid humanis tantùm rationibus id aſtruo? an & lex hoc nõ dicit? Scriptum eſt enim, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid, de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hæc dicit? Nam propter nos utique ſcripta ſunt, quoniam debent in ſpe arare, qui arant. Quam eandem rem rurſus quoque allegorica ratione ſubinde demonſtrat, An neſcitis, inquit, quoniam, qui in ſacrario operantur, quæ in ſacrario ſunt edunt? & qui altario deſeruiunt, cum altario participant? ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuere. Rurſus in epiſtola ad Galathas, ubi legalium ceſſationem, quæ res longè grauiſsima erat, perſuadere contendit, non aliam in tantum negocium argumentationem producit, quàm duorum filiorum Abrahæ allegoricum ſenſum. Dicite, inquit, mihi, qui ſub lege uultis eſſe, legem non legiſtis? Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, unum quidem in monte Syna, in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar. Syna enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalem, & ſeruit cum filiis ſuis: illa autem, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Et ſubinde, Nos autem fratres ſecundum Iſaac, promiſsionis filij ſumus, ſed quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc: ſed quid dicit ſcriptura? Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ. Itaque fratres (quaſi attuliſſet efficaciſsimam rationem, concludit Apoſtolus) non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos donauit. Vides toto hoc proceſſu, non aliunde, quàm ab allegorico ſenſu necti rationem? Ex hac deinde epiſtola ad Hebræos, quanti idem Apoſtolus allegoricam argumentandi rationem appenderit, non obſcurè cognoſcitur. Cùm enim Euangelici ſacerdotij excellentiam, & quantum ab eodem Moſaicum deficeret, uiteretur oſtendere, à Melchiſedech ſecerdotio, non literali ſed allegorico ſenſu, argumentum deſumpſit. De quo, inquit, Melchiſedech, grandis nobis eſt ſermo, & interpretabilis ad dicendum. Per quæ uerba (ut ſtatim dicemus) non alium, quàm allegoricum ſenſum innuebat apoſtolus. Et poſtea, Hic enim Melchiſedech, rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abraham. Primum quidem qui interpretatur Rex iuſtitiæ: deinde autem & rex Salem, quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem uitæ habens; aſsimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Grauiſsima profectò res erat Aaronitici ſacerdotij ceſſatio, ex qua legis quoque Moſaicæ ceſſatio pendebat, quòd ſcilicet translato ſacerdo-

Sancti auctores quãdoque ab allegorico ſenſu rationes ducunt.

2. Corin. 9.

Deut. 25.

Gala. 4.

Hebr. 5.

Hebr. 7.

tio

tio neceſſe ſit continuò, ut & legis translatio fiat: & tamen non literali ſenſu, ſed hoc allegorico, non gentibus, ſed Iudæis, eiuſdem legis & ſacerdotij cultoribus, à Paulo ſuadetur.

Valent ergo non modò à literali, ſed à myſtico quoque ſenſu productæ rationes, quanuis non à quocunque, ſed quæ à ſemel iam recepto & approbato nectuntur. Nam à myſtico ſenſu, quem ſibi quis uoluntariè confinxit, producta argumenta, ualere non dicimus. Atque hoc eſt, quod forſan Auguſtinus intelligere uoluit, cùm dixit, à ſenſu literali tantùm efficax argumentum deſcendere. Immo uerò tantum abeſt, ut à ſenſu myſtico pro confirmanda fide rationes non ducantur, ut apud Hebræos, literalis ſenſus myſtico illo, quem intus includit, debilior cenſeatur. Vnde eundem eorum ſapientes דבר גדול dabbargadol, ideſt uerbum grande; ſenſum uero literalem דבר קטן, dabbar chaton, ideſt uerbum paruum, nunc quoque uocant Nec immeritò, quando principalis ſenſus ab omnibus dicitur, in quem mens auctoris, quaſi in finem dirigitur: aridas autem illas ueteris teſtamenti hiſtorias, à Spiritu ſancto ſcripturarum auctore, non fuiſſe propter ſe intentas, uel ipſa ratio nos docere poteſt. Finis enim legis Chriſtus, & omnia in figura contingebant illis. Quæcunque igitur toto illo ueteri ſæculo contigerunt hiſtoriæ, immo quæcunque eodem floruerunt perſonæ, typi fuerunt, & Chriſti aut ſtatus Euangelici imagines quædam, quibus quemadmodum & uerbis, euangelica prænunciarentur myſteria. Ab eis igitur figuris, quando publica comprobatione tales habebantur, & quando iam ſemel fuerat ſtatutum, earum rerum eſſe typos, non infirmæ & inualidæ, ſed efficaciores quàm ab ipſo literali & hiſtorico ſenſu producuntur rationes.

A quo myſtico ſenſu productæ rōnes urgeāt.

Cōtra Vincē. Donat.

Petrus Galatin.

Rom. 10.

1. Cor. 10.

Auguſt. lib 1. de Do ctri. chriſt.

Ergo, ut iam ad rem ueniamus, cùm nihil in ueteri illo populo, uulgatius haberetur, quàm Salomonem, qui & nomine ipſo pacem ominabatur, Chriſti gerere typum, & incredibilem illam fœlicitatem, quæ eodem rege contigerat, Euangelici ſæculi figuram exprimere, adeò, ut & pſalmi, qui de Salomone ſecundum hiſtoricum & literalem ſenſum canebantur, quales ſunt 44, & 71, & alij quidam, de Chriſto quoque futuro, quem Meſsiam propriiſsimè dici, Iudæorum ſapientes firmiſsimè ſtatuerant, canerentur; quid mirum ſi Paulus ad homines arguens, ex ipſo typo ac recepta figura argumentum conſtruxerit? Sciebat profectò Salomonem peccatis exceptis, diuinitus futuri Chriſti datam fuiſſe figuram, atque adeò, ab eo, quaſi ab expreſſa imagine, cum magna efficacia, ad Chriſtum ipſum rationem proferri. Sic cùm multa Daniel de Antiocho Epiphane, intelligentia literali prædixerit, eadem tamen, ut antea docuimus, ad Antichriſtum, quem quaſi typū Epiphanes expreſsit, in Euangelica hiſtoria à Chriſto referuntur. Sic olim, cùm literali & hiſtorico ſenſu, de Iſraëlitico populo, Deus per Oſeam prædixerit, Ex Aegypto uocaui filium meum. Matthæus tamen id ipſum uaticinium, ad Chriſtum arripuit; in quem locum Hieronymus, Calumniatur, ait, Iulianus apoſtata, & dicit, hunc locum Matthæum tranſtuliſſe, ut ſimplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui breuiter nos reſpondemus, Primùm, Matthæum Euangelium ſuum hebræis literis edidiſſe, quod non poterant legere, niſi ij, qui Hebræi erant: ergo non propterea edidit, ut illuderet Ethnicis. Sin autem Hebræis uoluit illudere, aut ſtultus, aut imperitus fuit: ſtultus, ſi apertum finxit mendacium; imperitus, ſi non intellexit, de quo dicerentur. ſtultitiam ipſum uolumē excuſat, prudenter ordinateque compoſitum. imperitum non poſſumus dicere, quem ex aliis teſtimoniis ſcripturarum, ſcientiam legis habuiſſe cognoſcimus. Supereſt, ut illud dicamus, quod ea, quæ typicè præcedunt in aliis, iuxta ueritatem & impletionem referantur ad Chriſtum, quod apoſtolum in duobus montibus Syna & Sion, & in Sara, & Agar feciſſe cognouimus. Non enim non eſt Syna mons, & non eſt Sion, non fuit Sara, & non fuit Agar: quia hæc ad duo retulit teſtamenta. Sic igitur, quod ſcriptum eſt, Paruulus Iſraël & dilexi eum, & ex Aegypto uocaui filium meum, dicitur quidem de populo Iſraël, qui uocatur ex Aegypto, qui diligitur, qui eo tempore poſt errorem idolatriæ, quaſi infans & paruulus eſt uocatus, ſed perfectè refertur ad Chriſtum. Hactenus Hieronymus.

Dan. 8.

Oſee 11.

Math. 2.

Atqui huc pertinere arbitror eorum ſententiam, qui duplicem quidem ſenſum literalem huic & ſimilibus locis inducunt, ſed unum, qui ſit alio principalior, id eſt, qui

Declaratur eorum ſen-

tentia qui cùm duos eiuſdē loci ſenſus literales admittāt, unū tamē altero magis principalem dicunt.

qui per alium, quaſi per typum fuerit ſignificatus. Neque enim aliud inter nos & hos puto eſſe diſcriminis, quàm, quòd ſecundum illum ſenſum, cùm ſit uerè myſticus & typicus ſenſus, magis tamen principalis, & magis à Spiritu ſancto intentus, atque ideò multò in argumenratione potentior, literalem appellat, metu nimirum eius, quod antea diximus, ne uidelicet Apoſtolica & Euangelica ratio arguendi redderetur infirma. Verùm non erat illic trepidandum, ubi non erat timor, niſi & epiſtolam ad Corinthios utranque, ad Galathas, & hanc ad Hebræos, immo totius noui teſtamenti maiorem partem, quæ tot allegoricas argumentationes frequentiſsimè amplectitur, peſſundare uelint.

Nicol. Lyr.

Dilvebat horum dubitatorum obiectionem, non prorſus inter Eccleſiaſticos ſanctarum ſcripturarum interpretes, ut illi putant, poſtremus, iam olim Nicolaus Lyran. ſi tamen uoluiſſent attendere. Sciendum, ait, quòd nihil poteſt eſſe figura alicuius, niſi in ſe ſit res aliquando: illud enim, quod nihil eſt, non poteſt aliquid figurari. Et ideò res, quæ eſt figura, uel ſignum alicuius, poteſt tripliciter conſiderari. Vno modo ut res tantùm, alio modo ut ſignum tantùm, tertio modo, ut res & ſignum ſimul. Vt circulus pendens ante tabernam, poteſt conſiderari, prout eſt corpus rotundum, tantùm; ſecundò, ut eſt ſignum uenditionis uini tantùm; tertio utroque modo. Eodem modo dicendum eſt de Salomone, qui fuit figura Chriſti, quia aliqua conueniunt ipſi Salomoni ſecundum ſe, & talia exponenda ſunt de ipſo ad literam, & nullo modo de Chriſto: ut quòd depr auatus per mulieres allenigenas, factus ſit idololatra & ſimilia. Aliqua autem dicuntur de Salomone, prout fuit figura Chriſti tantùm, & talia ſunt exponenda de ſolo Chriſto ad literam. Sicut illud, quod habetur pſal. 71. Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarum. quod non poteſt uerificari de Salomone, cuius regnum fuit ſatis paruum, ſed tantùm de regno Chriſti, qui eſt lapis abſciſſus de monte ſine manibus, & impleuit uniuerſam terram, Danielis 2. Et ideò pſalmo prædicto ſub nomine Salomonis deſcribitur monarchia Chriſti. Hoc etiam patet per illud, quod ſequitur in eo pſalmo, Ante ſolem permanet nomen eius: & illud, quod ibidem dicitur, Adorabunt de ipſo ſemper. quæ ſoli Chriſto conueniunt, & non Salomoni. Aliqua autem dicuntur in ſcriptura ſacra de Salomone, utroque modo, uidelicet ſecundum ſe, & ut fuit figura Chriſti; & talia ſunt illa, quæ impleta ſunt in utroque ad literam: in Chriſto tamen perfectius & in Salomone minus perfectè, & talia exponuntur ad literam, non ſolùm de Salomone, ſed etiā de Chriſto, & perfectius quàm de ipſo Salomone. Cuius modi eſt hæc auctoritas 1. Paralipom. c. 22. Ego ero illi in patrem & ipſe erit mihi in filium. quia Salomon filius adoptiuus, per gratiam ſaltem in principio regni ſui fuit. propter quod Nathan propheta uocauit eum amabilem domino. Chriſtus autem filius eſt Dei naturalis, quæ eſt filiatio perfectior, & ideò per hanc filiationem probat Apoſtolus conſubſtantialitatem filij ad patrem, cùm dicitur, Ego ero illi in patrem, &c. Hactenus Lyranus. Cuius uerba ram prolixè huc adducere libuit, quòd pulchrè mihi totam eam calumniam eliſiſſe uideatur, niſi quòd locum hunc de Salomone & de Chriſto, literali & hiſtorico ſenſu intelligi docet, cùm alterum alterius figuram & typum fuiſſe, ingenuè fuerit antea confeſſus. Nam ſi Salomon Chriſti fuit typus & figura, typicè ergo & figuratiuè de Chriſto illa uerba intelligantur oportet, non item literali & hiſtorico ſenſu. Sed credo ideò eum, locum iſtum de Chriſto literali ſenſu accipi crediidiſſe, quòd eam opinionem perſuaſam haberet, quæ docet, à ſolo literali & hiſtorico ſenſu efficax poſſe necti argumentum, quale hîc Paulus uidetur conficere.

Quinta obiectio. Cantan.

Accvsant deinde huius epiſtolæ auctorem, quòd urnam, in qua erat manna, & uirgam Aaronis, ſub ſtatu Moſaico, olim in arca fœderis repoſitas doceat. quod inde deriuatum, ut ſibi uidetur, non leuiter ſuſpicantur, quòd is auctor tertium librum Regnorum non legerit, in quo tantummodò tabulas decalogi in arca fœderis repoſitas

3. Reg. 8.

fuiſſe apertiſsimè ſcribitur. In arca, ait, non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſraël, cùm egrederentur de terra Aegypti.

Dilutio.

Vervm nos, pro huius epiſtolæ auctore, qui tametſi Paulus non fuiſſet, quòd fuerit tamen uir præter Apoſtolicam ſanctitatem doctiſsimus, neque ipſe Eraſmus negare po-

tuit,

tuit, huic arrogantiſsimæ calumniæ reſpondemus. Primò quidem, quod nec ipſis accuſatoribus diſplicuit, non fuiſſe quidem intra arcam urnam illam, & uirgam, ſed ſolas tabulas, ut Regum hiſtoria præſcribit; fuiſſe tamen in arcæ crepidine aut latere: ubi credendum eſt, cæteras quaſque eius gentis reliquias, durante priori templo, aſſeruatas fuiſſe: quemadmodum & intra ſacrarium quidem, nos tantùm corpus Chriſti recondimus: in pyxidum uerò, aut arcæ, qua ſolum Chriſti corpus continetur, crepidine, ſanctas ac uenerabiles ſanctorum reliquias conſeruandas reponimus.

Respondemvs ſecundò, uerum fuiſſe, eo ſæculo, quo arca à rege Salomone fuit in templum delata, tantùm fuiſſe tabulas decalogi, cæterùm, poſtea urnam quoque ac uirgam, cum eidem genti hæc eſſent ſacroſancta, Pontificum ordinatione, arcæ quoq; acceſſiſſe. neque enim ea in arca reponi lex ulla uetabat. immo uerò de iiſdem coram domino reponendis, præceptum habebant. Sume, inquit, Moſes ad Aaron, de manna loquens, tibi uas unum, & mitte tibi man, quantũ poteſt capere Gomor, & repone coram domino, ad ſeruandum in generationes ueſtras: ſicut præceperat Dominus Moſi, poſuitque Aaron in tabernaculo reſeruandum. Et rurſus de uirga Aaronis, Dixitque Dominus ad Moſem, Refer uirgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, & ſeruetur ibi in ſignum rebellionis filiorum Iſraël, ut quieſcant querelæ eorum à me ne moriantur. Profectò ego non uideo, quo alio in loco duæ illæ uenerandæ ſanctitatis reliquiæ, quibusque diuina beneficia ad memoriam reuocanda erant, coram Domino reponi debuiſſent, quàm in arca fœderis. Nam & id Hebraica illa phraſis, coram domino, ſignificare uidetur, id eſt, coram propitiatorio, ubi dominus Pontifici maximo reddebat oracula. Atque huic ſententiæ ſecundæ uidetur applaudere locus ipſe, quem iſti ex libris Regnorum proferunt. Quid enim opus erat dicere, illo tempore, nihil fuiſſe in arca fœderis, præter duas tabulas lapideas, quàm auctorem eius hiſtoriæ, lectorem aduertere, tunc, quando à Salomone in templum arca introducta eſt, non omnia fuiſſe in ea, quæ ſuo iam ſæculo, cura & diſpoſitione Pontificum, repoſita fuerant? Vides ergo facilius has calumnias, quibus tamẽ certiſsimum ſibi triumphum auctores ſpoponderunt, dilui, quàm fuerint excogitatæ? Sed ad alia. Exod. 16.

Accvsant iterum eundem auctorem ignorantiæ linguæ Hebraicæ, quòd ſcripturam Exod. 24. adducens, ubi de pacto loquitur cum Iſraëlitico populo inito, ad teſtamentum torſerit; quaſi teſtamentum & pactum ſint idem, cùm contrà teſtamentum ſit morientium, pactum uerò uiuentium. Sexta obiectio.

Vervm ſi hoc ita eſt, epiſtolæ ad Rom. & Corin. & epiſtola ad Galathas, quæ apertè teſtamento utuntur pro pacto, prorſus, quaſi hominis ignorantis, & ſtupidi, erunt abiiciendæ. Optabam, inquit, Paulus ego ipſe eſſe anathema pro fratribus meis, qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa. Et ad Galathas, Hoc autem teſtamentum, confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit, ad euacuandum promiſsionem. Et poſtea, Scriptum eſt, inquit, quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alterum de libera: ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſsionem. quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, unum quidem, in monte Syna, in ſeruitutem generans, &c. ubi nihil aliud duo teſtamenta uocat Apoſtolus, quàm duas illas promiſsiones. Ad Corinthios autem ita, Ego, inquit, accepi à Domino, quod & tradidi nobis, quoniam Dominus Iesvs, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens, fregit, & dixit, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque biberitis, in meam commemorationem. Quibus locis, uides teſtamentum, pro pacto accipi, pro lege, inquam illa Moſaica, quæ Hebraica lingua ברית berith, id eſt, fœdus, aut pactum, in tota ueteri ſcriptura uocatur, quo pacto & Pythagoras olim, ſua uiuendi præcepta διαϑήκας, id eſt, teſtamentũ uocabat. Immo uerò habes eo loco Apoſtoli ad Corinthios, nomine etiam teſtamenti, locum hunc Exod. 24 de cuius abuſu iſti queruntur, à Chriſto allegari. Alluſit enim illo loco Chriſtus ad Moſaicum illud fœdus, quod ſanguinis aſperſione fuit illo loco confirmatum, ita ut, qui huius epi- Dilutio. Rom. 9. Gala. 3. Gala. 4. 1. Cor. 11.

ſtolæ

ſtolæ auctorem, quicunque fuiſſet ille, in hac parte calumniatur, calumnietur etiam
Chriſtum, qui in ſanguinis porrectione, teſtamentum malè uſurparet pro fœdere. Ne-
ſcio cur ij homines, qui tam fœliciter in Hebraica lingua profecerunt, ut & cum Apo-
ſtolo Paulo, qui ad pedes Gamalielis educatus, ſupra multos coætaneos ſuos, in Iu-
Gala. 1. daiſmo profecit, certare audeant, totam ueteris teſtamenti ſcripturam, quæ penè per-
petua conſtantia nomen ברית berith, non pactum, aut fœdus, ſed teſtamentum con-
Nume. 14. uertit, quaſi ineptam & falſam non prorſus abiiciant. Nam præter hoc, quòd arca
& 11. fœderis, arca teſtamenti uocatur ſunt pluſquàm triginta loci, in quibus eadem dictio,
pro lege ipſa Moſaica ſumpta, ab omnibus ſacris interpretibus teſtamentū conuertitur.
Quòd ſi Hieronymum, aut illum, quicunque fuerit, quem uelint eius uerſionis, quam
nunc habemus, auctorem fuiſſe, reliquosque interpretes Hebraicæ literaturæ ignaros,
cauſentur, habemus Ieſum filium Sirach, quem literas Hebraicas neſciiſſe, quanuis
ij dicerent, non eſſet credibile, qui frequentiſsimè, teſtamento pro pacto utitur, & lo-
cos ueteris ſcripturæ, ubi dictio illa Hebraica, quæ fœdus ſignificat, ponitur διαθήκη,
Eccl. 14. id eſt, teſtamentum conuertit. Memor eſto, inquit, quoniam mors non tardat, & te-
ſtamentum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi. teſtamentum enim huius mundi
morte morietur. Teſtamentum inferorum, non aliud fœdus, quàm, quod cum morte
pepigimus, intelligit Sapiens. Teſtamentum uerò mundi morte mori docet, quòd cum
ipſo uitæ fine, cuncta noſtræ uitæ fœdera, & quidquid cum ipſo mundo commercij ha-
bebamus, confeſtim intercidat. Recenſens deinde ſingula beneficia, quæ diuino mu-
nere mortales acceperant, poſt multa, Teſtamentum, inquit, æternum conſtituit cum
illis: iudicia & iuſtitiam ſuam oſtendit illis. Vbi apertiſsimè teſtamentum, pro lege;
Eccl 44. quæ fœdus in ſcriptura uocatur, accipitur. De Iſaac etiā loquens, Benedictionem, ait,
Gene. 2. omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput Iacob, ubi
& 13 22. 23. 28. teſtamentum, nihil aliud ſignificat, quàm pactum illud, quod cum Abraham, Iſaac,
& Iacob, Deus pepigerat, quòd in ſemine eius benedicerentur omnes gentes. Idemque
Eccl. 45. de Phinees, In bonitate, inquit, & alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſrael, ideò ſta-
tuit illi teſtamentum pácis, principem ſanctorum & gentis ſuæ fecit illum, ut ſit illi &
ſemini eius ſacerdotij dignitas in æternum. Quo loco nihil aliud Eccleſiaſtici libri
auctor inſinuat, quàm fœdus illud, quod fuit cum Phinee propter occiſum ſcortato-
Num. 25. rem, qui contra Dei legem, cum Madianitide cubabat, de ſempiterno ſacerdotio,
tum ſibi, tum ſemini ſuo donando, percuſſum. Ecce (inquit) do ei pacem fœderis
mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius, ſacerdotium ſempiternum, quia zelatus eſt
pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſraël. Septuaginta interpretes præterea, per-
petuò dictionem ברית berith, διαθήκην, id eſt, teſtamentum conuertunt.

MVLTA in eam rem ex Hebræis auctoribus poſſemus congetete, niſi Hieronymi ſen-
tentiam apud Chriſtianos omnium Rabinorum auctoritate maiorem ctederemus.
Hiere. 31. Is ergo in illa uerba Hieremiæ, quæ hoc loco Paulus adducit, Ecce dies uenient, dicit
Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus nouum, &c. Cum uidiſſet à
Paulo, dictionem Hebraicam berith, non fœdus, ſed teſtamentum connetti, ſic inquit;
Quòd autem pactum pro teſtamento ponimus, Hebraicæ ueritatis eſt, licèt teſtamen-
tum rectè pactum appelletur, quia uoluntas in eo atque teſtatio eorum, qui pactum
ineunt, continetur. Hactenus Hieronymus. Igitur quòd interueniat mors ineuntis
fœdus, non tollit fœderis, aut pacti initionem, ut iſti arbitrantur, & tamen putant
iidem, non poſſe hoc pacto paciſci. Si intra menſem moriar, ſit tibi equus meus: ſi
autem uixero, mihi ſeruabitur, aut aliquid ſimile.

Septima obiectio. SVNT demum, qui prorſus eandem epiſtolam neque Pauli, neque canonicam, neque
ueram doctrinam continere arbitrentur. Quòd apertè, ut eiſdem uidetur, Montani,
& Nouati errori fauere uideatur, dum inquit, Semel ad Chriſtum conuerſos, ſi iterū
Hebr. 6. relabantur, per ſeram etiam pœnitētiam, non poſſe reparari. Impoſsibile eſt, inquit,
eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti
ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei uerbum, uirtutesque ſæculi
Heb. 10. uenturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam. Et alibi, Voluntariè enim
peccantibus, poſt acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia:
terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio; quæ conſumptura eſt
aduerſarios.

aduerſarios. Hæc, aiunt, uerba, neque doctrinæ Pauli, neque aliorum apoſtolorum, multoque minus Chriſti dicentis, Venite ad me omnes, &c. conuenire uidentur. Quî enim tam amarulenta & formidanda ſententia ab ſpiritu Paulino profecta credatur, qui tertio quoque uerbo, gratiæ, miſericordiæ, clementiæ, & pœnitentiæ, inter omnes Apoſtolicos uiros, prædicator extiterit?

Matthias Flaccius Illyr. Ioã. Vigandus & cæteri. Cent. 1. lib. 2. cap. 4.

Verum, neque hic hæreticus cauillus obtinere poterit, quò minus & hæc epiſtola ſit Pauli, & canonica, & omnia, quæ in illa continentur, ſint ſacroſancta. nam ſi uel unum mendacium in ſe continet, non erat cur eandem tum alibi frequentiſsimè, tum uerò in ſacerdotij & Euchariſtiæ demolitione, non modò ſacramentarij, ſed ij etiam, qui hæc ſcribunt, ad Eccleſiaſticam & ueterem doctrinam ſubuertendam, Papiſtis obiicerent. Sed quantam cum Apoſtolica & Euangelica fide ij loci Paulini, quemadmodum & alij omnes, analogiam conſeruent, ſingillatim explicemus iam paucis.

Dilutio. *Coarguuntur hæret.*

Et in primis, uideo non modò Græcorum ſed quorundam etiam Latinorum ſententiam, in id inclinaſſe, ut hoc primo loco, non pœnitentiæ, ſed baptiſmi tantùm repetitio negetur. Non intelligunt, ait ad quoſdam, qui hunc locum obiiciebant, Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, Paulum, duntaxat hoc loco uerba facere de peccatorum remiſsione ac pœnitentia, quæ per baptiſmum habetur: qui quoniam unus eſt, nec iterari poteſt; pœnitentia quoque cum baptiſmo ſuſcepta, unica eſt & ſemel recipienda. Hactenus Cyrillus. Epiphanius etiam contra Catharos diſputans, his uerbis Apoſtoli recitatis, Chriſtus, inquit, non amplius crucifigitur, neque poteſt quis ſecundum lauacrum accipere. unum enim eſt baptiſma, & una innouatio. Theophilactus, eadem uerba interpretans, Non dixit, inquit, Paul. quòd inutile ac indecorum, ſed impoſſibile, ut ad deſperationem eos inijciat, ne denuo ſperent ſe baptiſma conſequi poſſe. Et rurſus, in ea uerba, Renouari ad pœnitentiam, Quid igitur? eiecta eſt pœnitentia? haudquaquàm, ſed per ſecundum baptiſma renouatio eſt reiecta. Renouatio enim ſacri eſt lauacri, perinde ac Propheta dicit, Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Pœnitentiæ uerò eſt à uetuſtate liberare, ac firmos fortesque facere. ad illum igitur ſplendorem ducere, non licet relapſos, ubi præter gratiam nihil eſt. Ad pœnitentiam igitur, inquit, quæ eſt ex baptiſmate. Primùm enim quiſpiam ducitur pœnitentia ob tranſactam uitam, deinde baptizatur, perinde ac ipſe prædixit, Pœnitentiæ ab operibus mortuis. Manifeſtum autem eſt ex præcedentibus, quòd propter baptiſmi reiterationem hæc dicit. Recrucifigentes ſibi filium Dei. Baptiſma crux eſt: ſimul enim crucifixus eſt noſter uetus homo, ac ſimul inſiti ſumus ſimilitudini mortis eius. Et rurſus, Conſepulti ſumus ipſi per baptiſma. qui igitur ſecunda uice baptizatur quantum in ſe eſt, rurſus cruci Chriſtum affigit: atqui hoc abſurdum eſt. ſemel enim mortuus eſt, & reſurrexit, & mors in eum, porrò non dominabitur. Non igitur ſecundò baptiſma, quandoquidem nec ſecundò crux fit. Et paucis interpoſitis, Duabus itaque rationibus rem impoſsibilem eſſe dicit Paulus baptiſmatis nempe reiterationem; altera quidem quòd indignus eſt, qui tantis bonis donatus ſit, ac omnia ea perdiderit, rurſus iiſdem frui: altera uerò horribiliori multò, quòd uidelicet impoſsibile ſit filium Dei recrucifigere. Hactenus Theophilactus. Qui totam eam interpretationem ex Chryſoſtomo accepiſſe uidetur. Theodoritus Cyrienſis Epiſcopus eundem ſenſum ſequutus, ita etiam paraphraſticè eadem uerba interpretatur. Impoſsibile eſt, &c. Non, inquit, fieri poteſt, ut, qui ad ſanctiſsimum baptiſmum acceſſerunt, & gratiæ diuini Spiritus participes fuerunt, & æternorum bonorum figuram acceperunt, rurſus accedant, & alium baptiſmum aſſequantur. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm filium Dei rurſus crucifigere, & eadem, qua prius affectus eſt, rurſus ignominia afficere. Sicut enim ipſemet paſsionem ſuſtinuit, ſic etiam ſemel oportet eius eſſe cum eo participes. Vnà autem cum eo per baptiſmum conſepeliri, & unà cùm reſurgimus. Fieri ergo non poteſt, quòd dono baptiſmi rurſus fruamur. Chriſtus enim, qui ſurrexit à mortuis amplius non moritur, mors illius ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, ſemel mortuus eſt: quòd autem uiuit, uiuit Deo. Vetus quoque noſter homo, una crucifixus eſt mortis figura, in baptiſmo ſuſcepta. Et ſubinde, Hæc autem dixit diuinus Apoſtolus docens Iudæos, qui crediderunt, ne exiſtimarent ſanctiſsimum baptiſmum eſſe ſimilem baptiſmis Iudaicis: illi enim non ſoluebant peccata, ſed cor-

Proponuntur uaria priorū loci expoſitiones. *Cyril. li. 5. in Io. c. 17.* *Epipha. hæreſ. 59.* *Theophil. in epiſt. Hebr.*

poris ſordes, quæ nidebantur, purgabanr. Qua de cauſa & multa & frequenter adhibebantur: hic autem unus eſt, ut, qui ſalutaris paſsionis & reſurrectionis typum habeat, & futuram reſurrectionē nobis antea deſcribat. Hactenus Theodoritus. Oecumenius autem Conſtantinopolitanus, eandem interpretationem imitatus, Non dixit Paul. ait, Difficile eſt, ſed impoſsibile. guſtaueruntque donum cœleſte, remiſsionis ſcilicet peccatorum, quæ fit in baptiſmate, ſiquidem hoc donum cœleſte eſt, & participes facti fuerunt Spiritus ſancti, per manuum ſcilicet impoſitionem, ſicut dixit ſuperius. Hactenus Oecumenius. Aliaque complura in eandem ſententiam. Haymo etiā Halberſtatenſis inter Larinos interpretes non poſtremns, maximusq; Latinorum patrum Ambroſij, Auguſtini, &c. imitator, eundem ſenſum legitimum putat, in hæc uerba ſcribens, Impoſsibile eſt, inquit, iterum renouari poſſe eos per pœnitentiam, & per baptiſmum, qui poſtquam omnia, quæ ſuperius memorata ſunt, perceperunt, relapſi ſunt ad immunditiam criminalium peccatorum, aut etiam ad infidelitatem. Non dicit difficile eſt, ſed impoſsibile. Quod enim difficile eſt, utcunque poteſt agi, impoſſibile uerò eſt, quòd nullo modo poteſt fieri. Hactenus Haymo. Itaque uniuerſi iſti compluresque alij, tum ex Græcis, tum ex Latinis, non quancunque pœnitentiam impoſsibilem eſſe credunt, à Paulo decerni, poſt ſemel acceptum baptiſma, ſed eam, quæ cum ipſo baptiſmate, condonat uniuerſa.

Huius ſententiæ fundamenta.

NITVNTVR autem hanc ſentenriam ueram comprobare ex multis uerbis, qnæ loco illi Paulus inſeruit. Primò nanque, non quoſcunque Paulus per pœnitentiam poſſe renouari, dicit impoſsibile, ſed eos, qui iam ſunt illuminati, ideſt baptizati. Conſtat autem ueteres ſacramentum baptiſmi ſacramentū illuminationum appellaſſe, ut patet

Vide titulū e 2. Eccleſ. hiera. apud Dionyſiū.

ex Dionyſio Areopagita, & cæteris Græcis, qui poſt ipſum ſcripſerunt, atque id prorendunr faſces aut lucernæ, quæ baptizatis donantur. Confert etiam eidem ſententiæ ingentem probabilitatem, uerbum Renouandi, quòd rantùm ſacramento baptiſmi ab omnibus Chriſtianis tractatoribus conuenire decernitur. Saluos nos fecit, inquit idem

Ad Tim. 3. Chryſoſt. in homi. huius loci. Auguſt. in epiſt. ad Roman. Ambr. 2. de pœni. c. 2.

Paul. per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti. Renouari, ait Chryſoſt. eſt nouum fieri: id autem contingit in baptiſmo, nbi ſemel deponitur homo uetus, cnm actibus ſuis & exit à lauacro noua creatura. Er Auguſt. Eos, inquir, qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renouari, quia renouatio in baptiſmo eſt. Quod & antea paulò prolixioribus uerbis norarat Ambro. Nituntur deinde in uerbo, Rurſus crucifigentes filium Dei: & oſtentui habentes. Quòd in omnibus locis, quos ex his auctoribus citauimus, adnertere licet. Fructus, aiunt, paſsionis & ſepulturæ Chriſti potiſsimè in baptiſmo percipitur, hocque ſacramento propriè auctore Paulo, & Chriſto commorimur, & conſepelimur: & rurſus deuicta morte peccati,

Rom. 6.

in nouam uitam cum illo reſurgimus. Itaque ſicut ad Rom. ſcribit idem ſanctus Apoſt. omnes baptizatos in Chriſto in morte ipſius baptizatos eſſe, & per baptiſmum cum eodem conſepultos & commortuos peccatis ſuis, & complantatos in ſimilitudinem mortis eiuſdem, ita nunc ſibi per omnia conſentiens, inquit, Recrucifigere Chriſtum, & eundem ludibrio exponere, quicunque baptiſmum iterant, ac proinde non irritam modò & infructuoſam, ſed mortiferam & exitialem eſſe ſecundam baptiſmi tinctionem: quippe quæ nihil aliud ſit, quàm iterata quædam traductio ſeu infamatio Chriſti. Vrgent etiam præcedentia & ſequentia, quæ omnia uolnnt huic ſenſui planiſsimè applaudere. Dixerat enim prius Apoſtolus, non rurſus iaciendum eſſe fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, bapriſmatum doctrinæ, &c. Poſt hæc etiam uerba, de quibus eſt controuerſia, ſubinngit, Terra ſuper ſe uenientem bibens imbrem, ac germinans herbam; illis, à qnibus colitur, accipır benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas ac tribnlos reproba eſt ac maledicto proxima: Quæ uerba nihil aliud eſſe uolunt, quàm præcedentis ſententiæ, qua dixerat, impoſsibile eſſe homines, ſemel baptizatos, rurſus renouari baptiſmali pœnitenria, confirmationem quandam ac corroborationem. Ac ſi planè diceret, Mirandum non eſſe, ſi Deus nullum baptiſmum ſtatuerit, quo lapſi renouari queant, cùm terra quoque, quæ uenientem ſuper ſe bibens imbrem, herbam opportunam ſe colentibus germinat, à Deo benedicatur, quæ uerò tribulos & ſpinas profert, reproba ſit. & adeò in digna ſecnnda imbris ſalutaris ſuperinfuſione, nt potius combuſtione finienda ſit. Volunt demum ij interpretes,

ſummè

ſummè hunc ſenſum, ideò cum Paulina mente congruete, quòd eam epiſtolam, non ad quoſcunque, ſed ad Hebræos ſcriberet, qui cùm plurimis, ut dicebat Theodoritus, baptiſmatibus uterentur, eaſdemque ablutiones ſubinde repeterent, putabant baptiſmi confidentia, in quo docti fuerant, uniuerſa delicta per Chriſti paſsionem ſepeliri, peccandum: quam falſam perſuaſionem his uerbis ab eorum mentibus Paulus exterminat.

His itaqve, facilè noſtrorum hæreticorum, qui hanc epiſtolam, cum Nouato facere nobis obiiciunt, calumnias eludunt, dicentes Paulum auctorem huius epiſtolæ, non quamcunque pœnitentiam, poſt illuminationem, ſuſceptumque baptiſmum impoſſibilem dicere, ſed leuem eam, quæ uniuerſa delicta condonabat, quam quòd eam quaſi diſpoſitionem ſupponat baptiſmus, baptiſmalem uocamus. Sed præſtat eorum uerba referre ne hæretici noſtri arbitrentur ſe primos huius calumniæ inuentores extitiſſe. Sic itaque in ea uerba, Rurſus renouari, &c. Theodoritus ſcribit, Nouatiani hæc uerba in aciem producunt, aduerſus ueritatem, non intelligentes, diuinum Apoſt. non prohibuiſſe medicamenta pœnitentiæ, ſed diuini baptiſmatis diffinitionem docuiſſe. Vnde ſubiunxit, Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei & traducentes, ac ignominia afficientes. Diuinum enim myſterium ignominia afficere, eſt eiuſdem bis, eſſe participem. Hactenus Theodoritus. Oecumenius autem in eadem uerba, Abiecit ne pœnitentiam? abſit, quemadmodum habet diuus Cyrill. 6. uolum. ſecundæ partis latriæ, quod eſt in ſpiritu & ueritate, ſed abiecit pœnitentiam, quæ eſt per baptiſmum. oportet enim primùm præcedere pœnitentiam, ad renunciationem prauarum actionum, & ita baptizari. Illam itaque pœnitentiam ait, quæ in baptiſmate eſt. Vnde & tenouare dixit, quod proprium eſt baptiſmatis. Et rurſus, Crucifigentes, quod & hoc proprium eſt baptiſmatis: qui enim baptizantur, unà cum Domino crucifiguntur. qui igitur rurſum uult per alterum baptiſma pœnitere, Chriſtum rurſus crucifigit, eo quòd rurſus unà cum ipſo crucifigatur. Vnde ait, Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei. Nam quid eſt, Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei? & oſtentui exponentes, niſi ab integro ſibimetipſis crucifigentes, & pudefacientes. Quod autem dicit tale quippiam eſt. Semel crucifixus eſt Chriſtus, & nos ſemel unà cum ipſo per baptiſmum. qui ergo opinatur alterum eſſe baptiſmum, quantum in ipſo eſt, ab integro dominum crucifigit. Quid enim aliud facit, qui ſecundò arbitratur per baptiſmum cum eo crucifigi poſſe, quàm quod ipſum quoque exiſtimat crucifigi poſſe, per ea quæ facit? Secundò autem crucifigere Chriſtum, quantum in ipſo eſt, nihil aliud eſt, quàm oſtẽtui exponere ipſum, & pudefacere ipſum. Hæc Oecumenius, aliaque multa in eandem ſententiam. Haymo deinde in eadem uerba, Quid ergo? excluſa eſt ne pœnitentia per baptiſmum & ueniam delictorum? abſit. duo ſiquidem genera ſunt pœnitentiæ, unum quidem ante baptiſmum, quod & præparatio baptiſmi poteſt appellari, de quo ſuperius diximus, iniungi illis, qui inſtruuntur antequàm ad baptiſmum perueniant, quod beatus Apoſtolus hîc excludit, dicens, non poſſe iterum renouari per pœnitentiã, quatenus pœnitentia peracta, iterum baptizentur. Alterum genus pœnitentiæ eſt, quo poſt baptiſmum delentur peccata, quod beatus Apoſt. minimè excludit. Terret ergo omnes, ut timeant poſt baptiſmi gratiam grauioribus peccatis ſe implicare, quia non poteſt fieri ſecunda uice, renouatio per lauacrum baptiſmatis. Nam ſicut Chriſtus, ſemel mortuus eſt & ſemel reſurgens, iam non moritur iterum, ita ſemel gratia baptiſmatis agenda eſt: nec poteſt iterari niſi dubium fuerit, utrum nam quis captus ab hoſtibus ſit baptizatus. Renouari autem dixit, nouum fieri: nouum autem fieri hominem ſacri baptiſmatis eſt, de quo Propheta dicit, Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Impoſsibile eſt, inquit, iterum renouari poſſe aliquem per pœnitentiam, quæ fit ante baptiſmum, ad hoc ut iterum baptizetur pœnitentia expleta. Hactenus Haymo.

Habent ergo hæretici noſtri, à ſanctis auctoribus, tum Græcis, tum Latinis, quò ſenſu huius epiſtolæ auctor Paulus impoſsibile eſſe dixerit, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaueruntque donum cœleſte, &c. rurſus per pœnitentiam renouari. Habent deinde quam pœnitentiam impoſsibilem uocet, atque adeò, quam inualidum quamque enerue ſit eorum telum, quod in eam epiſtolam ſumma confidentia coniiciunt.

Qvanqvam uerò is ſenſus, quòd ab omnibus cùm Græcis, tum Latinis patribus

Secũdus horũ uerborũ ſenſus. *Nicol. Lyr.*

probetur, mihi ualde arrideat: ſunt tamen alij, qui nou minus cum Paulino ſenſu, ſcripturæque phraſi uideantur congruere; ut quod quidam uolunt, hoc loco ſanctum Apoſtolum non de baptiſma, ſed de ea, quæ gratia baptiſmali amiſſa, celebratur pœnitentia, loquentem ad terrorem peccatorum hyperbole uſum. cui ſenſui, & ea uerba, quæ poſt integram cõminationem collocantur, uidentur applandere, Confidimus autem de uobis dilectiſsimi meliora & uiciniora ſaluti. Tametſi ita loquimur, acſi Apoſt. hyperbolicam illã, quam ſpiritus feruore fuderat, comminationem his uerbis leniret. Eſt igitur loci huius hic ſenſus, non quidem uerè eſſe impoſsibilem, poſt ſuſceptum baptiſmum, pœnitentiam, ſed propter eius difficultatem ſummè difficilem. ſolẽt nanque nõ modò ſcripturæ ſacræ, quæ uulgarem rationẽ loquendi ſemper imitantur, ſed ſummi quoque philoſophi, per figuram hyperbolem, res quaſque difficiles impoſsibiles dicere.

Diluuntur quæ in hũc ſenſum à quibuſdam proferũtur.

Nec tamen magna impietas eſt, quod quidam, qui non ſatis in hac parte ſcripturæ phraſes aduertiſſe uidentur, autumant, Paulum apoſtolum huiuſmodi non ueris ſed hyperbolis comminationibus uti, cùm nihil tum in humana ratione loquendi, tum in ſancta ſcriptura ſit hac figura frequentius. dicimus enim de obſtinatiſsimis peccatoribus, qui prauæ uitæ affirmatione & peccandi conſuetudine durent, impoſſibile eſſe eos proiecta uita ueteri, ad meliorem frugem iterato conuerti, non quidem quòd id omnino impoſsibile iudicemus, ſed quòd eorum induratione conſiderata exiſtimemus difficile. in quem ſenſum, multa nobis tum ex ueteri, tum ex Nouo teſtamento, niſi id ocioſum putaremus, producenda fuiſſent. Verùm, quòd ſanctæ ſcripturæ familiare ſit hyperbolicis comminationibus uti, niſi ij, quos proferemus, ſufficiant, ſexcentis locis ſcripturæ conuincitur.

Iſa. 13.

Ecce dies Domini uenit, (inquit Iſaias de Babylonis excidio loquens) crudelis & indignationis plenus, & iræ furoriſque, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum, non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et rurſus, Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo, propter indignationem domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.

Ezech. 33.

Et rurſus apud Ezechielem, Et dabo terram in ſolitudinem, & in deſertum, & deficiet ſuperba fortitudo eius, & deſolabuntur montes Iſraël, eò quòd nullus ſit, qui per eos tranſeat. Et iterum de Aegypti excidio loquens ad Pharaonem,

Ezec. 32.

Et operiam, cùm extinctus fueris, cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas eius, omnia luminaria cœli, mœrere faciam ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit Dominus Deus. Nunquid uerè credendum eſt, tempore quo Babylon per Medos uaſtata eſt, aut quo Hieroſolymæ per Chaldæos ſunt exciſſæ, aut quo Aegyptus à Perſis fuit capta, ſolis, ac ſtellarum ſplendorem ablatum, aut terram loco ſuo motam, aut in ſolitudinem & deſertum contra ſacras & prophanas hiſtorias, quæ ſemper eas prouincias habitatas docent, omnino conuerſam? Vtitur ergo Deus non modò hyperbolicis pro-

Exod. 3.

miſsionibus, ut quando filiis Iſraël terram lacte & melle fluentem ſpondet. ad quod genus pleraque multa, quæ ad ſacrum Euangelicum ſtatum pertinent, ſpectare uidentur, ſed hyperbolicis etiam atque exceſsiuis cõminationibus, quibus ſtupidos ac effrenes peccatores perterreat.

Falſa quorũdam perſuaſio.

Neque uerò, ſicut illi putant, hyperbolicæ comminationes aut promiſsiones, mendacium aut falſitatem includunt, cùm qui audit (ſi tamen ullum habet cum ratione conſortium) rectè quid omnes illæ loquendi rationes ſibi uelint, concipiat: ſcit enim nihil aliud eſſe hunc modum loquendi, quàm eorum, quæ promittuntur, aut comminamur, exaggerationem quandam. Quemadmodum & per contrariam figuram, quam tapinoſim, aut ironiam uocamus, cùm ſcilicet modeſtia quadam inter loquendum, nos, noſtraque deiicimus, nequaquam mentimur. Taliaq; ſunt reliqua, quæ in hunc ſecundum ſenſum iaciuntur, ut quod hìc nolint quidam, impoſſibile pro difficile accipi, quòd Paulus dixerit hoc loco peccantibus nullam ſupereſſe

And. Vega lib. 13. c. 10

hoſtiam. Vnde colligunt Apoſtolum non de quauis, ſed de uera impoſsibilitate loquutum. nam quem ſenſum habeat hic locus, poſtea uidebimus. Vt quòd etiam aiunt hi Paulum, non de quauis impoſsibilitate, ſed de uera loquutum, quòd quibuſdam fidelibus renaſcentia per baptiſmalem undã multò quàm multis Chriſtianis peccatoribus reparatio per pœnitentiam ſit difficilior. Primo enim Paul. hìc non de quibuſcunque peccatoribus, ſed de iis, qui diuini luminis beneficio ſuſcepto, diuinorumque chariſ-

matum unctione delibuti, ſpeque iam ſemel æternæ fœlicitatis obeundæ concepta, non quacunque ratione, ſed obſtinatè delinquunt. horum autem conuerſio, & reparatio, cùm non ex ignorantia ſicut ante baptiſmum, neque ex infirmitate, quæ chariſmatibus iuuabatur, ſed ex mera malitia animique prauitate peccet, quãto ſit, quàm ea, quæ baptiſmum præceſsir, difficilior, nemo eſt qui non uideat. Certè, peruerſi difficilè corriguntur? & res ipſa indicat, hos facilius ad meliorem uitæ frugem conuerti, qui nunquam fuerint cœleſtis cognitionis luce perfuſi, quàm eos, quos diuinæ notitiæ radius excluſa ignorantia iam imbuit.

Eccleſiaſt.

Est itaqve iuxta hanc interpretationem, huius loci legitimus ſenſus, non quidem poſt acceptum baptiſmum pœnitentiam peccatorum eſſe impoſsibilem, quòd Nouatus docebat, ſed propterea quòd nec ignorantia nec infirmitate iam peccent, ſed pura malitia, prorſus eſſe difficilem. Eorum tamen ſententia reprobanda eſt, qui hac hyperbole Paulum uſum docent, ut deſperationem peccatoribus inderet: deſperatio enim (ut rectè Baſilius inquit) non pertrahit ad pœnitentiam peccatores, nec cautiores, aut diligentiores, ſed ſegniores & ſomnolentiores facit. Apoſtolus autem, peccandi licentiam non indulgere, ſed amputare contendit. Vtitur itaque hyperbole Paul. non quò in deſperationem auditores coniiciat, ſed quò tum iuſtos, cautiores reddat, tum uerò peccatoribus ad magis ad iuſtitiam annitendum ſtimulos addat.

Pauli ſenſus iuxta hanc interpretationẽ.

Baſil. homil. 57.

Est et huius loci apud multos nec poſtremos auctores, ille ſenſus legitimus, quò credunt, Paulum hîc, non de difficultate pœnitentiæ, ſed de omnimoda impoſsibilitate ſermonem facere, non tamen poſt quodcunque peccatum, ſed poſt id, quod Ioannes Apoſtolus uocat peccatum ad mortem, ſeu blaſphemiam in Spiritum ſanctum, quam Chriſtus neque hoc ſæculo, neque in futuro remittendam pronuntiat. Eſt autem blaſphemia in Spiritum ſanctum ſeu peccatum ad mortem, quando aperta Dei ueritas conſcientiam conuincit, & tamen impiè audemus contra contendere, cuius rei apud Marcum planiſsimè hiſtoria contexitur; ubi cùm Phariſæi dæmoniorum expulſiones diuinitus patratas apertè uiderent, ſumma tamen animi nequitia & impudentia repugnantes, Chriſti diuinitatem recipere omninò renuebant. Quòd ſi Chriſtus hæc dixit de aliis, qui impij erant, & ſuſcipere ueritatem nolebant, ſed manifeſtam, ita ut negari non poſſet, impugnabant: quid accuſabimus huius epiſtolæ auctorem, quòd illos, qui non externis uerbis aut externis miraculis ſolùm, ſed intus in corde illuminati, donum cœleſte guſtarunt ſpiritu accepto, guſtaueruntque bonum Dei uerbum ac uirtutes uenturi ſæculi, & tamen ab his omnibus retrò labuntur, & blaſphemant gratiam tanto ſpiritus teſtimonio agnitam, hoc loco condemnet, dum dicit, eiſdem pœnitentiam impoſsibilem?

Tertia huius loci interpretatio.

1. Ioan. 5.

Mar. 3.

Hvic autem ſenſui finitimus eſt ille, quo quidam etiam auctores Catholici, hoc loco Paulum de impoſsibilitate quidem abſoluta loqui, libenter fatentur, at non cuiuſcunque, ſed ipſorum peccatorum reſpectu; quibus poſt perditam gratiam, niſi diuini muneris beneficio, reuerti, prorſus eſt impoſsibile. Ea enim impoſsibilia dicuntur, euangelica phraſi, quæ ab hominibus, niſi diuini muneris adiutorio, præſtari non poſſunt, ut quod ait Chriſtus, de bonis operibus loquens, Sine me nihil poteſtis facere. Et rurſus, ſalutis conſecutionem apud homines, quidem impoſsibilem, apud Deum uerò poſsibilem abſolutè pronunciat. Eſt ergo huius loci ſenſus iuxta horum ſententiam, eſſe impoſsibilem, ſi uires humanæ tantùm attendantur, peccatorum conuerſionem, non item ſi diuini auxilij beneficium, quo ſolet etiam dominus deſperatiſsimos quoſque peccatores proſequi. Neque uerò in hunc ſenſum quorundam rationes uideo magnum impetum facere, qui aiunt, primùm, hanc rationem loquendi inconſuetam eſſe ſcripturarum auctoribus. Deinde quòd eodem quoque pacto ſit impoſsibilis prima illa per baptiſmum cuiuſcunque peccatoris conuerſio. Vnde non opus erat Apoſtolum hanc peccatorum conuerſionem, per pœnitentiam, impoſsibilem dicere. Primùm enim falſum eſt, ſcripturas eo modo loquendi non uti, ut ex locis, quos induximus aliiſque compluribus, quis poteſt colligere. Neque magnum eſt piaculum dicere impoſsibile nobis eſſe credere. Ad quod tamen inconueniens nos iſti reducunt, cùm Paulus doceat, fidem donum Dei eſſe, & Apoſtoli poſtulent Chriſtum, ut adaugeat illis fidem, & cùm inter ſpiritus fructus fides numeretur à Paulo, & cùm unicuique Deus di-

Quarta interpretatio.

Ioan. 15.

Luc. 18.

And. Vega ubi ſupra.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Delutio primæ obiect.

Luc. 17.

Gala. 5.

uiſerit menſuram fidei. Vnde non blaſphemiæ impiæ ant cum ſcripturis pugnãtes, ut iſti alioqui uiri docti cenſuerunt, ſunt hæ locutiones, ſed ueræ piæ & catholicæ, & in ſcripturis uſitatæ, quibus dicimus neminem poſſe ſaluum fieri, &c. ſemper enim intel-
Rom. 12. ligitur incluſa conditio, Niſi Deus ſubueniat, &c. Neque tameu ſi quædam, quæ noſtris tantùm uiribus non poſſumus præſtare Euangelica & Apoſtolica phraſi, abſolutè impoſsibilia dicuntur, protinus omnia ſimilia impoſsibilia abſolutè uocanda ſunr, ſed ea, quæ uſus loquendi ſanctorum anctorum ſic uocari permittit. Ergo quanuis Paulus hoc loco impoſsibilem ex uariis ſanctæ ſcripturæ locis, ſine diuini numinis auxilio pœnitentiam pronuntiet, non cogimur fidem, & ſimilia impoſsibilia abſolutè confeſtim
2. obiect. dilutio. uocare. Quod ſecundo loco etiam obiiciebatur primam quoque conuerſionem ſine auxilio diuino impoſsibilem eſſe, hoc habet reſponſum, magnum eſſe utriuſque conuerſionis diſcrimen. In prima enim, cum non ex malitia, ſed ex ignorantia peccetur, multò quàm in ſecunda ſunt abundantiora diuinitus indulta charismata, unde ex parte adiuuantis Dei, eſt conuerſio perinde quoque facilior. Ex parte etiam reſurgentis, cùm diuinam illuſtrationem & gratiam contempſerit, obtuſior eſt etiam ſurgendi appetitus, unde tota quoque conuerſio, pluſquàm illa præcedens difficilis redditur. Et profectò neſcio quis non uideat, eum peccatorem, qui nondum eſt fidei & futuræ fœli-
1. Corin. 2. citatis myſteriis, initiatus, dum ſibi bona, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, proponuntur, quàm illæ, qui cum hæc rectè cognouiſſet, contempſit, feruentius in iuſtitiam contendere.

Paulum nõ de quibuſcunque peccatoribus, ſed de his, qui iam lucem acceptã contemnunt, loqui. Est etiam aduertendũ, in his omnibus, non conuerſionem conuerſioni conferre, ſed conuerſionem peccatorum obſtinatorum, & qui iam in profundũ deuenerunt, cum conuerſione per baptiſmum: hæc enim in quantũuis infidelibus, ſi cum illa conferatur, ubi iam eſt contemptus, eſt profectò leuiſsima. Nam quòd Paul. non de quibuſcunq; peccatoribus, ſed de obſtinatis loquatur, eius uerba & contextus demonſtrare uidentur. De his enim peccatoribus loquitur, qui illuminationem, guſtum doni cœleſtis, participationem ſpiritus, bonum Dei uerbum, id eſt Euangelicam doctrinam uirtuteſque futuri ſæculi, id eſt cœleſtia miracula, quibus æternæ fœlicitatis fides, ſpeſque comparantur, prorſus contempſerunt, qui, inquam, malo uitæ exemplo, in ſe ipſis, apud gẽtes idololatras, Chriſtum oſtentui & ludibrio exponunt, & eundem traducunt. Nihil enim aliud in hac parte, per Chriſti crucifixionem & traductionem, quanquàm alij multa philoſophantur, intelligo, quàm eiuſdem Chriſti ignominiam, quæ ex prauo Chriſtianorum exemplo, apud gentes infideles potiſsimè eo ſæculo, quo crux Chriſti
1. Cor. 2. apud gentes erat ſtultitia, apud Iudæos uerò ſcandalum coaleſcebat. Quod clarè ea uerba oſtendunt, quibus, inquit, Rurſus crucifigentes ſibimetipſis (ideſt in ſemetipſis Græca ratione loquendi) filium Dei. Nam quòd non de quibuſcunque peccatoribus ſed de iis, quos modò depingimus, loquatur Apoſtolus, id paradigma, quod ſtatim ſubiiciat, aliunde demonſtrat. Terra enim, inquit, ſæpe uenientem ſuper ſe, bibens imbrẽ, & germinans herbam oportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas, ac tribulos reproba eſt, &c. In hac profectò antitheſi, ſecunda pars, qua de reprobis agitur cum priori conſonare debet. quemadmodum ergo non quæcunque terra accipit benedictionem à Deo, ſed ea, quæ ſæpe ſuperuenientem imbrem, grato herbarum ac florum munere compenſat, ita non quæcunque terra male dicta eſt, ſed quæ poſt multos ac fœcundos imbres manet ſterilis. Itaque non uideo cur ullum ex iis quatuor ſenſibus, cum omnes ſimul cum ſancta ſcriptura conuenire probentur, quis poſsit reiicere, præſertim cùm omnes non modò Montani, ſed hæreticam iſtorum, contra quos modò decertamus, calumniam, ſufficienter comminuant. ſed iam ad ſecundi loci, quem nobis iniiciebant, interpretationem properemus.

Expeditur ſecũdus locus ex decimo cap. epiſt. ad Hebræos. Prima huius loci interpretatio. Qvem locum, ſcio Nouatianorum hæreſi olim ingentem, dum præter Pauli ſententiam accipitur, tribuiſſe occaſionem. Verùm quàm longè auctoris eius epiſtolæ mẽs ab ea crudeliſsima inſania fouenda receſſerit, ſancti & Eccleſiaſtici patres multiplici interpretatione conuincunt. Sunt autem non pauci, præſertim ex ueteribus, qui eundem locum de baptiſmali hoſtia, id eſt de baptiſmi reiteratione, qua Chriſtus pro noſtris peccatis offertur, accipiant: ita ut ſit ſenſus, Voluntarie peccantibus nobis iam non relinquitur hoſtia pro peccatis, id eſt non relinquitur alter baptiſmus, quo ſuſcepto, pro no-

ſtris peccatis, patri Chriſtum quaſi hoſtiam uiuam immolemus. Atque hîc protinus loci huius difficultate ſe eximunt. non negat (aiunt) Paulus pœnitentiam, ſed quemadmodum loco præcedenti, reiterationem baptiſmi. Non tollit, inquit, Oecumenius *Oecumen.* reſipiſcentiam, minimè gentium, ſed ſecundò baptizari interdicit. nam hoſtiam dicit hoc loco, paſsionem & baptiſma, quemadmodum etiam in ſuperioribus dixit. Hactenus Oecumenius. Haymo uerò, Iis autem, inquit, uerbis, non excludit pœnitentiam, neque propitiationem, quæ fit per pœnitentiæ medicamentum, ſed ſecundum lauacrum baptiſmi excludit: non enim ita eſt inimicus ſalutis noſtræ ut diceret, non eſt ultrà pœnitentia, neque peccatorum remiſsio, ſed hoſtia, inquit, ultrà non eſt, hoc eſt, crux ultrà non eſt ſecunda, ut iterum Chriſtus crucifigatur, iterumque nos baptizemur. nam ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt, & iam non moritur, ita nos ſemel baptizati in fide mortis eius & ſepulturæ, ſicut Apoſtolus aliàs dicit, Conſepulti cum illo per baptiſmum in morte. Et poſt pauca, Terret ergo Apoſtolus omnes ut metuãt poſt baptiſmi lauacrum ad uitia relabi, quia non poſſunt rebaptizari: terret etiam ut ſi peccauerint, pœnitentiam ſtatim ſtudeant agere dignam, quoniam quicunque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, uindicta & conſumptio ignis æterni deuorabit eũ. Hactenus Haymo. Eandemque ſententiam Chryſoſtomus & Theophilus imitantur, cuius poſterioris uerba ſic habent, Haud pœnitentiam auferens hæc dicit, ut quidam intellexerunt, & ſuſpicati ſunt, ſed oſtendit, non eſſe locum ſecundo baptiſmati, quãdoquidem nec ſecunda uel alia ſit mors Chriſti futura. Sacrificium enim eam appellat, ut cùm inquit, Vnum enim ſacrificium conſummauit in perpetuum baptiſma noſtrum: ſanè mortem Chriſti effigiat. ut igitur mors Chriſti una, ſic & baptiſma unum. Quid igitur adeò intrepidè peccas, cùm non ſit ſpes amplius, te per baptiſma denuò fœliciter delere poſſe admiſſa crimina. Hæc Theophilactus ſimiliaque de eadem re Chryſoſtomus ſcribit.

VERVM enimuerò abſit ſanctorum uirorum iniuria, ſemper mihi hic ſenſus aliquãtulò uiolentior iudicatus eſt, nec ſatis cum Pauli mente mihi uidetur congruere. *Confutatur prima interpretatio.* Terret hîc Apoſtolus, ut omnes ueteres & recentiores conueniunt, Hebræos, ne hoſtiarum, quemadmodum in Iſraëlitico ſtatu, confidentia delinquerent. Quorſum ergo ſi tantùm de baptiſmali hoſtia pœnitentiaq; loqueretur, hæc uerba profunderet? Licèt enim ſemel ſuſcepto baptiſmo, Chriſtus in eodem baptiſmo repetendus, quaſi hoſtia non detur, ſupereſt tamen idem in cæteris ſacramentis, præſertim in pœnitentia, ubi ſi non & magnificentia, & diuina prodigalitate applicetur, applicetur tamen in tantã, quanta ad ignis æterni iudiciique declinationem, quæ duo hîc formidanda docet Apoſtolus, uel abundè ſufficiet. Itaque quemadmodum non ſatis efficaciter modò quiſquam, homines à peccatis deterreret, ſi diceret baptiſma eſſe irreiterabile, fructumque eius non poſſe bis percipi; cùm ſint multa alia ſacramenta, quibus Chriſtus, quantùm ad uitæ æternæ conſequutionem, æternique ſupplicij declinationem ſufficienter offertur, ita mihi Paulus enimuerò, ſi hũc ſenſum hic locus habeat, inſufficienter homines à peccando reuocare uidetur. Erat enim in promptu peccatorum reſponſio. Scimus Paule, nobis uoluntariè peccantibus, nullum reſtare baptiſmum, nullamque hoſtiam baptiſmalem ſupereſſe. At reſtant multa alia ſacramenta, quibus ut uitam æternam adipiſcamur, iudiciumque, quod formidandum dicis, euadamus, Chriſtus pro nobis ſufficienter offertur. Deinde, facile (haud dubiè) Paulo erat, ſi de baptiſmali reiteratione ageret, id ipſum uerbis expreſsioribus & potentioribus dicere. Tertiò, hîc Paulus nullum habet uerbum, cui hic ſenſus inniti queat. non enim, ait, uoluntariè peccantibus poſt acceptum baptiſmum, ſed poſt acceptam notitiam ueritatis, quæ etiam ſine baptiſmo haberi poteſt. Quartò tandem, licèt Chriſti paſsio apoſtolica phraſi ſacrificium uocetur, nunquam tamen baptiſmus. Abſurdaque eſt (mea quidem ſententia) huiuſmodi locutio.

SVNT ergo, qui duplicem peccatorum differentiam aduertant, eorum ſcilicet, quæ *Secunda interpretatio.* inuoluntariè, & eorum, quæ ſpontaneè & liberè committuntur. Spontaneis igitur ac liberis peccatis, quòd ſint grauiſsima, nullam poſt acceptam notitiam ueritatis, manere hoſtiam, cum Paulo fatentur: cætera uerò, quæ inuoluntariè patrantur, non negant remitti. Voluntariè inquit Theodoritus, poſuit Paulus, docens, ea, quòd quæ *Theodor.*

præter

prætet animi ſententiam fiunt, aliquam ueniam merebuntur. Hæc Theodotitus. Sed hæc opinio multò eſt quàm præcedens abſurdior, tum, quòd quampiam humanam actionem libertate deſtitutam, putet eſſe peccatum, tum deinde, quia etſi hoc de actio-
3. Ethic. cap. 1. nibus illis, quas mixtas uocat Ariſtoteles, quæ cùm non ab integra libertate, ſed plerunque à grauioris mali formidine detiuentur, uenia ſunt dignæ, uelimus accipere, adhuc tamen abſurdum eſt, & catholicæ doctrinæ contrarium, quantumque liberis & expontaneis peccaris, pœnitentiam auferre. etiam enim ſi quis non tantùm liberè, id eſt, nulla habens ab extrinſeco incitamenta peccandi, ſed etiam ex malitia, animiſque peruerſitate, nulla interiorum paſsionum concuſsione commotus, per legitimam pœnitentiam & dolorem oblatum.

Tertia interpretatio. Oecumen. SVNT tertiò, qui eum locum, ex ipſis Pauli uerbis expoſitum uelint: non enim quibuſcunque hoſtiam pro peccatis ſupereſſe negat Paulus, ſed uoluntariè peccantibus, id eſt, in actu peccandi permanentibus. Vnde Oecumenius, Animaduerte, inquit, quòd non dixit, Peccauimus, ſed imperfecto uſus eſt participio ἁμαρτανόντων, oſtendere uolens, perſeuerantiam in peccatis uſque ad mortem. hinc enim potiſsimè manifeſtum eſt, quòd non tollat pœnitentiam. Hactenus Oecumenius. Cui concordat Theophilactus in hæc uerba, Obſerua hîc, quomodo ueniæ locũ relinquat. uoluntario enim, inquit, peccantibus, hoc eſt, permanentibus in peccato citra pœnitentiam, quemadmodum ſi non permaneamus, ſed uitæ in melius permutatæ ſpecimen exhibuerimus, ueniæ certè locus eſt. ubi ſunt igitur, qui pœnitentiam tolli clamant? Cenſent autem auctores huius ſententiæ, nihil hîc aliud Paulum docere, quàm quòd uel Ioannes Apoſt.
Mar. 3. de peccato ad mortem, uel Chriſtus apud Marcum de blaſphemia in Spiritum ſanctum, antea pronunciarent. Nihil enim aliud eſſe credunt, poſt acceptam notitiam ueritatis
1. Ioan. 5. uoluntariè delinquere, quàm peccatum ad mortem, de quo Ioã. loquitur, pro quo non eſſe orandũ docet, aut peccatum in Spiritum ſanctum, id eſt agnitæ ueritatis impugnationem, aut contẽptu, quod neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro eſſe remiſsibile Chriſtus pronũciat. Atq; hũc ſenſum, cùm nec apoſtolicæ phraſi, nec catholico ſenſui ſit aduerſus, immo cùm propoſito Paulino, in hac parte, quod nõ eſt aliud, quàm homines per pœnarum æternaiũ terrorem, à peccatis protrahere, conuenire uideatur, reprobare non poſſum: ſicut neque eam interpretationem damnare audeo, quæ hoc loco Paulum huius
Quarta interpretatio. Claud. Guilliadus in cõment. huius loci. epiſtolæ auctorem docet pto maximo feruore, ſpiritus, ad perterrefaciendos peccatores, hyperbole uſum, quo pacto frequentet patres filios territuri, ſe eoſdem hæreditate abdicaturos, neque amplius in gratiam admiſſuros, ſi hoc aut illud facinus deſignarint, comminari ſolent, quod tamen nunquam exequuntut, ſi filios ad reſipiſcentiam paratos intelligant. Itaque Paulus, non quòd ita ſentiat, nullam ſcilicet ſupereſſe hoſtiam poſt acceptam notitiam ueritatis, uoluntariè peccantibus, hoc pronuntiat, ſed ut obſtinatè peccantes à peccando deterreat. Nec tamen (ut in alterius loci interpretatione quoque docuimus) falſa docet, aut falſis mendacibuſque terriculamentis homines concutit, ſed Apoſtolico ſpiritus feruore ſententiam exaggerat. Eſt enim hyperbole figura, quæ fit, cùm dictio excedens fidem angendi minuendi'ue gratia, in contextu locatut, qua in epiſtolis Paulinis nulla credo frequentior, ut cùm ad Romanos ſcri-
Rom. 9. bens, non aliam, in agendo hominum delectu, aut in reprobando, Deum habere rationem, inquit, quàm figulum in fabrefaciendo ex eadem maſſa, uaſa in honorem aut in contumeliam, & ſimilia quædam, quæ eo loco ad cõprimendam hominum audaciam, deprimendáq; mortalium ſuperbiam, nõ ſemel ingeminat. Quæ omnia uiſi hyperbolicè accipias, in ſummam deſperationem & rectè operandi ſocordiam, profectò peruenies. Cuius rei fortè inaduertentia, opinio illa, quæ nihil in prædeſtinatione, aut reprobatione noſtris operibus tribuit, magno conſcientiarum malo, in ſcholas emerſit.

QVANQVAM autem hi ſenſus, quos diximus, non modò Nouatianum errorem, & noſtrorum hæreticorum in hanc epiſtolam calumnias ſufficientet elidant, ſed etiam plu-
Legitimus huius loci ſenſus. res eorum legitimi uideri poſſent: in ea tamen ſum ego ſententia, ut Paulus non de alia re hîc loquatut, quàm de ea, qua tota hac epiſtola, præſertim uerò hoc decimo capite loquitur: de excellentia, inquam, & diſcrimine Moſaici & Euangelici ſtatus. Propoſuerat huius capitis initio ſanctus Apoſtolus, legem Moſaicam nihil aliud fuiſſe quàm futurorum bonorum imaginem, & umbraticum typum, dixerat eandem cum

omnibus

omnibus carnalibus ſacrificiis nnnquam potuiſſe cultores perfectos exhibere, neque ſemel & uno ſacrificio profligare peccata. Probauerat, loco omnium ſacrificiorũ, unicam oblationem corporis Chriſti pro peccatis tributam. dixerat, eam eſſe differentiam ueteris & noui ſacerdotij, quòd in uetere omnis ſacerdos quotidie hoſtias eaſdem offerret, quæ tamen non poterant auferre peccata: in nouo autem Chriſtum uerum Euangelici ſtatus ſacerdotem, una ſui corporis oblatione in æternũ conſummaſſe ſanctificatos. Poſt quæ omnia exhortatus fuerat omnes, ut cum uero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, baptiſmi ſcilicet, tenerent ſpei ſuæ confeſſionem indeclinabilem, quoniam fidelis ſit, qui uitam repromiſit. Exhortatus etiam fuerat ad charitatis & bonorum operum reciproca beneficia, quæ tãto magis frequentanda dicebat, quanto dies retributionis uideretur propinquior. poſt quæ omnia nihil oportunius uidebatur, quàm eorum hominum conſcientias, qui nec legis perfectione, nec cœleſtium bonorum expectatione permouerentur, ad Chriſtianæ & Euangelicæ doctrinæ uiam amplectendam, æternarum pœnarum futuriq́ue iudicij terrore concutere. ac ſi diceret, in ueteri quidem teſtamento, ſi quis uno ſacrificio fruſtraretur, multa alia ſupererant, quibus peccati reatum & conſcientiam ablueret. At in nouo & Euangelico ſtatu, cùm non multæ, ſed una tantùm pro peccatis hoſtia, Chriſtus ſcilicet, tributa fuerit, cumq́ue tantùm ſit unicum ſacrificium & unica oblatio, qua in ſua morte nos ſibi per fidem, indeclinabilemq́ue ſpem, charitatisq́ue fraternæ exercitium cohærentes conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, qui eam non participauerit, propter ſuam infidelitatem, non tantùm priuatiuam ſed poſitiuam, cùm iam fuerit illuminatus, & oblato illi Euangelio, notitiam ueritatis acceperit, nihil aliud expectare debet, quàm diuini iudicij rigoroſam ſententiam & terribilem quẽdam ignem, qui conſumpturus eſt aduerſarios, ideſt Chriſti hoſtes, & qui oblatam fidem non uolunt recipere. Itaque non à quibuſcunque peccatis hic deterret Apoſtolus, ſed quòd tota hac epiſtola claret, ab infidelitatis & oblatæ gratiæ & euangelij repudiationis delicto coërcet. Sed de his locis Paulinis hæc dixiſſe ſufficiat. *Ad hũc ſenſum alludere uidetur Cyril. li. 5. Ioã. c. 17.*

De libro Apocalypſis. Cap. XXVI.

DE libro demum Apocalypſis, eò dubitatores iſti non ſatis ſunt certi, an ad catalogum ſanctarum ſcripturarum pertineat, quòd olim, an eſſet Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, fuerit controuerſia. Nam præter hoc, quòd eum librum iis, de quibus aliquando dubitatum fuerit, Euſebius Cæſarien. annumerat, Hieronymus in epiſtola ad Dardanum, à multis Græcorum non recipi docet. *lib. 3. cap. 24.*

QVONIAM uerò huius rationis pondus quantum eſſet, iam ſatis expendimus, tantummodò nobis in hac parte antiquæ dubitationis origo eſt explicanda, ut iſti uideãt, multò irrationabilius, huius libri auctoritatem, poſt Eccleſiaſticum iudicium & examen in quæſtionem miſiſſe, quàm olim antiquiores illi, quicunque fuerint, nondum Eccleſiarum comprobatione præcedente, de eodem dubitauerint.

FVISSE Apoſtolicis temporibus grauiſsimas in Chriſtianos perſecutiones, notius eſt, quàm ut earum auctores recenſere ſit opus. In iis uerò, non modò in facultates, & uitas Chriſtianorum, ſed in libros quoque Chriſtianæ religionis ſæuitum, etiamſi uetuſtiores auctores multis locis non dicerent, ipſæ diabolicæ artes commonere nos poſſent. neque enim tantùm contendebat diabolus, Chriſtianorum uitas, quas uitiis oppugnare non poterat, uiolenter inuadere, quantum uerbi Dei ſemen, quò eandem religionem repullulaturam, etiam inter grauiſsimas perſecutiones ſciebat, è mundo propellere. Semper enim uerbo Dei, unde rectæ uitæ ratio, quaſi ex fonte deſcendit, inſidiatur diabolus: nunc quidem per hæreticos & falſos prophetas falſa miſcendo, tunc, cùm faſces & gladios haberet, prorſus (ſi poſſet) extinguendo. Inter eos autem uiolentiſſimos turbines, quos in teneram Eccleſiam ſuſcitauit diabolus, nullus neque ſæuior, neque atrocior eo, quem Domitianus commouit, à quo Ioannes apoſtolus, quaſi impius, in inſulam relegatus, Apocalypſim ſcripſit. Erat autem huius acrioris aggreſſus ratio, quòd præter ingenitam tyranni ſæuitiam, iam eo ſæculo, non modò uerbi præ- *Lambertus de rebus Germa.*

dicatione, ut antea, ſed editis libris, pro uegetiori ætate, contra falſam religionem & idolorum culturam, per ſanctiſsimos & doctiſsimos niros decertaret Eccleſia, unde maiori quoque erat aduerſus illam impetu à diabolo quoque decertandũ. Ergo eo ſæculo quicunq; libri ſcribebantur, aut propter metum perſecutorum, qui huic rei attẽtiſsimè inuigilabant, ab eiſdẽ ſanctis auctoribus, aut ſuis familiaribus, ſecretiſsimis locis abdebantur: aut eorum, ſi in publicum prodibant, certum erat exitium. ſatis tunc temporis ſanctis auctoribus erat, ſuo nomine inſignire libros, quò ſi ante pacẽ reſtitutam, diuina uocatione uitæ cõcederent, cuius eſſent auctoris, poſt Eccleſiaſticũ examen fideles agnoſcerent: quod & Ioan. apoſtolum in hoc libro, contra ſuam conſuetudinem (neq; enim

Apoc. 1. cæteris ſuis operibus ſuum nomen appoſuit) feciſſe uidemus. Apocalypſis, inquit, IESV Chriſti, quam dedit illis Deus palàm facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò: & ſignificauit, mittens per Angelum ſuũ, ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimoniũ perhibuit uerbo Dei, & teſtimonium IESV Chriſti, quæcũq; uidit. Et rurſus, Ego Ioannes frater ueſter & particeps in tribulatione, & regno, & patiẽtia, in Chriſto IESV, fui in inſula, quæ appellatur Pathmos, propter uerbũ Dei, & teſtimoniũ IESV Chriſti. Scriptus itaq; liber Apocaly. à Ioanne eſt, quando ſæuiente perſecutionis procella, in nulgus Chriſtianorũ amandari non potuit: conſeruatus eſt autem à uiris fidelibus, ſed multo tẽpore, metu prohibente, non proditus, aut paucis quidẽ proditus ante obitum Ioannis, qui paulò poſt Traiani tẽpore, apud Antiochiam ad Chriſtum migrauit. Cùm antẽ eſſet obſcuriſsimus, nec ſatis Chriſtianis illuſtris, ab omnibus ſtatim acceptari nõ potuit. Sed de eo dubitari cœptũ eſt.

ACCESSIT iis altera grauiſsima perſecutio, quæ ſub Diocletiano & Maximiano Herculeo, in Chriſtianos libros, præſertim in hunc, propter Chriſtiani populi prophetias, diabolo ſuſcitante deſæuit. Qua cùm multorũ Eccleſiaſticorum uirorũ libri interciderint, ſolius fuit diuinæ prouidentiæ, quòd hic quoq;, ob quẽ perſecutio fuerat excitata, non prorſus perierit. Atque hæ ſunt potiſsimæ cauſæ, quare, cùm nondum licuiſſet examinare, Laodicena ſynodus, parum pòſt ſubſecuta, hunc librum, inter canonicas ſcripturas non cõputet. Verùm quanto, facto iam examine, apud omnes Eccleſiaſticos uiros fuerit in pretio, & cõmentaria, quæ in eum librum à Iuſtino Marty. & Ireneo ſunt edita, & concilium Toletanum quartum, ante annos nongentos, ſatis indicant. Apocalypſim (inquit) librum, multorum conciliorum auctoritas, & ſynodica ſanctorum præſulũ Romanorum decreta, Ioannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt, & inter diuinos libros recipiẽdum conſtituerunt. Et quia plurimi ſunt, qui eius auctoritatẽ non recipiunt, ſiquis eum deinceps non receperit, aut à Paſcha uſq; ad Penthecoſtem miſſarum tempore in Eccleſia non prædicauerit, excõmunicationis ſententiã habebit. Sed & Hieronymus, quẽ tamen iſti contra librum Apocalypſis proferunt, quam de eius auctoritate ſententiam habuerit, apertè in libro de Viris illuſtr. quem tamen librum iſti aliàs moleſtiſsimè proferre ſolent, oſtendit, dum abſolutè ſine ulla opinione, Ioannis apoſtoli & Euangeliſtæ fuiſſe opus pronuntiat. In Pathmon, inquit, inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretatur Iuſtinus martyr & Ireneus. Hactenus Hieronymus.

Totius concertationis epilogus.

ERgo ut huic & ſimilibus magis argutulis, quàm piis ratiunculis, quæ bonam partem ſcripturarum futiliter lacerant, uno uerbo ſatisfiat, reſpondemus, tãtùm abeſſe, ut antiquorum dubitatio his libris noceat, ut magis ea dubitatione in Eccleſiaſtica atq; canonica auctoritate firmentur. Quorſum nãq; ex iis, de quibus erat ambiguitas, Eccleſia quondam libros, euicta quacũq; dubitatione ſacraſſet, alios uerò quaſi nothos & ſpurios excluſiſſet, niſi quia illos Eccleſiaſtici uiri, qui ſcrupuloſiſsimi in hac parte fuerunt, certò cognouerũt eſſe canonicos, & ab iis, quorũ gerunt titulos, auctoribus editos, hos contrà ab hæreticis ſcriptos, apoſtolicos titulos falſo induiſſe? Vicit itaq; Eccleſia uirorũ eruditorum ſagaciſsima indagine, in illis quidẽ eas rationes, quæ eã à perfecta comprobatione auertebant, in his uerò, eas, quæ nondũ libros illos tunc tẽporis apocryphos & uehementer dubios, omnino falſos declarare permittebant. Sed quanta nunc ſit horum omniũ librorum, de quibus olim erat dubiũ, auctoritas, Nicephorus indicat, Sed enim, inquit, hi

Lib. 2 Eccl. hiſt. c. 45. libri (loquitur autẽ de iis omnibus) tametſi ab antiquis controuerſi ſunt habiti, poſt tamen in omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, Eccleſiis auctoritatem ſacroſanctã & irrefragabilem obtinuerunt, & tanquã principia atq; elementa pietatis noſtræ ſempiterna permanſerũt, Sed de librorum canonicorum numero atque auctoritate, non plura.

Libri ſexti finis.

F. MICH.

F. MICHAËLIS MEDINAE HISPANI,

ORDINIS MINORVM, REGVLARIS OBSERVANTIAE, CHRISTIANÆ PARÆNESIS,

ſiue

DE RECTA IN DEVM FIDE

LIBER SEPTIMVS.

QVI SINT libri Canonici diximus, quæq; in eoſdem uel ab infidelibus, uel ab hæreticis, uel à catholicis quibuſdã controrqueri ſoleant, præcedenti libro lector eliſimus. Supereſt nunc (id quod ſuſcepti officij ratio poſtulare uidetur) quæ ſit optima ratio interpretandi ſcripturas, id eſt, eã Eccleſiaſticæ reipublicæ partem, quam legem uocamus, conſequenter oſtendere: nihil enim aut parum eandem legem habere profuiſſet, niſi unum & eundem certum ſenſum certamq; intelligentiam habeamus; qua uniuerſi huius ſanctæ reipublicæ ciues, uel longè remotiſsimi, animis concordes conueniamus in unum. Neque uerò minus diuerſus earũdem legum uariuſque ſenſus, quàm diuerſæ leges diuerſaque ſecundum illas ratio uiuendi in uaria ſtudia, uariaſque factiones mortales diſcerpit. Quapropter nihil optimæ inſtitutæ reipublicæ magis laborarunt, quàm ut earum ciues unum eundemque legitimi ſenſus fontem haberent, quo ſibi recurrendum ſcirent, quoties de legum uera germanaque intelligentia dubitatio conſurgeret. Atque id quidem tanti feciſſe Romanos legimus, ut quoſdam Iuriſprudentes, Romanarum legum interpretationi præficerent, ita ut quod illi interpretarentur, ſanctum legitimumque haberetur. Non quòd ſemper legum uerum germanumq; ſenſum aſſequerentur, ſed quòd mallent prudentiſsimi uiri uerum ſenſum legum & ſanctionum ſuarum diſcrimen ſubire quam reipublicæ concordiam & pacem, quæ una ciuitates continet, diuerſis ſenſibus perindeque diuerſis ſententiis perturbare. Quod ſi id eius reipublicæ ciues, quam ſola
humana prudentia conſtitutam cognouimus, tanto ſtudio curarunt, quid putas huius
noſtræ Eccleſiaſticæ reipublicæ auctorem, qui non eſt Deus diſſenſionis ſed pacis & 1.Cor.14.
dilectionis, in eiuſdem conſtitutione feciſſe? Cur credas non prouidiſſe, ut uno eo- 2.Cor.13.
demque ſanctæ legis ſenſu inſtructi ſeruaremus unitatem ſpiritus in uinculo pacis, ut 1.Tim.5.
ſimus unum corpus, unus ſpiritus, ſicut uocati ſumus in unam ſpem uocationis noſtræ? 2.Tim.3.
De hoc itaque ſanctarum ſcripturarum interprete, toto hoc libro nobis agendum eſt. Ephe.4.

Ponuntur rationes & argumenta hæreticorum, ex eorum diuerſis libris collecta, quibus probare conantur ſcripturas eſſe faciles & apertas, nullaq; indigere interpretatione. *Cap. I.*

VERVM enimuerò in ipſo huius diſputationis ueſtibulo diluendam nobis uideo noſtri temporis hæreticorum inſaniam, quam phanaticarum ſuarum opinionum fundamento ſubſternunt, apertas ſatis per ſe eſſe ſcripturas, nulloque perinde hominum interpretamento indigere. In qua ſententia, adeò furunt, ut eaſdem uulgari ſermone ſutoribus, ſartoribus, &c. immo uerò inter colos & penſa, in certiſsimam perniciem mulierculis offerant: do-

1. hæret.rō. centes, inuidia tantùm factum eſſe, ut plebes Chriſtianæ à diuini uerbi paſtu, quo pro-
Vualſan Muſculus & priè uiuit homo, arcerentur. Si opertum eſt, aiunt, Euangelium, in his, qui pereunt,
locis cōm. opertum eſt, in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat il-
2. ratio. lis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei inuiſibilis. Deinde ſi obſcu-
2. Corin. 4. ra eſt ſacra ſcriptura in rebus fidei ac religionis noſtræ, quomodo conſtabit quod Chri-
3. ratio.
4. ratio. ſtus exprobrat Sadducæis apud Matthæū, dicens, Erratis neſciētes ſcripturas? Præterea
quorſum nos Chriſtus ad ſcripturas remitteret? Scrutamini, inquit, ſcripturas quia il-
5. ratio. læ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Amplius, Quorſum ſcripturas lucernæ in
2. Pet. 1.
6. ratio. caliginoſo loco ardenti comparaſſet apoſtolus? Erat, aiunt, in ueteri teſtamento quæ-
dam figurarum obſcuritas, quæ poſteaquàm Chriſtus lux mundi illuxit, umbris pror-
ſus diſiectis, ueritatem impleuit: atque ita clariſsimam lucem ſacris ſcripturis intulit.
7. ratio. Quo pacto ergo conuenit Chriſtianis hominibus, ut illas de obſcuritate infament, &
hoc nomine iudicium illarum controuerſiis religionis, non Ethnicæ, ſed Chriſtianæ ſu-
bire detrectent? Sed & quanta ſit ſanctarum ſcripturarum perſpicuitas, non diſsimula-
8. ratio. uit Auguſtinus, qui lib. 2. de Doctr Chriſt. c. 6. Magnificè, inquit, & ſalubriter Spiritus
ſanctus ita ſcripturas ſanctas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcu-
rioribus uerò faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illius obſcuritatibus eruitur,
9. ratio. quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur. Eſt, aiunt alij, Euangelici ſtatus gratia,
ut poſteaquàm Chriſtus uerus Dei agnus librum ſanctarum ſcripturarum in manus ac-
cepit, & ſeptem ſignacula, quibus antea fuerat obſignatus, diſſoluit: nulla ſit in eiſdem
ſcripturis portio, quæ à quouis homine plebeio, modò ſit Chriſtianus, non poſsit intel-
ligi. Quò Chriſtum apud Ioannem ſpectaſſe uolunt, cùm futuros omnes θεοδιδάκτους,
ideſt à Deo doctos, Chriſtianos pronunciat, iuxta Hieremiæ de Euangelici ſtatus perfe-
Hiere. 33. ctione uaticinium. Non docebit unuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce domi-
num, quia omnes cognoſcent me à minimo uſque ad maximum.
10. ratio. Ad eandem ſcripturæ perſpicuitatem pertinere contendunt, quod Dauid inquit,
Io. Brētius in 3. plego. Pet. Verm. Martyr cō. Smytheū. Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam
præſtans paruulis. Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum domini luci-
dum illuminans oculos. Et illud, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Et illud, quod
apud Matthæum apoſtolis dicitur, Vos eſtis lux mundi. Quomodò, aiunt, præceptum
Pſal. 19. domini lucidum erit? quomodo illuminabit oculos? quomodo uerbum Dei lux erit?
Pſal. 118.
Matth. 5. quomodo lumen erit? quomodo Apoſtoli lux erunt mundi, ſi ſcriptura ſit obſcura?
11. ratio. Accedit quòd præcipua uerbi Dei, quod in ſcriptura continetur, capita ſunt quatuor,
12. ratio. Decalogus, ſymbolum Apoſtolicum, oratio Dominica, & Sacramenta. Decalogus
continet omnia, quæ Deus à nobis facienda & omittenda exigit. Symbolum continet
omnes articulos fidei, quibus docemur, quid de patre, filio & Spiritu ſancto credendum
ſit, adeoque continet breuiter uniuerſam doctrinam Euangelij de Domino noſtro Ieſu
Chriſto. Oratio dominica ſumma eſt omnium piarum precationum, quæ uel in pſal-
mis, uel aliàs in ſcriptura continentur. Sacramenta inſtituit Chriſtus duo, baptiſmum
& cœnam Domini. Decalogus apertè in ſcriptura extat, ſed & propheticæ & Apoſto-
licæ literæ apertè inſinuant, quæ nobis in decalogo tradantur, & quo fine exigantur.
Singuli articuli habent in ſcriptura ſua certa, aperta, clara, & perſpicua teſtimonia.
Oratio dominica ſi quam habet petitionem obſcuriorem, explicatio eius ex aliis ſcri-
pturæ locis peti poteſt. Verba demum, quæ ſunt in ſcriptura de inſtitutione ſacramento-
rum, niſi à Sophiſtis obſcurentur (uocant uerò Sophiſtas auctores theologos) ſunt pror-
13. ratio. ſus aperta. Quid prodeſſet (aiunt) ſi nobis talis ſcriptura, qualis Timæus Platonis ob-
14. ratio. truderetur? Quòd ſi alibi obſcura uidetur ſcriptura, extant alia eiuſdem ſcripturæ lo-
ca, quibus obſcuriora illuſtrantur, ut uerbum, quod Dominus nobis cognoſcendum pro-
poſuit, non ſit ſupra nos, neque procul poſitum; ut Moſes inquit, nec in cœlo, multò
Deute. 6. minus in Roma ſitum, ut poſsis dicere, Quis noſtrum ualet ad cœlum conſcendere, ut
deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare aut ultra
montana Antiochiæ aut Romæ poſitum, ut cauſeris & dicas, Quis ex nobis poterit
tranſire mare, aut montes ſuperare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſsimus audire,
& facere quod præceptum eſt? Sed iuxta nos eſt ſermo in ore noſtro, ut faciamus illum.
15. ratio. Annon ſcripſit Paulus, omnia, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram utilitatem ſcripta
eſſe,

eſſe, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem haberemus? Atque huc Rom. 15.
pertinere uolunt, quod Moſes ſcripta lege, & libro ſacerdotibus & ſcribis tradito, eiſ- 16. ratio.
dem præceperit, ut in cœtu uniuerſæ Eccleſiæ legerent, tam uirorum quàm mulierum,
tam adoleſcentum, quàm aduenarum. Si enim aperta per ſe non fuiſſet ſcriptura, quor-
ſum illud præceptum?

Qᴠɪɴ & quidam ſanctorum patrum, eos, apud quos conciones habuerunt, fre- 17. ratio.
quentiſsimè carpunt, quòd domi ſcripturas non habeant & legant. Quod profectò
non facerent, ſi uel ſcripturas eſſe difficiles, uel plebibus fidelium non communicandas
putarent. ſtatuunt denique adeò apertam eſſe per ſe, ut audeant etiam pij credentes, 18. ratio.
atque Spiritu ſancto donati, quales ſunt ipſi, & qui eos imitantur, cum Satana ipſo cer-
tamen inire. Nam quòd Petrus doceat, aiunt, in epiſtola ſecunda, quædam eſſe in epi- 2. Pet. 3.
ſtolis Pauli intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant ad ſuam ipſorum 19. ratio.
perditionem, ſicut & cæteras ſcripturas, nihil urget, quò dicamus ſcripturarum lectio-
nem aut difficilem eſſe, aut non eſſe communicandam plebibus. Neque enim tam po-
tens erit quorundam temeritas ad perniciem ſuam ſcripturas detorquentium, ut totum
populum fidelium, lectione ſcripturarum priuet, perinde ac ſi omnes ſint tales, quales
illic Apoſtolus depingit, id eſt, indocti & inſtabiles. Nam ſi quorundam aut temeritas,
aut impietas in plebe, toti populo Chriſtiano ſcripturas extorqueat, cur non in ordine
Eccleſiaſticorum, ubi maximus eſt horum numerus, idem fiet?

Ex mutua hæreticorum pugna, ac diſsidio, aliisq; rationibus, ſcripturæ difficultas conuincitur. Cap. II.

TAles ſunt perditiſsimorum hominum nebuloſæ ratiunculæ, quibus ita
miſerandæ plebis auribus pruriunt, ut prorſus ſanctorum patrum anti-
quitate, ſapientia, & ſanctitate inſignes diuinæ legis interpretationes;
immo & antiqua concilia, ubi & ſumma eruditione & diligentia, ſum-
mo diuinæ ueritatis zelo, nunc trecenti, nunc quadringenti, nunc quin-
genti, nunc octingenti, ex uniuerſa Aſia, Europa, & Africa, poſt longiſ-
ſima itinera grauiſsimosq; labores, Patres conuenerunt, ſupplodant, conculcẽt, & quaſi
ſtultorum morionum ineptias, præ ſuo illo ſuorumq; ſutorum, cæmentariorum, & cer-
donum, germaniſsimo ſenſu, quem inter tundendum ferrum aut ſuendos calceos Spi-
ritus ſanctus infundit; contemnant, exſibilent, & irrideant. Nec tamen adeò de ſuis
iſtis hominibus, quibus iis pernicioſis illecebris blandiuntur, deſperandum eſt, ut niſi
prorſus hominem exuerunt, non intelligant, nihil aliud nebulones iſtos, per hæc uerba
moliri, quàm Eccleſiaſtica tela, quæ à Chriſto, uſque in præſentem hunc diem, ex Ec-
cleſiaſtica doctrina & hiſtoria, in eos, cum aperto triumpho iaciuntur, uno hoc uafro
ſtratagemate turpiter fugiant, aut quòd ſuam illam beatiſsimam Eccleſiaſticæ doctrinæ
ignorantiam; & cæterarum diſciplinarum, præter unam grammaticam aut rhetoricam,
obtuſam inſcitiam, ſapientium hominum uigiliis & immenſis laboribus, quibus in ſan-
ctarum ſcripturarum ſenſibus eruendis deſudant, æquare contendant. Quod tantum
abeſt ut conſequantur, ut potius uel apud mediocris ſenſus homines apertiſsimè pro-
dant. Quis enim neſciat ſtupidis hominibus cuncta eſſe peruia, contra uerò ſapiẽtibus,
qui rerum cauſas & origines, ex dignitate rimantur, cuncta difficilia? An non inter
Hyppiam & Socratem intererat, quorum prior, ſe adeò omnium diſciplinarum peri-
tum gloriaſſe iactabat, ut & calceos ſibi ſuere poſſe diceret: poſterior uerò Apollinis
Delphici oraculo, omnium mortalium ſapientiſsimus declaratus, hoc unum ſe ſcire,
quòd nihil ſciret, dictare ſolebat? Verè ergo dixit ſapiens, Vbi humilitas, ibi ſapientia, Prouer. 11.
atque adeò ubi faſtus & ſuperbia, ibi ſtultitia. Itaq; grammatici ſtupidi, hoc unum
cunctis mortalibus perſuaſum deſiderant, ex ſua illa grammatica uel ipſas diuinas ſcri-
pturas & oracula metienda eſſe, quo ipſi quoque hominum ſapientum, per ſtudiorum
compendia, numero habeantur.

Sᴇᴅ ᴛᴀᴍ ſi tam aperta, quàm iſti deblaterant, ſit ſancta ſcriptura, cur tot hæretici
ab Eccleſiæ naſcentis primordio (neque enim negabunt complures fuiſſe hæreticos)

propter ſanctæ ſcripturæ quorundam locorum ignorántiam, ab Eccleſiaſtica fide deſciuerunt? an'non erant illi homines? an'non erant Chriſtiani? au'non agnus iam ſeptem ſigilla diſſoluerat? an'non erant ſuis iſtis agricolis, fabris, laniis, fullonibus, aut mulierculis, acutiores? Immo uerò an'non erãt multo maiori diſciplinarnm aceruo quàm ipſi noſtri ſæculi peſtes, qui doctores agunt, exculti? Quis conferat Arios, Eunomios, Aetios, Aërios, Enſthatios, Nonatianos, Photinios, Sabellios, Donatos, Apollinares, Priſcillianos, Iouinianos, Pelagios, Cœleſtios, Neſtorios, Entiches, omnium diſciplinarum, quas illo florentiſsimo ſæculo Græcia colebat, pronentu ditiſsimos, cnm Lutheris, Oecolampadiis, Zuingliis, Buceris, & grãmaticis illis, Philippis, Brentiis, Caluinis, Vualſangis, Viretis, & ſi qui ſunt alij ſtupidiores, quorum libros ſi cribras, præter impudentiſsima & ſcurrilia conuicia nihil penè reperies? Ij, inquam, quos tamen noſtri ſæculi hæretici, hæreticos fuiſſe libentiſsimè tribuunt, cur etiam poſt longa ſtudia, & poſt longas uigilias non intellexerunt? Sed quid de iis loquor? Cur illi, Baſilides, Valentini, Menandri, Sathurnilli, Carpocrates, Manes, qui uel Apoſtolicis temporibus fuerunt, uel ipſa immediatè ſunt ſequnti, quique uel ab Apoſtolorum diſcipulis uerum ſenſum ſcripturarum diſcere potuiſſent, immo quorum tempore non dum illa, quam Apoſtolici uiri conſeruarant, loquendi ratio, penitus exciderat, non intellexerũt?

Deinde, cur ſi tam aperta ſunt ſacra uolumina, tot inter ipſos hæreticos de locis præcipuis fuerunt diſsidia? Cur olim aliter interpretati ſunt ſcripturam Arrins, Macedonius, Eunomius, & Aetius, aliter Sabellius, & Priſcillianus? Immo cur inter ſe, alioquì eiuſdem ſceleris complices, Arrius, Eunomius, Macedonius, & Aetius, tantopere diſsident? Cur ex eiſdem ſacris literis, Euſthatius nuptias ab Eccleſia prorſus eliminat? Iouinianus contrà tantopere laudat? Cur Pelagius uiribus noſtris iuſtitiam attribuit, contrà Manicheus, & Lutherus, non niſi peccata? Cur Neſtorius cum duplici natura, duplicem quoque perſonam, contrà Entiches, neq; duas naturas in Chriſto conſtituit? Immo, ut ad noſtri ſæculi hæreticos ueniamus, cur ſi tam aperta eſt ſacra ſcriptura, tot ſunt apud Germanos, Anglos, Gallos, &c. immo apud unam urbem, quid aio? apud unam eandemq́ue domum, tot opinionum & ſectarum portenta, ut nunquam filius cum patre, aut uxor cum niro, niſi qnatenus fides Catholica conculcanda eſt, aut Romanus Pontifex irridendus, ſint prorſus concordes? Iſtos non dicent non eſſe homines; non dicent uon eſſe Chriſtianos; non dicent ex iis eſſe, qui pereunt, ut opertum ſit illis euangelium; nou dicent his non eſſe ſoluta ſeptem illa ſigilla, immo non dicent hos non eſſe prædeſtinatos; his non dicent non fuiſſe datum noſſe myſteria regni Dei,

Mar. 4. undè & apertè, & non ſicut nobis reprobis in parabolis; Vt uidentes, uideamus, & non uideamus; audientes audiamus, & non intelligamus: ne quando conuertamur ad fidem illam beatiſsimam, quam tantopere prædicant, & dimittantur nobis peccata. Sed rem urgeamus. Cur illi ſactoſancti nouæ religionis antiſtites, & noui iſtius euangelij Pa-

Pſal. 71. triarchæ, qui quaſi montis Dei pacem populo ſuſcipiunt, tanta inter ſe ipſos diſcordia ſcinduntur? Cur ſi clara eſt & perſpicua ſancta ſcriptura, ex eiſdem locis diuerſa & penitus contraria dogmata cudunt? Cur in Chriſti corporis ſub ſacramento præſentia, Zuinglius cnm Luthero & tota ſua ſchola non conuenit? Cur Philippus ex uerbo Dei colligit hæreticos nulla ui coërceudos? contrà Caluinus ex eodem Dei uerbo comburendos exiſtimat? Cur Philippus abſolutionis ſacramentum, contra Caluinum, quaſi ex uerbo Dei & uerum ſacramentum, modò fides adſit, ſuſcipiendum exiſtimat? Cur

In eo libro, quẽ inſcripſit, quòd hæc uerba, Hoc eſt corpus meũ, adhuc firmiter maneãt. Lutherus in uno illo loco, Hoc eſt corpus meum, octo expoſitiones eaſq́ue diuerſas, à ſe ipſo annotatas fuiſſe teſtatur? Sed moleſtum eſſet, immo impoſsibile horum hominum, qni non Dei (qui unus eſt) ſed proprio ſpiritu ducantur ἀντιλογίας ἀντιμαχίας & contrarietates, in ipſis præcipuis rebus, quibus Chriſtianæ religionis cardo conuertitur, in medium proferre. Legat eorum libros qui uelit, & nihil aliud, quàm atroces uerborum pugnas, niſi quando iu ſanctam Chriſti Eccleſiam inuehendum eſt, in qua re ſunt ſemper unanimes, reperiet.

Quod ſi nullæ eſſent inter ipſos pugnæ, nullæ contentiones, nullæ in ſanctarum ſcripturarum explicatione diſcordiæ, cur ſi adeò aperta eſt ſancta ſcriptura, ut lignariis, ferrariis, cauponibus, tonſoribus, aut mulierculis, lingua uernacula ſit obiicienda, cur tot illi expoſitiones, cur tot ingentium uoluminum libros, quotidie cudunt? cur tan-

tum

tnm laboris inſumunt, ut ſanctas ſcripturas commentariis illuſtrent? cur quotidie nouas inanditaſque expoſitiones comminiſcuntur?

Ex laboribus ſanctorum patrum apertè oſtenditur, ſcripturas eſſe difficiles. Cap. III.

SEd agedum, quæramus ab iſtis, qui noſtram hanc Eccleſiam meretricē, blaſphemam, neterem uerò illam, tantiſper dum in eorum flagitioſa figmenta non inuehit, tantopere laudant, An Pantenus, Clemens, Origenes, Didymus, & poſt hos Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophilactus, Cyrillus, &c. fuerint homines, Chriſtiani fuerint, docti & diligentes fuerint, & ſancti? Quod ſi donent, cur in ſanctarum ſcriptnrarum expoſitione, non omnia ſunt aſſequuti? Immo cur in locis nonnunquam grauiſsimis à ſe inuicem diſtant? Deinde ſi aperta eſt ſancta ſcriptura, uaniſsimè ergo & infructuoſè in tot ſcribendis commentariis, ſeſe cruciauerūt. uaniſsimè ſcripturæ phraſes obſeruarunt, uaniſsimè de Doctrina Chriſtiana, id eſt, ſancta ſcriptura intelligenda, regulas condiderunt. Quorſum Origenes meditationibus conferendis ſudauit? Quorſum Hieronymus tanto labore Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ, rurſus repetita puetitia, ſe ſubdidit? Quorſum Eutopa, & Aſia, immo toto orbe terrarum, Pythagoræ aut Platonis inſtar, quaſi fugientes litetas perſequitur? Sed quid tot ſancti & Eccleſiaſtici uiri coluerunt magiſtros? qnid tot præceptores habuerunt, cùm per ſeipſos paruo negotio ſanctarum literarum cognitionem potuiſſent acquirere?

Auguſt. libros de doctr. quatuor.

QVOD SI hos in illa ſancta Eccleſia, ad quam ſolam pronocant, & quam ſolam colnmnam ueritatis immobilem arbitrantur, non nelint admittere: quòd ſi hos à puriori Chriſtianiſmo (ut dicere ſolent) iam declinaſſe credant, ac proinde à ſpiritu deſtitutos & in tenebras coniectos cauſentur, dicant, quæſo, cut ſi aperta eſt ſcriptura, Chriſti Apoſtoli uocationem gentium & legis Moſaicæ ceſſationem, poſt quatuotdecim annos, poſt aduentum Spiritus in ſcriptura latentem non intelligebant? Deinde dicant, cur Paulus Apoſtolus grandem illum ſermonem de Chriſti ſacerdotio, Hebræis populis timet ingerere, cùm illi iam Chriſtiani eſſe & ſalutis participes, atque adeò ipſi per ſe ipſos ex pſal. 109. quicquid Paulus illo loco docet, ualuiſſent cognoſcere? Immo inuidia forſan quadam, ut Theologi faciunt, Sapientiam tantùm loquitur inter perfectos, & inchoationis Chriſti ſermonem in plebes ſpargit.

Act. 15. Hebr. 5. 1. Corin. 5.

SED VIDE, quæſo, te Chriſtiane lector, quàm diuerſæ priores illi reipnblicæ Chriſtianæ parentes (cùm tamen certiſsima eſſent Spiritus ſancti uaſa, cùm tamen uxoris & filiorum, quæ una nel ab iſtis æqua cauſa cœlibatus recipitut, ſolicitudinem, qua maximè iſti diſtringuntur, abdicaſſent, cùm tamen ex euangelico præſcripto, omnibus dimiſsis, ſibi ipſis & mundo renunciaſſent, cùm tamen plnres illorum poſt diligentiſsima, ſub ſanctiſsimis & doctiſsimis præceptoribus ſtudia, in antra & deſertiſsimos montes ſeceſsiſſent) poſt prolixa ieiunia, quibus, quaſi Danieles quidam, diuinæ ſapientiæ cellarium introduci cupiebant, poſt longiſsimas orationes, quibus ſibi cœleſtis ſapientiæ ſacrarium reſerari poſtulabant, fuerint affecti, quamque alia de ſe ſenſerint, Non, inquit Origenes, ſtudium ſolùm nobis adhibendum eſt ad diſcendas ſacras literas, nerùm & ſupplicandum domino & diebus ac noctibus obſeruandum, ut ueniat agnns ex tribu Iuda, & ipſe accipiens librum ſignatum dignetur aperire. Hilarius etiam, Quodam naturæ noſtræ pigro ſtupore, & ad res tuas domine intelligendas, intra ignorantiæ neceſsitatem, ingenij noſtri imbecillitate cohibemur, ſed doctrinæ tuæ ſtudia ad ſenſum nos diuinæ cognitionis inſtituunt, & ultra naturalem opinionem fidei obedientia prouehit. Hieronymus ille ter maximus, cuius poſt tot externarum diſciplinarum theſauros, poſt tot uariarum linguarum præſidia, quibus etiam Græcis & Latinis, immo & Hebræis ipſis erat admirabilis, in eruendis ſanctæ ſcripturæ ſenſibus in gentem ſagacitatem, & hæretici quoque noſtri ſuſcipiunt: hic, inquam, Hieronymus de loco

Calui. in inſtit. c. de matrimo. Origen. homil. 12 in Exod. Hila. lib. 1. de Trin. Hierony.

illo

Rom. 9. illo Pauli Apoſtoli ad Romanos, Quid ergo dicemus, Nunquid iniquitas eſt apud
Deum? &c. à fœmina, non quales iſti habent, doctrice & garrula, ſed quæ longis ex-
penſis ab extremis Galliarum finibus, catholicum doctorem in Bethlemitico rure la-
titantem, miſſo nuntio, in ſilentio requireret, inquiſitus, ita reſpondit, Omnis quidē
In epiſt. ad ad Romanos epiſtola interpretatione indiget, & tantis obſcuritatibus inuoluta eſt, ut
Hebdi. in intelligenda ea, Spiritus ſancti indigeamus auxilio, qui per Apoſtolum hæc ipſa dicta-
Auguſt. uit. Quam eandem ſententiam & alibi repetit ad Algaſiam ſcribens. Auguſtinus ille,
qui præter ingentem ubertatem ingenij, qua tot tantoſque literarios fœtus, ad quot
quantoſque legendos, longa uita non ſuppetit, omni genere diſciplinarum refertiſſi-
mos mundo legauit, etiam ab iſtis in indagandis ſcripturæ ſententiis ſubtiliſſimus cre
ditur: cùm forſan placendi ſtudio, aut quia ita ſentiret, ad eum ſcripſiſſet Ianuarius,
In epiſt. ad nihil eſſe quod ipſum lateret, in hæc uerba reſpondit, Tantum abſum ab eo, quod tu
Ianuarium putaſti nihil me latêre, ut nihil in epiſtola tua legerim triſtius, quia & apertiſſimè fal-
cap. 21. ſum eſt, & miror quia hoc te latet, quòd non ſolùm in aliis innumerabilibus rebus
multa me lateant, ſed etiam in ipſis ſanctis ſcripturis, multò neſciam plura quàm ſciā.
Idem eſt, qui pro multorum locorum ſanctæ ſcripturæ intelligentia, ſumma animi mo-
deſtia, ex Africa miſſis diſcipulis, Hieronymum pulſat.

TALES ſunt profectò ſanctorum uoces, tales de ſeipſis ſententiæ, tales exiſtimatio-
nes & iudicia: quæ non ſunt aliunde, quàm à grandi illo lumine, quo cœlitus erant
perfuſi, & quo immenſum ſanctarum ſcripturarum pelagus, quàm profundum eſſet,
luſtrauerant, deſcendiſſe credendæ. Neque uerò in has uoces per quandam ironiam,
aut extenuationem, quæ maximè ſanctis & modeſtis uiris eſt familiaris, ſunt prodiiſſe
exiſtimandi, ſed quòd ita ſentirent; immo quòd ita uerum eſſet. Neque enim aduer-
ſatij noſtri quæcunque Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, aut Chryſoſtomus dixe-
runt, ſtatim approbabunt, aut ſuis illis, quos in eoſdem locos ſcripturæ cuderunt, cō-
mentarios, anteponent.

IMMO quale quoque de cæteris, qui ſacris literis initiarentur, ſancti & Eccleſiaſtici
patres haberent iudicium, qualiaque conſilia traderent, cùm de ratione diuinorum ſtu-
Epiſt. 82. diorum rogarentur, ſcriptis oſtendunt. Intellexite, inquit Hieronymus de omnibus
ſcripturæ libris ad Paulinum ſcribens, ſine præuio monſtrante ſemitas, non poſſe in-
gredi. Et quare hoc, quæſo? Quia nimirum, ut Auguſtinus rectiſſimè ſcribit, ſancta
ſcriptura omnibus acceſſibilis eſt (id eſt ab omnibus legi poteſt) quamuis pauciſſimis
penetrabilis, id eſt, intelligibilis pauciſſimis. Petrus etiam apoſtolus de Pauli epiſto-
lis, quæ, quòd omnium noui teſtamenti librorum primo editæ fuerint, in noua illa Ec-
2. Pet. 3. cleſia, Chriſtianorum manibus frequentius terebantur, ſic inquit, Domini noſtri IESV
Chriſti longanimitatem, ſalutem arbitremini, ſicut in omnibus epiſtolis loquens, in
eis, de iis, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depra-
uant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Vides igitur quale fue-
rit ſanctorum uirorum de ſcripturarum lectione ſine magiſtro iudicium.

NEQVE uerò aliunde primorum noſtri generis parentum caſus erupit, quàm quòd
Gene. 2. omiſſis totius paradiſi lignis, ex quorum aſpectu & guſtu ſatis in Dei cognitionem &
amorem potuiſſent proficere, arborem illam ſcientiæ boni & mali, cœleſti mandato
prohibitam, per curioſum ſciendi deſiderium, ſtultiſſimè inuaſerint. Quæ res, eorū
figuram & imaginem gerit, qui cùm ex ea, quæ ſuam uiuendi rationem decet, commu-
ni cognitione, rectè & ex officio uitam ſuam potuiſſent inſtituere: in curioſam tamen
diuinarum rerum indaginem conuerſi, plerunque ſe perdunt. Atque id quidem tunc
potiſſimè accidit, cùm quemadmodum auida illa, ſed parum fœlix mulier, manum
propriam Dei iniuſſu extendit in arborem, in ſanctas ſcripturas, proprio iudicio & ſine
Dei uocatione, interpretari contendimus. Haud alia profectò cauſa Dina illa Iacob
unica filia paſſa eſt ſtuprum, quàm quòd ſola, omnia, contra quàm uirgines & fœmi-
Gen. 34. nas decebat, egreſſa paterno limine, curioſè luſtraret. Sic plerunque qui nondum fœ-
mineam & fragilem mentem exuerit, cùm ultra ea, quæ ſuam infirmitatem decent,
præter proprij ſtatus & conditionis decorum, in altiora ſe extendit, corrumpitur men-
te. Moſi daturus legem Deus, cùm eidem montis conſcendendi, ſecumque colloquendi
facultatem tribuiſſet, illud tamen in primis precatus eſt, ne montē populus conſcendēs,

aut certè

aut certè appropinquans, legis ſacramento intereſſet. Conſtitues (inquit) terminos *Exod. 20.* populo per circuitum, & dices ad eos, Cauete ne aſcendatis in montem, ne tangatis fines illius. Omnis enim, qui tetigerit montem, mòrte morietur, manus non tanget eũ, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Non oportet ſcilicet plebes, ſacratiſsimis & altiſsimis diuinæ legis myſteriis, per ſe ipſas, ſed per Moſem, id eſt, per eum, qui ſit in diuinarum rerum myſterium electus, præſentes aſsiſtere. Mons eſt ſcriptura, quem expeditiſsimi uiri, quique in eam cùm in ingenti cordis & animi puritate, totam ſuam ſolicitudinem conferentes, rerum omnium & curarum ſæculi moleſtiſsimam ſarcinam proiecerunt in fundum, per diſciplinarum & uirtutum gradus, uix poſſunt aſcẽdere. Satis eſt turbæ, ſi Moſem habeat, qui dicat, Hæc dicit Dominus. Vtinam hodie populus cum Dei notitia, fidem, & dilectionem coniungeret, utinam tam plenam haberet uoluntatem, quàm mentem. Non eſt nouum aut inauditum ſecretiora quæque religionis myſteria, & quæ maiores quàm plebeias mentes & uires deſiderant, plebibus interdicere. Apud Romanos olim Sybillinos libros, qui tamen cum noſtræ philoſophiæ cœleſtis oraculis non erant conferendi, tantummodò Duumuiris, & Decemuiris poſt- *L. Feneſtel. de magiſtr. Rom lib. 1. cap. 13.* ea cum ſunt ſacerdotio honeſtati, licebat inſpicere. Et, ut Theodoritus docet, licitum non erat apud gentes, ut altiorem ſacratum rerum doctrinam cuncti tenerent, ſed numeroſa populi multitudo ea duntaxat inſpiceret, quæ præ oculis fierent. Contrà uerò, *Lib. 1 de Græc. affe- ction. cur.* ſacerdotes cæremonias atque orgia ritu legitimo exequerentur: unus autem ex omnibus magiſter ſacrorum atque interpres ea, quæ ibi gererentur, comperta exploratáque haberet, iiſque duntaxat aperiret, quos ad diuina capienda iudicaret idoneos. De Aegyptiorum ſacerdotum ſilentio, de duplici literarum genere, quorum uno, qui tantùm eſſet ſacerdotibus notus, ſuæ religionis ſcriberentur myſteria, altero uerò quod in humanæ ciuilisq; uitæ commercia deſeruiret, multa dicunt hiſtorici. Et ne id ſolum apud gentes, quæ cùm non ueram ſed falſam religionem colerent, continendi populi gratia, ſuperſtitioſum ſuorum myſteriorum ſilentium magis quàm eorum propalationem utilem ducebant, factum fuiſſe cenſeatur, quis ignorat, quanta religione Hebræus populus, qui tamen à principio uernacula lingua diuinas ſcripturas acceperat, cauerit, ne omnes ſine diſcrimine ad ſanctorum quorundam uoluminum lectionem admitterentur? Videbant profectò in quibuſdam ſanctorum librorum, multa eſſe, quæ *Hieron. in proœ. cõm. Ezech.* non modò perfectam ætatem, ſed perfectos & exercitatos quoque ſenſus expoſcerent. Qualia autem illis erant primum caput Geneſeos, liber Canticorum, Ezechielis my- *Grego. Nazianzen. in apologe.* ſteria, talia ſunt modò reliquæ omnes ſcripturæ Chriſtiano populo, id eſt, difficiles & mille difficultatibus obſitæ, quæ non pueriles uulgi uires, ſed perfectas expoſtulent; ſi modò aduerſarij ſemel aduerterint, quantum interſit inter ſymbolicum ſtatum, ubi nõdum erant propalata myſteria, ſed tantummodò literæ cortex, animalibus hominibus exercendis, ſine ullo diſcrimine rodendus obiiciebatur, & Euangelicum ſæculum, ubi & illa, quæ latebant, ſacramenta ſunt prodita; & noua myſteriorum arcana per nouarum ſcripturarum conditionem ſunt addita. Quis quæſo inficietur, ſi umbratici illius ſæculi antiſtites, tam uberem rerum diuinarum ſegetem, illius externæ literæ inuolucro deliteſcẽtem nouiſſent, quanta Euangelico ſtatu Chriſto reuelante fuit prodita, eoſdem totius ſanctæ ſcripturæ lectione, præter eos; quos idoneos probè noſſent, uniuerſos interdicturos? Nam ſi propterea, quòd eſſent ſcripturæ illæ altioribus, quàm uulgus decebat, myſteriis fecundæ, non omnibus ſed tantùm iis, qui cum ætate perfecta perfectos quoque ſenſus haberent, permittebantur, cur non idem in cæteris quibuſque, ubi eſſet eadem ratio, facturos exiſtimes?

Sanctas ſcripturas eorum myſteriorum, quæ in ſe claudunt, ratione difficiles eſſe. Cap. IIII.

SEd dicamus iam quæ ſint illa, quibus ſanctæ ſcripturæ contextus non modò imperitæ plebi, ſed & uiris omni diſciplinarum ſupellectile excultis, difficilis redditur, quò uideant aduerſarij, neque eidem plebi offerendam eſſe, neque in ea explicanda interpretis diligentiam & officinam ocioſum. Principiò negare non poſſunt, uniuerſa noſtræ religionis ſa-

croſancta myſteria, in ſanctis ſcripturis, quæ uel noua deliteſcere traditione ſuſcepimus, claudi & incluſa teneri. Quæ myſteria tanta profectò mihi eſſe uidētur, ut poſt ingentes diſciplinarum theſauros, etiam à purgatiſsimis mentibus uix poſsint intelligi. Talia ſunt ſacræ triadis unitas, uerbi diuini carnis aſſumptio, mors, reſurrectio, alterius uitæ ratio, iudicij dies, & cætera quæcunque Chriſtianæ religionis inſtitutum præſcribit. Et hæc quidem, aut tropicè & literæ quadam nube proponuntur uelata, ut in ueteri inſtrumento, aut aperta, & perſpicua, figurarum cortice prorſus ablato, ut in nouo traduntur. Ergo illic quòd tropis claudantur, difficilia erunt, iſtic, quòd apertè tradantur, indoctis imparia. Profectò Chriſtum Moſaicæ legislationis apparatu concluſum, totque figurarum & troporum umbraculis clauſum, in Euangelicam lucem & ſplendorem producere, prorſus eſt arduum. Rurſus, tanta myſteria, quæ etſi apertius traderentur, quàm in Euangelio traduntur, ſui tamen immenſitate mentes obruerent, ſuſtinere, difficile.

Iam si eadem noſtræ religionis certiſsima ſymbola, in ipſum nudum Dei uerbum refundantur, fortaſſe non modò indoctis, ſed doctiſsimis etiam negotium faceſſent. Et ut de primo illo Chriſtianæ religionis fundamento, id eſt, altera uita primo loco dicamus, An'non admirabilem quandam legis cognitionem & ſapientiam eximiam Sadducæi iactabant? An'non eaſdem ſcripturas ingenti exercitio uerſabant quotidie? & tamen quòd uniuerſæ illius legis promiſsiones & præmia, in huius uitæ mortalis decurſu ſponderentur ſoluenda, tantùm abeſt ut ex eis aliam uitam colligerent, ut neque eſſe ſpiritum docerent. Quæ ſententia cùm nunc quoque inter Iudæorum ſapientes non paucis arrideat, utinam inter hos, qui nudum uerbum Dei iactant, non ſit frequentiſsima. Iam diuini uerbi incarnatio, in qua tamen noſtræ ſalutis tota ſumma conſiſtit, quo pacto ex ſolo Dei uerbo ſine ſenſu Eccleſiaſtico, non dico imperiti, ſed doctiſsimi colligent? An uerò aliorſum Iudaica perfidia, prophetica uaticinia non torquet? an'non etiam habet ſuos ſenſus, qui forſan, quòd minus profundi, liberis hominibus placituri ſunt magis? Enimuerò, niſi eos litera ipſa occidiſſet, niſi eorum, cortex ille, id eſt, ut illi uolunt, hiſtoricus ſenſus, quaſi quoddam denſum uelamen corda contegeret, id eſt, niſi ſibi ex nuda illa ſcripturarum lectione quid Chriſtianis in diſputationibus obiicerent, ſe habere confiderent, iam olim conuicti, nobis cauſam donaſſent. Horum, qui tam facilem putant ſcripturam, ſi tamen docti ſunt, conſcientias appello, quoties non unum aut duo, ſed nulla noſtræ religionis præcipua myſteria, in ueteri aut nouo teſtamento expreſsiora deſiderant? Quoties (dicant per Chriſtum) aut cùm de Chriſti aduentu, morte & reſurrectione, de noſtra poſt uitæ huius defunctionem fœlicitate agitur, apertius Spiritum ſanctum uoluiſſent loquutum? Quis enim id ab iis hominibus poſtulare uerebitur, qui omnia uerbo Dei expreſſo metiuntur? Quòd ſi ipſos propter fidem ingentem hoc humanæ fragilitatis deſiderium non ſubeat, cur non fragiles plebes, quæ nec tanta fidei plenitudine pollent, nec tam robuſtis uinculis religioni cohærent, ſubire timebunt? Quòd ſi illi, qui tamen ſunt philoſophi acutiſsimi, doctiſsimi, linguaciſsimi, theologiciſsimi, & in ſanctarum ſcripturarum, ut illi de ſe iactant, exercitio excultiſsimi, tam aperta eſſe in ueteri & nouo teſtamento myſteria non dubitant, ut nemo uel imperitus in eorum locos poſsit impingere, ego', qui ſum ex illis, quos ipſi truncos exiſtimant, quique ad penitiorem illam ſacrarum literarum cognitionem non penetrant, forſan ſi Iudeum agerem, & ſemel Eccleſiaſticæ doctrinæ magiſterium proiicerem, non parum illis potuiſſem negocium faceſſere. Et alioquì, ſi adeò apertè præcipua noſtræ religionis capita, in ueteri teſtamento ſcribuntur, cur Baſilius Chilonem diſcipulum à ueteris teſtamenti lectione deterret? Ex ueteris, inquit, teſtamenti lectione detrimentum accedit, non quòd ſcripta ſint nociua, ſed quòd eorum, qui læduntur, mens ſit infirma. Omnis enim panis alimentum præbet, ſed infirmis nociuus eſt: ſic igitur omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt, &c. Hactenus Baſilius. Et alioquì, Quis unquam ſapientium, & eorum, qui modeſta quadam libertate, noſtræ religionis myſteria tractantes, quid in ea poſſet per ſua membra Satanas, moliri curioſè conquirunt, non animaduertit, multa eſſe in ſanctis ſcripturis obſcura, multa, quæ poſsint aliorſum torqueri, multa etiam in præcipuis religionis capitibus, quæ in exteros hoſtes iactantur inualidè?

Baſil epiſto.81.

Probatur

Probatur ſcripturas eſſe difficiles linguæ, in qua ſcriptæ primitus ſunt, ratione. Cap. V.

SEd iam ut huiuſmodi difficultates, quæ à rebus ipſis orinntur, omittam, quis inter hos tam ernditos theologos, tam ſapientes uiros, tam ſcripturæ conſultos, non uideat uniuerſam ſcripturam ingenti ſermonis difficultate concretam? Aut ſi ita non eſt, quorſum ipſi tantopere linguarum ſtudia laudant, quorſum tam neceſſaria prædicant, ut ſine illis nec apicem ueræ ſcripturæ poſſe ſciri contendant? An'ne ſutores quoque & mulieres, Hebraicæ & Græcæ linguæ uacabunt? An'ne cæmentarij qnoque Hebraiſmos addiſcent? Itaque iſti ſanctam ſcripturam, dum ſuis adulantur, facillimam, dum uerò nos quaſi ineptos ab eiuſdem tractatione repellunt, difficillimam dicunt.

Hæreticorũ de perſpicuitate ſcripturarum uarietas.

At, aiunt, nos habemus correctiſsimas uerſiones? unde probabunt noſtris correctiores, à quibus tantopere diſsident? Immo unde probabunt inter tot Latinas & unlgares uerſiones, quot poſt quinquaginta annos emerſerunr, cùm tamen inter ipſas ſententiarum & uocum ſit grande diſsidium, hac illam eſſe potiorem? Diſpeream, ſi quemadmodum olim Ptolemæus, ſeptuaginta interpretes, nunc ducentos, hæreticæ factionis principes cogerent, inter ſe conuenirent. Immo diſpeream, ſi unus alterum ſcriptis libellis non uocaret hæreticum, & ſanctæ ſcripturæ corruptorem clamaret. Ergo quanuis nulla eſſet in ſcriptura ex rebus, quæ in illa tractantur, difficultas, ſermonis tamen, qno primitus fuit excepta, ratione eſſet longè grauiſsima: atque id quidem, non modò in rebus, quas ipſi adiaphoras uocant, quæque ad noſtram ſalutem neceſſariò non pertinent, uerum eſt, ſed etiam in ipſis noſtræ religionis præcipuis myſteriis, & quæ Deus noſtræ pietatis fundamenta ſubſtranit, qualia ſunt diuini uerbi in carnem aduentus, noſtri per eius mortem redemptio, corporis ſemel mortui glorioſa reſumptio, iudicij dies, futuræ fœlicitatis, quam expectamus, corona, &c. Hæc profectò, ut paulò antè dictum eſt, ſi tam ratione ſermonis perſpicua eſſent in ſcriptura, quàm iſti docent, ſi conſequentium & præcedentium aliquali conuenientia detorqneri non poſſent, ſi diabolus per uariam atqne diuerſam pnnctuationem, eorum oculos non perſtrinxiſſet, iam dudum Iudæorum ſapientes ſuæ cauſæ ceſsiſſent.

Probatur ſcripturas eſſe difficiles ex antiquitate. Cap. VI.

ACcedit iis, quæ diximus, ſanctarum ſcripturarum antiquitas, quæ non modò eas, ſed alias quaſcunque ſcripturas, in tanta per diuerſa ſæcula uariatione ſermonis, reddidiſſet difficiles. Hoc enim pacto Græcis ipſis Homerus eſt obſcurus, Ennius, Pacuuius, Cæcilius etiam antiquis Latinis: nobis uerò ingentis alioqui eloquentiæ uirorum Catonis & Varronis, quæ ſuperſunt, ſcripta ſunt prorſus obſcura. Immo uerò ea, quæ in noſtris proninciis ante centum annos opera prodierunt uulgari ſermone, cùm propter loquendi rationem diuerſam, tum propter quorũdam abſolutorum nocabulorum antiquationem, tenebroſa uidentur. Quod ſi ei, quæ ab obſoletis dictionibus difficultas exurgit, nouis iſtis translationibus, dum à peritis uiris loco illarum perſpicua uocabula ponuntur, ſubueniri queat, ar ſemper altera difficultas incumbit ab Hebraicæ phraſeos antiquatione, immo ab eius linguæ (quæ etſi ſancta, tamen barbara erat, & noſtris hominibus prorſns incognita) ſi cum iis, quibus aſſueuimns & innutriti ſumus, cõferatur, grandi diſtantia. Nam cùm lingua Græca & Latina ſecum & cum iis, quibns Europa utitur, linguis communicent, Hebraica, quòd diuerſos tropos dinerſamqne dictionem conſeruet, cum nulla commnnicat. Vnde factum eſt, ut cùm omnium gentium, etiam earum, quæ ulteriorem Indiam & Trapobranam incolebant, tum Græci, tum Latini hiſtorici, facta conſcripſerint, ſolins Iudaicæ prouinciæ, ante Græcorum imperium, egregia facinora ſiluerint: cùm tamen & Græco, & Romano imperio fini-

tima eſſet, niſi obſcura qnædam mendacia, quæ à finitimis gentibus eidem infeſtiſsimis, non autem à propriis annalibus ſumpta fuerunt, qualia ſunt quæ Tacitus & Trogus mentiunrur. Sed quantum à noſtra rarione loquendi Hebraica lingua diſcedat, arque adeò quanrum ſit difficilis, cùm apud omnes eruditos ſit compertum, pluribus oſtendere uelle, ocioſum eſſet.

Sanctas ſcripturas eſſe difficiles perſuadetur ex tropis peculiaribus Hebraicæ linguæ. *Cap. VII.*

CAeterùm ut ad maiorem difficultatem, & quam aduerſarij, niſi cum Eccleſiaſtica fide, nomen etiam Chriſtianæ teligionis prodiderint, inficiari non poſſunt, quarto loco ueniamus: quis non uideat ſanctam ſcripturam, cùm ex eius linguæ proprietate, qua primitus data eſt, prorſus aliis linguis incognitis & inuſitatiſsimis tropis, tum ex ſpirituali & Euangelico ſenſu, qui carnalis ſenſus larua concluditur, & literæ putamine & cortice cingitur, non modò uulgaribus hominibus, ſed etiam exercitatiſsimis obſcuriſsimam eſſe? Nonnunquam profectò in eadem ligna eunr, ut ungant ſibi regem, nonnunquam montes exultant, nonnunquam terra iubilare præcipitur, nonnunquam ſol, luna, ſtellæ, montes, colles, maria, flumina, imber, ros, & cæteræ, quaſcunq; diuina manus formauit, creaturæ Deum laudare & benedicere iubentur: quandoque flumina de uentre fluunt, manus & pedes ſcandalizantes abſcinduntur, quandoque carbones ſuper caput inimici congeruntur, quandoqne manum ponentes ad aratrum & aſpicientes retro, regno Dei inepti dicuntur: quandoque Eunuchi, qui ſe propter regnum cœlorum caſtrauerunt, commendantur, & hoc genus alia, quæ non modò indoctis, ſed plurima eorum doctiſsimis etiam obſcura uidentur. Immo dum à ſimplicibus & ineruditis ſunt lecta, ſcimus ex Eccleſiaſticis hiſtoriis, quos effectus habuerint. Fuerunt quidam, qui diabolica fraude decepti propter regnum cœlorum non modò ſua, ſed hoſpitum quoque pudenda conſciderint: fuerunt qui ſibi oculos, à quibus ſcandalum prouenetat, incunctanter effoderint: fuerunt & qui manus & pedes, dum ad id ſcandalo accepto ſe conſtringi rentur, amputauerint: fuerunt non uulgares, qui propter has proſopopœias, cœlos, ſolem, lunam, & aſtra, animata cum Platone crediderint. Iam ex allegorico aut myſtico ſenſu, quanta, non modò mediocribus, ſed doctiſsimis uiris in eadem ſancta ſcriptura difficultas immineat, ſanctorum patrum, qui quaſi obſtetrices ſanctæ, euangelium, ueteri ſcripturæ utero latentem eduxerunt, labores oſtendunt. In nulla re profectò ſanctiſsimi & doctiſsimi uiri magis laborarunt, quàm ut noſtræ religionis myſteria, totiusque Chriſtianæ uitæ inſtitutum, ſpirituali quadam ratione, carnali & externo ſcripturæ ſenſu, ueteri illo ſtatu concluſum, oſtenderent. Ad hunc uerò ſenſum, quàm ineptum ſit uulgus, immo quàm pauci etiam ex his, qui ſe in eadem ſcriptura doctiſsimos autumant, eundem conſequantur, non eſt opus oſtendere, niſi quòd, quàm hic ſenſus Chriſtiano theologo & ſanctarum ſcripturarum interpreti ſit neceſſarius, eo quòd ſint quidam ſemiiudæi, qui eundem noſtra memoria à Chriſtiana ratione interpretandi ſcripturas prorſus conentur excludere. Si Paulus non ſufficiat, qui omnia in figura Iudæis contigiſſe docet, ex Cyrillo Alexandrino, omiſsis multis aliis, oſtendamus oportet. Is igitur in ea uerba, Si peccauerit anima, & præteriens, prætetierit præcepta Domini, &c. Si ſecundum (inquit) diuinæ legis fidem hæc, quæ leguntur nobis, Dominus loquutus eſt ad Moſem, puto quòd tanta Dei uerba non debeant ſecundum incapacitatem audientium, ſed ſecundum maieſtatem loquentis, intelligi. Dominus (inquit) loquutus eſt, Quid eſt Dominus? Apoſtolus tibi reſpondeat, & ab ipſo diſce, quia Dominus ſpiritus eſt. Quòd ſi Apoſtoli ſermo non ſufficit, audi ipſum Dominum in Euangeliis dicentem, Quia Deus ſpiritus eſt. Si ergo dominus & Deus ſpiritus eſt: quæ ſpiritus loquitur, ſpiritualiter debemus audire. Ego & adhuc amplius dico, quia quæ Dominus loquitur, non ſpiritualia tantùm, ſed ſpiritus eſſe, credenda ſunt. Non de meo ſenſu hæc, ſed de Euangeliis approbo. Audi Dominum & Saluatorem noſtrum ad diſcipulos ſuos dicentem, Verba, quæ lo-

quutus

Marginal notes: Iudi. 9. Pſal. 95. Pſal. 150. et Deut. 10. Io. 4. & 7. Matth. 5. Rom. 12. Luc. 9. Matth. 19. — *Valeſii apud Augu. lib. 6. de hæreſi. c. 37.* — *Quidā apud Dama. lib. 2. de fi. ortho. & noſtra memoria Paulus Rici. Neap.* — *Myſticus ſēſus in Chriſtiana interpretādi ſcripturas ratione, neceſſarius.* 1. Cor. 11. *In principio lib. 4. in Leuit.* — Ioan. 4.

quutus ſum uobis, ſpiritus & uita ſunt. Si ergo ipſius Saluatoris uoce diſcimus, quia uer- Ioan. 6.
ba, quæ loquutus eſt Apoſtolis, Spiritus & uita ſunt, nequaquam dubitare debemus,
quòd etiam, qua per Moſem loquutus eſt, Spiritus & uita credenda ſunt. Hæc Cyrill. Leuit.6.
Idemque in illa uerba, Hæc eſt lex hoſtiæ peccari, in loco, quo iugulantur holocauſta,
occident, & id quod peccati eſt coram Domino ſancta ſanctorum ſunt, &c. Hæc omnia,
inquit, niſi alio ſenſu accipiamus, quàm literæ textus oſtendunt, ſicut iam ſæpe di-
ximus, cùm in Eccleſia recitantur, obſtaculum magis & ſubuerſionem religioni Chri-
ſtianæ, quàm hortationem ædificationemque præſtabunt. Si uerò diſcutiatur & inue-
niatur, quo ſenſu hæc dicta ſunt, & digna Deo, qui hæc dicere ſcribitur, aduertantur,
fiet quidem Iudæus, qui hæc audit, ſed non ille, qui in manifeſto, ſed qui in occulto
Iudæus eſt. Secundum illam differentiam Iudæi, quam diſtinguit Apoſtolus Paulus
dicens, Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ manifeſto in carne eſt, cir-
cunciſio, ſed qui in occulto Iudæus eſt, circunciſione cordis, qui ſpiritu non litera, cui
laus eſt non ab hominibus ſed à Deo. Et ſubinde, Sicut ergo, inquit, cognitionem ſui
ad inuicem gerunt, uiſibilia & inuiſibilia, cœlum & terra, caro & anima, corpus &
ſpiritus, & ex horum coniunctionibus conſtat hic mundus: ita etiam ſancta ſcriptura
credenda eſt, ex uiſibilibus conſtare & inuiſibilibus, ueluti ex corpore quodam, literæ
ſcilicet, quæ uidetur, & anima, ſenſus qui intra ipſam deprehenditur, & ſpiritus, ſecun-
dum id, quod etiam quædam in ſe cœleſtia teneat, ut Apoſtolus dicit, quia exemplari
& umbræ deſeruiunt. Quia ergo hæc ita ſe habent, inuocantes Dominum, qui fecit
ſcripturæ animam, & corpus, & ſpiritum; corpus quidem iis, qui ante nos fuerunt,
ſpiritum uerò iis, qui in futuro hæreditatem uitæ æternæ conſequentur, per quem per-
ueniant ad regna cœleſtia, eam nunc, quam diximus, legis animam requiramus. Ha- Lib. 1. in
ctenus Cyrillus. In quam ſententiam & alibi ſic ſcribit, Sicut in nouiſsimis diebus Leuit.
uerbum Dei ex Maria uirgine carne ueſtitum, proceſsit in hunc mundum, & aliud qui-
dem erat, quod uidebatur in eo, aliud, quod intelligebatur; carnis nanque aſpectus in
eo patebat omnibus, paucis uerò & electis dabatur diuinitatis cognitio: ita & cùm per
prophetas uel legiſlatorem uerbum Dei profertur ad homines, non abſque competen-
tibus profertur indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita hîc literæ uelamine tegitur: ut
litera quidem aſpiciatur tanquam caro, latens uerò intrinſecus ſpiritualis ſenſus, tan-
quam diuinitas ſentiatur. Et ſubinde, Beati (ait) ſunt oculi illi, qui uelamine literæ
obtectum intrinſecus diuinum ſpiritum uident, & beati ſunt, qui ad hæc audienda mũ-
das aures interioris hominis deferunt: alioquì apertè in iis ſermonibus (loquitur uerò
de Leuitico libro) occidentem literam ſentieur. Si enim ſecundum quoſdam etiam no-
ſtrum intellectum ſimplicem ſequar, & abſque ulla, ut illi ridere nos ſolent, ſtropha
uerbi & allegoriæ nubilo, uoces legiſlatoris ſuſcipiam, ego Eccleſiaſticus, ſub fide
Chriſti uiuens, & in medio Eccleſiæ poſitus, ad ſacrificandum uitulos & agnos, & ad
offerendam ſimilam cum thure & oleo, diuini præcepti auctoritate cõpellar: hoc enim
agunt qui deſeruire nos hiſtoriæ & ſeruare legis literam cogunt. Hactenus Cyrillus.
Cuius profectò ſententiam, quicunque à Chriſtiana ueritate non uelit in Iudaiſmum
deſciſcere, comprobare compellitur. Sunt enimuerò noſtræ religionis myſteria, cùm in
lege Moſaica, tum in ſacris prophetis, uel ad noſtrum exercitium, uel propter ipſa-
rum rerum maieſtatem, quam non tam uerbis quàm rebus illius populi, Euangelico
ſæculo inſinuari oportebat, prorſus occulta. Vnde non aliis, quàm quos poſt ingens
rerum ſpiritualium ſtudium & exercitium Spiritus ſanctus in hoc opus aſſumpſerit, ue-
rum germanum, & Euangelicum ſenſum attingere licet. Poſſunt quidem omnes, quod
olim diuinitus carnali illi populo fuerat permiſſum, quaſi expertia rationis animalia
corticem lambere, aut ad ſummum arrodere, latentem tamen Euangelicum ſenſum,
niſi iam eius Eccleſiaſtici ordinis, quem primitus ſanxerat, Deum pœnituerit, è ſan-
cta ſcriptura foras exprimere, paucisſimi tantùm. Quoſdam (inquit Paulus) dedit Ephe. 4.
Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, quoſdam autem Euangeliſtas, alios uerò pa-
ſtores & doctores, &c. Vbi cùm Apoſtolos Apoſtolici ordinis uiros, Euangeliſtas cæ-
teros quoſcunque, qui uerbis aut ſcriptis Euangelium denuntiant; paſtores uerò & do-
ctores, Eccleſiarum præpoſitos, qui oues diuinis ſacramentis & uerbi Euangelici paſtu
reficiant, Paulus intelligat: prophetas tamen eos, qui in ſpiritali & abſcondito ſenſu

è ſanctis ſcripturis eruendo laborant, non eſt dubium accipere, inxta illud, Qni lo-
quitur, lingua ſeipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. Volo au-
1. Cor. 14. tem uos loqui linguis magis autem ut prophetis. Nam maior eſt qui prophetat, quàm
qui loquitur lingua. Niſi forte interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat, &
multa alia, quæ toto illo capite, quo de ſancti Spiritus chariſmatibus, & eorum inter ſe
In cõment. epiſt. 1. ad Corin. collatione Paulus diſſerit, ſcribuntur. In quæ uerba Ambroſius Mediolanenſis Epiſc.
prophetas (inquit) interpretes dicit ſcripturarum. Sicut enim Propheta futura prædi-
cit, quæ neſciuntur, ita & ij dum ſcripturarum ſenſum, qui multis occultus eſt, ma-
niſeſtant, dicuntur prophetare. Quo genere loquendi non aliud profectò magis docet
Apoſtolus, quàm myſticum legis & Euangelicnm ſenſum, abdiriſsimum eſſe, & tan-
tum eius tractationem iis indulgeri, quos in id muneris à plebe ſecretos, rapuerit ſpi-
ritus. Vnde idem cùm Spiritus ſancti donationes & uarias membrorum huius Eccle-
1. Cor. 13. ſiaſtici corporis functiones enumerat, inter eas prophetiam & interpretationem ſer-
monum recenſet. Quòd nimirum ſanctæ ſcripturæ digna intelligenria, nulli ſine eiuſ-
dem ſpiritus donatione contingat. Itaque uel hac una ratione, quanta ſit ſcriptura-
rum obſcuritas, apertiſsimè proditur, quando à Paulo earum interpretes prophetæ uo-
cantur. Colligitur etiam non unlgo eſſe permittendas, quandoquidem prophetiam &
interptetationem, id eſt, ueram intelligentiam, non uulgo, ſed quibuſdam & iis pro-
batiſsimis indulſit ſpiritus.

Nec valet aduerſariorum ſuga, qua docent, iam uniuerſum illum ordinem, quem
ptimitus Spiritus ſanctus in Eccleſia plantauit, poſt Enangelij propagationem, ſublatũ.
Nam præter hoc, quod eadem procacitate, baptiſmi neceſsitatem, noſtrorum ſæcu-
lorum hominibus potuiſſent auferre, certè ſi eo tempore, quo ſpiritus primitias ſu-
ſcepit Eccleſia, ſanctæ ſcripturæ interpreres ſpiritu prophetiæ indiguerunt, & noſtro in-
digebunt: etſi tunc, cùm uniuerſi Chriſtiani, ſanctiſsimis moribus & animi puritate,
templum erant ſpiritus, non omnibus, ſed quibuſdam uerus germanuſque intellectus
ſcripturæ accidebat, fortiori ratione. nec noſtro ſæculo omnibus continget, ſed iis ſo-
lis, quos poſt magnum eiuſdem ſcripturæ ſcrutinium, & ſtudium, huic prophetico mu-
neri nuncuparit ſpiritus.

Nec vero eſt quòd dicant, hoc prophetiæ munus, cũ ſit opus ſpiritus, poſt Apoſto-
lica ſæcula, ſine ſtudio contingere. nam licèt (quod propter Euangelij dignitatem ita
oporteret) ſicut Apoſtolica dignitas, ita quoque ſermo ſapientiæ, rerum ſcientiæ,
prophetia, aut interpretatio ſermonum, nulla humana opera, ſed per ſolam ſpiritus
uirtutem, ſimplicibus hominibus & illiteratis donaretur. modò tamen quando iam ſe-
mel recepto Euangelio, alia ratio regiminis decet Eccleſiam, quando (inquam) mira-
culis non eſt opus, non quoſcunque, ſed eos, quos exercuit ſtudium ſapientiæ, quique
Pſal. 1. in lege Domini cum aliarum diſciplinarum ſuppellectile, die ac nocte meditantur, in
hoc ptopheticum munus aſſumit ſpiritus. Quæ res, ſi propter inueteratum odium,
quo noſtri ſæculi doctiſsimos uiros proſequunrur hæretici, eiſdem credibilis non fiat,
fiet tamen, ſi in priorum ſæculorum Eccleſiam oculos coniecerint. Neque enim poſt
Apoſtolica ſæcula, niſi alioqui uiri doctiſsimi & externis quoque diſciplinis exculti,
ſcripturas tractarunt.

Oſtenditur ſacras ſcripturas difficiles & obſcuras eſſe ex apparenti quorundam locorum repugnantia & ἀντιλογίᾳ. Cap. VIII.

AMplins, eſto, nulla eſſet in ſancta criptura myſteriorum obſcuritas, nulla ex lingua, qna primitus ſcripta eſt, difficultas, nulla antiquitas; eſto, nulli eſſent tropi pecnliares; eſto, demum, nullus eſſet myſticus ſenſus, qui à ſe uulgares mentes, & quæ nondum animalem hominem exuerunt, auerteret: an uerò negare poterunt aduerſarij, innumeros eſſe in ſancta ſcriptura locos, qui non modò ſimplicibus & illiteratis, ſed doctiſsimis quibuſqne, ut in concordiam adducantur, negotium faceſſant? Quid ergo Auguſt. & ueteres quidam, de conſenſu Euangeliſtatum & aliarum

ſcripturarum,

ſcriptutarum libros ediderunt? Quid ſanctiſsimi uiri tantopere in diluendis antilogiis & antinomiis aut componendis laborarunt? Et ne uniuerſa, quæ illi uel ab hæreticorum, uel à Geurilium aut Iudæorum calumniis uendicarunt, huc adducamus, quo, quæſo, pacto indoctus aut plebeius homo, cùm in hos, quos pauciſsimos ex mulris ſubiiciemus locos, inciderit, lapſos Euangeliſtas aut aliarum ſcripturarũ auctores, niſi ſanctorum patrum cõmentarios perlegerit, & illis conciliandis ualidiſsimos labores diligenter impenderit, non continuò putabit? Prohibet Chriſtus apud Matthæum Apoſtolis, ne
uirgam ſecum deferant in uia, dicens, Nolite poſsidere aurum, neque argentum, ne- *Math. 10.*
que pecuniam in zonis ueſtris, non peram in uiam, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque uirgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Apud Marcum uerò *Mar. 6.*
idem Chriſti præceptum ſic habet, Et præcepit eis, ne quid tollerent in uia, niſi uirgam tantùm. Apud Lucam etiam, Nihil, inquit, tuleritis in uia, niſi uirgam, neque *Luc. 9.*
peram, neque panem. Vides uirgam, quam illa profectione Apoſtolica, Matthæus prohibitam dicit, apud Marcum & Lucam non modò non indultam, ſed apertè prohibiram? Ioſephi uirginis ſponſi generatio, quàm diuerſa ſit apud Matthæum & Lucam, *Math. 1.*
nemo non nouit. Apud hunc certè Heli, apud illum Iacob, filius dicitur, immo *& Luc. 3.*
utraque generationis enumeratio uix unum aut alterum nomen habet commune. Quæ res profectò & ueteri & recenti memoria doctiſsimos torſit, dum ſecum diuerſas rationes, quibus διαφωνίαν illam, quæ à fidei aduerſariis exprobrabatur, eliderent, profundiſsimè cogitant: & ſunt inter aduerſarios, qui credant, neminem priorum ſæculorum, *Andr. Oſi.*
uſque ed eos, eam rem aſſequutum. Quid? an hæc non ſunt talia, quæ ad noſtram ſa- *in annota.*
lutem pertineant? An non hîc integra fide & pietate opus eſt, ne ſanctæ ſcripturæ ua- *Armo. Euang.*
cillet auctoritas, dum ſibi ſacri auctores mutuo diſsidio repugnare uidentur? An ſi hæc in aliis auctoribus, quanuis ſanctiſsimis legeremus, non apertè diceremus alterum lapſum? Quòd ſi uel unum mendacium ad ſcripturas admiſerimus, totam earum auctoritatem perditum iri, nec hæretici dubitant: iuxta illud Auguſtini, Si ad ſcripturas *diſt. 9. c. ſi*
ſacras admiſſa fuerint uel officioſa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? quæ *ad ſcriptu-*
tandem de ſcripturis illis ſententia proferetur, cuius pondere contentioſæ falſitatis ob- *ras.*
ſeruetur improbitas.

Svnt in eadem ſancta ſcriptura innumeri loci, quos ſi nudos legeris, etiamſi ſis doctiſsimus, negotium faceſſent. Talis eſt ille apud Paulum, Impoſsibile eſt eos, qui ſe-
mel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & prolapſi ſunt, rurſum reno- *Hebr. 6.*
uari ad pœnitentiam. Quem locum, ſi ad primam uerborum ſignificationem traducas, hominem poſt ſemel commiſſum peccatum, fructuosè pœnitere non poſſe (quæ
Nouatianorum hæreſis eſt) perniriosè contendes. Simileque eſt, quod ad eoſdem He- *Heb. 10.*
bræos ſcribit idem Apoſtolus, Voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur hoſtia pro peccatis, terribilis autem quædam expectatio, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Ex quo loco, cùm omne peccatum, quantumuis puſillum, ſit uoluntarium, apud ſimplices fiet, ut nullus
poſt quodcunque peccatum pœnitentiæ ſit locus. Omitto complures alios locos, quo- *Ioan. 3.*
rum non modò ἀμαθεῖς & illiteratos homines, ſed doctiſsimos quoque difficultas exercuit: qualis ille apud Ioannem, Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet: & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Qui profectò non modò ſimplicibus hominibus poteſt imponere, dum poſt ſemel ſuſceptam Spiritus ſancti gratiam, quidquid libuerit, agendo, ſe peccare non credunt,
ſed & opinione ſapientiæ ſpecioſos aliquando fefellit. Refert enim Auguſtinus, Io- *Lib. de hæ.*
uinianum hæreticum in ea fuiſſe ſententia, ut quem ſemel regenerationis abluiſſet la- *cap. 82.*
uacrum, poſſe peccare non crederet.

Probatur

Probatur ſanctas ſcripturas eſſe, difficiles, ex ipſorum aduerſariorum doctrina & ſcriptis. Cap. IX.

VErùm iam, quod aliud apertius, ad ſanctarum ſcriprurarum difficultatem inſinuandam, quàm ipſorum aduerſariorum reſtimonium inquirimus? Non dubium eſt, inquit, quidam, qui tamen ſuis laicis & mulierculis, quaſdam ſanctas ſcripturas apertiſsimas uenditat, quin ſacra ſcriptura non poſsit rectè ac uerè intelligi, niſi ab iis, qui Spiritu ſancto ſunt diuinitus donati. Etſi enim impij poſſunt quædam ſcripturæ loca ac præſertim iudiciaria & moralia adeoq́ue quæ ad legem pertinent, & quæ hiſtorica ſuut, cognoſcere: tamen quis ſit uerus finis legis, quid Euangelium de Chriſto ſibi uelit, quid Chriſtus ipſe ſit, & quantum in eo theſaurum per fidem habeamus, & quæ ſunt id genus alia ſacræ ſcripturæ, non poſſunt niſi ſoli pij per ſpiritum iudicare. Quam ſententiam deinde, poſtea quàm ſuo iudicio Euangelicis & Apoſtolicis locis communiuit, confeſtim ſubiungit, Habes præcipuam partem ſacræ ſcripturæ, ſeu ſermonem Euangelij Domini noſtri IESV Chriſti, qui ſermo literis mandatus eſt, non poſſe uerè cognoſci niſi à ſpiritualibus. Hactenus ille. A' quo quærere libet, an eſto quòd Eccleſiaſticorum patrum & Epiſcoporum conuentus, & reliqui quicunque in concilio generali conueniunt, ut illi libet, propter iſta horrenda peccata, quibus Catholici inficimur, nec micam quidem Spiritus ſancti habeamus, proindeq́ue nec uerum germanumq́ue ſenſum ſcripturæ eius, quæ ad ſalutem pertinet, obtinere poſsimus: an, inquam, beatiſsimi illi ſui cæmentarij, & fullones uniuerſi, ſint Spiritu ſancto referti & carne iam ſemiexcluſa & animali homine profligato, ſint ſpirituales? Non annuet profectò. Nam cùm Spiritus aduentus in animam à ſua illa fide pēdeat: fides autem & reliquæ animæ operationes ſint cordis opera: cor autem ſolus Deus uidere poſsit, iuxta illud, Ipſe nouit abſcondita cordis. ſine grandi temeritate, ne dum de uniuerſis ſuis ciuibus, ſed nec de uno ſolo: quòd ſit ſpiritualis, aut quòd ſit ſpiritu donatus, iudicare poterit. Quantumuis enim ij contra Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam, certitudinem gratiæ & amicitiæ Dei, in animis conſtituant, ea tamen quanuis mihi, quò me Dei amicum certò cognoſcam, deſeruiat, alteri, quo meam gratiam uideat, deſeruire non poterit. Quis enim nouit quæ ſunt hominis niſi ſpiritus eius, qui in ipſo eſt? Quòd ſi de uniuerſorum ciuium ſpiritualitate non ſunt certi, qui apud hos, miniſtros agunt Euangelij, immo ſi ſunt certiores maiorem partem poſſe non habere ſpiritum Dei, quòd nimirum uel fide illa ſua deſtituantur, uel non ſemper hebeant ad manum, uel ſi habeant, ea uti nolint; aut aliis rationibus, quas iſti homines à ſemel ſuſcepta iuſtitia poſſe cadere docent, ſpiritum Dei amiſerint, cur ergo miſerandæ plebi, ſi non in certiſsimum exitium, ſaltem in probabiliſsimam perditionem, & ruendi diſcrimen, ſcripturas obtrudunt? Enimuerò, uel ſi unum ruiturum rationabiliter timerent, quando alioquì iidem miniſtri, quotidiana prædicatione & ſuæ fidei cultura, quæcunque uel ad credendum, uel ad operandum ſunt neceſſaria, populo ingerunt, ne periret frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt, eas promiſcuæ illi multitudini non debuiſſent permittere: hoc eſt enim uerum ſcandalum puſillorum. Immo uerò, nec omnibus doctis quantumuis in re literaria & earundem ſanctarum ſcripturarum ſchola uerſatis, antequàm explorati eſſent, & ſaltem quantum ualet humana fragilitas, an ſpiritum Dei haberent, cogniti eſſent, ne continuò in deteſtandas hæreſes, & peſtilentes errores laberentur, in eorum republica debuiſſent permitti, quandoquidem nulla humana diſciplina ſed Spiritus ſancti præſentia, ex eorum ſententia ſcriptura cognoſcitur. Vnde neque ſtupidis Brentiis & huiuſmodi ſcurris, qui nihil habent in ſuis libris præter dicteria obſcæna: & in uiros probos cynicam quandam libertatem dicendi, quam profectò etiam in Ethnicos & *alienos* homines Chriſtus prohibuit: quamq́ue tam impoſsibile eſt à caritate, quam Chriſtus tantopere commendat, deriuari, quàm homicidia, adulteria, furta, ſacrilegia, blaſphemias, &c. quòd certiſsimè ſpiritu deſtituantur, debuiſſent committi. Quid? an non efficaciſsimè, immo cum certiſsimo triumpho in homines

Ioan. Bren. in plegom. — *Coarguuntur hæret.* — *Pſal. 43.* — *1. Cor. 2.* — *1. Cor. 13.*

nes, ſi tamen homines ſunt, ſic agemus? Paulus inquit, Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum uelut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. & ſi habuerim prophetiam & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; etſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ergo quãuis Brentius, Caluinus, Vualſangus & cæteri nouerint apprimè linguam Græcam, & Hebraica lingua ſint doctiores ipſo Moſe: immo uerò quanuis nouerint uniuerſorum mortalium idiomata, & angelorum locutiones intelligant, ſi non habent caritatem, nihil illis prodeſt, quo Spiritum ſanctum, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, & per quem ſolum clamamus, Abba pater, poſsideant: atque adeò, cùm tractant ſcripturas, nihilo illis magis credendum erit, quàm cymbalis tinninientibus, aut æri ſonanti, quæ in auribus hominum moleſtiſsimè crepent: quid tamen dicant ipſa non intelligunt. & cùm in turribus Eccleſiarum ſuſpenſa perpetuo tinnitu Deum, filium Dei, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, ueram animi pietatem, diuinas laudes, &c. rationis participibus hominibus ingerant: ipſa tamen horum omnino exortia, neque quid ſit Deus, neque quid ſit Dominus noſter IESVS Chriſtus, neque quid ſit uera animi pietas, aliquando cognoſcunt; & tandem cùm confracta fuerint, in ignem mittuntur. Deinde ita colligimus, Ergo quamuis Lutherus, Brentius, Caluinus, Vualſangus, & cæteri habeant prophetiam, & noſcant myſteria omnia, quæ illis tot ſanctis uiris, qui ante mille annos nos præceſſerunt, ſpretis, Deus noſtra memoria reuelauit: & præterea quanuis, uniuerſa naturæ arcana, quæ Ariſtoteles neſciuit, & doctus Plato ignorauit, uel Dei indulgentia, ut ſunt puriſsima utriuſque ſapientiæ uaſa, uel propriæ naturæ benignitate perceperint, nihil ad acquirendum & habendum ſpiritum, cuius numinis ſolius præſentia, uerus & germanus ſcripturæ ſenſus acquiritur, ſine caritate proficient. Tertiò ita inferemus, Ergo quanuis Brentius, Caluinus, Lutherus, & totus hæreticorum grex, largiſsimas eleemoſynas faciant, quanuis cunctas ſuas facultates in cibos pauperum diſtribuant, (immo quod eſt omnibus, quæ homo præſtare poteſt, excellentius) quanuis tradant in medios ignes corpora ſua, ita ut uiui ardeant, ſi caritate deſtituãtur, nihil illis ad habendum Spiritum ſanctum atque adeò ueram germanamque illam ſcripturarum notitiam proficiet. Quartò ſic, Ergo quanuis Lutherus, Brentius, Philippus, Caluinus, & uniuerſi, qui in eorum ſcholis Chriſtum dedidicerunt, magnificã illam, quam ipſi iactant, immo omnium mortalium, qui à mundi primordio Deo placuerunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Viduarum (nam monachorum non uolunt) fidem poſsideant, nihil illis proderit ad habendum Spiritum ſanctum, qui ſicut fidem, ita quoque hoc loco per Paulum caritatem requirit.

Ephe. 1.

Hæc omnia frequentiſsima ſunt tã in oribus, quàm ſcriptis noſtrorum hæreticorum, noſtra memoria.

ATQVE HAE quidem collectiones, cùm uerbo Dei & Apoſtolico teſtimonio firmentur, nequaquam negabunt. Nam quanuis caritas ex eorum ſententia, ad Spiritus ſancti in hominum animos aduentum, quòd eum ſolum per fidem contingere doceant, non ſit neceſſaria: negare tamen non poſſunt, eandem caritatem ab inhabitante ſpiritu, certiſsima & mathematica ratione quaſi fructum effluere, atque adeò externam in fratres caritatem, & amorem certiſsimum, eſſe ſymbolum uerorum Chriſtianorum, ut ipſi uocant, iuxta illud, In hoc cognoſcent homines quòd diſcipuli mei eritis, ſi dilectionẽ habueritis ad inuicem. Ergo ſi rectè colligitur, Spiritus ſanctus eſt in homine, ergo caritas: ita rectà erit colligendi ratio, Caritas non eſt in hoc homine, ergo nec Spiritus ſanctus. Tunc ulterà procedamus, Sed Brentius, Caluinus, Lutherus & cæteri non habent caritatem, ergo nec habent Spiritum ſanctum certiſsimum caritatis auctorem. ſubſumptionem, quantum per humanam fragilitatem conceditur, quæ uſque ad cordis interiora non penetrat, ex ipſo Apoſtolico teſtimonio cõprobabimus, Caritas, inquit, benigna eſt, patiens eſt, non æmulatur, non agit perperã, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitates: congaudet autem ueritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Ac ſi apertè diceret ſanctus Apoſtolus, Caritas benignos, patientes, modeſtos, potius aliena quàm ſua quærentes, beneficos, lenes, & placidos, &c. homines, quibus

Ioan. 13.

1. Cor. 13.

ſemel inſederit, reddit & præſtat. Verùm iſti (omitto peſtilentes mores, quos mundo induxerunt, Eccleſiarum compilationes, & ſacrilegia, cædes, rapinas, ſtupra, adulteria, quæ quantum cum Chriſtiana caritate conueniant, uel ſtipites norunt) omnium horum, quæ caritas operatur, contraria in ſuis ſcriptis oſtendunt: ſunt enim impatientes, dum tot & talia conuicia in Eccleſiaſticos uiros, in ipſam Eccleſiam, in Chriſti ſacerdotes, in Eccleſiaſticos cætus, quæ concilia uocamus, &c. contorquent, quot & qualia ſi Chriſtiani eſſent, aut caritatem, aut Spiritum ſanctum haberent, etiam atrocioribus laceſsiti, non debuiſſent retorquere: Chriſtianorum enim eſt benedicere perſequentibus
Rom. 12. ſe, benedicere & nolle maledicere, Chriſtianorum eſt patientes eſſe ad omnes & nulli
1. Theſſ. 5. malum pro malo reddere. Sunt æmulatores fratrum ſuorum, in primis quidem Ro-
& 1. Pet. 3. mani Pont. quem, quamuis innocentiſsimi homines, integerrimæ uitæ ſceleriſque puriſsimi, parietem dealbatum iudicaſſent, quòd tamen Chriſtiani populi (licèt ut illi uolunt, uerè non eſſet) princeps habeatur, malè accipere, & tot tamque ſcurrilibus ſalibus uel perditiſsimo nebulone indigniſsimis, non debuiſſent inceſſere. Quoniam nec Paulus in obſoletæ legis ſacerdotem, eius ſanguinem ſitientē, licèt ab eo percuſſus, reuerentiam amiſit: nam cùm in percutientem ſtomachatus, dixiſſet, Percutiet te Deus paries dealbate, continuò à fratribus, quòd in Dei ſummum ſacerdotem liberius loquutus fuiſſet, reprehenſus, reſpondit, Neſciebam fratres, quia princeps eſt ſacerdo-
Actu. 23. tum: ſcriptum eſt enim, Principi populi tui non maledices. Sunt æmulatores Epiſcoporum & Chriſti ſacerdotum, dum tantum abeſt, ut eorum ſacroſanctam & ſemper omnibus Chriſti diſcipulis uenerabilem dignitatem ſuſpiciant, ut eos in laicorum & fœminarum ordinem redigere conentur. Quòd olim Coreh, Dathan, & Abiron contra Moſem & Aaronem feciſſe legimus. Nam cùm ſe ſacerdotio, qui honos in ea republica futurus celeberrimus credebatur, priuatos, Moſem uerò & Aaronem eodem honeſtatos atque adeò ſibi prælatos ægreferrent, malo genio acti, nullo diſcrimine, uniuerſæ Iudaicæ multitudinis ciues æquè ac Moſem & Aaronem eſſe ſacerdotes ingenti æmulatione comminiſci cœperunt. Sufficiat, aiunt, uobis Moſes & Aaron, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, cur eleuamini ſuper populum Domini?
Nume. 16. Quaſi id, quod hodie aduerſariis in ore eſt frequentiſsimum, dicerent, Omnes ſumus
Exo. 19. genus electum, regale ſacerdotium, lex ſancta, populus acquiſitus, &c. Quid igitur
& 1. Pet 3. uobis coëpiſcopi aut ſacrificuli (ſic enim Chriſti ſacerdotes uocant) ſolis atrogatis ſacerdotium, omnis multitudo ſancta eſt, in omnibus eſt Dominus æqualiter, quid uobis de peculiari ſacerdotali dignitate blandimini? non modo nos, ſed & quiuis ex hac ſancta multitudine, id eſt, ex Chriſtiano populo, eadem ſacerdotali dignitate honeſtatur, ſutores etiam & cerdones, maſculus & fœmina, quoniam non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina: omnes enim
Gala. 3. unum ſumus in Chriſto Iesv. Verùm forſan aliquando Chriſtiani ſacerdotij, quod nō illo Moſaico & Aaronico deterius, ſed tanto excellentius eſt, quanto agni immaculati caro & ſanguis, quæ offert, taurorum, agnorum, hircorum, ſanguini præſtāt, rationem habebit Deus, eo genere ſupplicij, quod olim ſeditioſas illas nihil tale ſperantes inuaſit, ſua potentia renouato. Aemulantur etiam ſacroſancta concilia, quibus nihil ſalubrius, uel diuina conſtitutio, uel humana ratio ad componendas ſeditiones & prauorum ingeniorum petulantiam compeſcendam, ſancire potuit. Atque ita æmulantur, ut quod eſt & fuit ſemper alienum à Chriſtiana religione & modeſtia, non modò illis ſua inconſtantiſsima ſomnia, ſed quorumuis ignorantium homunculorum, & mulierculatum, modò à catholicorum fide & communione diſcedant, deliria uetiora credant. Et cùm internam illam Euangelij notitiam, quid ſcilicet Euangelium ſibi uelit, quis ſit Euangelij finis, quem in Chriſto theſaurum habeamus per fidem, & cætera id genus, quæ ad ſa-
Brentius. lutem pertinent, agaſonibus ſuis & popinariis permittant, ſanctis conciliis quaſi impiis & prorſus Spiritus ſancti præſentia deſtitutis, ſolùm Euangelij corticem, lambere, & earum rerum, quæ iuxta eorundem ſententiam, ad ſalutem non pertinent, legis ſcilicet iudicialium & moralium præceptorum cognitionem indulgent. Aemulantur ueteris Eccleſiæ patres, dum eos à puriori Chriſtianiſmo & uera uerbi Dei cognitione degeneraſſe, quando eorum dictis & ſententiis coërcentur, nulla uel antiquitatis reuerentia petulanter inclamant. Quæ res quoniam in horum libris eſt frequentiſsima addu-

ctis hic exemplis comprobare non uolumus, qui uolet, niſi Caluini & Brentij ſcripta ſuffecerint; legat eorum rhapſodias hiſtoricas (quas uocāt Centurias) & aperte uidebit, quot næui (hoc enim nomine quidquid in ſuam ſententiam detorqueri non ualet, appellant) ab iſtis mirificis pictoribus, ab ipſis Apoſtolicis temporibus ſanctiſsimis & doctiſsimis patribus illinantur. Aemulantur demum uniuerſam Eccleſiam, & adeò æmulantur, ut neque eius magiſterio ſubeſſe dignentur. Quæ profectò procaciſsima æmulatio, ſi ſub principum Turcarum uiueremus imperio, uel politica & ciuili ratione, quaſi res inaudita finem iam accepiſſet. Quotus enim quis à mundo condito princeps, niſi poſt cœleſtium miraculorum comprobationem, ſuæ reipublicæ & religionis deſertores, non extremis ſuppliciis compeſcuit? aut quis mortalium tanta philautia laborauit aliquando, ut ſuæ reipublicæ, in qua natus & educatus eſt, ratione uiuendi & religione contempta, in neſcio quam deſcire auſus fuerit, quam ij, qui huius reipublicæ fundamenta ieciſſent, primitus inſtituiſſe, nullo efficaciori teſtimonio cõprober, quàm propria contradicendi libidine? Quod profectò iſti faciunt, dum neſcio quam Eccleſiam, quæ ſit ab iſta, quæ tamen eos Chriſto peperit, multùm diuerſa, cum à Catholicis urgentur, impudenter obtrudunt. Quaſi uerò ulla fuerit aliquando tam barbara reſpublica, in qua ingeniis ſeditioſis, & ad res nouas moliendas natis; ad priſtinam illam inſtitutionem, quæ forſan, rerum conditione diuerſa, aut emendata eſt, aut explicata, prouocare licuerit. Verùm de hoc poſtea. Nunc domum reuertamur. Sunt illi inflati, id eſt arrogantiſsimi faſtus uento turgidi, dum uniuerſos mortales præ ſe ipſis contemnunt, ueteres patres, ſancta concilia, uniuerſam Eccleſiam, id eſt uniuerſos Chriſtianos, quaſi ſtipites & ſtupidos moriones irrident: dum ſe ſolos iuſtos, totum uerò quidquid eſt reliquum mortalium, atrociſsimis peccatis infectum grauiſsimisq́; ſceleribus commaculatum, traducunt. Quòd quantum cum Chriſtianæ caritati conueniat, ipſi, qui ab ipſis ſeducuntur, per Chriſtum aduertant. Certe Chriſtiana caritas non modò proximorum peccata, editis infamatoriis libellis, non uenditat; ſed neq; cogitat malum. ſed quid omnium earum conditionum & proprietatum, quas caritati peculiares, Paulus enumerat, contrarietates iſtis hominibus ineſſe probando, lectorem moror, cum id in omnibus, quæ hucuſq; ediderunt operibus, hæretici ipſi manifeſtè teſtentur? Neque enim adeò deliquit Eccleſia, ut praui Catholicæ fidei concuſſores, modeſte loquantur, ut ea quam docent, carnalis libertatis illecebra, & loquendi ratione Chriſtiana & modeſta, tentatio ingraueſceret. Quos leuis hic Satanæ flatus, ſecum trahit, ſola malitia, non tentationis grauitate, quæ nondum eſt ſæuire permiſſa, profectò trahuntur. ſed ad noſtram collectionem redeamus. Probauimus aduerſarios ex Apoſtolicis ſignis, quibus utrum caritas inſit, cognoſcere datur prorſus (ſaltem dum iſta, quæ mundo obtrudunt ſcripta, tot maledictis & pluſquam Ethnico faſtu referriſsima cudunt) caritate deſtitui. Tum ita ulterius colligemus, igitur carent Spiritu ſancto. Et deinde, Ergo cum iuxta eorum ſententiam & uerba, non poſsint rectè ac uerè intelligi ſcripturæ, niſi ab iis, qui Spiritu ſancto ſunt diuinitus donati, & ab iis, qui Spiritu ſancto ſunt uerè præditi, ſequitur, uniuerſos Brentios (ij enim ſunt, meo quidem iudicio ſtolidiores) nunquam uerum ſenſum ſcripturæ attigiſſe, ſed meras fabulas & ſomnia, aut ſaltem ea tantùm, quæ ex eius ſententia peccatores, & qui Spiritu ſancto carent, poſſunt percipere. Quæ cum ſint extrinſeca quædam, &, quæ ad hominum ſalutem, ut ipſi putant, non pertineant, ſequitur, Brentium nihil hucuſque in ſancta ſcriptura eorum, quæ ad ſalutem pertinent, percepiſſe. 1. plagm.

Deinde quoniam eam firmiſsimam regulam nobis ſtatuunt, ut qui Spiritu ſancto careat, careat perinde ſanctarum ſcripturarum germano intellectu. Libet in eoſdem ex eodem uerbo Dei argutari. Spiritum ſanctum uerè in homine manere non aliunde certius haberi poteſt, quàm ex fructibus ſpiritus, quos exterius producit: ita ut ubicunque fructus Spiritus ſancti uiderimus, illic ipſum Spiritum ſanctum ſit manere certiſsimum. Fructus autem ſpiritus (id uerbo Dei expreſſo docente) ſunt caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continētia, & caſtitas: ergo quiſquis iſta exterius oſtendat, habet Spiritum ſanctum, atque adeò deſtructiuè, quiſquis iſta non habeat, neque habet Spiritum ſanctum. at Brentius & totus pſeudoEuangelicorum grex, iſta nec in uiuendi ratione, nec (quod turpius Gala. 5.

multo eſt, in ſcriptis oſtendunt: ergo uerbo Dei expreſſo conſtat, eſſe eos Spiritu ſancto omnino deſtitutos, ac proinde uerbo Dei expreſſo conſtat, nullo pacto poſſe eos, præſertim cùm ſcribunt, ubi magis Spiritus ſancti fructibus carere uidentur, ſanctas ſcripturas penitiori illa cognitione, quæ ſola (ut Brentius docet) ſalutem conciliat, intelligere. Totam huius argumenti uirtutem, cùm aſſumptio uerbo Dei expreſſo conſtet, in ſubſumptionis comprobatione, ſitam eſſe uideo, quæ tamen licèt ipſa rei euidentia ſit apertiſsima, breuiſsimè tamen nobis elucidanda eſt; caritatē eos non habere in præcedentibus uerbo Dei expreſſo ſatis probatum exiſtimo. Quòd uerò gaudium non habeant, quamuis mundo paradoxum uideatur, ſuadere conabor. Duplex gaudiū in uerbo Dei expreſſo obſeruamus; carnis unum, quod mundanum appellant, de quo
Iob 21. Iob, de quibuſdam horum Patriarchis, qui dixerunt, Recede à nobis, ſcientiam uiarum tuarum nolumus, quis eſt omnipotens ut ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum? quemadmodum iſti quoque ſcientiam uiarum Domini modò nolunt, nec ſi Chriſtus nunc de cœlo, aliud quàm ipſi peruerſa mente conceperunt, docturus deſcenderet, & quemadmodum iſti obedientiam omnem, qua dum præpoſitis noſtris paremus, Deo paremus & ſeruimus, iuxta illud, Qui uos audit, me audit, qui uos ſperuit, me ſpernit: prorſus abiecerunt, dicentes, Quis eſt omnipotens ut ſeruiamus ei? & quemadmodum plures eorum quaſi rem inutilem orationem abiecerunt,
Plures Lutherani orationem abiecerunt, & Luthe. omnia de neceſsitate aduenire putat. quod è Chriſtianis facti ſint Stoici, omnia de abſoluta neceſsitate hominibus accidere arbitrantes, & dicentes, Quid nobis proderit ſi orauerimus illum? De iis, inquam, ſubdit Iob, Tenent tympanum & citharam, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & tandem in puncto ad inferna deſcendunt. Atque hoc profectò gaudium iſtis negare non poſſumus: nam præter Epicuriticæ uitæ, quam ſuos docent, corruptionem, dum totius carnis libertatem inducunt, dum peccatorum frena pœnitentiā & confeſsionem prorſus proiecerunt, dum uirtutum opera, quæ tamen communis mortalium conſenſus & fœlicitatis aſſequendæ & humanarum ſocietatum continendarum, unica media putarunt, quaſi inutilia ſiferunt, dum adulteria, ſacrilegia, fornicationes, gaſtrimagias, ebrietates impudicitias miſcere docent, dum ea hypocritica ratione Euangelico uelo, quò ipſi ab Euangelio nequaquam declinaſſe uideantur, obnubunt: præter hanc, inquam, carnis libertatem, quis non uideat quantum gaudium illis conciliet illud, digito monſtrari, & dicere, Hic eſt ille Brentius, qui fortiter & contra Eccleſiam Dei, & contra ſacramentarios pugnat: hic eſt ille Philippus, qui poſt diuinum illum uirum Martinum Lutherum nouo Euangelio ſicut olim Theophraſtus Ariſtoteli, aut Xenocrates Platoni ſucceſsit: hic eſt gigas ille Caluinus, qui in Miſſarios tot libros
Philipp 4. ſcripſit, & qui poſt Zuinglium Chriſtum expanauit, & demum qui de Galliis triumphos egit. Sunt illis haud dubium hæ cantilenæ dulciores, quàm citharæ, tympana, tubæ, & quæcunque Iob illo loco recenſet. An'non Paulus Apoſtolus eos, quos ſua prædicatione Chriſto lucrifecerat, gaudium ſuum & coronam ſuam, appellabat? Cur ergo iſti de tot abductis ab Eccleſia, à Prælatis, à Pontifice (uel ipſo etiam Chriſto, & ſanctis illis patribus, qui tamen hucuſque columnæ eſſe uidebantur, contradicentibus) ciuitatibus, prouinciis, regionibus, regnis, principibus, &c. non ſummo gaudio perfundantur? Cur non immenſa quadam animi lætitia ſoluantur? Ergo hoc gaudium illis non negamus, ſed libenter concedimus. Alterum eſt gaudium non à carne, ſed à mundo, ſed à rectæ conſcientiæ candore deſcendens, quod neque mundus, neque Satanas ipſe interturbare poteſt, quodque in mediis ipſis perſecutionibus augeſcit, tan-
Iaco. 1. tùm abeſt ut minuatur, iuxta illud, Omne gaudium exiſtimate fratres, dum in uarias
Actu. 5. tentationes incideritis, &c. Et illud, Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, contumeliam pati. Atque hoc eſt gaudium, quod fructum ſpiritus Apoſtolus uocat. Quo gaudij genere quòd aduerſarij deſtituantur, probare non eſt difficile, niſi illi ad alteram naturam uel ſpeciem pertineant. Hanc eſſe religionis naturam, ut propter ſui ineuidentiam, in ea comprobanda plus homines, à ſuæ reipublicæ indicio, & à ſuis maioribus, quàm à ſe ipſis pendeant, niſi cum diuinum teſtimonium, miraculum inquam, quod uniuerſam naturam tranſcendat, intercedit, præſertim cùm hac mortali uita abeundum eſt, & Plato in Axiocho docet, & ipſa experientia, apud ſe ipſum, quicunque eius poſtremæ horæ diſcrimen ante oculos mentis conſtituerit,

cognoſcere

cognoſcere poteſt. Integrum eſt, dum uegeta ualetudine fruimur mortales, ingenij laſciuientis acumine, in communia & antiqua religionis placita uiolenter irrumpere. Integrum eſt in mirabilibus ſuper nos ambulare: at dum appropinquat hora, in qua proprium iudicium, quantum in aliis minoribus rebus diſcernendis ualuerit, ad memoriam reducitur, in re tam ineuidenti, & ubi nos falli poſsibile iudicamus, libentius in rempublicam & parentes noſtros, quàm in nos ipſos ſententiam renunciamus: memores nimirum quantum noceat ſemper propria temeritas, quantamque excuſationis ſpeciem habeat maiorum obedientia, & ſentiendi modeſtia. Hoc igitur cùm ita ſit, quis negabit horum hominum conſcientias, etiamſi à communi fide diſcedendi ratio fuiſſet apertior, perpetuò deſertæ patriæ religionis mœrore confici? Quis non ingenti cogitationum inter ſe inuicem accuſantium turbine, eorum uiſcera concuti credat? præſertim cùm turpe ducant, uel in ipſo extremo uitæ turbulentæ & ſeditioſæ hiatu, tot errorum, quos ſemel per contentionem, & gloriæ cupidinem, in tot populos ſparſerunt palinodiam canere? Carent igitur illo ſancti Spiritus iucundiſsimo gaudio, ac proinde gaudij ipſius auctore Spiritu ſancto, ac proinde ad ſanctarum literarum tractationem ſunt ineptiſsimi. *Ad Rom. 2.*

Iam quod tertio ſpiritus fructu deſtituantur, pace inquam, quòd id inteſtina eorum bella, & turbulentæ ſeditiones demonſtrent, & nos antea multis locis oſtenderimus, non eſt opus probare. Patientiam quantam habeant, ſua ſcripta demonſtrant, dum uel non percuſsi ſanctam Chriſti Eccleſiam & orthodoxos uiros maledictis inceſſunt. Quàm longè ab eis ſit benignitas, bonitas, æquitas, iam antea oſtendimus, dum eos in totum cœleſtium ordinem, maligniſsimos & iniquiſsimos probabimus. Quantum habeant modeſtiæ & manſuetudinis per eorum libros res ipſa loquitur. Neque enim aut Iulianus apoſtata, aut Proclus ille Lycius, aut Celſus Ethnicus, aut blaſphemus Porphyrius, immo uerò ne Lucianus ἄθεος, tot dicteriis & ſalibus, tanto contemptu & ludibrio, olim Eccleſiaſticos patres reſperſerunt: quot iſti præter omne Chriſtianum officium lepidi homines, uniuerſum Catholicorum ordinem ludibriosè deturpant. Continentiam, & caſtitatem, quam uel ipſi colant, uel mundo inuexerint, nouimus omnes. Ij ſunt profectò continentiſsimi illi orbis doctores, qui non modò corporis caſtitatem quam uelint nolint, Paulus conſulit, ab Eccleſia ablegarunt, ſed peccatum eſſe docent eam ſeruare, & carnis deſideria contemnere. Ij ſunt, qui ſacra uirginum collegia, uiolenti caſtitatis graſſatores, inuadunt, & laſciuis lenonibus, earum Chriſto ſacratam uirginitatem proſtituunt. Quòd tamen Euangeliciſsimum facinus, cùm ex ſuo libidinis incendio & equino œſtro, omnes metirentur: atque adeò ipſis ſacris uirginibus gratiſsimum opus ſe facturos putarent, ſi è carcere eductas incorruptibilium maritorum complexus infunderent; quàm infœliciter ceſſerit, norunt ipſi iniquitatis antiſtites. Viderunt certè ſanctiſsimas quaſque fœminas fœderis memores, in medio paupertatis & hæreticæ perſecutionis camino integras perſtitiſſe: nimirum ut ſuo more Deus per infirmitatem & fragilem ſexum ſola uirtute munitum, Satanicas acies & uirtutem excuteret, nec mirum quia quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus, mundo, hæreticis, & diabolo. Ij ſunt, qui cœlibatum, quem & Chriſtus coluit, & à Chriſto in ſanctiſsimis quibuſque uiris uenerata eſt Eccleſia, à cœtu Chriſtianorum excludunt, docentes, neque ipſis Chriſti ſacerdotibus, qui diuina tractant, niſi expeditius annunciandi Euangelij gratia, aut ſi forſan alicui uel repugnanti datum fuerit deſuper, ita ut nunquam motum libidinis infeſtum perſentiat, utilem eſſe. In qua tamen parte & in ſuos homines ſunt inofficioſiſsimi, quòd Apoſtolico more, cum tot habeant Eccleſias, quas nouo illo & cœleſti uerbo alant, nolint tamen eſſe ſicut Paulus. Hoc enim pacto quanta erga ſuos caritate eſſent, fuiſſet oſtendendum. Nec tamen nouum quid & hæreticis prudentibus inauditum feciſſent, cùm & Iouinianus primus cœlibatus hoſtis, quo iis, quibus ſuam hæreſim obtrudebat, fucum faceret, nuptiarum iura ſubire noluerit, & nobis, & cordatis omnibus, ſunt ridiculi, dum cœleſte illud uirginitatis & caſtitatis donum, quod nobis ſine nobis, dandum eſſe fabulantur, nulli eorum contigiſſe uidemus. omnes enim à minimo uſque ad maximum ſunt equi amatores in fœminas, & emiſſarij facti ſunt, & unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinnit. Qua una ratione ſe ad Chriſti Eccleſiam nó pertinere apertiſsimè probant.

1. Cor. 7. *1. Cor. 1.* *1. Cor. 7.* *Hier. 5.*

bant. Quandoquidem in Chriſti Eccleſia uſque ad ſæculi conſummationem, diuerſa ſunt uirtutum dona, inter quæ, cum non poſteriorem locum uirginitas obtineat, ſemper erunt in Eccleſia, qui eadem Angelica uirtute, quàm Chriſtus ſacrauit, inter cæteros niteant. Ergo cùm nulli nouæ huius factionis ſiue maſculo, ſiue fœminæ uirtus contingat, apertè proditur, nihil minus ad Eccleſiam pertinere, quàm hæreticos greges.

VIDES ergo toto illo fructuum Spiritus ſancti elencho à Paulo enarrato, aduerſarios deſtitui? Deſtituuntur igitur & ipſo ſpiritu, atque adeò tota ſcriptura, quantum ad ueram illam (quæ ſola ſalutem conciliat) Euangelij cognitionem attinet, obſcura illis & tenebroſa, redditur.

ID TAMEN iam tertiò ex ipſo etiam uerbo Dei expreſſo, ex ipſo (inquam) Apoſtolico teſtimonio comprobare non piget. Verbo Dei expreſſo, conſtat carnem & ſpiritum ita eſſe contraria, ut nullo pacto ubi unum regnat, alterum regnare poſsit. Dico
Gala. 5. autem in Chriſto (inquit Apoſtolus) ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: ergo ubicunque caro regnat, ibi nullo modo regnat ſpiritus: & deinde, Ergo nullo modo ibi eſt ſpiritus, non enim ſpiritus eſt niſi ubi regnat. Tunc ultrà, ſed in iſtis apparent opera carnis, ergo in iſtis non regnat Spiritus ſanctus: ergo iſti non poſſunt legitimum ſenſum ſcripturarum percipere. Nullibi profectò uicioſus eſt ſyllogiſmus, niſi quòd
Gala. 5. ſubſumptio nobis eſt oſtendenda. Manifeſta (inquit Apoſtolus) ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & iis ſimilia. Quæ uniuerſa quòd ſint in iis admirandis doctoribus, quoniam mundo eſt compertiſsimum, perſuadere non libet.

ERGO Brentius, dum ſanctis & Eccleſiaſticis conciliis, dum uniuerſis Catholicorum ordinibus, ſanctarum ſcripturarum tractationē interdicit, quòd ſcilicet Spiritu ſancto earum artifice deſtituantur, ſe ipſum & complices ſuos, ad earum tractationem ineptiſsimos prodit: & dum, ut ſuis immundis ſutoribus eas faciles & perſpicuas reddat, nos ad earum ſalutarem intelligentiam cæcos probare contendit, ſibi ipſi & cæteris ſuis conſpiratoribus, lapidibus quadratis ianuam occludit. Itaque, ut ueriſsima ſit Brentij regula, quòd peccatores & ij, qui ſpiritu deſtituuntur, quòd ſint animales homines, &
1. Cor. 2. c. perinde non percipiant, ea quæ Dei ſunt, ſanctarum ſcripturarum intelligentia non polleant, dicemus quidem, uerbo Dei expreſſo conſtare, Brentium ac reliquos omnes noui Euangelij ſymmiſtas, niſi mutent mores & mentem, quorum utroque Spiritus ſanctus in eremos fugatur, ueræ ac germanæ ſcripturæ intelligentiæ prorſus expertes. De ſuis uerò agricolis fullonibus & panificis, quoniam nec per eorum opera, nec per eorum libros & ſcripta, an haberent Spiritum ſanctum, nobis ſatis conſtitit, quanuis ſciamus ſimiles habere ſemper labra lactucas, iudicium ſuſpendimus, aut ſaltem illis, qui eorum conuerſatione fruuntur iudicandum permittimus. Satis ergo probauimus ex aduerſariorum doctrina, non modò ſcripturas eſſe difficiles, ſed etiam nunquam in uulgus niſi cùm certiſsimo exitio poſſe dari.

Diluuntur aduerſariorum argumenta, quibus perſuadere contendebant ſcripturas eſſe faciles. Cap. X.

SEd iam tempus admonet, ut quantum curioſæ & infirmæ rationes aduerſariorum ualeant, oſtendamus, quò apertiſsimè eas magis ab af-
Sup cap. 1. fectu quàm ab intellectu & iudicio, quibus alioquì quidam illorum non carent, deriuari cognoſcas; ab affectu nimirum defendendi ſuæ, quæ alia ratione defendendi poſſe non uiderunt, quàm ſi Eccleſiaſtica exponendarum ſcripturarum auctoritate, qua uexabantur, prorſus euerſa, in plebes quoque huius rei alioquì cupidas, eaſdem interpretandi poteſtas deſcenderet. Quæ plebes cùm & literis & iudicio deſtituantur, atque adeò ad res obſcuriores & difficiliores ſint prorſus ineptæ, neceſſe erat ſanctas ſcripturas eſſe per ſe faciles, per-

ſpicuas

ſpicuas, & apertas conſequenter contendere. Ex qua perſuaſione ſi ſemel dextrè ceſsiſſet, rria bona, ex quibus & ipſi, & eorum doctrina maximè omnium pendebant, non ſine magna prudentia prouentura præuiderunt.

Trix commoda hæretici ex hoc dogmate proueniunt.

PRIMVM quidem quòd certiſsimam plebium, quas in ſanctuarium Dei introducebant, & quas ad rerum aptiſsimarum iudicia prouehebant, gratiam inibant. nam & hac ratione eos uniuerſos Chriſtianos ſacerdotes fecerunt. Er quotus quiſque, quæſo, non maximè gaudear, ſe abſque ullo proprij ſtatus detrimento, earum rerum fieri participem, propter quas homines ſolent eſſe admirabiles? Immo quotus quis non præ gaudio ſoluatur, qui ſe ex uili cloaca, aut ſurrina in Chriſti ſcholas, propter quas Auguſtinos, Hieronymos, Ambroſios, Chryſoſtomos, Gregorios, & reliquos quoſque huius Eccleſiaſticæ reſpublicæ proceres poſteri ueneramur, traduci conſpiciat? Erant plebibus iam moleſtiſsima illa elogia, quæ à Catholicis auctoribus, dum prædicatorum & uulgi differenriam conſtituunr, illis donabantur, dum illos, boues, qui in agro Domini arent, hos, aſinas, quæ paſcantur, illos, paſtores, has, ſtultiſsimas omnium animantium oues, frequentiſsimè uocitant. Neque ſatis probabant illud, quod olim Deus cùm legem ferret, Moſem ipſum ſolum in montem & in colloquium aſciuerit: turbas uerò non modò à monte, & colloquio, ſed à radicibus quoque montis pari conditione cum áſinis & iumentis expulerit.

Iob 1.c. *Iob. 1.* *Exod. 19.*

NECESSE igitur erat, ut, qui iis omnibus probris plebes eripiebant, in ſummam earum gratiam peruenirent, præſertim cùm alia quoque docerent, quæ illis erant placidiſsima.

SECVNDVS huius doctrinæ fructus, neque minus certus erat, quòd hac ratione uniuerſa, quæ Eccleſiaſtico ſenſu ex ſanctorum auctorum doctrina, & ſanctorum conciliorum diffinitionibus, in eorum placita à Catholicis cum aperta uictoria proferebantur, parua opera eludenda præuiderunt. Nam ſi ſit per ſe ipſam aperta ſcriptura, nec alicuius interpretatione indigeat, non eſt cur alicuius interpretatio, aut præiudicium eos ab illis, quæ ſemel defendere inſtituiſſet, excluderent.

TERTIVS fructus huius doctrinæ erat, quòd tota fidei cauſa à conciliis, Pontificibus, Epiſcopis, uniuerſitatibus, &c. in ſtupidas plebes, quaſi in iudices transferebatur. Quæ res ingenti fuit iis emolumento, dum non iam coram eruditis hominibus & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſultis, ſed coram iis agunt, qui ſola factioſa opinione ducti Papiſtas condemnent. Sed ad rem.

Dilutio primæ rationis hæret.

ERGO quòd primò aiunt Theologorum & Epiſcoporũ inuidia, factum eſſe, ut Chriſtianæ plebes, ſanctæ ſcripturæ paſtu arcerentur: quòd non à ſancto illo ſpiritu, quo ſe ad ructus uſque iactant diſtentas, ſed ab alio quopiam deriuetur, immo quòd non ſit noſtrorum aduerſariorum inuentum, ne in hoc quoque illis gloriari liceat, illa uerba Satanici dialogi cum prima noſtra parente non obſcurè oſtendunt. Quare, inquit, præcepit nobis Deus ne comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier, De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, neſcimur: de fructu uerò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcipit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem, Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis, aperientur oculi ueſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Vides diuinum de ſcientiæ arbore non tangendo præceptum? Vides rurſus Satanicum dolum non aliunde ſumpſiſſe principium, quàm à Dei accuſatione, non de quacunque re, ſed de inuidia, quòd ſibi ſcilicet omnem ſapientiam arrogare contenderet, atque aliis inuideret? Quam Saranæ ſententiam narrat Philaſtrius Brixienſis Ophitas hæreticos ante noſtros approbaſſe, dum Deum, non alia ratione, quàm inuidia, eius arboris eſu, primis parentibus interdixiſſe fabulantur. Haud mirandum eſt igitur, ſi ſerpentis filij, & Ophitarum diſcipuli, non cum Adamis, id eſt non cum uiris ſapientibus, qualis primus ille parens, ingenti Dei beneficio creatus fuerat, ſed cum Heuis, id eſt, cum infirma plebe, & attonito uulgo, ſic colloquantur. Quare nobis ſcioli iſti Theologaſtri, & auari Epiſcopi, ſanctarum ſcripturarum tractarionem nõ permittunt? Quare uulgares uerſiones ſanctæ ſcripturæ, quo in lege Domini ſit uoluntas ueſtra, & in lege eius meditemini, die ac nocte, non habebitis? Quibus ſi plebes fortè, propriæ infirmitatis non ignaræ, reſpondeant, ſufficere ſibi tum ſanctos libros,

Gen. 3. *Pſal. 1.*

in quibus ſuo modo Euangelica doctrina conditur, tum Euangelicas conciones, quæ modò in Eccleſia ſunt frequentiſsimæ, interdici uerò ſe ſanctarum lectione, nè fortè eiuſdem obſcuritate & diabolico æſtu, in hæreſum & falſæ religionis præcipitium ruant, continuò ſubiungunt, Nequaquam ruetis, ſed multa commoda capietis: primò quidem, per uos & ſine docente ſcire poteritis, non ſolùm quæ ſaluti ueſtræ neceſſaria ſunt, ſed & quibus alij bellè per uos inſtruantur, ad eandem ſalutem, quod eſt pulcherrimum. Deinde eos concionatores, qui inter prædicandum, à ſancta ſcriptura ad peregrinas opiniones declinauerint, emendare poteritis. Demum, in domibus ueſtris, uel ante, uel poſt menſam, paterfamilias aut puer aliquis, uel ſi non ſit, qui legere ſciat, materfamilias, aut filia, aliquid leget ex ſcripturis, cæteris auſcultantibus, unde domeſtica pietas plurimùm iuuari poterit, &c. Quæ, cùm quemadmodum cæteræ quæcunque hæreticæ fallaciæ, abſcondito ueneno ſpeciem pietatis prætendant, apud indoctum uulgus plauſibilia uidentur. Verùm quis ſit horum uerborum ſcopus, aut quò diabolus per hæc uerba tendat, ex illius dialogi tragico fine, & ſcopo, haud obſcurè cognoſcitur. Non aliud, inquit Chryſoſtomus, per illa uerba prætendebat ſerpens, quàm ut ita caperent, Deficite à Deo conditore, quia inualidus eſt, & bona meliora uobis inuidit: hæc autem uerba manifeſtè non poſuit, cauens ne fugerent, ſi qua forte deprehenderentur inſidiæ, ſed omiſsis his uerbis ſubdolo perniciosoque conſilio, eos aggreſſus eſt. Sic profectò per iſtos, primò indoctas plebes aggreſſus diabolus, apertam diſceſsionem ab Eccleſiaſtica ſocietate ſuadere non auſus, quòd certò ſciat, eaſdem non ignorare extra Eccleſiam nemini ſalutis aditum patere, in machinas conuerſus, Eccleſiam & Eccleſiaſtica ſtatuta inuidiæ ſugillat, quò ſcilicet eædem plebes exacerbatæ, aduertentes, quot quantiſque bonis per eandem inuidiam deſtituantur, ab ea, quæ nunc eſt Eccleſia, quaſi crudeli & inhumana nouerca confeſtim reſiliant: atque adeò omnem ſuam doctrinam & diſciplinam peſſundent. Quod cùm fecerint, quaſi maternis uberibus auulſas, in diram ſeruitutem & certum exitium captiuas abducat. Eſt igitur non noua aut heri nata ſeditioſa accuſatio, qua Eccleſia inuidiæ ab aduerſariis arguitur.

Vualf. Hiſt. commu.

Verba Chryſoſt.

Sed amabo quæ utilitas tam ingens, aut qui tam diuites & ingentes theſauri, Theologis aut Epiſcopis ex ea lege, qua ſimplices diuina oracula tractare prohibentur, proueniunt? aut quis fuit primus theologus, aut Epiſcopus, aut quod primum concilium, ubi inuida hæc prohibitio fuit condita? Ego uerò de uulgaribus uerſionibus prohibendis, nullam Eccleſiaſticam aut Theologam, præter unam concilij Tridentini, quæ maximis de cauſis facta eſt, ad petulantiam nimirum hæreticorum coërcendam, ſed tantùm Chriſtianorum principum ſanctionem inuenio, qui Eccleſiaſtico zelo ſuis regnis prouidentes, cùm multa mala ex eiſdem uulgaribus uerſionibus reipublicæ prouentura putarent, quorum aliqua ipſa iam experientia comprobarat, omnes præter unam latinam eliminari iuſſerunt. Id profectò apud noſtram Hiſpaniam à Catholicis regibus Ferdinando, & Eliſabetha eo ipſo zelo, quo inquiſitorios magiſtratus, unicum fidei certiſsimum columen, inſtituerant, factum fuiſſe, eorum regnorum pragmaticæ ſanctiones & hiſtoriæ teſtantur. Sed iam miror, qui iſti omnium diſciplinarum tractationem, quæ Latina quoque lingua in uniuerſa Latina Eccleſia, ſemper facta eſt, ad inuidiam Theologorum aut Epiſcoporum, non torſerint. Itaq; non inuidiæ, ſed Chriſtianæ concordiæ, & unitatis conſeruandæ zelo, in uniuerſa Eccleſia Latina ſapientiſsimè inoleuit, ne amplius, quàm una eſſet ſanctarum literarum uerſio, ne alius (quod frequentiſsimè fieri ſolet, & noſtrorum ſæculorum hæretici teſtari poſſunt) alterius uerſione repulſa, ſuam quaſi ueriorem, & Hebraico aut Græco fonti propinquiorem amplexus, fidem, quæ ſemper una debet eſſe, contentioſus diſcinderet. Quoniam uerò nulla erat latior lingua, neque quæ ad plures prouincias ſeſe propagaret, poſt Romanum imperium, quàm Latina, ea commodiſsima uiſa eſt, quæ in hanc uerſionis unitatem Eccleſiaſticæ quoque unitati deſeruiret; ut quemadmodum erat illis unus Deus, una fides, unum baptiſma, ita quoque quantum ad religionem attinet, eſſent unus populus, & unum labium omnibus, & in Euangelicæ & Chriſtianæ uitæ altiſsima turri, qua cœlum aſcenditur, extruenda, unuſquiſque uocem proximi ſui audiret. Vnde apertiſsimè uideri poteſt, non inuidia, ſed ſumma benignitate, Latinam linguam in hanc rem electam

Prohibitio legendi lingua uulgari ſcripturas, non ab Eccleſiaſticis, ſed à Chriſtianis principibus prodiit.

Quo conſilio ſola latina uerſio permiſſa fuerit.

fuiſſe, quæ eo ſæculo, non Eccleſiaſticis tantùm, ſed uniuerſis penè ſub Romanorum
imperio degentibus, familiaris erat. Optarent profectò Theologi, & ſancta concilia
ut omnes Latinè ſcirent. Neminem enim ex iis, qui latinè ſciunt, à ſanctarum ſcriptu-
rarum lectione coërcent. Verùm, quoniam id, maximè poſt imperium barbarorum, qui
diuerſas linguas aut induxerunt, aut Latinam, quæ Latinæ Eccleſiæ prouinciis fami-
liaris erat, corruperunt, fieri non poteſt, uniuerſa commoda ſi qua eſſent, quæ ex uul-
gari lectione prouenire poterant, unitati ſenſus & fidei prudentiſsimè præferunt. Et
profectò quàm magna fidei unitati, detrimenta, diuerſarum linguarum diuerſæ con-
uerſiones adducant, Eccleſiæ Græcæ, & Aſiaticarum quarundam, quæ Chaldæis, aut
ſuis propriis uerſionibus utuntur, hiſtoriæ nos docent, à quibus Eccleſia Latina in mul-
tis & eis grauiſsimis religionis articulis, longiſsimè recedit. Quod & in eis prouin-
ciis, quæ diuerſis uerſionibus utuntur, futurum non dubito, maximè ſi Latinæ linguæ
uſus (quòd aliquando fiet) obſoleſcere cœperit.

Aivnt deinde, Euangelium opertum eſſe iis, qui pereunt, &c. Agnoſcimus uerba *Dilutio 2.*
Pauli, intelligimus deinde quid hiſce uerbis, non Paulus, ſed hæretici uelint: nempe
uniuerſos, quibus ſanctæ ſcripturæ ſunt difficiles, uiros nimirum Eccleſiaſticos, qui
cum tremore & reuerentia ad eiuſdem ſcripturæ tractationem accedunt, cæcos eſ-
ſe & perire.

Sed qvi ſint illi, quibus hæretica ambitione & φιλαυτίᾳ, opertum ſit Euangelium,
ipſa res indicat. Catholici enimuerò, præter multarum diſciplinarum ſupellectilem,
qua per multos annos ſeſe præparant, præter theologicos labores, quos non domi mar-
centes, ſed in publicis uniuerſitatibus obeunt, cùm eorum, quos ſibi diuinitus datos
fidei & religionis magiſtros, & ueros interpretes, ſumma obedientia, non propriæ car-
nis ſenſu inflati, ſed in Eccleſiaſtici ſenſus obſequium, captiuantes intellectum (quod
ſemper Deo fuit gratiſsimum) ad ſanctarum ſcripturarum tractationem accedunt.
Contrà noui iſti Theologi, præter hoc, quòd nullam eſſe uolunt aliarum diſciplina-
rum curam, præter hoc, quòd propter ſcripturæ claritatem, uniuerſitarum exercitia,
quæ uel in Philoſophicis tractationibus, ſemper apud gentes uiſa ſunt commodiſsima,
inſolentiſsimè ſpernunt, propria opinione, proprio intellectu, nihil præter ſe ipſos ad-
mirantes, ſine ullo timore & reuerentia, ad eaſdem perueniunt. Vtris igitur (amabo
te lector) æquum eſſe iudicas ut Euangelium reueletur? aut utros iudicas dignos, qui-
bus ſit opertum Euangelium? iis ne, qui quicquid ſunt, quicquid intelligunt, Deo,
quem in Eccleſiæ obedientia uenerantur, inſeruire compellunt: an iis, qui fruſtrà ſen-
ſu carnis ſuæ inflati ſunt, & non tenent caput, ex quo totum corpus per nexus, & con- *Coloſſ. 2.*
iunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit, in augmentum Dei?

Sed simvs nos peccatores, illi uerò iuſtiſsimi, an'ne propterea nobis opertum,
illis contrà apertum erit Euangelium? Enimuerò ſi ueram ſanctæ ſcripturæ cognitio-
nem ſola iuſtitia conciliat, fruſtrà ſancti illi uiri maiores noſtri, Auguſtinus, Hilarius,
Ambroſius, Chryſoſtomus, in ea aſſequenda tantum laboris collocarunt: fruſtrà tot
uigiliis ſunt macerati. potuiſſent enim, ſi ſoli ſtuduiſſent iuſtitiæ & fidei, in eius inti-
mam cognitionem admitti. Quin cùm multoties de ſcripturæ difficultate quærun-
tur, produnt ſe diuina gratia deſtitutos. Immo uerò produnt ſe perituros. Quia Pau-
lus, inquit iis, qui pereunt, opertum eſſe Euangelium. Quin uerò Apoſtoli Chriſti
deſtituti erant à Spiritu ſancto, quando neque legalium ceſſationem, neque uocationẽ *Act. 15.*
gentium quæ duo (ſi quid aliud) in ſcriptura continentur, non cognoſcebant.

Est igitvr uerus Pauli ſenſus, non quòd ſola iuſtitia, aut finalis electio, ueram
ſanctarum ſcripturarum cognitionem conciliet, aut è contrario, peccatum & iniuſti-
tia, aut finalis damnatio eandem excludant. hac enim ratione & omnes ſancti docti
eſſent, & cum peccato eadem ſanctæ ſcripturæ cognitio permanere poſſet. Quotum
prius ipſa rei experientia, ſecundum Chriſtus apertè in Euangelio docet eſſe falſum:
cum monet Phariſæorum operibus declinatis, doctrinam ſectari. Super cathedram
Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite, ſecundum uerò opera eorum no- *Matth. 23.*
lite facere. de quo poſtea, ſed quòd infideles idololatræ, qui in certam perditionem
deſtinati noſcuntur, diabolo eorum oculos occæcante, uirtutem in Euangelio laten-
tem non uideant. Porrò cùm de Euangelio loquitur Paulus, non, ut iſti putant, Matthæi

aut Ioannis euangelium, ſed totum inſtitutum uiuendi Euangelicum ſuo, & Apoſtolico more proculdubio ſignificat. Nihil ergo eſt, cur nobis hæretici hunc Pauli locum pro perſpicuitate ſcripturæ moleſtiſsimè obtrudant, cùm in eo Paulus non de aliqua ſcriptura, ſed de ipſa Euangelicæ uitæ ratione, manifeſtè loquatur.

Dilutio 3. QVOMODO, aiunt, conſtabit, quod inquit Chriſtus Phariſæis, Erratis neſcientes ſcripturas, ſi ſancta ſcriptura nō ſit perſpicua? Aut quis mortalium ex hoc loco ſanctæ ſcripturæ, quæſo te lector, perſpicuitatem colligat? Immo quis abſtruſam & difficilem non inde percipiat? Phariſæi docti erant, ſapientes erant, illius populi inſtitutores erāt; & licèt per uirtutis operationem, ueræ uitæ ianuam non fuerint ingreſsi, clauem tamen
Luc. 11. ſcientiæ tulerant. Ergo ſi tales tantique homines, qui totam ſuæ uitæ rationem ad ſanctæ ſcripturæ magiſterium contulerant, erroris & falſi ſenſus à Chriſto arguuntur, quî fieri poteſt ut ſcriptura ſit facilis?

Dilutio 4. TALE EST quod ſtatim proferunt, Scrutamini ſcripturas quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Prodigium. An'non ex hoc loco ſcripturarum difficultas aſſeritur? Profectò ſcrutinium difficilem, & laborioſam quandam inquiſitionem, ſignificat. Scripturæ igitur non quacunque ſtudij ratione, ſed ſcrutinio indigent: ſunt
Ioan. 5. ergo difficiles. Deinde hæc uerba Chriſtus non turbis Iudæorum aut plebibus dixit, ſed Phariſæis & Scribis: qui non modò ſanctæ ſcripturæ uacabant ſtudiis, ſed & aliarum humanarum diſciplinarum ornamentis in illo populo & gente habebantur inſignes. Et alioquî, quando Chriſtus indoctas plebes & ſtupidum uulgus (quod aduerſarij modo faciunt) ad ſcripturas remiſit?

Dilutio 5. CONFERT, fateamur, & rectè confert, Apoſtolus Petrus ſanctam ſcripturam, lucernæ in caliginoſo loco, id eſt, in huius ſæculi nocte, plena tentationibus & erroribus, lucenti. Nam ſicut illius beneficio quà eundum ſit in locis obſcuris & tenebroſis, uidemus, ita per diuinæ uoluntatis, quæ in ſancta ſcriptura continetur, indicium, quà ſint
Luc. 2. pedes noſtri dirigendi in uiam pacis, & quo pacto offendicula & ſcandala peccatorum uitemus, ſufficienter cognoſcimus. Verùm quemadmodum qui lucernam portet, id eſt qui greſsibus noſtris miniſtret, portitore indigemus: (neque enim omnes lumen portamus) ita diuini uerbi miniſter nobis eſt neceſſarius, qui nobis diuinæ cognitionis ſplendorem miniſtret. Vnde & hinc quoque non obſcurè colligitur, non omnibus patêre ſcripturam, ſed paucis, quos Deus diuino lumini propagando præfecerit. Deinde lucerna, immo ſol, eſt diuina ſcriptura. uerùm non omnium oculi lucernæ aut ſolis ſplēdorem recipiunt: ſunt enim & noctuæ, & nycticoraces, quæ cùm ſolis in luna claritatem ſuſtineant, ipſum tamen ſolis ſplendorem ſuſtinere non poſſunt. ita ſunt in Eccleſia, qui cùm ab Euangelicis prædicatoribus, quantum ſatis eſt, ad ſalutem aſſequendam ſuſcipiant: ad ipſum tamen ſanctarum ſcripturarum ſplendorem ſint prorſus inepti.

Dilutio 6. ERAT, aiunt, in ueteri teſtamento quædam figurarum obſcuritas, quæ Chriſto adueniente diſiecta eſt. nihil uerius. Quemadmodum enim per Moſem lex data eſt, ita
Ioan. 1. gratia & ueritas per IESVM Chriſtum facta eſt. Quòd nimirum quæcunque ueteri illa legiſlatione ſub illo figurarum obſcuriſsimo inuolucro tenebantur incluſa, Chriſtus exhibita ueritate, perſpicua reddiderit. Quotus enim quiſque mirabiles illas propheticas prædictiones & uaticinia, quæ cùm umbraticis factis, tum ſcripturis ipſis, de ſancto incarnationis myſterio claudebantur, in Chriſto ipſo in carne apparente ualuiſſet agnoſcere? Ergo non propterea Chriſtus lucem ſcripturis intuliſſe refertur, quòd eas triuiales, & indoctis plebibus peruias effecerit, ſed quòd fugatis figurarum umbraculis, ipſam ueritatis lucem intulerit.

Dilutio 7. SED NEQVE Catholici & Eccleſiaſtici, in Chriſtianæ religionis controuerſiis diluendis, ſanctarum ſcripturarum iudicium ſubire detrectant, ut immaniter aduerſarij deblacterant, ſed eas non cuiuſuis libidini permittentes, ſed patribus tantùm, quos certò ſcimus fuiſſe Chriſtianos & Eccleſiaſtico ſenſu ualere contendimus.

Dilutio 8. ERGO nulla hæreticis in adducendis ſcripturis aut patribus fides præſtanda. Auguſtinus met, qui docet, quæcunque uno loco in ſanctis literis obſcurius dicuntur, alio fieri perſpicua, quid de earundem difficultate ſentiat, eomet loco, quem hæretici ci-
Aug. 2. lib. de doctrina chriſt. tant, lucidiſsimè oſtendit. Sed & multis (inquit) multiplicibuſque obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio ſentientes. Quibuſ-

dam

dam autem locis quid uel falsò ſuſpicentur, non inueniunt, ita obſcurè quædam dicta denſiſsimam caliginem obducunt. Quod totum prouiſum eſt ſine dubio ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerunque uileſcunt. Hactenus Auguſt. Quod duplex emolumentum à ſanctarum ſcripturarum difficultate proueniens, comprobat ſtatim ſubiūctis exemplis. Et ſubinde, Qui enim, ait, prorſus non inueniunt, quod quærunt, fame laborant; qui autem non quærunt, quia in promptu habent, faſtidio ſæpe marceſcunt: in utroque autem languor cauendus eſt. Hactenus ille. Quibus uerbis ea, quæ ab aduerſariis, ad ſuadendam ſcripturæ perſpicuitatem, adducuntur, ſubnectit. Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus, ita ſcripturas ſanctas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur. Vides igitur nihil minus hoc loco, ac eā ſanctarum ſcripturarum perſpicuitatem, quæ ſumma diligentia & ſtudio non indigeat, ab Auguſtino doceri, cum planè aſſerat eaſdem multis ac multiplicibus ambiguitatibus complures decipere. Sed quid ſi tantùm ea uerba, quæ aduerſarij proferunt, Auguſtinus dixiſſet? An'ne ſtatim ſcripturas faciles plebibus & perſpicuas dicebat? An non illis uerbis quemadmodum quaſdam eſſe apertiores, ita quaſdam eſſe obſcuriores, inſinuat? Sed ait Auguſtinus, Nihil ferè de illis obſcuritatibus erui, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur. Quis negat? Sed nunquid ea obſcuriorum & apertiorum locorum collatio, ſummo ſtudio, ſumma diligentia, & magno eruditionis theſauro non indiget?

Iam quae de Euangelici ſtatus, uel ex Hieremia, uel ex Ioannis Euangelio, uel ex eius Apocalypſi ſubiungunt, ſi hunc ſenſum, quem ipſi uolunt, habeāt, quòd omnes ſcilicet Chriſtianæ & Euangelicæ legis cultores, diuinitus ſanctarum ſcripturarum cognitione donentur, fruſtrà igitur in ſancta Dei Eccleſia paſtores creantur, qui eis, quos iam ſemel unda baptiſmalis tinxit, Dei cognitionem & Euangelium infundant. Imino quis tam temerarius, qui θεοδιδάκτους & cœleſti magiſterio perfuſos docere præſumat? Itaque Chriſtianis hominibus, internam diſciplinam magiſterio diuinitatis edoctis, Euangelicæ prædicationis officio ſeruire, prorſus erit nefandum. A' quo grādi ſcelere & ipſi, qui tot miniſtros ad neram, ut ipſi uocant, doctrinam populis tradendam, quotidie creant, immunes non erunt.

Ergo ea loquendi ratione, quæ in ſanctis ſcripturis eſt frequentiſsima, non earundem perſpicuitas, ſed Euangelicæ legis, quantum ad ſalutem attinet, addiſcendæ facilitas propheticè inducitur. Erat illo ueteri ſæculo infinita propè præceptorum congeries, quæ ut memoriæ mandarentur, externo & eo induſtrio præceptore opus erat. Nunc uerò tota illa externorum mandatorum farragine, per Chriſti magiſterium excluſa, Euangelicæ legis compendio, quo omnia in Dei & proximi amorem ſunt conuerſa, Chriſtiani gaudemus: adeò ut nulla ſit ætas, nullus ſexus, nulla tam hominis infirma conditio, quæ ea, quæ ad ſalutem pertinent, ducto per internam unctionem à ſpiritu amore, non ſatis intelligat. Hoc eſt enim, quod ille dicebat, Ama, & fac quodcunque uis, certus nimirum diuinum amorem, non modò animos mortalium à peccatis pertrahere, ſed eos ad ſummæ perfectionis faſtigium, abſumpta peccatorum ærugine, poſſe perducere. Hæc igitur Euangelicæ diſciplinæ compendioſa catecheſis, quoniam non iam Moſem, ſed Deum ipſum forma carnis indutum, auctorem habuit: qui eam fideliter amplectuntur, θεοδίδακτοι uocantur. Non itaque illic de ſcripturis eſt ſermo, ſed de ipſo Euangelio, id eſt, doctrina Euangelica, quæ ſi non fuiſſet literis comprehenſa, propter ſui breuitatem, uel in tabulis cordis potuiſſent inſcribi. August.

Quod in psalmis 18. producitur, hunc habeat ſenſum, non quòd ſcriptura ſit perſpicua aut aperta, ſed quòd diuina præcepta, præſertim, quæ ueteri lege abrogata, in Euangelio ſucceſſerunt, ſint aperiſsima. Quid enim apertius illo, quod modò diximus, Euangelicæ legis compendio, Diliges dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut te ipſum? Aut illud, Quodcunque tibi fieri non uis, alteri ne feceris? &, Quæcunque uultis ut faciant uobis homines, hæc facite illis? Ergo non de ſcripturis, illis locis ac ſimilibus ſit ſermo, ſed de diuinis mandatis, quæ etiam prædicationis beneficio ſine ſcripturæ lectione memoriæ mandantur. Et ut de ſcriptura loqueretur ſanctus

Dilutio 10.
Matth. 22.
Rom. 13.
Matth. 8.

Pſal.51. Propheta, nulla ratio permitteret, ut à Dauide homine propheta, & cui incerta & oc-
Pſal.1. culta ſapientiæ ſuæ Deus reuelauit; quique in lege eius meditabatur die ac nocte, ad
eos, qui nunc uiuimus, aut ad plebes indoctas, ratiocinatio ualeret.

Deinde ſi non modò de ſe ſed plebibus etiam ſui ſæculi, aut de hominibus eius tem-
poris Dauid loqueretur, nulla conſequentiæ uirtute conficitur, ut ad noſtra quoque
tempora conſequentia diſcurrat, niſi quòd eſt contra omnem ſenſum temporis anti-
quitas & diuerſæ linguæ phraſis, difficultatem non inducant. Habebant Hebræi populi
ſub Dauidis imperio diuinam legem per Moſem lingua materna paulò antè tributam,
nec prorſus tunc ea ratio loquendi, quæ in lege fuerat obſeruata, conciderat. Habe-
bant & eius ſæculi homines uerum legis à proauis, qui eam per Moſem ſuſceperant,
germanumque ſenſum. Vnde nihil illis erat in legis intelligentia, præter ipſam re-
rum maieſtatem, aduerſum: nunc multò alia res eſt, quando præter rerum profundi-
tatem, ipſa etiam ſermonis difficultate confundimur. Immo uerò & Iudæi ipſi Dani-
dis tempore, & uſque ad Babylonicum excidium, quòd apertior tunc lex eſſet, quàm
quod magiſterium requireret, nullos publicos legis doctores aut ſcribas habuiſſe le-
guntur. Poſtea uerò cùm & Hebraici ſermonis puritas, & legis diuinæ ſtudium in-
clinare cœpiſſent, non omnibus paſsim ſed quibuſdam, quos ad id muneris eiuſdem
Eſra 7. ſanctæ legis notitia prouexerat, ſcripta diuina tractare licebat. Vnde Ezras ſcriba ue-
lox omni multitudine populi audiente, legem Domini legit.

Tertio etſi Dauid illis locis de diuina ſcriptura loqueretur, non tamen de tota
ſcriptura, ſed de ea, quæ lex aut præceptum dicebatur, illi ſermo eſſet. Quæ quan-
tum id, quod ad eius ſæculi homines, mortuam illam literam (inquam) attinebat,
ſatis erat aperta. At longè alia ratio erat, de propheticis uaticiniis, quæ tunc non erāt
edita; & de ea lege prout noſtræ Euangelicæ legis eſt umbra, quæ ut rectè cognoſca-
tur, non uulgarem ſed extremam quandam requirit ſapientiam. Vnde & ſanctus ipſe
Pſal.118. Propheta eodem loco orando petit, Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia
de lege tua.

Quartò ex locis illis tantùmodo habetur, uerbum Dei eſſe lucernam, præceptum
Domini eſſe lucidum, aut quod habet Hebraica ueritas, & multò minus his alioqui He-
braicis hominibus ſuffragatur ברה barah, ideſt purum aut ſincerum; fieri tamen
poteſt, ut uerbum Domini ſit lucerna & ſit lux, & tamen non omnes oculi illud uerbum
1.Ioan.1. lucidum, aut illam lucem percipere ualeant, ut antea dicebamus. Deus profectò lux
1.Tim.6. eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ, & tamen lucem habitat inacceſsibilem, quam nul-
lus hominum uidit, ſed neque uidere poteſt. ſol lux eſt, & tamen non ab omnibus
oculis percipi poteſt: ſic diuina ſcriptura lux eſt, ſed non ab omnibus oculis, ſed ab
exercitatiſsimis, & continuo ſtudio iam aſſuetis percipi poteſt.

Quintò ſancta ſcriptura, diuinæ, quæ in ea continetur, legis ratione, uerè lux eſt,
uerè lucerna, uerè præceptum lucidum eſt: non quòd omnibus hominibus ut ſcripta eſt,
ſine magiſtro & interprete pateat, ſed quòd uel à doctis lecta, uel à populo audita,
inter huius tenebroſæ caliginis ſalebras (ut de Petri loco modò dicebamus) in cœlum
nos ducat, & uerè ſimplex etiam anus, quæ nunquam ſcripturam legit, diuinæ legis
auxilio, quaſi quadam lucerna, in ſalutis uia tutiſsima incedit. Atque hoc eſt, quod
Pſal. 18. altero horum locorum Dauid ſubiungit, Teſtimonium domini fidele, ſapientiam præ-
ſtans paruulis. quòd nimirum per diuinam legem aut teſtimonium id, quod ingentia
illa mundanæ ſapientiæ culmina Philoſophi, poſt multos exhauſtos labores, poſt mul-
torum hominum magiſteria, uel de rerum cognitione, uel de inſtruenda uita non po-
tuerunt apprehendere, paruuli & ſimpliciſsimi quique, diuinæ legis cultores perfectiſ-
ſimè nouerint, atque id maximè in Euangelico ſtatu, ubi filius ipſe, quæcunque diui-
Matth. 11. nitatis myſteria, à patre acceperat, nota nobis fecit.
Dilutio 11. Simile eſt quod ex Apoſtolorum elogio ſubinde proferunt, quòd Chriſtus Apoſto-
lis dixerit, Vos eſtis lux mundi. Ab iſtis profectò iure noſtro quæremus, An id de
uniuerſis Apoſtolis, an uerò de iis tantùm, qui Euangelia literis mandarunt, Chriſtus
loquutus fuerit? De omnibus dicent, ſat ſcio: ergo non ſcripturæ perſpicuitas, ſed
Euangelicæ prædicationis claritas, illo loco docetur. Nos autem non negamus Euan-
gelicam prædicationem, quam iuxta auditorum menſuram, Apoſtoli propinabant,
fuiſſe

fuiſſe apertiſsimam, præſertim uerò illo ſæculo; quando non ſeipſos ſed Chriſtum prædicandi mos inoleuerat. ſatis tunc habebant Apoſtolici uiri elementa ſermonum Dei Hebr. 5.
& baptiſmatum, impoſitionis quoque manuum, reſurrectionis mortuorum, & iudicij Hebr. 6.
æterni, paruulis, quos in Chriſto generabant, doctrinam infundere. Quanuis inter perfecti ſenſus uiros, loquerentur ſapientiam. Non autem rectè colligitur, Apoſtolorum 1.Cor. 2.
prædicatio aperta erat, ergo tota ſacra ſcriptura aperta eſt. quoniam totius ſcripturæ Apoſtoli non fuerunt auctores, quòd ſi fuiſſent, adhuc mala eſſet collectio. Quoniam dum prædicarent, auditorum menſuræ, quos tunc habebant Apoſtoli, quæcunque dicebant, attemperabant: ſcripta uerò tam ipſi, quàm ſpiritus diuinus, per ipſos, non rudibus auctoribus, ſed uniuerſæ catholicæ Eccleſiæ, in qua uiri erant futuri ſapientiſſimi, quique ſe totos, in diuinæ ſapientiæ theſauros inueſtigandos componerent, nuncupabant. Conſtat enim Paulũ ex iis, quæ modò diximus, duplex genus doctrinæ (quod & de cæteris Apoſtolicis uiris credere oportet) habuiſſe, alterum, quod rudibus & neophytis hominibus; alterum quod deſeruiret ſapientibus. quæ duo genera, præcipuè uerò hoc ſecundum, ſuis ſcriptis inſeruit. Vnde quemadmodum dum Paulus prædicabat, non omnia omnibus exhibebat, ſed his lactis hauſtum, illis ſolidum cibum, ita ſua ſcripta, quæ hæc duo doctrinæ genera continent, non omnibus (mihi crede Brenti) uult propinari, ſed Euangelici prædicatoris prudentia, lac à ſolido cibo, ne noſtri ſæculi paruulis noceat, qui neque illud ſpiritualis fortitudinis robur, quod illo ſæculo paruuli in Chriſto poſsidebant, obtinent, cupit ipſe diſcerni. Et certè qui paruulos in rerum ſublimium tractatione non admittebat, nec ad ſua ſcripta, ubi cum humili illa paruulorum catecheſi etiam adultorum in Chriſto ſapientia continetur, plebes admitteret.

Sed quid huic loco exponendo ſine cauſa immoramur? Profectò hîc Chriſtus neque quòd ſcriptura ſacra ſit aperta, nec quòd Apoſtolica ſaltem ſcripta ſint perſpicua, neque quòd Euangelica prædicatio eſſet clara, lucem mundi uocat Apoſtolos, ſed quòd per Apoſtolicos uiros, & eorum prædicationem, errorum & peccatorum, quibus mortales obſidebantur, denſiſsimæ tenebræ fuerint prorſus diſiectæ.

Praecipua, aiunt, uerbi Dei, quod in ſcriptura continetur, capita tantùm quatuor ſunt, Symbolum ſcilicet, Decalogus, oratio Dominica, & ſacramẽta, quæ omnia Dilutio 12.
ſua aperta teſtimonia in ſcriptura habent. ſit ita. quid ergo? inde'ne colligitur licere totum ſcripturæ campum indoctis hominibus expaſcendum exponere? aut inde ne colligitur, quod harum quatuor rerum capita ſint aperta, reliquam ſanctæ ſcripturæ portionem, quæ latiſsimè patet, apertam eſſe?

Sed quo pacto, quæſo, præcipua iſta quatuor capita tam aperta habent in ſancta ſcriptura teſtimonia, ſi nullum fuit illorum, in quod hæreticas machinas Satanas non applicuerit? Quo pacto ſi tam apertum teſtimonium, filij cum patre conſubſtantialitas, in ſcriptura habebat, Arrius non uidit? Quo pacto ſi Chriſti diuinitas tam apertum habebat teſtimonium, Paulus Samoſatheus, quem uniuerſos Brentios eruditione præcelluiſſe non eſt ambigendum, Chriſti diuinitatem non uidit? Macedonius cur illo apertiſsimo teſtimonio, cum patre & filio ſpiritus unitatem non intellexit? Eutiches & Dioſcorus, quo pacto non perceperunt ſtatim, poſt uerbi & carnis unionem, duplicem in Chriſto naturam? Et demum, cur hæretici omnes ea clariſsima ſcripturæ teſtimonia, quæ eos ab errore potuiſſent retrahere, non uiderunt? Percontari deinde libet hos lynces, an in ſymbolo contineatur articulus ille, Deſcendit ad inferos? Quod ſi annuãt, ex uerbo Dei, apertiſsimum teſtimonium, & quòd etiam refractarios hæreticos peruincat, expoſtulo: non igitur quæcunque ad ſymbolum pertinent, tam apertum, quàm aduerſarij docent, teſtimonium habent. Nec libet ſingulorum articulorum, qui in ſymbolis continentur, teſtimonia diſcutere, cùm abundè eorum difficultatem oſtendant, tot quotidie poſt Chriſtianæ religionis initium, tum à ſanctis patribus; tum ab hæreticis libri editi. Quis enim de his rebus, tam aperta eſſe in ſcriptura teſtimonia, his credat, qui tot & tam atrocibus diſsidiis & pugnis à ſe inuicem diſtent? An'non hominis iuſtificatio ad remiſsionem peccatorum, quam in ſymbolo confitemur, pertinet? Cur ergo Oſiander uiginti ſententias inter ſe repugnantes, ſcripto mandauit? quibus neque ipſe, ut aliquid quoque non afferret, conſentire uoluit. An'non ſunt de peccato in

Spiritum ſanctum, non modò inter Catholicos, ſed inter hæreticos etiam grauiſsimæ pugnæ? aut cur ſi de ſacramentis in eadem ſcriptura tam apertè præcipitur, tot ſunt in-
Luth. Zuin. ter eos de numero ſacramentorum acerbiſsimæ rixæ? Cur hi in cœna Domini Chriſtum ipſum realiter, illi contrà tropicè tantùm contineri docent? Cur hi de ſumenda utraq;
Luth. Phil. ſacræ cœnæ parte corpore & ſanguine, diuinum docent eſſe præceptum, illi contrà
Buc. tantum abeſſe, ut de ſumenda utraque parte ſit diuinum mandatum, ut ſi nullam per
Brent. Caluin. totam uitam homo ſumat, nullius delicti ſit reus, conſtantiſsimè aſſerunt? Verùm iſtis,
Vualf. &c. quoniam ea capita uerbi Dei, frequenti uſu uel docendi uel tractandi, uidentur aperta, tota proinde ſacra ſcriptura iudicatur perſpicua: eo nimirum pacto, quo quis, quòd apertè intelligat, illud Chriſti apophthegma, Quæcunque uultis ut faciát uobis homines, hæc & facite illis, & è conuerſo. quoniam ad id totá Chriſtianæ iuſtitiæ partem, quæ ad proximi dilectionem ordinatur, pertinere cognoſcat, totam eam ſcripturæ portionem, quæ in fraterna iuſtitia explicanda diſtringitur, probè noſſe & intelligere perinde ſe iactet: aut eo pacto, quo quis totam ſcripturam ſe intelligere crederet, quòd ſciat eam uniuerſam in Dei & proximi dilectionem contendere; quo nihil ſtultius. Nam & hac ratione, qui ſciret iuris prudentiæ capita præcipua, & ad quæ uniuerſæ leges & ſanctiones contenderent, cunctas perinde leges & conſtitutiones ſcriptas cognoſcere diceretur. Idemque de uniuerſis ſcientiis eſſet ſentiendum, ita ut illi, qui ſcopum Medicinæ aut Matheſeos cognouiſſet, notiſsimi eſſent, perinde & intellectu facillimi, Hippocrates, Galenus, Cornelius, Aëtius, Auicenna, Euclides, Archimedes, & cæt.

Dilutio 13. NEQVE uerò nobis talis ſcriptura obtruſa eſt, qualis Platonis Timæus, aut ſi quod eſt aliud difficilius Philoſophorum ſcriptum, ſed tam perſpicua & non amplius, quantùm rerum, quæ in illa pertractantur, diuinarum, & myſteriorum maieſtas, humanæ fragilitati accommodata permittit. quanquàm poſtea, præter hanc rerum ipſarum difficultatem, longa ſæculorum ſeries, ut antè dicebamus, difficultatem induxerit. Immo uerò ſi Timæus Platonis (cùm tamen de his rebus, quæ naturæ ditionem non tranſcendunt, agat, cumque non à quouis, ſed ab eloquentiſsimo, & uno Socrate excepto, ſapientiſsimo philoſopho fuerit editus, qui nullo pacto aliam ſtyli difficultatem, aut duritiem, quam res ipſæ, de quibus agebatur, poſtulabant, affectaſſe uidentur) tam difficilis eſt aduerſariis, cur ſacram ſcripturam, quæ tot ſymbolis, tropis, & ænigmatibus utitur; quæ res non naturæ ſubditas, ſed prorſum uniuerſum naturæ ordinem tranſcendentes, continet; quæ non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, ſed tota cruci-
1. Cor. 2. fixo ſermone contexitur; quæ non Attico, ſed Hebraico ſermone & idiomate fluxit; non obſcuram & obſtruſam putabunt? An auguſtiora ſunt illa myſteria, quæ illic uel de mundi conditione, uel deorum genituris; Plato memoriæ prodidit; ad quæ tamen aptè tractanda, non ſemel auxilium diuinum poſtulat; & ſi quid minus illorum dignitate dixerit, humanam fragilitatem prætendit: quàm illa, quæ de einſdem mundi generatione, aut de ſanctæ Trinitatis natura, Chriſti œconomia, &c. ſcripturarum docetur.

Dilutio 14. VERBVM, aiunt, quod Dominus nobis cognoſcendum propoſuit, intra nos eſt, non ſupra nos, neque in cœlo, neque in Roma, aut ultra montana Antiochiæ. Quis ne-
Deut. 30. gat, cùm id ipſum olim per Moſem Deus, non minus nobis quàm Iſraëlitico populo in deſerto prædixerit? Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, ait, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neq; in cœlo ſitum, ut poſsis dicere, Quis noſtrum ualet ad cœlum aſcendere ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare? & illud ad nos uſque deferre, ut poſsimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo ualde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.

VERVM quàm aliorſum atque iſti accipiunt uerbum Dei intra nos eſſe dicatur, Pau-
Rom. 10. lus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, dum utriuſque teſtamenti iuſtitiam inter ſe confert, apertiſsimè oſtendit. Moſes, inquit, ſcripſit, quoniam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit, homo uiuet in ea: quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcēdet in cœlum? id eſt Chriſtum deducere. aut, Quis deſcendet in abyſſum? id eſt Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit ſcriptura? Prope eſt uerbum in ore tuo, & in corde tuo. hoc eſt uerbum fidei, quod prædicamus: Quia ſi

confitearis in ore tuo Dominum Iesvm, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum
ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſ-
ſio fit ad ſalutem, &c. Non ergo de ſanctæ ſcripturæ perſpicuitate, ſed de diuinæ legis
facilitate, quæ tantùm à nobis fidelem confeſsionem & fidem ab intimo corde proce-
dentem, id eſt, efficaci dilectione coniunctam, non ſalutis aut uitæ temporalis, ut olim
in ſtatu Moſaico, ſed æternæ uitæ & ſalutis propoſito præmio, poſtulat, locus ille
intelligitur. Atque adeò non ſcriptura, quam ego tibi trado hodie, ſed mandatum,
inquit. Nam quod ſtatim ſubiungit, Prope eſt ſermo in ore tuo, &c. ſciunt Hebraiciſ-
ſimi homines, frequentem eſſe Hebraicæ linguæ cōſuetudinem, uerbum aut ſermonem,
pro re accipi. Ac ſi diceret Deus, Res, quam ego præcipio tibi hodie, ea eſt, ut dili-
gas Dominum Deum tuum, & ambules in uiis eius, & cuſtodias mandata illius, &c.
Iuxta te eſt, in ore tuo, in corde tuo, ut facias illam, id eſt, tam facilis eſt, ut in ore
tuo & corde tuo ſit ſita. Quantum uerò inter legis facilitatem & ſcripturæ, qua lex
illa, & præter illam alia multa continentur, perſpicuitatem interſit, ſi aduerſarij non
percipiunt, ſunt prorſus ſtupidi. Fatemur igitur diuinæ legis, ſiue Moſaicæ, ſiue Euā-
gelicæ, magnam eſſe facilitatem: (ideò enim ſuaue iugum à Chriſto uocatur) cum hoc Matth. 11.
tamen fatemur, ſcripturam propter multas cauſas eſſe difficilem, neque hoc diuinæ
bonitati aut prouidentiæ ullum detrimentum affert, quam ſcimus quoſdam dediſſe
Apoſtolos, quoſdam prophetas, quoſdam Euangeliſtas, quoſdam autem paſtores & Ephe. 4.
doctores, quoſdam rurſus manus, quoſdam pedes, & quoſdam, qui his uiderent, ocu-
los, in Eccleſia feciſſe. Alij ſpiritum ſapientiæ, alij prophetiæ, alij ſermonum, &c. ad 1. Cor. 12.
huius ſanctæ reipublicæ lucem clementer indulſiſſe.

Qvod si tam prope eſt ſacræ ſcripturæ intelligentia, ut neque Romæ, neque in
Antiochiæ montanis quærenda ſit, cur (quod doctiſsimi quidam ante nos prodiderūt) Hoſius Cardin.
eam ipſi Vuittembergæ quærunt? ſi Romæ non eſt, neque Vuittembergæ erit. Sed ea
omiſſa, quicunque mortalium, etiamſi porcarium agat, ſanctarum ſcripturarum tam
rectus & idoneus erit interpres, quàm Brentius aut Philippus, immo quàm totus Vuit-
tembergenſis ducatus. Quid ergo qui doctores theologiæ aut artium magiſtri crean-
tur Vuittembergæ, contra huius Moſaici loci libertatē, præ conceptis uerbis iurare co-
guntur, nihil ſe in religionis doctrina nouaturos, niſi prius ad ſeniores confeſsionis
Auguſtanæ, qui Vuittembergæ ſedem habent re delata? An uerò illis, qui doctores
aut magiſtri creantur, per Moſem non dicitur, Mandatum, quod ego præcipio tibi ho-
die, non ſupra te eſt, &c. An uerò Deus mendax eſt? qui quod ſit in Vuittemberga ſi-
tum, docet iuxta unumquemque eſſe?

Videant igitur ſtupidi homines, regnum quidem cœlorum intra nos eſſe, neque Ioan. 6.
Romæ ſitum ultra mare, neque in cœlo, ne quis impoſsibilitatem cauſetur, ſanctarum Verus germanusq; ſēſus Moſaici loci.
tamen ſcripturarum intelligentiam, ne ſimus, ut illi paruuli, fluctuantes, & circunfera-
mur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem
erroris, Romæ & modò Tridenti ſitam eſſe, ubi plures ſunt & meliores, quàm in Ephe. 4.
mille Vuittembergis.

Demvm etiamſi uerba illa, de ſacræ ſcripturæ perſpicuitate daremus intelligi, ta-
men pſeudodialectici iſti nihil haberent quo probare poſſent modò nobis facilem eſſe.
Acceperunt Hebræi illi, quibus à Moſe uerba hæc dicuntur, legem; acceperunt ab ipſo
Moſe legitimo diuinæ uoluntatis interprete, quid toto illo legali uerborum ambitu, ab
eo populo poſtularet Deus; acceperunt non aliena ſed propria lingua; acceperunt non
inobſoleta iam phraſi, ſed in ea, qua tunc utebantur: nos contrà, neque legem aut ſcri-
pturas accepimus, neque ab illis ſcripturarum conditoribus accepimus, neque lingua
noſtra accepimus, &c.

Nam qvod aiunt ex Apoſtolo Paulo, Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram do- Dilutio 15.
ctrinam ſcripta eſſe, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, Rom. 15.
non magis illis ſuffragatur, quàm præcedentia. Nihil enim aliud illo loco docet Apoſt.
quàm quod idem ad Corinthios ſcribens diuerſis quidem uerbis, ſed eadem prorſus
ſententia. Nolo, inquit, uos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub mare 1. Cor. 10.
fuerunt, omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube, & in mari;
& omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritua-
lem

lem biberunt : ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo . nam proſtrati ſunt in deſerto . Hæc autem in figura facta ſunt noſtri , ut non ſimus concupiſcentes malorum ,
Heb.10. ſicut & illi concupierunt , &c. Itaque umbram tantùm legem illam futurorum bonorum , quæ in ſtatu Euangelico exhibenda erant , & malorum , quæ cauenda erant , fuiſſe docet Apoſtolus, non item ipſam ſcripturam , uulgo hominum, ut aduerſarij putant , & plebibus lacerandam permiſit . Eſt autem frequentiſsimus Paulus in huiuſmodi ue-
Hebr.4. & 6. teris ſcripturæ alluſionibus , ut cùm hiſtoria exacerbationis Hebræos à noua induratione cordis deterret , & cùm ex iuramento Domini facto Abrahæ , in futuræ fœlicitatis certiſsimam ſpem , iubet corda conſurgere , &c.

Sed neque Paulus illo loco ſermonem dirigit ad plebes, ſed ad uniuerſos Romanos & Iudæos : inter quos multi erant doctiſsimi , qui doctrinam & conſolationem ſcripturarum , paruulis in Chriſto , ex ipſo ſanctæ ſcripturæ latiſsimo pelago excipientes , prædicationis & exhortationis beneficio potuiſſent infundere ,

Dilutio 16. Vnde haud mirum erat Moſem ſcripta lege, traditaque ſacerdotibus & ſenioribus
Deute. 13. Iſraëlitici populi , mandaſſe eiſdem , ut legerent librum , in cœtu uniuerſæ Eccleſiæ , tam uirorum quàm mulierum, tam adoleſcentum , quàm aduenarum, cùm nihil in lege aliud contineretur , quàm ea , quæ Moſes illi ipſi paulò antè expoſuerat .

Dilutio 17. Eodem'que pacto ſancti quidam patres , uel Græci , uel Latini, prioribus illis ſæculis populum ad ſanctæ ſcripturæ lectionem hortabantur . Nimirum , quòd totum nouum teſtamentum , Græcè, id eſt, uulgari Græcorum lingua , fuerit primitus editum : uetus
Chryſoſt. homil. 2. in Matth. homil 28. in Gene. homil. 9. in epiſt. ad Coloſſ. Hierony. in epiſt. ad Coloſſ. c. 3. autem ex Hebræo ante multa ſæcula , immo ante Chriſti aduentū , non ſine numine , in eandem fuerit non ſemel conuerſum : utrunque uerò & uetus , & nouum , ab ipſis Apoſtolis , germanis ſanctæ ſcripturæ interpretibus , aut ab eorum ſucceſſoribus Latiuo ſermone donatum . Quanuis poſtea Hierony. ex Hebraica ueritate & ex multis, quæ antea erant, editionibus, unam omnibus puriorem Latinis præſtiterit . Erant hæ linguæ apud Chriſtianos non extraneæ , proxima illa Eccleſiæ ætate , in Aſia , Europa , & Africa , ſed uulgares , & uernaculæ , propter Græcorum & Romanorum imperia . Paucíſsimi enim erant , qui Græcè aut Latinè non ſcirent . Erant illæ latiſsimæ linguæ , ita ut ex diuerſis conuerſionibus , nullum timeretur diſsidium : quod nunc centenis quibuſque ſtadiis , ſi ſemel detur conuertendi facultas , proculdubio timetur . Fuerant illæ conuerſiones , cùm à multis , quos illa ætas fœlicíſsima ferebat , ſanctis patribus , tum ab Apoſtolicis uiris approbatæ . Noſtrorum autem ſæculorum longè alia ratio eſt : nec enim materna lingua , aut ſcriptura ſuſcipimus fidem , ſed Latina : neque noſtras uerſiones Apoſtolico uſu confirmatas habemus , neque noſtri ſæculi conuerſoribus & interpretibus tantum , quantum Hieronymo aut Ambroſio eſt tribuendum .

Sed neque Chryſoſtomus aut Hieronymus , aut quiſpiam alius Græcus aut Latinus pater , plebibus etiam longè piiſsimis , ſcripturas tractandas obtulit , ſed ſuis auditoribus : quos cùm eſſet totius Græciæ , tum celeberrimus ſanctarum ſcripturarum interpres , tum eloquentiſsimus concionator , & qui liberrimè frequenter in Imperatores ipſos aculeos infigeret , tum demum Conſtantinopolitani Patriarchatus dignitate honeſtatus , & doctiſsimos , & frequentiſsimos habebat .

Non est autem neceſſe , ut quæcunque, dum concionamur , dicimus , ad plebes pertineant . ille enim prudentiſsimus concionator putatur , qui diuerſis ingeniis , ſtatibus , ſexibus , de ſuæ ſapientiæ theſauro , diuerſa producat . Erat illo ſæculo , non modò clericis aut monachis familiaris ſapientia , ſed laicis : immo uerò & fœminæ nonnullæ erant , quæ præter muliebrium uirtutum diuitias , tantam ſapientiam & utriuſque philoſophiæ peritiam adeptæ erant , ut uiros eidem excolendæ deditiſsimos , in inuidiam
Syn. epiſt. 10. 33. 134 154. adduxerint . Qualem Hypatiam illam Theonis geometræ filiam , ad quam Syneſius Cyreneus ſummus Philoſophus , & Ptolemaidis Epiſcopus , ſub titulo τῇ φιλοσόφῳ , id eſt philoſopho fœminæ tot epiſtolas dirigit : in quibus illam matrem , ſororem , magiſtram ,
Hiſto. trip. l. 11. c. 12. Niceph. lib. 14 c. 16. Suidas in Hypatia. & uenerandam dominam , & communem magiſtram & genuinam ducem ac magiſtram Orgiorum philoſophiæ , frequentiſsimè uocat . & de qua eorum ſæculorum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ mira , & ſupra fœminæ ſortem & ſexum, memoriæ prodiderunt . Qualem etiā Eudociam Leontij Athenienſis filiam , Theodoſij uerò iunioris coniugem , quæ Homerocentones à Patricio quodam inchoatas peritiſsimè abſoluit , quamque Zonaras pul-

cherrimam

cherrimam, & omni genere literarum perpolitam appellat. Ocioſum eſſet, eorum temporum, etiam inter eos, qui mundo militabant, doctiſsimos uiros huc uelle perducere: ſedes ipſas imperatorias ſapientia occupauerat, adeò ut uix fuerit aliquis eorum etiam inter ſanguinarios Tyrannos, qui utriuſque philoſophiæ non eſſet peritus. Quod utinã hodie principibus iſtis, qui religioſæ doctrinæ cupiunt eſſe iudices, imitari liberet. Ergo in ampliſsima illa auditorum concione, ubi tot docti erant licebat Chryſoſtomo populum carpere, quòd cùm uaniſsimis fabulis aut inanibus externæ philoſophiæ quæſtionibus operam darent, ſanctas omnes ſcripturas ad clericos & monachos ablegarẽt.

Atqve eodem ſenſu accipiendum eſt, quod ſcribit Hieronymus. nam cum interpretaretur uerba illa, Verbum Chriſti habitet in uobis, Hîc oſtenditur, inquit, uerbum *Coloſſ. 3.* Chriſti, non ſufficienter laicos habere debere, & docere ſe inuicem uel monere. Laicos inquit, non plebes indoctas. Quanquàm hoc loco Hieronymus de uerbo Dei, id eſt, de Euangelica doctrina, quæ etiam ſine ſanctarum ſcripturarum lectione, ſola prædicatione poteſt haberi, abſque ulla contradictione poſsit intelligi. Itaque nos non arcemus laicos, etiam eos, qui tantum Latinè ſciunt, à ſanctarum ſcripturarum lectione; ſed laudamus & cõmendamus eos, quaſi homines Chriſtianæ religionis rationem habentes, immo uerò neque fœminas quales doctiſsimas multas non ignoramus: ſed plerunque & illos, & has, cum increpationibus, quod Chryſoſtomus faciebat, ad ſanctos libros & ſcripturas remittimus. Optamus etiam ut omnes Latinè aut Græcè ſcirent, ut loco prophanorum & plerunque peſtilentium librorum, ſacras ſcripturas & ſanctorum patrum, quorum doctrinam & uitam Deo placuiſſe certiſsimi ſumus, labores euoluerent. Optamus deinde & maximè optamus lectionis publicæ munus, quòd non modo apud Iudæos ſingulis ſabbatis, ſed Apoſtolicis quoque & multis poſt temporibus, *Luc. 14.* fuit frequentiſsimum, immo in quo & olim, & hodie rectè peragendo lectores *Act. 15.* ordinamur, Pontificum aut minorum Epiſcoporum cura in Eccleſia reſtitui: quo illo *Ioſeph, lib. contra Appionem.* ſaltem dominicis diebus, quibus concio non eſſet, lectiones tum Euangelicæ, tum etiam epiſtolares, ſenſu tantùm literali & hiſtorico, populis explicarentur, niſi quòd hoc munus noſtra memoria doctiorem, quàm antiqua illa miniſtrum requireret: tum quòd illa ſcripturas uernacula lingua, noſtra uerò Latina ſcriptas habeat. tum quòd eorum fœlicium ſæculorum, quando nondum tot hæreſes Eccleſiam & fidei puritatem inuaſerant, ſincera ſimplicitas, planiorem explicationem, quàm nunc pateretur. Fuiſſe certè iſtud lectionis publicæ munus in Eccleſia frequentiſsimum, Apoſtolicæ literæ docent. Attende (inquit ad Timotheum Paulus) lectioni, exhortationi, & doctrinæ, *1. Tim. 4.* dum uenio. Quibus uerbis Eccleſiaſticum ordinem, quo tunc in docendo utebantur *Lectionis munus in* Euangelici miniſtri, planiſsimè oſtendit. Primò enim omnium ex ſacris ſcripturis aliquid *Eccleſia olim frequẽns.* legebatur, deinde exhortatio & doctrina ſequebatur. Sed & huc pertinet illud, quod in ſanctorum patrum homiliis crebrò repetitur lectio, Quam audiſtis fratres chariſsimi, &c. Refert Socrates, apud Alexandriam feria quarta, & ea, quæ paraſceue di- *Li. 5. c. 25.* citur, id eſt, ſexta, publicas lectiones fuiſſe, & poſt eas doctorum exhortationes, & ſacram ſynaxim. Optamus, inquam, iſta reſtitui, tantum abeſt, ut uel laicos doctos, uel plebes à ſanctæ ſcripturæ lectione ſincera arceamus: tantùm propter diſſenſionis diſcrimen, & propter locorum, qui multi in ſcriptura ſunt, difficultatem, eam, una lingua Latina contentam, plebium, quibus publica illa lectio aut prædicatio ad ſalutis cõſecutionem abundè ſufficit, temeritati ſubducimus.

Tertio Chryſoſtomus & reliqui patres, qui uel ante illum uel poſt illum, Eccleſiis præfuerunt, in Euangelico miniſterio ſoli erant. erat enim tunc uel propter abundantiam eruditorum Epiſcoporum, aut ob alias cauſas, grande nefas presbyteros aut monachos prædicare. Vnde Valerius Hypponenſis Epiſcopus, quòd Auguſtino poteſtatem *Poſsidon. in* faceret coram ſe prædicandi, aliorum Epiſcoporum Africanorum obtrectatione non *uita Aug.* caruit, quòd nimirum rem inuſitatam in Eccleſiam induceret. quamquàm eius exemplo, quòd uir eſſet magna auctoritate, ſuis quoque presbyteris prædicandi poteſtatem deinde præſtiterint. Docet & id ſtomachus ille Hieronymi in quoſdam Epiſcopos, qui *In cõmẽt.* presbyteros à prædicatione arcebant, cui dũ plus nimio indulget, presbyteros Epiſcopis *epiſt. ad Ti.* diuino iure pares, humana uerò conſtitutione minores docere non timet. Quin poſt *& in epiſt. ad Euagr.* Chryſoſtomi tempora, in concilio Vaſenſi apud Gallias ſub Leone primo, Romano *Can. 4.*

Pontifice, & Theodoſio iuniore, uel quòd iniquum uideretur & inuidũ, non id facere, uel quòd Epiſcoporum eruditio inclinare cœpiſſet, primò omnium generalis prædicandi facultas indulgeri cœpta eſt. Hoc etiam (aiunt patres illic congregati) pro ædificatione Eccleſiarum omnium, & pro utilitate totius populi, nobis placuit, ut non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis, uerbum faciendi daremus presbyteris poteſtatem, ita ut ſi presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſe ipſum non potuerit prædicare, ſanctorum patrum homiliæ à diaconis recitentur. Hactenus Conciliũ. Cùm itaque ſolis Epiſcopis, uerbum Dei prædicare liceret, neque ipſi, uel propter incidentes languores, uel propter Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cui maximè ſtudebant, ſolicitudinem, omnibus ſufficerent, non eſt mirandum ſi pias illorum temporum plebes, & uni ſaluti acquirendæ intentas, ad ſcripturas remitterent. Nam cùm duo eſſent diſcrimina, alterum prorſus carendi uerbo Dei, alterum propter legitimi ſenſus ignorantiam, ex ſanctæ ſcripturæ lectione, incidendi in errores, & illud (quòd tanto oneri ipſi non pares eſſent) certiſsimum eſſet, hoc uerò propter eorum temporum adhuc uiuum uirtutis ſtudium, & animorum candorem, incertum, tam prudenter profectò mihi feciſſe uidentur, quàm qui fame maceratum gregem, in altiſsimos cliuos, unde præcipitium timeretur, mallet adducere, quàm domi concluſum inedia conficere. Noſtrorum ſæculorum longè alia ratio eſt, ubi quanuis antiqua illa prædicandi ſolicitudo deſeruerit Epiſcopos, ſunt tamen Dei gratia ex clero & religionibus ingentes prædicatorum exercitus, qui Chriſti Euangelio, totum Orbem repleant. non eſt enim hodie uiculus in Orbe Chriſtiano, præſertim uerò in Eccleſia Latina, ubi per ſingulos annos, non ſint frequentiores conciones, quàm olim Conſtantinopoli, Antiochiæ, aut Alexandriæ. Quæ res, meo quidem iudicio, & uulgares ſacrorum Bibliorum uerſiones abunde compenſare, & publicas illas lectiones, de quibus paulò antè loquebamur, ſuſtuliſſe uidetur. Quorſum noſtrorum temporum plebes ſanctæ ſcripturæ lectione egeant, in tanta concionum & uerbi Dei abundantia, aut cui uſui, publicæ lectiones ſunt futuræ, ſi pro ſuggeſto, quid Euangelica uel Apoſtolica lectio contineat, prædicator exponit? Non tamen prorſus fuiſſet abſurdum, eas publicas lectiones, ſaltem his diebus dominicis, aut ſanctorum feſtiuitatibus, quibus uerbum Dei non prædicatur, in Eccleſiam reducere. Aut ſi quòd hodie ſit tanta doctrinæ abundantia, hæc cauſa non ſufficit, ſaltem ut id munus, quod uno ex ſeptem ordinibus aut gradibus ordinis, ab Epiſcopo accepimus, non eſſet inane.

Dilutio 18. Qvod penultimo loco aiunt, ſuos in ſcripturis tam apertam de fidei articulis præcipuis habere cognitionem, ut cum ipſo Satana certamen inire audeant, non eſt aliud, quàm hæretica & uentoſa iactantia: inanis tamen, & Deo, angelis, & Eccleſiæ ridicula, qui cùm Satanæ perpetuo triumpho huius certaminis iudices & inſpectores agunt. Nec mirum quando & huius audaciſsimi exercitus primus dux Martinus Lutherus, de ſancto miſſæ ſacrificio cum diabolo diſputans, ingenuè fateatur manus dediſſe. Certare profectò fide & Eccleſiaſtica obedientia, dum ſuam omnem credulitatem in Eccleſiæ iudicium & ſenſum refundunt, atque hoc pacto uincere, Catholicorum eſt, non modò plebeiorum, ſed eorum, qui ad ſummum ſapientiæ faſtigium peruenerunt, qui libenter cùm à diabolo urgentur, nihil aliud ſe credere fatentur, quàm quod credit & docet catholica Eccleſia. Certare uerò propria temeritate & iudicio, atque ita uel ipſis dæmonibus riſum mouere, hæreticorum eſt proprium.

Cocleus.

Hæreticorũ temeritas.

Christi, qui auctor eſt ſcripturæ, priuilegium eſt, ſcriptura certare: noſtrum, qui nec auctores ſumus, nec tanta uirtute ſpiritus præditi, ut in Satanicas monomachias, qui & nobis antiquior eſt, & proculdubio ſapientior (nam & inde apud gentes dæmonis nomen obtinuit) quoties à diabolo urgemur, in matris noſtræ gremium & brachia confugere: quòd ſciamus nimirum, quàm malè primæ illi fœminæ & ſcientia, & Spiritus ſancti chariſmatos plenæ cum diabolo certamen ceſſerit. Scripturarũ, inquit, Ioannes Damaſcenus, experientiſsimus eſt & totius malitiæ magiſter & auctor diabolus. Scit ille profectò ſi non ſapientia, aſtutia tamen concertatores anteuertere. Scimus illum tot certaminibus reportaſſe triumphos, quot hæreticos iam ab Eccleſiæ primordiis tranſuerſos egit: qui cum proprio iudicio, & non potius ſuæ matris uiribus certare nitentur, quanuis in mundo haberentur doctiſsimi, Satanica tamen fraude circumuenti, turpiſsimè

In hiſt. Barlaam.

pisſimè

piſsimè manus dederunt. Nolumus Satanicum furorem, tot uictoriarum ſpoliis inſole-
ſcentem, experiri, alieno periculo ſapimus: & pulchrum iudicamus, non nobis ipſis,
ſed in aliis, id eſt, tota Eccleſia, Satanicos ictus excipere. Scutum illud obiicientes,
Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, atque hac confeſsione & humilitate peccatum,
mortem, horrores inferni, & demum Satanam ipſum dexterius proſternit apud nos
indoctiſsima anus & aratot agreſtis, quàm ſapientiſsimus Theologus. Multi erāt Chri-
ſti tempote in Moſaicæ legis cognitione doctiſsimi, nec tamen illi, ſed mulieres & pi-
ſcatores ſalui facti ſunt. Multi erant tempore Arrij, Macedonij, Neſtorij, & Eutichis,
ſanctarum ſcripturarum igorantiſsimi, qui ſimplici fide Satanicos impetus, qui acies te-
merarias hæreticorum proſtrauerant, uictores eluſerunt. plus mortem, peccatum, in-
fernum & Satanam (crede mihi) lædit credendi ſimplicitas, quàm intelligendi uiuaci-
tas. Et illud, quo mundus, caro, mors, peccatum, infernus, Satan, & ſi quæ ſunt
aliæ noſtræ ſalutis inimicæ factiones ſuperarentur, ſine ſanctarum ſcripturarum lectio-
ne diſci poteſt, Dilige dominum Deum tuum ſicut te ipſum: & Cadent à latere tuo Pſal. 90.
mille, & decem millia à dextris tuis, & ad te approximare non audebunt. Tutus eris &
à ſagitta uolāte in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio me-
ridiano. Hæc fuit diuinæ prouidentiæ ſapientia, ut Chriſtianorum arma, quibus Sa-
tanicæ acies eſſent profligandæ, omnibus Chriſtianis paria eſſent. Ea uerò ſunt non
ſcientia aut ſapientia, quæ non omnes nāciſci potuiſſent, ſed fides, ſpes, & caritas, quæ
plerunque abſque ulla ſanctatum literarum notitia, ſunt in ruſtico, quàm in doctiſsi-
mo Theologo uegetiores.

DEMVM quòd Petri iudicium de Apoſtoli Pauli epiſtolis, nimirum quòd ſint in eis Dilutio 19.
quædam difficilia, &c. contendunt excludere, propterea quòd in Eccleſiaſtico ordine
ſint quidam indocti, etiam & inſtabiles, quibus perinde ſanctarum ſcripturarum lectio
eſſet interdicenda, parum aut nihil aduerſariorum cauſam iuuat. Petri profectò de
Apoſtoli Pauli doctrina iudiciū, quòd ſcilicet indoctis & inſtabilibus, id eſt ignoranti-
bus & infirmis hominibus, ſiue illi ſint ex plebe, ſiue ex Eccleſiaſtico ordine Paulinæ epi-
ſtolæ & cæteræ ſcripturæ ſint prorſus pernicioſæ, abſque ingenti impudentia negari non
poteſt. Atque adeò hos omnes ex quocunque ordine eſſent, earum perinde lectione in-
terdicendos: quoniam ita aduerſarij uolunt, & ratio ipſa, & Chriſtiana caritas poſtu-
lare uidetur, libentiſsimè donamus: quoniam tamen uix in humana uiuendi ratione
omnia peccata aut peccandi diſcrimina tollere datur, non quod uolumus, ſed quod
poſſumus, facimus. Ergo quoniam inter hos, quos indoctos & infirmos Apoſtolus no-
cat, uulgus omne (quod non modò ſacrarum literarum phraſi, ſed omnium ſapientium
teſtimonio, his duobus elogiis & aliis ſimilibus ornari ſolet) certiſsimo numerati co-
gnoſcimus, illud ſanctæ ſcripturæ lectione non inuidia, ſed fraternæ caritatis inſtinctu
conſultò proſcripſimus, non quidem legibus latis, quæ nunquam non eſſe poſſent iniu-
rioſiſsimæ, dum Chriſtianos homines & pios, aut ignorātiæ, aut defectionis à fide red-
deremus ſuſpectos, ſed noſtrorum patrum, ſimul cum ſenſu, uerſionem etiam ſcriptu-
rarum conſeruando, quod profectò nemo in Chriſtiano populo dedecoroſum putauit.
cæteri omnes, quos non dubitamus multos eſſe ſiue Eccleſiaſtico ordine, ſiue in laica
turba uerſentur, (utrobique enim, ſicut qui in ſuam ſalutem, ita & qui in ſuam perdi-
tionem ſcripturas detorqueant, inueniuntur) dum intra ſe quidem uirus contināt, quo-
niam Eccleſiaſtico iudicio notari non queunt, tractare ſcripturas permittuntur. cùm
uerò primum conceptum uenenum euomere incipiunt, ita ut nobis ſcripturæ ſanctæ le-
ctione iudicentur indigni, non ſolùm ea interdicuntur, ſed plerunque malè tractatæ
ſcripturæ dant pœnas acerbas. Vtinam uerò qui huic congruæ tractationi ſcripturarū,
in Eccleſiaſtica republica magiſtratus inſpiciendæ, ſunt inſtituti, omnium, qui ſub oui-
na pelle lupinos hæreticorum animos celant, poſſent conſcientias penetrare, ut illi etiā,
qui in Eccleſiaſtico ordine ſunt huiuſmodi, abſcinderentur.

Quod ſit optimum genus interpretandi ſcripturas, & primò quæ nam de hac re fuerint hæreticorum ſententiæ. Cap. XI.

HAbes igitur huius ſanctæ reipublicæ leges, id eſt, ſanctas ſcripturas, non modò in iis, quæ ad ſalutem neceſſariò non pertinent, ſed in ipſis quoque præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus, obſcuras eſſe & abſtruſas, neq; perinde à cunctis tractandas aut uulgaribus linguis plebibus obiiciendas.

Ex his iam ipſo rationis pondere neceſſario colligitur, eaſdem eſſe interpretabiles, & per aliquos expoſibiles. Nam ſi ſcriptura ſacra interpretationem non recipit, quo pacto aut loci difficiles interpretabuntur, aut, quæ uidentur eſſe contradictiones, ſoluentur? Chriſtus enimuerò cum peccatoribus & publi-
1. Cor. 5. canis manducauit, & bibit. Contrà Paulus, Si is, inquit, qui frater nominatur inter uos, eſt fornicator aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Deinde ſi nulla humana interpretatio ſanctæ ſcripturæ eſſet adhibenda, quo pacto ouem aut bouem licuiſſet occidere, Domino ab-
Exo. 20. ſolutè ac ſine diſtinctione, dicente, Non occides? Sed neq; Chriſtiano homini iurare aliquando liceret, quòd Chriſtus dixerit quaſi ueteris legis imperfectionē corrigens, Ego autem dico uobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt, ne-
Math. 5. que per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt, &c. Vbi omnem iurandi occaſionem uidetur excludere. Taliaque ſunt tam multa in ſancta ſcriptura, tum ad hiſtoriæ ueritatem, tum ad uitæ actiones pertinentia: ut librorum ſcribendorum quibuſdam uberem ſegetem tribuiſſe legamus.

Incipit inquiri quis ſit legitimus interpres & iudex diuinarum legum. Iam vero quis ſit legitimus earum ſanctarum legum & germanus interpres, in quæſtionem conuertitur, ut ſciamus nimirum, unde earum uerum ſenſum & interpretationem, huius Eccleſiaſticæ reipublicæ ciues, qui iiſdem legibus & paremus & uiuimus, petere debeamus. Difficiles profectò & implicatas diuinas leges & ſcripturas ſuaſiſſe, humani ingenij audaciam & laſciuiam comprimit, fontem uerò, unde in eiſdem incluſa ſapientia ſit haurienda, oſtendere, magnificè humanæ fragilitatis miſeriam ad quærendum inſtigat.

Prima hæreticorũ ſententia. Ergo hic quidam, quamuis ſanctas ſcripturas fateantur difficiles, nemini tamen mortalium, ſed uel ſolis ipſis met ſcripturis, dum quod uno loco obſcurius, alio apertius exponunt, uel dum ex iis, quæ antecedunt, aut conſequuntur, intelligentia col-
Secunda hæreticorũ ſententia. ligitur, interpretationem permittunt. Sunt & qui in earum interpretatione, ſoli interno ſancti Spiritus magiſterio credendum exiſtiment, præſertim uerò in Euangelico ſtatu, quo omnes futuros θεοδιδάκτους prophetica uaticinia prænunciant. Quarum dua-
Hiere. 31. rum ſententiarum rationes & argumenta hæc ferè ſunt, Priorum quidem, Quicun-
Priorũ ſententia rationes. que humanas leges ius interpretandi ſortitur, in ipſas leges auctoritatem exercet: ergo quicunque ius interpretandi diuinas accepit, in ipſas quoque diuinas leges exercebit imperium: at nullus mortalium in diuinas leges poteſtatem habet, nec ergo eaſdem interpretandi ius, ſitum eſt apud ullum mortalium. Totus hic diſcurſus, præter ſubſumptionem uidetur apertus: quæ tamen ita ſuadetur. Maior eſt auctoritas ſcripturæ quàm omnium ueterum doctorum maieſtas: ergo illi in ſanctam ſcripturam poteſtatem non habent. maior eſt ſcripturæ auctoritas, quàm omnium conciliorum auctoritas: ergo concilia in ſanctam ſcripturam nullam habent auctoritatem aut imperium. Demum maior eſt ſanctæ ſcripturæ auctoritas, quàm totius Eccleſiæ, quæ quantumuis magna ſit, non tamen humanitatem tranſcendit. ergo nec Eccleſia in ſanctam ſcripturam nullum habet imperium. Atque huc illud pertinere uolunt, quod ad Galatas ſcribit Apo-
Gala. 1. ſtolus Paulus, Sed licèt aut nos, aut Angelus de cœlo euangelizet uobis, præterquàm, quod euangelizauimus uobis, anathema ſit. Cùm dicit nos, intelligit (aiunt) Apoſtolos aut apoſtolorum Eccleſiam, quòd ſcilicet nullus, immo neque tota Eccleſia, aliter dicendi quàm credendum aut operandum ſcriptura præſcribit, poteſtate ſit præditus.

Poſteriorũ ſententiæ rationes. Posteriores uerò, ſic aiunt, Ea, quæ ſunt fidei & ſalutis, non oportet ab alio diſcere quàm ab ſpiritu Dei, quod humanus ſpiritus, præter hoc, quod res iſtiuſmodi,

quæ

quæ humanæ rationis altitudinem ſuperant, prorſus ignoret, ſemper ſit mendax. Ego
enim dixi (ait Dauid) in extaſi mea, Omnis homo mendax. non ergo ullus mortalium *Pſal.115.*
munus interpretandi ſcripturam accepit, ſed ipſe ſolus, qui condidit illam. Atque id,
ut uolunt, Ioannes Apoſtolus apertiſsimè indicat, Non, inquit, neceſſe habetis ut ali- *1. Ioan. 1.*
quis doceat uos: ſed ſicut unctio eius docet uos de omnibus, uerum eſt, & non eſt mē-
dacium. Et Chriſtus, Vos autem nolite uocari Rabi, unus eſt enim magiſter ueſter *Math. 23.*
Chriſtus. In quæ uerba Auguſtinus, Nolite, inquit, putare quenquam hominum,
quicquam diſcere ab homine, magiſter, qui docet, intus eſt Deus. Præterea nemini li-
cet, aut ſecundum ſuum ſpiritum, aut ſecundum humanum ſenſum ſcripturas intelli-
gere: quo nanque ſenſu conditæ ſunt ſcripturæ, eodem etiam intelligi debent. Vnde *Ad fratres*
Bernardus, Quo ſpiritu ſcripturæ ſanctæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant: ipſo etiam in- *de monte.*
telligendæ ſunt. Nunquam ingredieris in Pauli ſenſum, donec uſu bonæ intentionis in
lectione eius & ſtudio aſsiduæ meditationis, ſpiritum eius imbiberis. Nunquam intel-
liges Dauid, donec ipſa experientia, ipſorum pſalmorum affectus indueris, ſicque de
reliquis. Hactenus ille. Oportet igitur non alio, quàm Spiritu ſancto interprete,
ſcripturas imbibere; cuius cathedra non alibi, quàm in ipſa hominis anima luculentius
inueniri, & ipſa ſpiritus natura, & ſacræ ſcripturæ teſtimonium, nos docet, Anima *Sap.7.*
iuſti, inquit, ſedes eſt ſapientiæ. id eſt, cathedra ubi Spiritus ſanctus doctor internus,
magiſterium exercet.

ATQVI III quidem iſti, ac ſimilibus rationibus, certiſsimè colligunt, potius uerum
ſcripturarum ſenſum ueramque intelligentiam per orationem, & internam ſpiritus re-
uelationem, quàm per auctorum quorumcunque, qui homines fuerunt, interpretatio-
nem quærendam. Iuxta illud Iacobi, Si quis ueſtrum indiget ſapientia, poſtulet à *Iaco. 1.*
Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: poſtulet autem in
fide nihil hæſitans. Et illud, Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reue- *Math. 11.*
laſti ea paruulis. Hinc colligunt ſubinde, etiam toti Eccleſiæ, quæ ex hominibus com-
pingitur, in eiuſdem ſcripturæ interpretatione nullam fidem adhibendam, ſed interno
illi ſpiritus magiſterio, qui in Chriſtiani cuiuſque anima celebratur, & exercetur, di-
uina prouidentia.

SVNT ET præter hos, qui intelligentiam ſcripturæ, ab Hebræorum libris petendam *Tertia hære*
exiſtiment, eumque ſolum ſanctarum ſcripturarum ſenſum, quem in libris Rabino- *ticorū ſent.*
rum, qui non ex uerſionibus, ſed ex ipſo ſanctæ ſcripturæ fonte biberunt, inuenerint,
legitimum putent.

SVNT DEMVM, qui cùm rationem & humanam prudentiam, à Deo nobis indultam *Quarta hæ*
uideant, nullum uerum diuinæ legis ſenſum admittant, niſi quem ipſa naturalis ratio, *ret. ſent.*
naturaliſque prudentiæ captus comprobauerit idoneum. Vnde ſicut illi Hebraicarum *Petr. Abai.*
linguarum, ita ij rationem ipſam naturalem, omnium diuinorum myſteriorum ſequū- *apud Bern.*
tur interpretem. Quæ omnia quòd prorſus cum diuina prouidentia pugnare uidean-
tur, ſuo ordine nobis euertenda ſunt.

Confutatur prima hæretica ſententia. Cap. XII.

AC primò quidem illud, quod præcedentis capitis initio dicebamus, non
modò reipublicæ intereſſe, unas eaſdemque leges, ſed earundem unum
eundemque ſenſum habere, quod non minus ſenſus diuerſitaſque legum,
quibus uiuitur, diſcrimen ciuilem unitatem diſrumpat, oportet tanquam
totius huius diſputationis fundamentum, memoria repetere. Atque id,
cùm in cæteris ſit uerum, in eo genere reipublicæ oportet eſſe ueriſsi-
mum, in qua non tantùm ciuilis ſocietas, quemadmodum in aliis cunctis rerum publi-
carum generibus, exquiritur, ſed ipſa quoque per caritatis & Chriſtianæ pacis, quæ
omnem ſenſum exuperat, affectum, animorum coniunctio. Quotus enim quiſque id
Deum in ſua republica conſtituiſſe dubitet, quod olim homunculi ſola duce pruden-
tia, quaſi totius ciuilis unitatis fundamentum ſtatuiſſe creduntur? Ille igitur leges di-
uinas interpretandi modus, diuina prouidentia dignus cenſebitur, qui ciuilem & Eccle-

ſiaſticam ſocietatem conſeruet; qui ciuium animos quanuis longiſsimis tractibus diſſitos, iu unum conciliet; qui faciat omnes id ipſum ſapere, id ipſum ſentire; qui pacis iura fouear; qui ſectas & animoſitates eliminet; & demum qui conciues Chriſtianæ caritatis in officio contineat. at nullus horum quaruor modorum id præſtat: nullus igitur diuina prouidentia & ſolicitudine, quam erga ſuam Eccleſiam Chriſtus gerit, iudicabitur dignus. Subſumptio iam per ſingula membra probabitur.

Et primi quidem negare non poſſunt, ſicut nobis, & hæreticis utrunque, ita Iudæis ac nobis uetus teſtamentum eſſe commune. Igitur cùm hi à nobis non minus quàm integra religione illi & à ſe inuicem & à nobis, tot ſectis diſsiderent, modus interpretandi ſcripturas, ab ipſis ſolis ſcripturis, in ciuibus Eccleſiaſticæ reipublicæ, rellgionis & animorum coniunctionem non ſeruat. Indignus igitur ne dum diuina prouidentia, ſed humana prudentia. Eaſdem profectò nobiſcum Iudæi prophetias, eiſdemq́ue uerbis ſcriptas habeut: cùm tamen à noſtra prorſus religione diſſentiant. Nos ex ſanctis ſcripturis Chriſtum, illi ex eiſdem Antichriſtum eliciunt: nos ex illis Euangelicæ uitæ rationem demetimus, illi contrà uitam omnino ab Euangelio differentẽ, ſub ſuo Meſsia futuram conſtantiſsimè colligunt.

Idem habuerunt ſemper Euangelium hæretici, & tamen inter ſe narias ſectarum portenta condiderunt. Ex eadem ſcriptura Sabellius perſonarum unitatem, & Arrius naturarum trinitatem decerpſit. Ex eadem Manes nihil nos poſſe boni credidit, Pelagius noſtram ſalutem noſtris uiribus aſcribit. Ex eadem ſcriptura Neſtorius duas in Chriſto perſouas & duas naturas, & Eutiches unam perſonam & unam naturam pertinaciter aſſerunt. Ex eadem ſcriptura Lutherus realem corporis Chriſti præſentiam ſub ſpecie panis & uini, in Euchariſtiæ ſacramento conſiſtere docet: & contrà Zuinglius & Caluinus eandem exſibilant.

Conuellitur ſecunda ſententia. *Cap. XIII.*

SEcundi, quanuis in hoc, quod uolunt ſolum Spiritum ſanctum legitimum ſcripturarum interpretem, à ueritate nõ diſcedant, quòd nimirum eundem & auctorem, & interpretem eaſdem habere ratio ipſa ſuadeat, in hoc tamen ſicut & priores à ueritate procul aberrare conuincuntur, & in ipſam legiſlatoris prouidentiam iudicantur iniurij, quòd ſedem ac cathedram unam, eiuſdem ſpiritus magiſterio non detinent, ut ſenſus unitas in Eccleſia ſeruetur, ſed contra omnem humanam prudentiam, tot, quot ſunt ciuium pectora, ut nimirum tot ſint in earundem interpretatione ſententiæ, quot capita; immo horæ: nec enim homo in eodem ſtatu permanet, ſed trochi in morem (quod eſt in prouerbio,) de ſententia in ſententiã perpetuò conuoluitur. Et profectò horum in hac parte ſententia, tam atrocem ipſa ſtatim pronunciatione perniciem Eccleſiaſticæ ſocietati minitari uidetur, ut nec unum diem, ne dum Chriſtianè, ſed nec ciuiliter, in unum conuiuere, ſi ſemel admitteretur, daretur hominibus. Nam quis mortalium proprij iudicij cenſuram alienæ non prætulit? aut quis unquam proprios animi partus, propriaſq́ue cogitationes, præſertim ſtudio & labore conquiſitas, aliorum cogitationibus, & ſtudiis anteferre non ſtuduit? aut quis ſuum ſenſum aut ſententiam, quæ ſola ſibi inter uniuerſas alias uera eſſe uidetur, à Spiritu ſancto profectam non dicit? aut quo pacto non ita eſſe, conuinci poterit? Erit igitur, ut cùm tot ſint in Eccleſiaſtica ſocietate de Religione ſententiæ, quot capita: nulla tamen earum poſsit falſa conuinci, cùm internum ſpiritus, cui ſoli iuxta hanc ſententiam credendum eſt, magiſterium, huic aut illi deeſſe, comprobari non poſsit. Immo fiet ut nullus ab errore, quem ſemel diabolo ſuggerente concepit, ulla ratione reuocari queat, quòd nimirum aut uerè credat, aut falsò cauſetur, ſe in illum ſancti Spiritus magiſterio compulſum. Iam uerò, quis eam rempublicam indignam, non dico Chriſto, ſed homine ſapiente non crederet, in qua, cuiuis propria animi ſententia, ſanctas leges quo propria libido raperet, detorquere liceret? aut quo pacto unitas ciuium conſtabit cum tanta ſententiarum uarietate?

Confutatur tertia ſententia hæreticorum. Cap. XIIII.

IAm tertij, ſi nos ad Rabinorum & Hebræorum interpretum ſenſum &
interpretationes remittant, quis non uideat actum eſſe de Religione
Chriſtiana, cùm illi nihil magis inſectentur, nihilque magis ſcriptis ſuis
& falſis maledictis inceſſant, quàm Chriſtum Seruatorem noſtrum, &
quicquid ille pro Euangelico inſtituto formando aut docuit, aut fecit?
Aut quare hos ſanctarum ſcripturarum interpretes eligere libeat, quo-
rum corda iam diu excæcata, uidendo, non uident, & audiendo, non audiunt, & in- *Iſa. 6.*
telligendo, non intelligunt? Quare hos in uero ſanctarum ſcripturarum intellectu ex-
quirendo, magiſtros optabimus, quibus earum liber clauſus eſt & ſignatus? Quibus *Iſa. 29.*
uſque in hodiernum diem, cùm Moſes & reliquæ ſcripturæ leguntur, uelamen poſitum *2.Cor. 3.*
eſt ante oculos eorum? Quibus menſa uerbi Dei facta eſt in laqueum, in retributionem *Pſal. 68.*
& in ſcandalum? A' quibus ablata eſt uinea Domini, id eſt ſancta ſcriptura, & aliis
agricolis locata? A' quibus demum ablatum eſt regnum Dei, id eſt diuinæ legis, qua *Matth. 21.*
regnum Dei uerum acquiritur, intelligentia? Et alioqui profectò quanuis Hebræorum
ſchola præter hiſtoricum ſenſum, myſticum etiam colat (habet enim Caballam, qua ni-
hil apud eam gentem arcanius) & hic tamen & ille adeo à Chriſtianæ religionis præ- *Habent Iu-*
cipuis placitis longè recedunt, ut nulli magis, quàm illi aduerſentur. Præter hoc quòd *dæi præter*
uterque horum tot fabulis, tot puerilibus mendaciis, tot nugarum portentis, tertio *hiſtoricum*
quoque uerbo reſpergitur, ut nullam ego (niſi unum Dauidem Chimchium, libeat *ſenſum ſpi-*
excipere, qui in hac parte minus, quàm cæteri deliraſſe uidetur) liberali ingenio lectio- *rituale quo-*
nem indigniorem exiſtimem: adeò, ut nullo horribiliori exemplo illud, quod de genti- *que, ſed no-*
libus Philoſophis docet Apoſtolus, Sicut non probauerunt habere Deum in notitia, *bis aduer-*
tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, &c. quàm eius miſerandæ gentis poſsit intel- *ſum.* *Rom. 1.*
ligi. Quid enim per Deum immortalem eſt aliud Caballa, ſiue ea, quæ rerum natura-
lium & cœleſtium uires per nominum & uerborum ſyllabas explicare contendit, de *Conuellitur Caballa interpretatrix ſcripturæ.*
qua lib. ſecundo loquuti ſumus, ſiue ea, quæ angelicarum uirtutum & ipſius diuinitatis
myſteria, per ſacrorum nominum literas, apices, lineas, numeros, figuras, & puncta
ſcrutatur, quàm ingens quædam uaniſsimorum mendaciorum farrago, ab ocioſis &
uagabundis hominibus, in ſtupidæ plebis ſtuporem inuenta? Aut cur eam explicandi
rationem non potius in Pythagoricas, aut Alchandrinicas nugas, quæ ex numeris no-
minum, totius uitæ rationem inaniſsimè uaticinari ſe iactant, quàm in diuinam tradi-
tionem referre licebit? Fateor ego (neque enim ut diſſentiam, ulla ratio me urget)
in monte Syna diuinitus cum ipſa lege, & Moſi, & quibuſdam aliis uerum legis ſenſum,
tum myſticum, tum hiſtoricum fuiſſe tributum, qui à perpetua ſucceſsione, Cabal-
la fuerit appellatus: at huiuſmodi Caballam, quæ inani punctorum & numerorum, quæ
in literis includuntur, computatione diſtringitur, non potius à Pythagora, quam qui-
dam eius gentis ſapientes, quemadmodum alij Platonem, alij Ariſtotelem, Epicurum
& Democritum, alij poſt diſceſſum à lege, & poſt commercium cum gentibus initum
ſunt imitati, quàm à Moſe profectam fuiſſe, ſuaderi non poſſum. Nam quòd quidam
uel ex illis, uel ex noſtris in nomine יהוה Iehoua, Trinitatis, unitatis, & incarna-
tionis myſteria, per Caballam oſtendunt, & ſimilia quædam arcana per literas, api-
ces, & numeros, miro quodam artificio uenantur, haud tale eſt, quod totam eam ar-
tem approbare compellat, cùm illud in hominum ſubtiles inuentiones, ne dicam ocio-
ſas, potius quàm in ueram & legitimam dictionis ſignificationem, & ſenſum reiicere
oporteat. Scimus iis multò ſubtiliora à mulierculis olim in prophanorum Poëtarum
carminibus, ubi tamen nullum latebat myſterium, factitatum. Nam Valeria Proba
uxor quondam Alphei Romani proconſulis, ex Virgilij, Eudocia uerò iunioris Theo-
doſij uxor, ex Homeri uerſibus, ſic per centones utrunque teſtamentum compingunt,
ut ethnicas nugas, in Moſaicas & Euangelicas hiſtorias conuertiſſe uiderentur. adeò
ut quoſdam ex noſtris fateri compulerint poëticum illum furorem, ſancti Spiritus af-
flatum, quemadmodum & prophetica uaticinia auctorem habuiſſe. Facile eſt enim

uerò

uerò punctulis illis ac apicibus ludere, præſertim uerò in Hebraica lingua, ubi id ſcribendi ritus facile patitur. Sed & quæcunque etiam, poſt longos ac prolixos labores miri iſti artifices nobis obtrudunt, maiori facilitate contẽnuntur, quàm ſunt adinuenta.

Et ut hæc quoque ſcripturæ expoſitrix Caballæ portio eodem, quo altera illa, quæ ſe per nominum uirtutes creaturis imperare fabulatur, funditùs corruat, illa mihi ratio abundè eſſe uidetur, quòd neque eaſdem literas, quibus Moſes legem accepit, & ſcripſit, modò, immo neque poſt Babylonicæ captiuitatis regreſſum, Hebræi poſsideant, neque eo tempore, quo lex data eſt, immo penè toto ueteris illius ſæculi Moſaici decurſu, puncta & apices, quibus nunc iſti egregiè philoſophantur, extiterint, quo in eorum paucitate, multitudine, aut uarietate, ſignarentur myſteria. Et de literis quidem conſtans fama eſt apud Iudæos, Ezram ſcribam, legem primitus à Moſe, & characteribus à ſe inuentis & Hebraico ſermone inſcriptam, in extraneum ſermonem, Aſſyriosque characteres mutaſſe, pauloque poſt Aſſyriis characteribus retentis, ſermonem Hebraicum reaſſumpſiſſe: quod antiquioris illius ſcripturæ rationem, per

Rabi Marſubra. principum interdictionem, & captiuitatis ærumnas, populus penè cum lingua dedidiciſſet: Hebraicas autem literas, cum Aramæo, aut Aſſyrio ſermone uſuſi, id eſt eis qui ſimul cum idolis, Deum colebant, Samaritis, reliquiſſe. Puncta uerò quis neſciat

Puncta quãdo et à quibus inuẽta. ſub Chriſti Seruatoris aduentum, metu, ne cum iam eorum, & aduenæ reges, & gentes dominarentur, legendi ratio, prorſus obliteraſceret, apud Tiberiadem urbem à Nephradio, & Benaſſero Rabinis, in uocalium uſum inuenta? Igitur cùm hæc uaniſsima interpretandi ratio, in Moſem auctorem ſuas nugas reiiciat, qui nec has literas, nec hæc puncta, quibus nunc utuntur Iudæorum Rabini, aliquando uiderit, fit neceſſariò eam artem eſſe uoluntariam & inanem, & Chriſtiano homine prorſus indignam: immo uerò Chriſtianæ religioni pernicioſam, utpote quæ ſicut nouit, ex יהוה Iehoua Trinitatem elicere, ita ex eodem aut ſimilibus dictionibus, Antichriſtum extorqueat.

Sed iam ad hiſtoricum ſenſum ueniamus, in quo quis ferat horrenda illa fabularum monſtra, quæ cæci homines ſingulis penè uerbis ſuis commentariis interſerunt? ut quòd Deus adueniente ſabbato dæmonibus, quos à principio creauit, tanti diei maieſtate deterritus, corpora non induxerit, ſed illi poſtea Lilithopera, ex primo protoplaſto ſuſceperint: quod ingens mendacium ex eo loco colligunt; ubi dicitur, Fuit

Gene. 5. Adam centum & uiginti annorum: genuitque in ſimilitudine, ut quòd ex nocturnis pollutionibus, quas opera Lilith (qui dæmon formam aliàs habet Embrionis alati) muliebrem formam & ſpeciem induti, contingere uolunt, dæmones gignantur, qui poſtea, homine moriente, parentem affectu filiali contingere molientes, cadauer con-

Iob. 5. taminet. Vnde illud ſeptem circulis ambiunt, quòd ſcriptum ſit, In ſex tribulationibus eruet te, & in ſeptima non tanget te malum: ut quod Luna luminis ſplendorem amiſerit, eo quòd, apud Deum Solem calumniata fuerit, quòd ex eo ſe colligere aiũt,

Gene. 1. quia cùm prius ſcriptura doceat, feciſſe Deum duo luminaria magna, poſtea inquit,

Gene. 2. alterum eorum eſſe maius, alterum uerò minus, ut quòd Deus in mundi primordio, ex duobus cætis, quos creauerat, fœmellam occiderit, & ſale conditam, pro iuſtorum cibo in futura fœlicitate ſeruauerit, maſculum uerò ſuus Meſsias cùm primum imperium & regnum acceperit, in opiparum conuiuium Iſraëlitarum ſit occiſurus, quod

Iſa. 27. ex illo Iſaiæ loco eliciunt, In illa die Dominus interficiet Leuiatham ſerpentem tor-

Iob 40. tuoſum, & cætum qui eſt in mari. Et Iob, Trahes ne Leuiatham cum uncino, aut funem demerges in linguam eius? &c. Vnde & in Chriſtum hac potiſsimum ratione non credunt, quòd cætino illo conuiuio, eos non exceperit, ut mille deniq; huiuſmodi inſulſiſsimæ neniæ ſunt, quæ cum apud omnes mortales ingentẽ riſum moueant, eius tamen gentis magnam ac profundam cæcitatem, oſtendunt. Habent (fateor) Hebræi ſanctæ ſcripturæ radicalem linguam, quam quoties editiones euariant, quaſi originem tum à ſanctis auctoribus, tum ab ipſa ratione, conſulere præcipimur. Atque huc

Textus Heb. ſine certo interprete, nequaquã fidei unitatẽ retinere poſſe. profectò qui nos pro uera ſanctarum literarum cognitione ad Hebræorum ſcholas remittunt, non ad fabuloſa Rabinorum interpretamenta, uidentur alludere.

Verùm an nudus ille textus Hebraicus, quantumuis correctus, eam animorum & ſenſus unitatem, quàm in Chriſtiana republica neceſſariam prædiximus, conſeruare ualeat, iam eſt aduertendum. Enimuerò linguam Hebraicam multiplici ſignificatione

dictionum,

dictionum, quam πολυσημίαν uocant, eſſe confuſam, nulli, qui eius linguæ uel tenuem deguſtatiunculam fecerit, negare licebit. plerunque enim una eademque dictio triplicem, plerunque quadruplicem ſignificationem, huius aut illius punctuli uariatione, immo ſine uariatione ſortitur. Ergo ſi cuiuis ſolo Hebraico textu magiſtro, interpretandi facultas indulgeatur, fiet, ut eiuſdem periodi tot habeamus ſententias ac ſenſus, quot interpretes. Neque id uerò ſola ratione, ſed ipſo etiam experimento conuincitur. Neque enim Theodotioni cum Achila, aut his duobus cum ueteribus illis ſeptuaginta, aut Hieronymo cum omnibus præcedentibus conuenit, ſed quiſque in ſuo ſenſu abundans, plus ſibi ipſi ac ſuo iudicio, quàm præcedentibus tribuit. Sunt & quibus adeò Hieronymi uerſio non placeat, ut nouas quotidie uerſiones auſpicantes, potius quiduis credant, quàm eam eſſe Hieronymi. Niſi igitur aliquid aliud Hebraici textus magiſterio iungatur, unus ille ſenſus, quem in republica Chriſtiana neceſſarium oſtendimus, haberi non poterit, ſed tantò plures quotidie ſuccreſcent, quàm ex Latina aut Græca uerſione, ſi ſola ſeipſam (quod priores dicebant) exponere debeat, quanto Hebraica quàm Latina aut Græca, in uocum ſignificatione multiplicior exiſtit.

Euertitur quarta hæreticorum ſententia. Cap. XV.

QVod uerò illi, qui ſola ratione duce, ſanctas ſcripturas interpretandas exiſtimant, eam quoque ſenſus unitatem non ſeruent, haud difficile erit inſinuare. ſed tamen hîc, quid rationem appellemus, principiò annotabimus. Ratio profectò duplex eſt, altera, quæ abſolutè & ſimpliciter ratio appellatur: altera, quæ non ſimpliciter, ſed cum ſubiecti additione, cui ineſt, profertur, ut cùm humanam rationem dicimus: illa cùm ſit inuariabiliſis, à pleriſque noſtrûm poſt Zenonem Stoicum apud Ciceronem lex æterna; *Li. 2. de natura Deor.* iſta cùm ſit uariabilis, immo fallibilis, humanum iudicium, aut humanus ſenſus à ſanctis auctoribus plerunque uocatur: à Paulo uerò & Iacobo nunc mundi prudentia, nunc *Iaco. 3.* mundi ſapientia, quæ ſit apud Deum ſtultitia, frequentiſsimè dicitur. Contrà illam nec *1. Cor. 1. & 3.* Deus aliquando præcepit, ſed neque præcipere poteſt. ſemper enim quod præcipiet; erit rectè præceptum: contra iſtam, uniuerſa ſacroſancta fidei & diuinitatis myſteria; dum illam exſuperant, pugnare uidentur: atque de ea ſunt intelligendi apud uetuſtos auctores frequentiſsimi loci, qui fidem noſtram contra rationem eſſe, aut cum ratione pugnare, plerunque loquuntur. Neque enim aliud iis locis, per rationem intelligunt, quàm humanum iudicium, aut humanum ſenſum, hoc eſt, rationem illam priorem, non in ſui puritate, ſed corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam commercio, depreſſam. Huius autem duplicis rationis exempla ſunt peruia, ſi fidei initium & pro- *Sap. 9.* greſſum aduertamus. Proponitur homini infideli Trinitatis & unitatis articulus, ille ſtatim humani ſenſus aut humanæ rationis præiudicio deterritus, eandem rem unam & trinam eſſe, impoſsibile iudicat. Docetur & informatur, ac in eius myſterij cognitionem inducitur: iam, quod omnino contrarium eſſe rationi, prius ſenſerat, rationabile credit. Quid ita? nimirum quòd prius, ſola ea in eo ratio uigeret, quæ à corporeis ſenſibus, in iudicando dependet: nunc uerò prioris illius iudicio excluſo, ratio illa, quæ abſolutè ratio & eſt, & uocatur, in mente principatum obtineat. Eſt autem inter utranque rationem, quod ad originem attinet, manifeſtum diſcrimen. nam ratio humana, aut humanus ſenſus, aut humanum iudicium, ab humana ipſa ratione cognoſcendi, quæ à rebus ſenſibilibus pendet; per naturæ uirtutem ſeparari non poteſt. Contrà ratio illa abſoluta, non à natura, ſed à fide proficiſcitur. Hoc eſt enim, quod dicitur, Niſi credideritis, non intelligetis, quòd uerè diuinitatis myſteria, niſi poſt fi- *Iſa. 7.* dei obſequium, & piam indaginem, quæ ſequatur obſequium, rationabilia apparere non poſsint.

Ergo iam qui dicunt, in ſanctarum ſcripturarum interpretatione, & legitimo ſenſu exquirendo, ad ſolius rationis naturalis amuſſim, eſſe ſcripturam expendendam, cùm uniuerſa noſtræ religionis myſteria aut humanæ rationi, quæ ſola ante fidei, eius rei, quæ in ſcriptura inquiritur, aduentum, in homine uiuit, aduerſentur, aut certè eius ca-

1. Cor. 2. ptum excellant, nihil uolunt ab homine credi. Quid enim animali homiui, qui nondum quæ Dei ſunt, fidei beneficio ſuſcepit, cum tam arcanis myſteriis? aut quo pacto illa, quæ ſpiritus Dei ſunt, percipiet? aur quomodo non erunt illi ſtultitia, cum nondum per fidem ſenſum Dei habeat? Itaque ea tantùm, quæ cum humano ſenſu aut humana ratione non pugnent, aut quæ eam non ſuperent, id eſt, nulla, ſuſcipiet.

Aduerſariorum euaſio. At dicent, Prima fidei elementa, non ad humanæ rationis examen exigenda, ſed poſteriorem illam ſcripturarum tractationem, qua fides reficitur, ita ut, qui primitus ad fidem accedit, humano iudicio, quod fidei myſteria ſuperare uidentur, exemplo renunciet: qui uerò ſemel fide ſuſcepra, ſanctarum ſcripturarum interpretem agat, ſoli naturalis rationis magiſterio deſeruiat.

Dilutio. Verùm hi, neſcio, cur inter fidei initia & incrementa differentiam inueniant, cùm & res aliæ, ex eiſdem & uitam auſpicentur, & creſcant. Profectò ſi fides humanæ rationis ſolius ducatum auctorem habere non potuit, neque ex eodem poſtquam ſemel eſt genita, incrementum accipiet: non igitur licebit ſcripturas in fidei incrementum, ſola ratione metiri.

Deinde ſi ſanctarum lirerarum interpreti, ſolius rationis naturalis inſtinctus præficiatur magiſter, quæro quæ'nam ratio? an aliena? Sed mihi tantum abeſt, ut aliena ratio, ratio uideatur, ut porius præ mea, uideatur contra omnem rationem. Nam ſi ſola ratio ſequenda eſt, non item auctoritas: ſemper ego meam rationem (ut apud omnes mortales fieri ſolet) alteri præferam. Erit igitur, ut, cùm in apertiſsimis quibuſque rebus, tam uaria ſint hominum iudicia & ſententiæ quàm homines, in religiouis myſteriis nunquam unus cum altero, uel per horam conſentiat: immo uerò fiet, ut, cum in rebus humanis, & in ipſa uirtute (ſine qua tamen nemo mortalium uiuere unquàm potuit) nihil ſit tam certum, quin humani intellectus acumen aliquid contra illud machinari poſsit, & contrarium, tam ualidis penè rationibus ſtatuere, in diuinis protſus, quæ ſuopte genio, quòd non tam natura, quàm diuinæ uoluntatis arbitrio conſtent, minus ſunt euidentes, nihil certum habeatur. Quid enim? au hæreticis hominibus, qui ab Eccleſiæ infantia, eandem expugnarunt, ſuis erroribus ſtatuendis, defuerunt rationes? Immo uerò dum fidei obedientia deſerta, ſolam rationem inſequuntur, in errores inciderunt. Hinc profectò hæreſes uniuerſæ naſcuntur, quòd hæretici uelint, fidem intra limites intellectus concludere. Hoc rerum humanarum obſeruatione apertiſsimè conſtat, nihil, in quod humanæ rationis inſtinctus integrum acceſſum habuerit, ab opinionum turbinibus eſſe liberum, ſed multis uariisque hominum placitis ac ſententiis prorſus incertum. Hoc in ipſa rerum naturalium (quæ tamen iuxta nos ſunt) contemplatione, quam phyſicen dicunt, manifeſtè uidemus. in qua de rerum principiis, de elementorum numero, de anima, de cœlorum numero, immo de ipſius mundi unitate, quæ tamen res debuiſſent primò omnium ſolidiſsimè ſtatui, nunquam ſatis, quot fuerint opiniones, ſcriptores conueniunt. ſuut qui duas, ſunt qui quatuor, ſunt qui nouem, ſunt qui decem ſectas in hac parte Philoſophorum recenſeant: ſed multò maiori numero eas Varro partitur. Inter has uerò ſectas adhuc conſtare non poteſt, quæ ſit potior dicenda, cuius dogmatibus potius parendum ſit, adeò circa ſingula per ſe pugnant, atque diſſentiunt, perpetuamque hanc per ſæcula litem alunt, & (ut inquit Lactantius) unaquæq; ſecta omnes alias euertit, ut ſe ſuaque confirmet: nec una alteri ſapere concedit, ne ſe decipere fateatur: cumque de ſingulis philoſophia diſputet & opinetur, contrariarum rationum uioleutia, de nullis eſt certa. Hoc in ipſa morum philoſophia, qua non tantùm humana uita, ſed reſpublicæ conſtaut, perſpicuè deprehendimus: in qua ſectæ illæ, Academica, Cyrenaica, Eliaca, Megarica, Cynica, & Erotica, Peripaterica, & multæ aliæ obſcuriores non modò in ipſa, in quam, quaſi in ſcopum actiones humanas conicere oportet, fœlicitate non conueniunt, ſed pleræque illarum, cum ipſa facilitate, quam uullam eſſe arbitrantur, uirtutis quoque naturam irrident, uon furta, non homicidia, non adulteria, non ſacrilegia, non denique ullam iniuſtitiam ex natura rei turpem, ſed ex hominum opinione ac ſuperſtitione docentes. Quid dicam de Theologia, quæ ſemper debet eſſe cum religione coniuncta, ad quam ſola rationis naturalis ope accedens, nunquàm per omnia cum præcedentibus ſentit? Sunt in ea, qui rationis humanæ ope prouidentiam

ſubſtulerint:

ſubſtulerint: ſunt, qui eiuſdem rationis aggreſſu, à mundo ipſo diuinitatem deturbauerint. Iam ipſis mathematicis diſciplinis, ubi tamen maximè omninm humanæ rationis limites coërcentur, quis unquam ſatis decreuit, numerus'ne par an impar præferendus ſit? quis inter ternarium, ſenarium, denariumque numerum ſit perſectior? quis numerus pariter par dicatur? in cuius diffinitione Euclidem ipſum mathematicarùm diſciplinarum poſt Pythagoram parentem, erraſſe contendnnt. Quis in ipſa Geometria, quam Plato in aliarum diſciplinarum conquiſitione, adeò neceſſariam putabat, ut in Academiæ frontiſpicio ſcriptum haberet, Nullus huc ingrediatur geometriæ expers? quamque Phylo Iudæus omnium aliarum diſciplinarum principem & matrem appellare ſolebat, ſatis expendit, quanta ſit de circuli quadratura ſententiarum uarietas? Tanta eſt profectò etiam in his certiſsimis diſciplinis, humanæ mentis & rationis ambitio, ut in eas, quà ſolùm fuit poſsibile, ſemel introgreſſa, omnes opinionibus turbauerit, omnes humanis placitis ac ſententiis confuderit. Nunquàm in hac parte, ac ſimilibus, poſteriores Mathematici, priorum traditionibus acquieſcere dignantur: quia nimirum pro humanæ mentis uiolentia, nunquàm non noſtra pluſquàm alia admitamnr. Demum in ipſa rerum humanarum hiſtoria, in qua tamen, quòd non multis, ſed uno modo tantùm res, quarum texitur narratio, acciderint, atq; adeò eadem ſeries, fides, & conſonantia, ab una ſola ſimpliciſsimaque ueritate deſcendens, eſſe debuiſſet, quanta ex humanæ rationis & proprij iudicij libertate uarietas? quàm uariæ ſententiæ? quàm diuerſæ opiniones? nimirum, quòd nihil tam ſtabile, nihil tam firmum, quod humanæ rationis libertate non fluctuet. Refert de Carneade Plinius, quòd eo diſputante, quid uerum eſſet, quid'ue falſum, haud facilè diſcerni poſſet. de eodemque memoriæ proditum eſt, quòd cùm ſemel pro iuſtitia multa publicè, eleganter, ac ſapienter peroraſſet, poſtridie non minore copia atque doctrina è uita mortalium luſtitiam euulſerit. Nec profectò ſi modò in rebus ſacris libertas ſentiendi indulgeretur, deeſſent Carneades, aut Socrates, quorum opera breui [illegible] Academicum & pyrrhonicum religionis genus, in Eccleſia ſuccreſceret. in illa enim tempora incidimus, quæ cùm omnium artium ac diſciplinarum ſplendore niteant, parum tamen (proh dolor) antiquæ pietatis retineant, quæ cùm illuſtriſsimos & cultiſsimos habeāt intellectus, tepidiſsimos & in impietatem propenſiſsimos habeanr affectus. Vnde citò actum eſſet de religione Chriſtiana, præſertim cùm humanæ rationis laſciuia, non iam cœleſtibus miraculis, ut apnd iuniorem Eccleſiam, ſed alterius rationis pondere comprimenda fuiſſet. Garrulitatem & ſæuiendi licentiam Pelagij, qui tamen inter anteriores hæreticos, neque indoctior, neque obtuſior mihi fuiſſe uidetur, Germanus Antiſiodorenſis, Lupus Trecaſenenſis, & Seuerus Treuirenſis, Epiſcopi non tam eruditione & eloquentia quàm cœleſtibus miraculis compeſcuiſſe leguntur. Et ante quadringentos annos, Petri Abailardi, Gilberti Porretani, & Henrici Apoſtatæ, in Eccleſiaſticam fidem confictas ratiunculas, quas ſibi communi ſententia reiecta, comparauerant, Beatus Bernardus non ſolis rationibus, aut ſolis ſcripturis, ſed miraculis, per totam Galliam illuſtribus, prodidit. Nunc uerò cùm noſtro, & totius Eccleſiæ magnō malo, miracula deſint, ſi contra hæreticam ſentiendi libertatem, & petulantiam, ſolis rationum humanarum momentis nobis fuiſſet agendum, quotaſquaſque, quæſo, reportaremus uictorias?

Beda lib. 1. Eccle. hiſto. Anglo. c. 17 & 21. Guillel. Abbas lib. 3. de geſtis Bern.

NEQUE igitur hæc quarta ſententia, quæ ad ſolius naturalis rationis inſtinctum, ſenſum ſcripturarum ſanctarum librat, unitatem illam fidei, & (quod eſt de Chriſtianæ reip. intrinſeca ratione) pacis uinculum intemeratum conſeruat. Quærenda igitur eſt præter has quatuor alia uia, qua & ſanctæ ſcripturæ legitimus ſenſus, & unitas animorum in Eccleſia ſeruetur.

Ab Eccleſia, & non aliunde petendus eſt ſanctarum ſcripturarum uerus germanusq; intellectus. Cap. XVI.

LEgitimus ſenſus ab alio, quàm ab eodem, qui ſcripturas condidit, Spiritu ſancto, haberi non poteſt. Animorum concordia & idem ſenſus, niſi uniuerſi Eccleſiaſticæ reipublicæ ciues, uni tertio, proprio ſenſu ſepoſito, pareant, obtineri non ualet. Ergo aliquis nobis quærendus eſt, in quo, & certò ſit ſpiritus, & cui omnes ciues parêre non pudeat. Hic iam quis alius eſſe poterit, quàm ea, quæ nos in Chriſto genuit, ſancta mater Ec- [Apo. 20.] cleſia, quæ cùm ſit Chriſti ſponſa cariſsima, & amoris iure, omnia, quæ Chriſtus acce- [Ioan. 14. & 19.] pit à patre, nota habeat, & in ipſiŏ abſentia certiſsimum Spiritus ſancti magiſterium acceperit, noſtrã quoque ſibi materno iure obedientiam expoſtulat? Quis quæſo in eam ſuum omnem ſenſum non reiiciat, qui ſpiritus promiſsionem acceperit? aut quem genitrici ſuæ parêre, & in eam omnem ſuam fidem reſundere pudeat, cùm nihil magis uideatur natura comparatum, quàm parentes filiis & credere & ſapere? Credunt nobis infantibus parentes, ſapiunt nobis adultis parentes, credit nobis infantibus Eccleſia, cur igitur eadem & nobis, per ſacrarum ſcripturarum cognitionem, in Chriſto adoleſcentibus, & adultis non ſapiat? Eccleſia non modò mater noſtra eſt; ſed reſpub. noſtra eſt: huius reipub. leges eſſe ſcripturas decreuimus. quæ ergo ratio uel nobis, uel aliis quibuſque, potius quàm eidẽ ſanctæ reip. quæ tot ſæculis eiſdem legibus uixit & earum uſum habuit, in earum legum interpretatione conſentire permittat? aut cur quæſo membro potius quàm toti communitati credamus? aut quis unquam, Gallorum aut Hiſpanorum leges, earumq́ne legitimum ſenſum intelligere cupiens, à ſua ratione & iudicio, aut ab uno aut altero Hiſpano uel Gallo, & non potius à tota Hiſpanica aut Gallica communitate, quis eſſet earum uerus, & legitimus intellectus, exquirat? Semper apud omnes mortales fuit conſtantiſsima opinio, leges rerumpub. non alio potius quàm earundem antiquiſsima praxi ac uſu, cum ipſiſmet legibus orto, interpretandas: ſemper ipſe legum uſus, & uiuendi ſub eiſdem legibus antiqua conſuetudo, fuit optima legum interpres. Et prndentiſsimi quique, ſemper inter leges, quibus & mores ſormantur & reſpub. continentur, & alias theòricas diſciplinas, quibus humana mens excolitur, id diſcriminis agnouerunt, ut cùm hæc non ab uſu, ſed ab ipſa ſolida ueritate dependeant, illarum, à ſolo uſu cum ipſis legibus nato, ſit intelligentia peten- [ff. de leg. l. ſi de interpret.] da. Vnde ſapienter Paulus Iureconſultus, Si de intelligentia legis quæratur, inquit, In primis inſpiciendum eſt quo inre ciuitas retro in huiuſmodi caſibus nſa fuetit. Opti- [ff. de leg. Nã Imperator.] ma enim eſt legum iuterpres conſuetudo. Et Calliſtratus iure item conſultus, Nam Imperator noſter Seuerus reſcripſit, In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem ant rerum perpetuò ſimiliter iudicatarum auctoritatem, uim legum obtinere debere.

Nunquam profectò huius aut alterius iuris prudentis paradoxa, & contra communem uſum & rationem interpretandi expoſitio, quanuis maximè omnium cum ipſis legis uerbis in ſpeciem uideretur congruere, antiquæ iam ſemelq́ue receptæ ſententiæ detrimentum induxit, nimirum quòd uſus cum ipſis legibns creſcens, plus in legitima legum eruenda ſententia, quàm uerba conducant. Atque id, cùm in aliis humanis legibus, quæ ſemper mores anteceſſerunt, ſit uerum, in Eccleſiaſtica tamen republica cuius mores & conſuetudines, omnes leges non paruo tempore præceſſerunt, eſt pluſquam uериſsimum: in illis enim mores & uiuendi rationes, à legibus, in hac contrà, leges ipſæ, id eſt, ſanctæ ſcripturæ, à moribus & conſuetudinibus, quas Apoſtolica prædicatio ſeminauit in populis, neceſſariò dependent: adeò, ut ſi poſt ſemel Chriſtianæ uitæ receptos mores aut Paulus, aut angelus de cœlo, aliud, quàm prius ſolo uerbo fuerat præ- [Gala. 1.] dicatum, euangelizaſſet ſcripto, non Paulus, aut angelus, ſed ſatanas in angelum lucis transformatus, fuiſſet credendus.

Hic igitur ſit Chriſtiano homini & huius ſanctæ reipub. ciui intelligendi ſcripturas certiſsima norma, ut illum ſolum quaſi legitimum ſenſum, & uerum adoret, quem

communis

communis ſuæ relpub. id eſt, Eccleſiæ catholicæ, in qua primò Chriſto natus eſt, & ſubinde adoleuit, conſenſus tradiderit: quem iam ab ipſo rerum Chriſtianarum exordio, per legitimas ſucceſsiones docuerit, cæteros omnes quantumuis in ſpeciem apparentes, quantumuis cum ipſa ſcripturæ diuinæ litera cohærere uideantur, hac ſola ratione, quòd ab Eccleſiaſtico uſu, cum ipſa diuina lege nato, ab Eccleſiaſtico ſenſu, ab Eccleſiaſtica interpretatione diſcedant, tanquam nothos, tanquam ſpurios, tanquam ad tentationem Satanæ pertinentes, exſibilet. Sic olim profectò huius ſanctæ reipublicæ legitimi ac ueri ciues maiores noſtri tradiderunt, ſic illi docuerunt, ad hunc lapidem lydium, etiam cùm eſſent Apoſtolicis temporibus proximi, ſcripturam exigendam ſcripſere. Vnde Clemens Romanus, aut Primus, aut certè Quartus à Petro Pontifex, ad Iacobum Hieroſolymitanum ſcribens, Lex (inquit) Dei cùm legitur, non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur, uel doceatur. Sunt enim in ſcripturis diuinis multa uerba, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi unuſquiſq; præſumit: & ideò oportet intelligentiam ſcripturarum diſcere ab eo, qui eam à maioribus, ſecundum ueritatem ſibi traditam ſeruat. Vincentius Gallus Lyrinenſis Abbas, cùm duplicem Euangelicæ ueritatis dignoſcendæ regulam, ſcripturam & traditionem conſtituiſſet, noſtrorum hæreticorum querelam perſtringens, Hîc forſitan (inquit) requirat aliquis, cùm ſit perfectus ſcripturarum canon, ſibiq́ue ad omnia ſatis ſuperq́ue ſufficiat, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? cui quæſtioni ſic ipſe reſpondit, Quia uidelicet ſcripturam ſacram, pro ipſâ ſui altitudine, non uno eodemq́ue ſenſu uniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia, aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe uideantur. Aliter nanque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, Pelagius, Cœleſtius, aliter poſtremò Neſtorius, atque idcirco multum neceſſe eſt propter tantos tam uarij erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur. Hactenus Vincentius. Qui ſi noſtra memoria profectò uixiſſet, ampliorem multò (ſat ſcio) eorum hominum, qui interpretanda ſcriptura, ab Eccleſiaſtico magiſterio ſoluuntur, texuiſſet elenchum. multo enim eſt in his, quàm in antiquioribus illis, quos Vincentius recenſet, dum unuſquiſq; potius ſe quàm alium audit, ſententiarum confuſio. Splendidiſsimæ illæ Græciæ, immo totius catholicæ Eccleſiæ faces Baſilius, & Gregorius Nazianzenus (ut rectè de illis inquit Rufinus) Duo pinguedinis filij, aſsiſtentes dextra leuaq́ue candelabro, inſtar duorum cœli luminarium refulgentes, ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, ambo de auditorio ad Rhetoricam, & alias humaniores diſciplinas digreſſi: cùm à mundi turbinibus & ſæcularium librorum & diſciplinarum lectione ſeſe auocaſſent, ſolis diuinæ ſcripturæ uoluminibus, per tredecim annos uacantes, earum intelligentiā, non ex propria (inquit idem Rufinus) præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate ſequebantur. Sic profectò à Chriſtianæ religionis crepudiis modeſtiſsimi quique (qui ſemper fuerunt doctiſsimi quique) tractarunt ſcripturas. Sic Dionyſius, ſic Origenes, ſic Clemens, ſic Irenæus, ſic Tertullianus, ſic Athanaſius, ſic Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, nō ex propriis ingeniis, quæ tamen ſi laxare libuiſſet, & utriuſque literaturæ cultura, & naturæ indulgentia, acerrima habuerunt, ſed ex Eccleſiaſticæ traditionis norma ſcripturas moderati ſunt. An putas tu, doctiſsimos hos uiros, quorum quoſdam, nihil ex his, quæ hæreticis ingeniis in ſcripturis impoſuerant aut imponere poterant, penè latebat, immo qui totius philoſophiæ deliria, etiam cum Ethnicorum admiratione percallebant, admirabiles & ſubtiles has, quas noſtrates hæretici, in noſtrorum ſæculorum ſentiendi licentia, interpretationes, ſcripturæ comminiſcuntur, latuiſſe? Nequaquam ſed eas in ueteribus hæreticis (neque enim nunc nouam cantilenam, ſed antiquiſsimam & ſanctorum ſcriptorum iam dudum calcibus protritam canunt hæretici) cùm uidiſſent, ingenij & Eccleſiaſticæ pietatis uigore, riſerunt. Nec tamen eos tunc Papæ amor aut metus, quo eas Germaniſſimas expoſitiones non probarent, coërcebat. Vidit ante mille ſupra trecentos annos Tertullianus primum illud horum hæreticorum axioma, quo omnia Euangelicæ legis inſtituta, in ſcriptura uolunt contineri, & magis cachinnis excepit, adeò ut non de aliis quàm his, qui modò

Clemens in epiſt. ad Iaco.

Vincentius Lyrin.

Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 11 c. 9.

Vide lib. de proſcr. hær. turbant Eccleſiam, ſcripſiſſe uideatur. uidit ingentem illam Vuicleſi, Zuinglij, Caluini,
& aliorum ſacramentomachiæ principum ſolidiſsimam machinam, qua ſe Dei domum,
id eſt Eccleſiam, quæ eſt colnmna & firmamentum ueritatis immobilis, proſtraturos
1.Tim.3. exiſtimant, dum ttopo uetba Chriſti de uera cotporis & ſanguinis ſub ſacramento exi-
In cap. 6. Ioan. ſtentia, eludunt, & ante mille annos, Theophilactus Bulgariæ Epiſcopus, irriſit. Vi-
derunt poſtea in Berengario, Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Vernerius, Adelma-
nus, Iuo & multi alij, nec tamen admirati ſnnt, ſed protſus illam ex ueteri patrum, &
Eccleſiaſtica expoſitione damnarunr. Viderunt ueteres illi Eccleſiaſtici uiri, quoſcun-
que modò aut de ſacramentis, aut Eccleſiaſticæ uiræ apparatu, & ceremoniis, noſtro-
rum ſæculorum hæretici, quicunque ſint illi, ex praua ſcripturarum interpretatione do-
cuerunt, nec tamen ab antiquo illo ſenſu, quem ab uberibus Eccleſiæ cum fide combi-
berunt, potuetunt diuelli. nimitum quòd plus in ſenſu uero diuinæ legis eruendo, Ec-
Hierony. in Mich.c.6. cleſiaſtico magiſtetio, cuins etiam uox, uox Dei eſt (ut inquit Hieronymus) quàm ſibi,
aut proprij iudicij libertati confiderent.

Diluuntur rationes & argumenta earum ſententiarum, quæ aliunde quàm ab Eccleſia, petendam eſſe ſcripturarum intelligentiam, ſuperius cap. XI. contendebant. Cap. XVII.

SEd iam eas tationes, quibus aduerſarij ſuperius connitebantur, dum
aliunde quàm ab Eccleſia petendum ſcripturarum ſenſum contendebant,
elidamus oportet. Et ad priorem quidem illam prioris ſententiæ, re-
ſpondemus, triplicem eſſe poteſtatem in leges, integram unam, quæ ſi
illi libuerit, poſsit ipſas leges peſſundare & abrogare, atque hanc ſolùm
legum conditoribus, & his, qui totius reipub. poteſtate cenſentur, indul-
gemus. Interptetandi, & quid ſibi legibus legislator uoluerit, explicandi, alteram,
quam in humanas leges, omnes iureprudentes, etiam qui in tepublica iura non dicunt,
abſque ullius poteſtatis uſurpatione quotidiano uſu exercere uidemus. Ex his miſtam
Lib.5.Eth. tertiam, quam Ariſtoteles ἐπιείκειαν, iuriſprudentes æquitatem aut bonitatem dixerunt:
quæ abſque legum abrogatione, quod omiſſum eſt, ſupplet, aut quod legis conditor
facturus, ſi adeſſet, uideretur, cum uerbalis quidem conttarietatis ſpecie, ſed non
præter legislatoris mentem exhibet: quæ ſola in reipublicæ præfectis & magiſtratibus
reſidet, etiamſi cum legis conditore pari poteſtate non cenſeantur. ſine hac enim tertia
5.Eth.c.6. poteſtate in leges, nulli mortales, ut rectè docet Ariſtoteles, in eandem uitæ rationem
& reipublicæ formam, potuiſſent coire. quoniam ex rerum humanarum uarietate, uix
duæ actiones humanæ eiuſdem rationis, duo, inquam, homicidia, aut duo furta, ea-
dem lege menſurati eſt poſsibile. ſemper enim quantumcunque, in ferendis legibus le-
gislator ſit prouidus, aliquid legum præſidi ſupplendum relinquitur. de qua re, quo-
niam iam quatuor libros edere paramus, non ſunt hîc plura dicenda.

Damvs ergo Deo, qui ſolus eſt Eccleſiaſticæ reipub. conditor, ptiorem illam. ipſe
enim & nullus præter ipſum, pto terum & temporum conditione leges mntat & ab-
rogat, quemadmodum fecit ſub temporum plenitudine, quando antiqnato prioti illo
teſtamento, & legibus, quas per Moſen Iſraëlitico populo tulerat, è medio ſublatis,
Euangelium induxit. neque hanc ulli huius ſanctæ reipub. magiſtratui tribuimus: qno-
niam ſi Lycurgo, Draconi, aut Soloni, qui homines fuere, in his ipſis, quas inſtitue-
runt, rebuſpub. æquales, qui leges eorum inutiles abtogarunt, dari potuetunt; in no-
ſtra tamen repub. Deo legislatori noſtro, nullus eſt æqualis, qni leges ab eo latas poſsit
abolere, neque ullo tempore eædem ab eo latæ leges reddentur inuriles.

Secvndam poteſtatem omnibus his indulgemus, qui pio ſtudio, pro ſuo & fratrum
Pſal. 1. commodo, in lege Domini meditantur die ac nocte, & ſiue nerbo, ſiue ſcripto, ca-
ptiuanres intellectum in obſequinm fidei, Domini ſui in ſanctis ſcripturis noluntatem
exquirunt. In quibus, qnemadmodum & in humani iuris interpretibus, dno ſunt or-
dines. ſunt enim quidam, quos, quòd ſancto illo Spiritu, quo ſcripturæ ſunt conditæ,

& uitæ

& uitæ ſanctitate, & miraculorum ſplendore refertos, certò cognoſcamus, quaſi eis, qui ab Imperatore noſtro reſpondendi de iure poteſtatem acceperint, in legitimo ſenſu indagando, præſertim cùm inter ſe conſentiunt, neceſſariò paremus: de quibus poſtea. ſunt alij, quos, quòd hanc ſpiritus plenitudinem habuiſſe ignoremus, niſi tunc cum ea, quæ ab his prioribus dicta fuerant, ſequuntur, non tenemur recipere, ſed liberum eſt illis refragari.

Tertia poteſtas in diuinas leges, ordinariè quidem in Romano Pontifice reſidet, hoc eſt enim, quod illi à Domino in regionem longinquam proficiſcenti, quaſi uicario, & reipub. Chriſtianæ dum reuertitur, præſidi, in procinctu ſuggeritur, Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit in cœlis, &c. extraordinariè uerò in Conciliis legitimis, quæ totam Eccleſiam repreſentant, quæque einſdem ſpiritus, qui ſcripturas cōdidit, certam promiſsionem acceperunt, indubitatò conſiſtit his (etſi nobis aliud uideatur) tanquam reipub. Chriſtianæ præfectis, in ſcripturarũ & legum ſanctarum interpretatione neceſſariò parendum. De qua re poſtea, cùm de Romani Pontificis & conciliorum poteſtate tractemus, plura ſumus dicturi. Math. 16.

Iam eorum ratio, qui non aliunde quàm à Spiritu ſancto, intus in anima docente, ſcripturarum intelligentiam petendam abſurdè exiſtimabant, quàm ſit eneruis, haud difficilè proditur. Docent enimuerò loci illi uniuerſi, quos ad id intorquendum inducebant, non alio, quàm ſpiritus magiſterio ſcripturas illuſtrari: neque nos id negamus: (abſit) uerùm id magiſterium non ex propria cuiuſque temeritate, ne locum demus diſſidiis, ſed ex Eccleſiaſtica cathedra metiendum decernimus. Nam quod Ioannes ait, (qui tamen locus illis maximè fauere uidebatur) Chriſtianum non egere extrinſeco magiſterio, ſed eundem per intrinſecam ſpiritus unctionem ueritatem doceri, quem ſenſum habeat, ipſa Ioannis uerba, quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, demonſtrare uidentur, Et uos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in nobis. & ſubinde, annectit ea, quæ in argumento aſſumuntur, Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat nos, ſed ſicut unctio eius docet uos de omnibus, uerum eſt, & non eſt mendacium. & ſtatim, Et ſicut docuit uos, manete in eo. Intelligit ergo ſanctus Apoſtolus, non quancunque Dei unctionem ueritatem docere, ſed eam, quam præcedenti tempore, cum ſancto lauacro & Chriſtianæ inſtructionis catechiſmo per ſanctos Apoſtolos, aut alios eius temporis Eccleſiaſticos uiros, Chriſtiani acceperunt. Vnde prius dixerat de hæreticis & ueræ doctrinæ percuſſoribus loquens, Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. nam ſi ex nobis fuiſſent, permanſiſſent utique nobiſcum, ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis, ſed uos unctionē habetis à ſancto, & noſtis omnia: non ſcripſi nobis, quaſi ignorantibus ueritatem, ſed quaſi ſcientibus eam. Loquitur itaque Ioannes de Chriſtiana illa catecheſi, ad quam Eccleſiaſtico beneficio, cum baptiſmo ſuſceptam, quaſi lapidem lydium hæreticorum mendacia affricantes, Chriſtiani, quid cum Eccleſiaſtica doctrina ueraq; proinde religione cohæreret, aut ab ea recederet, explorabant. Non ergo ad internum ſpiritus dictamen (ut hæretici uolunt) hoc loco Chriſtiani mittuntur, ſed ad id, quod docente Eccleſia, cum baptiſmo ebiberunt. Secundæ rationis diluitio. 1. Ioan. 2. 1. Ioan. 2.

Ratio deinde eorum, qui ab Hebræis ſanctæ ſcripturæ germanum ſenſum hauriendum opinabantur, haud aliud perſuadet, quàm quòd Hebraicæ linguæ peritia, magnopere ad ſanctæ ſcripturæ parandam eruditionem & cognitionem proficiat: quod nunquam negabimus. Nam & ob hoc olim eiuſdem linguæ cathedras inſtituit Eccleſia, atque utinam eadem Eccleſiaſtica conſtitutione, ad eas frequentius colendas theologi adigerentur. Fœlicius enim (ſat ſcio) in earundem ſacrarum literarum ſtudio & interpretatione quidam uerſarentur. Itaque aliud eſt ſanctas ſcripturas Hebraicæ linguæ cognitione iuuari, aliud Rabinorum, quos etiam eius linguæ ac idiotiſmorum eiuſdem, peritia deſtitutos, ſat ſcimus in earundem interpretatione imitari, quod eſt abſurdiſsimum. Eſt autem Hebraicæ ac aliarum quarumcunque linguarum, quibus ſcriptura continetur, etiam exactiſsima cognitio, ad amuſsim Eccleſiaſtici magiſterij exigenda; præſertim cùm ſciamus, facilius eſſe multò Hebraica, aut Græca originalia uitiari, quàm tantam patrum antiquitatem & auctoritatem corrumpi. Fidelis ergo ſanctarum ſcripturarum interpres, linguarum quidem iuuatur præſidio, uerùm quouſque Eccleſiaſticæ fidei & religionis regula non uidetur obſiſtere. nam alioqui (quod eſt Tertiæ rationis diluitio.

multò facilius) non Eccleſiã erraſſe, ſed uitioſos eſſe Hebraicos aut Græcos prototypos exiſtimabit: quod in Hebraica præſertim lingua, in qua tot ſunt in forma & imagine conſimiles characteres, etiam ſi dolus Iudæorum abſit, docti non ignorant poſſe ſæpe accidere.

Quarta rationis dilutio. QVI TANDEM poſtremo loco, ſcripturarum interpretationes ad rationis humanæ examen allidendas contendebant, nihil aliud ſuis rationibus proficiunt, quàm, quòd in expoſitione, ubi fides non contradicit, ſit rationi delectus: at cùm fides, Chriſtianaque religio ſit ſupra rationem, ubi illa contradicit, captiua ratio & intellectus, in fidei obſequium, libertate priuatur. Verbi cauſa, ſunt in eiuſdem loci ſcripturæ expoſitione duæ interpretationes, quæ mutuò à ſeipſis diſsidere uidentur, ambas tamen catholicæ confeſsionis ambitus claudit: tunc quidem liberum eſt hanc aut illam altera repudiata pro noſtro iudicio ac ſenſu, comprobare ac præligere. cæterùm quando altera communis fidei & religionis metam prætergreditur, iam amplius & ſi ad eandem humanus ſenſus humanumque iudicium pelliciant, comprobare non licet. Atque hæc ſit una eius argumenti dilutio.

2. EST TAMEN & altera, quæ iis, quæ antea de multiplici ratione diximus, magis applaudit: uerum quidem eſſe, quod in argumento aſſumebatur, nihil eſſe, niſi conforme conſonumque rationi credendum, ſi id non de quacunque ratione, humana ſcilicet, quæ ſenſuum & phantaſiæ lenocinio decipitur, ſed de abſoluta perfectaque ratione intelligant. nihil enim nos aut in interpretanda ſcriptura, aut dogmatum expoſitione, huic abſolutæ perfectæque rationi contrarium ſuſcipimus, quòd cuncta fidei Chriſtianæ dogmata deriuentur à diuina ſapientia. At, ſi de humana ratione humanoque iudicio, quod ex phantaſiæ ductu plerunque potius quàm ex rerum natura de rebus iudicat, loquantur, falſum prorſus eſt quod aiunt, aut Chriſtiana dogmata, aut ſanctæ ſcripturæ interpretationes, ad id genus diminutæ detritaque rationis exigendas, cùm Paulus toties quaſi ſtultam, & rerum diuinarum ignaram, huius mundi prudentiam & ſapientiam incuſet. *1. Cor. 1.*

Soluitur aliud argumentum aduerſariorum, quo Eccleſiæ, auctoritatem dignoſcendi interpretandiq; ſcripturas, conantur extorquere. Cap. XVIII.

INter cætera, quibus noſtri temporis hæretici, catholicæ Eccleſiæ, iudicium dignoſcendi ſcripturas, Chriſtianaque dogmata, extorquere moliuntur argumenta, illud etiam ingentis & inſuperabilis uigoris ab eiſdem iudicatur, quo conſequi uolunt, ſi Eccleſia diſcernendi & interpretandi ſcripturas poteſtatem acceperit, eam multò maioris eſſe auctoritatis, quàm eandem ſcripturam, quod nefas exiſtimant. Nam ſi ſcriptura (aiunt) neque eſt authentica ſine Eccleſiæ auctoritate, neque eius rurſus interpretatio legitima, germanaque cenſetur, niſi quam etiam ipſa uerborum ſpecie contradicente, eadem Eccleſia comprobarit; efficitur, ut Eccleſia altioris ſit ordinis & auctoritatis, quàm eadem ſcriptura ſacra: quod ſi hoc eſt falſum & abſurdum, falſum igitur & abſurdum quoque erit, Eccleſiam aut ſcripturas, aut earum interpretationes Chriſtianis præſcribere.

LICET autem hoc argumentum, quantum uirtutis habeat, ex primæ rationis dilutione eluceat, in qua dicebamus, multiplicem eſſe auctoritatem, integram unam, quæ pro uoluntatis arbitrio leges abrogaret, quam Deo tantùm tribuebamus: interpretandi alteram, quæ ſenſum legis exprimeret, quam doctoribus aut Eccleſiaſticis prophetis indulgebamus: tertiam inter utranque mediam, quæ in legibus diuinis omiſſa ſuppleret, aut ab eiſdem legibus præſcripta, cùm ratio poſtularet, moderaretur, quam ſummis Eccleſiæ præfectis propriam eſſe dicebamus. Ex quibus nullo pacto conſequebatur, Eccleſiam maioris eſſe auctoritatis quàm ſcripturam. non tamen ab re, de qua agimus, futurum arbitror, ſi preſsius aliquantò, quantum aduerſarij, hac noua ſtropha ſuam ſententiam

tentiam

tentiam promoueant, ſcrutemur. Mirum eſt enim quantum exacerbentur imperitorum
animi, quibus hæretici philoſophantur, præſertim ſi parum pietatis habeant, cum Ec-
cleſiá aut (ut iidem hæretici loquuntur) Papam aut Eccleſiam Romanam, maiori aucto-
ritate quam ſcripturam pollere audiunt. Idque dogma (quod tamen ab uniuerſis hæ-
reticis nobis impingitur) ſatis eſſe aiunt, ut nobis in nullo amplius dogmate fides ha-
beatur, qui toti noſtræ religioni falſum & blaſphemum fundamentum ſubſtruamus.
Agedum ergo quantum habeat hæc doctrina, quæ nobis ab aduerſariis obtruditur, bla-
ſphemiæ, perſcrutemur, deinde quàm parum hoc telum nos pungat, explicemus.

Atqvi de hac re quidem multiplicem inter Eccleſiaſticos auctores ſententiam in-
uenio: omnesq; ſuis rationibus, & argumentis à catholicis fundamentis profectis, ſuas
opiniones & ſenſus moliuntur defendere. Sunt, qui nefas putent, Eccleſiaſticam au- *1. opinio.*
ctoritatem ſcripturis non anteferre. Sunt rurſus, qui id prorſus auerſantes, ſcripturas *2. opinio.*
ſacras Eccleſiæ multò antehabeant. Et illi quidem, quòd Auguſtinum celebrem Eccle-
ſiaſticæ religionis propugnatorem, dicentem audiuerint, Ego uerò Euangelio non cre- *Lib. contra*
derem, niſi me commoueret Eccleſiæ catholicæ auctoritas. hi autem in duplici ſunt *epiſt. Fũd.*
differentia. ſicut enim ſunt hæretici & catholici, qui hanc ſecundam opinionem tuen- *Abulenſis*
tur, ita diuerſa ratione, diuerſoque fundamento nituntur. Hæretici quidem, quòd Ec- *q. 13. proœ-*
cleſia nihil aliud ſit quàm mera hominum congregatio, nullo Spiritus ſancti fauore ſuf- *miali ſuper*
fulta, ac proinde eius iudicia non ſint aliud quàm humanæ cogitationes, & ſenſa, quæ *Matth.*
tantùm à Dei cogitationibus, quæ in ſancta ſcriptura continentur, diſtent, quantùm
cœlum à terra. Catholici uerò, quòd licèt Eccleſia quoque ſancti Spiritus aſſiſtentiam
& promiſsionem obtineat, ſit tamen multò excellentior & maior ſpiritus concurſus,
cum ſacris auctoribus, quos certiſsima eiuſdem ſpiritus uaſa fuiſſe, primitiasque eiuſ-
dem ſpiritus accepiſſe non dubitamus, quàm cum Eccleſiaſticorum decretorum aucto-
ribus, qui nec tanta uitæ ſanctitate, nec tanta ſpiritus abundantia floruerunt.

Docent itaque iſti, quantum ad ueritatem & infallibilitatem pertinet, nullum eſſe
inter Eccleſiaſticas diffinitiones & ſanctas ſcripturas diſcrimen, quoniam ſicut iſtæ ſunt
ueræ, & ita illæ: & quemadmodum iſtas impoſſibile eſteſſe falſas aut mendaces, ita &
illas, propter promiſsionem ſpiritus, quam habent à Chriſto. Nam cùm ueritas, Ari- *Ariſt. li. 2.*
ſtotele auctore, non ſit aliud quàm reſpectus quidam rationis, reſultans ex ira ſe ha- *Periherm.*
bere à parte rei, ad intellectum, & reſpectus, ex eodem Ariſtotele, non admittat plus *Ariſtot. in Prædic. ad*
aut minus, id eſt, exceſſum aut decrementum, ſequitur, uniuerſa, uera eſſe æqualiter *aliquid.*
uera, aut ſi non ſint æqualiter uera, alterum illorum uerum non eſſe. Hinc conſequen-
ter colligunt, Inter ipſas quoque ſanctas ſcripturas licèt non in ueritate, in auctoritate
tamen magnum eſſe diſcrimen. Nam quantò uberior ſpiritus plenitudo Euangelicum
ſæculum quàm Moſaicum inundauit, tantò uetus à nouo Teſtamento auctoritate ſupe-
ratur. Et quantò Apoſtolici uiri, quàm cæteri, qui eodem titulo non prænituerunt,
maiori ſpiritus plenitudine exundarunt, tantò Apoſtolica ſcripta, eorum ſcriptis, qui
Apoſtoli non fuerunt, altioris eſſe ordinis docent, inter ipſoſque Apoſtolos maiorem,
quàm cæteris in ſcribendo Ioan. Apoſtolo tribuunt, non tã quòd cæteris ſenior, quàm
quòd propter Chriſti dilectionem ampliori chariſmate delibutus ſcripſerit.

Svnt inter hos, qui has duas extraneas ſententias declinantes, mediam uiam in *Ioã. Dried.*
hac parte tutiſsimam arbitrentur. Hi ergo cùm & durum exiſtimarent, ſanctæ ſcri- *de Eccl. dog.*
pturæ cum prioribus Eccleſiam præferre, cogitarentque deinde Eccleſiam & eiuſdem *li. 2. c. 3. ad*
ſcripturæ iudicem & interpretem eſſe, ita ut non alia ratione hæc aut illa ſcriptura ſa- *quartũ arg.*
cra habeatur, quàm quòd eandem ſacram iudicarit Eccleſia, bifariam conſiderandam *Caietan. in*
Eccleſiam apud ſe decreuerunt, uno modo ut includit prophetas, Euangeliſtas, Apo- *tract. de au-*
ſtolos, & reliquos librorum diuinorum auctores, alio modo prout nunc eſt, ſcilicet ut *ctor. Papæ*
in generali concilio per paſtores & Pontifices ex omnibus Eccleſiæ partibus coactos *apol. 2. c. 13*
exprimitur, &c. Quibus ſuppoſitis, priori modo acceptam Eccleſiam, ſacram ſcri- *ad 5. arg.*
pturam auctoritate ſuperare decernunt, quòd nimirum eius auctores intra ambitum
Eccleſiæ quaſi partes claudantur, ac perinde eius auctoritas non ſit aliud quàm Eccle-
ſiaſticæ auctoritatis portio quædam: partes autem quemadmodum & quantitate, ita
quoque & auctoritate, & qualitate, à toto ſuperantur. Deinde quoniam prophetica
& Apoſtolica prædicatio, quæ Deo confirmante ſignis & portentis, & uariis Spiritus

Heb.2. ſancti diſtributionibus fiebat, certior erat quàm ſacra ſcriptura, quæ nullo ſigno, præſertim in Euangelico ſtatu, fuit hominibus tradita. illa autem ſancta hominum congregatio, pars erat Eccleſiæ. Eccleſia igitur hac ratione ſumpta, altioris eſt ordinis, quàm ſacra ſcriptura. Secundo autem modo ſumpta Eccleſia, licèt à ueritate non poſſit deficere, nullo pacto ſcripturæ auctoritati conferendam exiſtimant, quòd hac ratione ſumpta Eccleſia, non aliunde ſuam auctoritatem perſuadere contendant, quàm ex ſacra ſcriptura: principia autem ſint maioris auctoritatis, quàm ea, quæ ex illis deſcendit & oritur concluſio. Sacra igitur ſcriptura, quàm tota huius temporis Eccleſia, maioris eſt ponderis. Secundò quia auctores ſanctorum librorum, quàm hi, qui modò uiuunt, aut poſt illam Eccleſiam uixerunt, Eccleſiaſtici patres, maioris ſunt auctoritatis & momenti, ergo & eorum ſcripta & decreta maioris ſunt ponderis. Tertiò quia Eccleſia, quæ modò uiuit aut in omni tempore uixit, poſt Apoſtolica ſæcula, ſiue in componendis moribus, ſiue in colenda fide ac religione, à ſcriptura dirigitur. neque enim nunc nouum fidei articulum tota ſimul coacta condere poſſet. Eſt igitur in auctoritate, ſcriptura quàm Eccleſia potentior. Atque hæ ſunt in uniuerſum, quæ de hac re inter catholicos & hæreticos auctores ſententiæ feruntur.

QVANQVAM non ignoro horum theologorum, qui ſcripturæ Eccleſiam præferunt, fundamentum, locum nimirum Auguſtini, à quibuſdam ex aduerſariis, aliorſum quàm illi intelligunt, referri, ut ſcilicet, cùm Auguſtinus inquit, Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ catholicæ commoueret auctoritas: crederem, pro credidiſſem, ibi accipiatur, quaſi non de eo tẽpore, quo iſta ſcribebat, ſed de eo, quo erat Manichæus, quod dicit, intelligat, & quaſi Eccleſiæ occaſione, non item auctoritate Euangelio crediderit. Hi igitur, cùm eorum ſententiam multis, ut ſibi uidebatur, rationibus confodiſſent, qui ideò Eccleſiæ auctoritatem maiorem quàm ſcripturæ colligebant, quòd Eccleſia quoſdam ad fidem attraxiſſet, quos ipſummet Euangelium aut Euangelica prædicatio non potuit attrahere, protinus eam obiectionem, quæ ex Auguſtini loco imminebat, *Vualfagus Muſculus ī loco. com. tractatu de ſacra ſcrip.* iis uerbis eludunt, Et hinc facilè uidere eſt, aiunt, quid ſentiendum ſit de eo, quod Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti ſcribens dixit, Ego uerò Euangelio non crederem, niſi me commoueret catholicæ Eccleſiæ auctoritas. Quod ſancti uiri dictum auctoritati Euangelij opponunt homines uel imperiti Auguſtinianæ dictionis, uel illam malitioſè diſsimulantes & peruertentes. argumentatur aduerſus Manichæos ad hunc modum, Noſtis me ſtatuiſſe, nihil à uobis prolatum temerè credere. quæro ergo, quis ſit ille Manichæus? Reſpondetis, Apoſtolus Chriſti. Non credo iam quid dicas aut facias non habebis. Promittebas enim ſcientiam ueritatis, & nunc, quod neſcio, cogis ut credam. Euangelium mihi fortè lecturus eſt, & inde perſonam Manichæi tentabis aſſerere. Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti, tibi non credo? Cùm iſta obieciſſet, Manichæis ueritatis demonſtrationem profitentibus, & iactantibus, exempli uice de ſeipſo ſubiungit, Qualis nõ tunc cùm iſta ſcriberet, ſed olim fuerit, prius quàm ad ſinceram Euangelij fidem, relicta Manichæorum hæreſi, acceſsiſſet, talis uidelicet, qui non fuiſſet crediturus cuipiam teſtimonium ex Euangelio afferenti, ſic conſequenter dicit, Ego uerò Euangelio non crederem, niſi me commoueret catholicæ Eccleſiæ auctoritas. Quod illi idem eſt, ac ſi diceret, Ego ſanè talis olim eram, cùm à uobis Manichæis diſcederem, ut Euangelio non credidiſſem, niſi me cõmouiſſet catholicæ Eccleſiæ auctoritas. Hactenus iſti. Oſtenduntque ſubinde, eam dictionem, qua præterito imperfecto ſubiunctiui, pro præterito pluſquam perfecto eiuſdem modi, ſumitur apud eundem Auguſtinum, frequentiſsimam fore. Vt quod lib. confeſſ. 2. cap. 8. De furto, quod puer admiſerat, inquit, Quia ſi tunc amarem poma illa, quæ furatus ſum, & eis frui cuperem, poſſem etiam ſolus, ſi ſatis eſſet, committere illam iniquitatem, qua peruenirem ad uoluptatem meam, ne confricatione conſciorum animorum accederem ad pruritum cupiditatis meæ: ſed quoniam in illis pomis uoluptas mihi non erat, erat ea in ipſo facinore, quam faciebat conſortium ſimul peccantium. Hactenus Auguſtinus. In qua tota periodo, amarem, pro amaviſſem, eſſet, pro fuiſſet, peruenirem, pro perueniſſem, poſſem, pro potuiſſem, accederem, pro acceſsiſſem (ut iſtis uidetur) Auguſtinus eſt uſus. Subditque tandem Vualfangus, Quare prorſus alienum eſt à mente Auguſtini, ſi uerba iſta, Ego

non

non crederem Euangelio, niſi me Eccleſiæ catholicæ commoueret auctoritas. non ad ea tempora, quibus adhuc erat Manichæus, ſed ad ea referat, quibus iſta contra Manichæos ſcribebat; & iam non propter Eccleſiam Euangelio credebat, ſed propter agnitam in illo cœleſtem & infallibilem ueritatem Dei. Hæc ille. inuehiturq; ſubinde in noſtram incogitantiam & ignauiam, qui locum hunc ſic illis obiiciamus, ut auctoritati Euangelij detrahamus, illamque infra Romanæ Eccleſiæ auctoritatem abiiciamus.

At quoniam ij non tantùm has opiniones (quod eſſet tolerabile) ſed omnem quoque probandi ſcripturas diiudicandiq; earum ſenſus, Eccleſiaſticam auctoritatem euertere moliuntur, operæprecium faciemus, ſi eorum non minus ſtultam, quàm arrogantem, in hac parte Auguſtini interpretationem, in medium traductam pauliſper exagitemus, & quàm longè ea ab animo Auguſtini abfuerit, uel inuitis perſuadeamus: quãquàm parum intereſt, id iis hominibus intorquere uelle, qui non tam mentis inopia, quàm animi prauitate delinquũt, dum cæteri, qui hæreticis laqueis, Dei pietate captiui non tenentur, intelligant, quibus tandem argumentis, quamque fidelibus ſcripturarum, & ſanctorum interpretationibus, urbes & prouinciæ integræ cateruatim à ueteri & paterna religione deſciuerint.

Et principio huic interpretationi, uniuerſos Eccleſiaſticos uiros, qui à plus quàm quadringentis annis de Eccleſiaſtica poteſtate tractarunt, profectò Auguſtiniani ſenſus, utpotè in quo ferè ſolo, aliorum auctorum penuria, uerſarentur, conſultiſsimos, uni Vualfango nec ſatis docto, nec ſatis pio licuiſſet obiicere, qui omnes ex hac Auguſtini celebri ſententia, Eccleſiæ catholicæ poteſtatem, diſcernendi interpretandique ſcripturas uno animo tribuunt, niſi hæretica arrogantia, eos omnes Auguſtinianæ dictionis ignaros iam declaraſſet, quaſi ipſe ſolus, Auguſtini phraſim & dictionem attigerit. *Confutatur Vualfangi interpretatio.*

Accedamus igitur ad ipſum Auguſtinum, ad quem prouocamur, & uideamus, quàm multum Vualfangus in miſeros homines fallendi arte, aut quàm parum in Auguſtiniani ſenſus intelligentia profecerit.

Ergo quàm ſit falſum dicere, ea uerba, Auguſtinum non de eo tempore, quo eadem ſcribebat, ſed de tempore, quo à Manichæorum hæreſi diſceſſerat, intellexiſſe, ea, quæ immediatè ante eadem uerba dixerat, etiam hæreticæ pertinaciæ intortura non dubito. Illic igitur cùm de Eccleſiaſtica ſapientia, quæ eum in gremio catholicæ Eccleſiæ, non quaſi occaſio, ſed quaſi uera cauſa contineret, quædam loquutus fuiſſet, ſic continuò ſubiungit, Vt hanc ſapientiam omittam, quam in Eccleſia eſſe catholica non creditis, multa ſunt alia, quæ me in gremio eius iuſtiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum & gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, uetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus cõmendauit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſsio ſacerdotum. Tenet poſtremò ipſum nomen catholicæ, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cùm omnes hæretici ſe catholicos dici uelint, quæ renti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum uel baſylicam ſuam, uel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis cariſsima uincula, rectè hominem tenent credentem in catholica Eccleſia, etiam ſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem, uel uitæ meritum, ueritas nondum ſe apertiſsimè oſtendat. Apud uos autem, ubi nihil horum eſt, quod me inuitet ac teneat, ſola perſonat ueritatis pollicitatio, quæ quidem ſi tam manifeſta moſtratur, ut in dubium uenire non poſsit, præponenda eſt omnibus illis rebus, quibus in catholica teneor: ſi autem tantummodò promittitur & non exhibetur, nemo me commouebit ab ea fide, quæ animum meũ tot & tantis nexibus Chriſtianæ religioni adſtringit. Hactenus Auguſtinus. Quo loco quæ tandem hæretica impudentia dicere audebit, uirum ſanctum & eximium catholicæ Eccleſiæ auctoritatis propugnatorem de eo ſtatu, quo Manichæus erat, & non de illo, quo librũ hunc in eoſdem hæreticos contorquebat, ſermonem texere? Quod ſi ita eſt, illa ergo, quæ immediatè iis aſſuuntur, de eodem tempore, de eodemq; Auguſtini ſtatu ſunt accipienda, non de eo, quo Manichæus erat. Et quis non uider, in his, quæ recitauimus, uerbis, multò maiora Eccleſiæ ab Auguſtino tribui, quàm ſint illa, quæ hæretici eidem donare renuunt, dum ſe eiuſdem Eccleſiæ catholicæ auctoritate in eadem Eccleſia contineri ingenuè confitetur? Qum & cùm

multa, quibus in Eccleſia, id eſt, in Chriſtianorum ſocietate, per rectam fidem contineretur, enarraret, confeſsionem ſcilicet populorum, auctoritatem miraculis inchoatam, fide firmatam, caritate auctam, Romani Pontificatus nunquam interruptam ſucceſsionem, ipſum denique catholicæ Eccleſiæ nomen, nunquam tamen aut ſacri Euangelij, aut ſacrarum ſcripturarum meminit. Nimirum quòd non illis, quæ & ſi uerè ſint, abſque auctoritate tamen Eccleſiæ, ſacræ aut diuinæ eſſe cognoſci nequeunt, ſed Eccleſiaſtica auctoritate non occaſionaliter, ſed uerè cauſaliter in fide ac religione perſtaret. Fatetur igitur Auguſtinus ingenuè, ſe ſuam omnem fidem, non alteri quàm catholicæ Eccleſiæ debere, dum illa quid ſit credendum, quid uerò contrà ſit refutandum, quaſi mater, oſtendit. Fatetur ſe in fide, id eſt, in Chriſtiana religione, eo etiam ſtatu, quo iſta ſcribebat, non per Euangelia, aut ſcripturas, quibus quaſi diuinis, ſine Eccleſiaſtica auctoritate non crederet, ſed per Eccleſiam conſeruari: atque adeò neque eo tempore ſe ſcripturis crediturum inſinuat, niſi Eccleſia præſcriberet.

Sed hominem urgeamus. Reſpondeat Vualfangus, an Manichæus hæreticus fuerit, an uerò catholicus? Deinde, doceat nos, an hæretici catholicæ Eccleſiæ in dignoſcendis, comprobandis, interpretandiſque ſcripturis morem gerant? Primum inficiari non poterit, ſecundum ex ſeipſo ſuiſque complicibus, reliquorum ſæculorum hæreticos metiens, concedere nequibit: ſemper enim Eccleſiaſticum iudicium catholicæ præſertim Eccleſiæ, de quo loquitur Auguſtinus, hæreticis fuit ridiculum, immo ideò hæreticus uocatur, quòd præter ſenſum Eccleſiæ, aut alias ſibi ſcripturas, aut alios ſenſus eligat
Hieronym. in epiſt. ad Titum c.3. approbetque. Iam ſi ita eſt, ediſſerat homo in Auguſtino uerſatiſsimus, quî fieri potuerit, ut ea uerba, uir ſanctus de eo ſtatu ac tempore, quo Manichæus erat, intellexerit? An uerò tunc Euangelio aut ſcripturis credebat, quia eum commoueret Eccleſiæ catholicæ auctoritas? Ergo quando Manichæus erat, catholicus erat: quia catholicus eſt, qui catholicæ Eccleſiæ auctoritate permouetur. Sed quo pacto catholicæ Eccleſiæ tunc Auguſtinus auctoritate, ad credendum ageretur, qui Eccleſiæ auctoritatem, ſicut cæteri hæretici, contemnebat & irridebat? Verùm in hæreticorum ſcriptis, horum ridiculorum lapſuum Deum immortalem quàm ingentes aceruí.

Hinc iam proditur quàm bellè cum Auguſtino agat, homo alioquì ad nauſeam in Auguſtini dictione uerſatus, dum crederem, pro crediſsem, accipi contendit: & tamen hi ſunt, qui nos peruerſores & corruptores ſcripturarum & ſanctorum patrum, tertio quoque uerbo inclamant. Quid ſi Vualfangus præcedentes & ſequentes ſententias, & ipſa uerba ſententiæ, qua de agitur, contra nos haberet? An non in nos cœlum & terram inuocaret? Ergo cùm ea, quæ uerba iſta præcedunt, & ſequuntur, de eo tempore, quo hæc Auguſtinus ſcribebat, apertè loquantur, & ipſum etiam uerbum crederem, idem tempus denotet, cur non optimo iure, peruerſorem & corruptorem Auguſtini, Vualfangum uocemus, qui eam ſententiam contra omne ius faſque, pro ſola delirandi libidine, ad præteritum torqueat?

At libro ſecundo confeſsionum ſic loquitur Auguſtinus, Et quid? Num propterea ita perpetuò contra omnem grammaticam rationem, loquendi ſibi neceſsitatem intorſit? Sed quis non rideat hunc hominem, qui in tam uaſto ſcriptorum pelago, ex una periodo, præſertim contra grammaticæ leges, Auguſtini phraſim metiatur? Et tamen hic eſt ille, qui ſolus Auguſtinianæ dictionis cognitionem ſibi uendicat: niſi fortaſſis ſuſpicemur (quid enim de huiuſmodi hominibus, quibus nihil magis ſordet, quàm Eccleſiaſticorum patrum ſcripta, ſuſpicari non liceat) eum ſolas has duas periodos in Auguſtino legiſſe, indeque reliqua ſcripta, quaſi ex ungibus leonem diiindicaſſe: Nam ſi ex uno loco, quo Auguſtinus, præſenti pro præterio utitur, Auguſtini phraſim rationemque loquendi metiri liceat, cur non ex tam multis, quibus præſenti pro præſenti, & præterito pro præterito utitur, etiam nobis contrariam phraſim metiri liceat?

Sed quæso te per Deum immortalem lector, ut quanta ſit hominis uel improbitas, uel cæcitas, attendas. Sit ita, ex uno loco, etiam grammaticæ legibus repugnantibus, Auguſtini dictionem poſſe colligi; ſit ita, quòd ea locutione libri ſecundi confeſsionum (quos tamen libros neque eruditione, neque rerum, quæ in illis pertractantur, grauitate, cæteris omnibus eius ſancti uiri operibus comparare ſolemus) ſibi ita, id eſt, barbarè, perpetuò loquendi legem indixerit: an quia illic, amarem, pro

amauiſſem,

amauiſſem, cuperem pro cupiuiſſem, poſſem pro potuiſſem, eſſem pro fuiſſem, &c. capitur, hoc quoque loco crederem pro credidiſſem, accipi debet? O' inſaniam, an non uides loco illo, ex quo omnem Auguſtini dictionem metiri contendis, per aduerbium temporis præteriti, ad præteriti ſignificationem, uerba illa pertrahi? Recitemus iterum, Quia, inquit, ſi tunc amarem, & eis frui cuperem, poſſem, etiam ſolus, ſi ſatis eſſet, committere illam iniquitatem, qua peruenirem ad uoluptatem meam, ne confricatione conſciorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ, &c. An'non hîc uerba, amarem, cuperem, poſſem, peruenirem, accenderem, &c. ab aduerbio temporis præteriti [Tunc] ad tempus præteritum reflectuntur? Sed ubi, quæſo, in hoc loco, de quo nunc diſceptamus, eſt aduerbium, aut aliqua orationis pars, quæ uerbum illud [crederem] ad pluſquam perfectum tempus, id eſt, ad id, quo erat Manichæus, pertrahat? Quare non ſic quoque hîc dixiſſet Auguſtinus, Ego uerò tunc Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas? Aut ſi ex illo loco metiri phraſim Auguſtini, cum Vualſango pergamus, cur non (præſertim grammaticæ regulis, quarum non erat ignarus Auguſtinus, inuitantibus) dicemus, morem eſſe Auguſtino, præterito imperfecto ſubiunctiuo, pro pluſquàm perfecto, uti, ſed tantùm cum aduerbio, quòd ſignificationem remoueat ad præteritum tempus? Quod ſi ita eſt, non igitur eadem horum duorum locorum eſt dictio, ſed longè diuerſa: nam in una uerbum, crederem, quia nullius alterius dictionis aduentu à propria ſignificatione remouetur, præſens tempus denotat, id inquam, quo iſta ſcribebat Auguſtinus: in altera, quia illis aduerbium temporale annectitur, quod non modò præſens ſubiunctiuum ſed & indicatiuum à ſua ſignificatione ad præteritum traheret, uerba illa amarem, facerem, cuperem, &c. ad præteritum pelluntur.

Neque uerò ignotum homini alioqui grammatico, crediderim, præteritum omne imperfectum ita præteritum tempus denotare, ut tamen nondum ſit perfectum & abſolutum, ſed cum præſenti coniunctum. Vnde à Græcis παρατατικὸς nocitatur. Sic Apelles pictor, & eius artis celeberrimi quique artifices uerbum imperfectum ſuis operibus adiungere ſolebant, dicentes, Faciebat Apelles, &c. quaſi nondum ea opera ad perfectionem perueniſſe, ac proinde locum adhuc eſſe correctioni inſinuarent. Vnde ſi præteriti imperfecti cuiuſcunque, uerbo Auguſtinus uteretur indicatiuo, inquam, quod tamen maximè omnium præteritorum imperfectorum, præteritum tempus denotat, dicens, Ego uerò Euangelio non credebam, &c. adhuc tamen idem non de ſolo eo tempore, quo à Manichæis diſceſsit, ſed de præſenti quoque, quo hæc ſcribebat, intelligendus fuiſſet. Verùm quantùm intereſt inter præteritum imperfectum indicatiui & ſubiũctiui, non arbitror hominem ignorare. certè præteritum imperfectum ſubiunctiui, quale hoc eſt, de quo nunc diſceptamus, frequentiori auctorum uſu pro præſenti ſumitur. Vnde Græci eo prorſus carent, quòd nimirum unum idemque ſit tempus, quod per utrunque importatur. Immo uerò huiuſmodi præterita, & ex communi auctorum uſu, non ad unam temporis conditionem arctantur, ſed ad omnes extenduntur, ut cùm dicimus, Ego nulla ratione hoc facinus admitterem, Ego hoc tibi in hac parte conſulerem, Ego te ab eo conuictum deterrerem, &c. ubi neque de præterito, neque de præſenti, neque de futuro tantùm loquimur, ſed ad omnes temporum differentias extendimur. Eſt enim in huiuſmodi locutionibus uniuerſalitas quædam temporis cum perpetua animi perſuaſione coniuncta, ita ut nihil aliud hæ formæ loquendi, quàm firmum animi propoſitum & ſolidam uoluntatis conſtitutionem deſignent. Quid enim aliud ſignifico, cùm aio, Ego tibi nõ conſulerem, Ego hoc ſcelus non deſignarem, &c. quàm, Ego ita animum meum inſtitui, ut nunquam tibi hoc conſilium dem, Ego ita apud me ſtatui, ut nunquam hoc ſcelus patrem, &c. Itaque ſi communis loquendi ratio in Auguſtino obſeruetur, cùm inquit, Ego uerò Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas, tantùm abeſt, ut Auguſtinus de præterito loquatur, ut firmum ſolidumq; animi propoſitũ, in omnes tẽporum differentias extenſum, ſine Eccleſiæ auctoritate non credendi ſcripturis, apertè teſtetur. Idem enim eſt dicere, Ego uerò Euãgelio non crederẽ, niſi me Eccleſiæ catholicæ cõmoueret auctoritas, ac ſi diceret, Ego ſic animũ inſtitui, ut nunquam Euangelio credam, niſi quia me id Euangelium ſanctamque ſcripturam eſſe, docet Eccleſia.

Vualſangi uerba.

Hinc iam hæretici hominis ſtultitia proditur, qua eo pacto, ab Eccleſia commotum Auguſtinum ad credendum Euangelio docet, quo olim Samaritani à Samaritana muliere, ad credendum in Chriſtum impulſi ſunt, occaſione ſcilicet quadam. Erat, inquit, initiò apud populum ciuitatis, cui Chriſtus erat ignotus adhuc, uerùm in ſe nequaquam, neque poſtea quoque ubi ex ipſo Chriſto audita ſalutis doctrina, mulieri dicebant, Iam non propter tuos ſermones credimus, ipſi enim audiuimus & cognouimus, quòd hic ſit uerè Saluator mundi. In priori Petri cap. 3. legimus ad hunc modum, Similiter & mulieres ſubditæ ſint uiris ſuis, ut & ij, qui non credunt uerbo, per mulierum conuerſationem, ſine uerbo lucrifiant, &c. Ergo ex eo, quòd maritus infidelis reſpectu conuerſationis uxoris, quam uidet honeſtam eſſe, caſtam, fidelem, & obedientem, ad fidem in Chriſtum permouetur, cùm prædicatione Euangelij permoueri nequiuerit, colligendum nobis eſt, conuerſationem muliebrem, potiorem eſſe Euangelio? Siquidem appareat uerum uiro infideli adhuc, non ei, qui Euangelij ueritatem, & diuinam auctoritatem cognouit. Conſimili planè modo quoque de Eccleſia dicendum eſt: habebat illa olim inſignem ſanctæ conuerſationis exiſtimationem, per quam multi ſunt ad fidem in Chriſtum perducti, qui aliàs ſacris ſcripturis & prædicatione Euangelij, nnquam fuiſſent permoti. Hactenus Vualfangus. Cuius interpretatio quantum ab Auguſtini animo diſcedat, ex his, quæ iam diximus, latêre non arbitror. Nam cùm apertè euicerimus Auguſtinum, non de præterito tempore, quo erat Manichæus; ſed de eo, quo iam Catholicus & Epiſcopus in Manichæos ſcribebat, illa uerba pronunciaſſe, nequaquam fieri potuit, ut ad credendum Euangelio, id eſt Euangelicæ fidei, & religioni, Eccleſiæ laudabili conuerſatione & exemplo inuitaretur: quod tantum iis conueniebat, qui extra Eccleſiam adhuc per hæreſim aut infidelitatem manebant.

1.Cor.6.

Verum amplius rem urgeamus. Quærere libet ab homine, an Eccleſia in eos, qui adhuc foris ſunt, ut Samaritani, cùm nondum Chriſto credidiſſent, aut illi, de quibus Petrus in Canonica loquitur, qui Chriſto per mulierum bonam conuerſationem lucrifaciendi erant, auctoritatem exerceat? Non annuet, ſat ſcio, homo in ſcriptura uerſatus, qui multoties, Paulum legit dicentem, Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, iudicare? Non'ne de his, qui intus ſunt, uos iudicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit. Quin & illud non ignorabit, quod poſtea dicemus, auctoritatem tantùm eſſe in eos, qui nobis & mentis, & uoluntatis obedientiam exhibere tenentur. Haud enim aliud eſt auctoritas, quàm imperium, adeò ut in eos auctoritatem non habeamus, in quos quoque non habemus imperium. Iam ergo quo, quæſo, pacto Auguſtinus eo modo ſe ad credendum Euangelio ab Eccleſia pellectum dicere potuit, quo olim Samaritani à muliere ſua conciue ad credendum in Chriſtum ducti ſunt, ſi ſe catholicæ Eccleſiæ auctoritate fatetur commotum? Ego, inquit, Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ catholicæ commoueret auctoritas. An Eccleſiæ catholicæ auctoritas Ethnicum hominem aut hæreticum commouet? Quid audio? inuitatos & bonæ conuerſationis dulcedine allectos, in Eccleſiam pertractos fuiſſe complures, non dubito: at anteaquàm eam ingrederentur, ad fidei & Euangelio credendum, Eccleſiaſtica auctoritate commotos, intelligere nequeo. Deinde an quando Auguſtinus Manichæus erat, non credebat Euangelio? cur ita? An hæretici non credunt Euangelio? Immo uerò nihil aliud ſe credere profitentur, idque hoc loco de Manichæis docet Auguſtinus, qui nihil aliud ſuæ inſaniæ teſtimonium adducebant, quàm Euangelium. Eo igitur tempore, quo Manichæus erat, Euangelio credebat: non ergo ad credendum Euangelio, dum Manichæus eſſet, ab Eccleſia attrahi potuit, ut olim Samaritani per ſuam conciuem, aut uiri per ſanctos Chriſtianarum fœminarum mores, ut Vualfangus contendit.

Tertiò, hîc non cuiuſuis Eccleſiæ ſed catholicæ auctoritate, ſe Euangelio credere Auguſtinus confitetur: ergo non de Eccleſia, quatenus Gentiliſmo, aut Iudaiſmo opponitur, ſed quatenus à falſa Eccleſia diſtinguitur, uerba facit. credebat igitur iam Euangelio, cùm iſta pronunciaret, non enim ſimpliciter ab Eccleſia, ſed ab Eccleſia catholica ſe permotum dicit. Nullo ergo pacto dicere potuit, ſe ab Eccleſiæ bona conuerſatione pellectum, Euangelio crediſſe, ut Samaritani à conciue, aut uiri à fœminarum ſancta conuerſatione.

Quartò,

QVARTO', ſi de extrinſeca bonorum operum conuerſatione tantùm agatur, nulli tam prodigioſa externa ſanctitate, quàm Manichæi enituerunt, adeò ut catholici ab eiſdem peccatores impuri iudicarentur, abſtinebant ab omni animanti, Pythagorico more, ieiunia frequenrabant, & reliqua bonorum operum larua mirè homines pelliciebant: cùm contrà Auguſtini tempore (quòd luculenter docent Eccleſiaſticæ hiſto.) penè omnis Eccleſiaſtica diſciplina corruiſſet. Manichæorum, inquit idem Auguſtinus, duæ maximæ ſunt illecebræ, quibus decipiantur incauti, ut uelint eos habere doctores una cùm ſcripturas reprehendunt, uel quas malè intelligunt, uel quas malè intelligi uolunt: altera cùm uitæ caſtæ & memorabilis continentiæ imaginē præferunt. Hactenus ille. Non igitur Auguſtinus, dum eſſet Manichæus, ad Euangelium ſiue id intelligas fidem ſimpliciter, ſiue rectam fidem, quæ in ſola catholica Eccleſia docetur, ſanctioris conuerſationis dulcedine allici potuit, eo pacto, quo gentes per bonam fœminarum conuerſationem ad fidem trahebantur. *Li. 1. de moribus Eccleſiæ cathol. cap. 1.*

QVINTO', aut eo loco Euangelium pro Euangelica religione, ut contra legem diſtinguitur, Paulino more, Auguſtinus accipit, aut pro illa ſacræ ſcripturæ parte, quam uſurpato nomine, Euangelium appellamus. ſi priori modo accipiatur, profectò Auguſtinus etiam cùm impensè erat Manichæus, ſe Euangelio, id eſt religioni Chriſtianæ, inuitatum ab Eccleſia crediſiſſe, dicere non potuit, cùm parentibus Chriſtianis, matre potiſſimè, genitus, gentilis aut infidelis non fuerit. ſi uerò Euangelium pro ea parte ſcripturæ, qua Euangelicæ legis ſacroſancta myſteria continentur, uſurpet, nec ſi quidem de eo genere inuitationis, quo mulier Samaritana conciues, aut bona fœminarū conſuetudo, apud Petrum, uiros ad fidem pelliciebat, loqui potuit. Nam iam tunc adeò Euangelio, id eſt, noui Teſtamenti libris, cum cæteris Manichæis credebat, ut id ſolum approbans, quaſi à bono Deo profectum, uniuerſum uetus Teſtamentum damnaret, quòd ea hæreſis eius auctorem prorſus damnaret. Loquitur igitur Auguſtinus, non de eo genere inuitationis, quo infideles ad credendum Euangelio pelliciuntur; ſed de uera auctoritate & imperio, quod in catholicos & Eccleſiaſticos uiros, tum in præſcribendis libris ſacris, tum in eis interpretandis, propter diuinitus acceptum ſpiritus lumen Eccleſia ſortitur. Atque id tam apertum eſt, ſi præcedentia Auguſtini uerba aduertamus, ut nulla alia, quàm hæretica libertate negari queat: quare ne plura dicamus, lectorem potiori iure, quàm Vualſangus, ad locum ipſum inſpiciendum prouocamus.

NIHIL itaque ea theologorum ſententia, quæ Eccleſiaſticam auctoritatem ſcripturæ auctoritati præferebat, ab hæreticis læditur. Vnde ſi ex eorundem theologorum iudicio ac opinione, aduerſariorum argumento, quod in principio faciebamus, reſpondere uelimus, iam tandem quàm parum blaſphemiæ habeat, id, quod nobis omnibus ab eiſdem falsò obtruditur, dogma, eſſe ampliorem Eccleſiæ quàm ſcripturæ auctoritatem, procliue eſt cognoſcere. Nam hi theologi, qui tamen inter catholicos auctores & eruditione, & pietate inſignes habentur, tantùm abeſt ut piaculum ducerent, aſſerere Eccleſiam, maioris auctoritatis eſſe quàm ſcripturas canonicas, ut potius id cuicunque catholico Chriſtianoque uiro, ipſa fidei neceſſitate confitendnm decernant: neque id falſum aut fidei aduerſum Vualſangus alioqui perſuadere potuit.

QVANQVA'M mihi, dum ſanctarum ſcripturarum dignitatem expendo, nunquam hæc ſcripturarum & Eccleſiæ comparatio probari potuit, tantùm abeſt, ut his duabus poſtremis ſententiis, quæ Eccleſiam eiſdem ſcripturis canonicis præferunt, ex animo faueā. Nam quod ex hoc Auguſtini dicto, priores, Eccleſiæ, quàm ſcripturarum maiorem auctoritatem perſuadere conantur, prorſus eſt futile. Et ut hanc eius loci interpretationem, qua hi hæretici à Catholicis in anguſtias coërciti omnino contra mentem & animum Auguſtini comminiſcuntur, omittam, profectò ex eo, quod Eccleſia canonica ſcripturas oſtendit, & eas à falſis diſcernendi poteſtatem exercet, eam eiſdem ſcripturis auctoritate præſtare, infirmè colligitur: niſi etiam is, qui inter hominum confertiſsimas turbas mihi regem oſtenderet, potioris etiam quàm rex ipſe auctoritatis habendus eſſet: aut niſi Moſaica lex, quæ Chriſti & Euangelici ſtatus fuit index, iuxta illud, Si crederetis Moſi, crederetis & mihi, & illud, Scrutamini ſcripturas, quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, &c. maioris eſſet auctoritatis quàm Chriſtus, aut Chriſti Euangelium, quod eſt abſurdiſsimum. Enimuerò Ioannes Baptiſta Chriſto teſtimonium *Auctoris in hac parte ſententia.* *Ioan. 8.*

Ioan. 1. teſtimonium perhibuit. Fuit enim homo miſſus à Deo, ut teſtimonium perhiberet de
lumine, & omnes crederent per illum. neque tamen continuò Chriſto fuit maior aut
Ioan. 8. æqualis. Moſes & Helias ſimul cum nube & cœleſti uoce, Chriſtum eſſe Meſsiam, &
Matth. 17. eundem cunctis mortalibus, quaſi cœleſtem præceptorem audiendum teſtificantur: neque tamen protinus maiores aut æquales ſunt Chriſto. Denique ſtella, paſtores, Magi,
Matth. 2. Anna, & Simeon, qui omnes Chriſto detulerunt teſtimonia, ut generis humani redem-
Luc. 2. ptor uerusque Meſsias agnoſceretur ab omnibus, non ſunt Chriſto ipſo potiores. Sic
Eccleſia eſt nobis (fateor) cauſa credendi, hunc aut illum librum eſſe diuinum, non tamen cum ipſa eadem ſcriptura, auctoritate contendit, quemadmodum neque harum auctoritas cum Chriſto erat ullo pacto conferenda. Oſtendit notarius publicusque tabellio, hanc aut illam ſcripturam eſſe regis, atque ita oſtendit, ut illi tantam fidem adhibeamus, quanta humana negotia poſtulant: quis tamen tam inſanus, ut tabellionis auctoritatem, cum regij, aut cum imperatorij ſcripti auctoritate cōponat? Ex Auguſtini igitur dicto, non aliud quàm quod in præcedentibus aſtruximus, elici poteſt, nimi-
Suprà li. 5. rum & in libris canonicis dignoſcendis, & in eorū interpretatione, ac perinde in ſacræ religionis dogmatibus, ultimam noſtræ credulitatis reſolutionē in Eccleſiam faciendam: non quidem quòd ſit maioris auctoritatis quàm ſcriptura, ſed quia habet ſpiritus promiſsionem, ut in nullo horum errare poſſit.

Neque uerò urgentiorem rationem uideo aſſerendi, maiorem eſſe Eccleſiæ auctoritatem, quàm ſcripturæ, ex eo quòd Eccleſia errare non poſsit, aut ex eo, quòd ſit legitimus index, aut interpres ſanctæ ſcripturæ, quàm aſſerendi Socratem, cui nunc indultum eſſet diuinitus, ne poſſet errare, & cui tributa fuiſſet auctoritas diſcernendi ſacras ſcripturas, eiſdem ſcripturis ſuperiorem eſſe, quod eſt abſurdiſsimum. Certè ſi ſola firmitas à ueritate non deuiandi, auctoritatem facit tantam, quantam Eccleſia, Socrates habet: ſi poteſtas diſcernendi ſcripturas, eaſdéq; legitimè interpretandi, eandē auctoritatē conciliat, habet quoq; ex hypotheſi ſolus Socrates. erit igitur ſcriptura ſuperior. Quòd ſi id de ſingulari homine, qui tamen eandē omnino, quam Eccleſia, auctoritatē obtineret, horreamus aſſerere, non eſt, cur idipſum Eccleſiæ tribuamus, quæ licèt multitudinis numero hunc hominē ſuperet, non tamen quà multos ſuo ambitu continet, ſed quatenus diuinitus ſpiritus aſsiſtentiā & concurſum accepit, auctoritatem habet.

Iam secunda illa opinio, quæ Eccleſiam priori modo ſumptam, ſanctæ ſcripturæ,
Euertitur ſecunda opin. theologorū. auctoritate præſtare aſſeuerabat, nihil amplius ſuis argumentis & rationibus promouet, quàm id, quod antea docuimus, Eccleſiam ſcilicet in canonicas ſcripturas, quòd eius auctores ſui partes extiterint, ius interpretandi, & ueras à falſis dignoſcendi obtinere, quod & cæteris quibuſcunque rebus publicis, in ſuas leges tribuebamus. hoc tamen intereſt, quòd in illis quidem, cùm legiſlatores non ſint altioris ordinis, quàm ipſæ reſpublicæ (erant enim homines & reipublicæ partes, nec altiori quàm humano lumine perſundebantur) non modò eædem reſpublicæ ſuas leges interpretandi & dignoſcendi ius obtinent, ſed etiam eas emendandi & pro rerum oportunitate mutandi auctoritatem ſortiuntur. Vnde abſolutè loquendo, huiuſmodi reſpublicæ, quæ ſola humana uiuendi ratione cenſentur, ſuis legibus auctoritate præſtant, contrà uerò diuina reſpublica, id eſt Eccleſia quòd ea non à ſeipſa, neque à quopiam è ſe ipſa, quatenus pars erat Eccleſiæ, ſed cœlitus per diuinam reuelationem ſuas leges ſuſceperit, nullo pacto, cum eiſdem legibus auctoritate contendit. Quanquàm enim hi, qui ſacros libros ſcripſerunt, partes fuerint Eccleſiæ, nihilominus tamen, non eoſdem libros, quatenus partes Eccleſiæ, ſed quatenus diuinæ ſapientiæ inſtrumenta ediderunt: unde nulla poteſt eorum ſub hac ratione ad reliquam Eccleſiam eſſe comparatio. Itaque ea ſcripta quidem, quæ Apoſtolici, uel Eccleſiaſtici uiri quatenus Eccleſiæ portiones erant, ediderunt, ad reliquam Eccleſiam, quaſi ad totum, ac perinde quaſi ad maiorem auctoritatem conferri poſſunt: ea autem, quæ altiori ratione ac modo iidem ſcripſerunt, inquantum erant diuinitatis miniſtri, aut potius inſtrumenta, cum eadem Eccleſia aut Eccleſiaſtica auctoritate, quaſi partes cum toto componi, nulla ratio permittit. Quemadmodum eas leges, quas Socrates in quantum ſuæ reipublicæ portio eidem tuliſſet, ad eandem, quaſi partes ad totum, conferre poſſumus: eas tamen, quas idem Socrates, quaſi altioris potentiæ quàm eſſet ſuæ reipublicæ, inſtrumentum daret, cum ea-

dem republica quaſi partes cum toto componi non poſſunt. Sed quod dicimus, cauſa maioris claritatis, illuſtremus exemplo. Multæ erant ſub Romano imperio ciuitates, quæ proprias leges condendi, inutileſq; antiquandi, dum aliud non præciperet Romana reſpublica, poteſtate præditæ erant. condebantur plerunque in iis urbibus leges à pleriſque aut principibus, aut alterius generis magiſtratibus, partibus tamen reipublicæ: atque id quidem nonnunquam propria genuinaque earundem ciuitatum poteſtate, legum conditoribus eiſdem, à populo Romano permiſſa, nonnunquam uerò altiori potentia, Romanæ nimirum reipublicæ aut imperatorum indulta. Num nullum tu putas inter has duas legum formas intereſſe diſcrimen? Certè primi generis leges, ad ſuam rempublicam, quemadmodum & auctores ipſi, quaſi partes ad ſuum totum conferri queunt: atque adeò excellentior eſt multò quàm eorum, aut earum legum reipublicæ auctoritas. At ſecundi generis leges, quæ nimirum à partibus ciuitatis, non tamen quatenus eius ſunt partes, ſed quatenus Romanæ reipub. aut imperatorum miniſtri, aut commiſſarij ſunt latæ, ad reliquam poteſtatem & auctoritatem reipublicæ, quaſi partes conferri non queunt, immo uerò neque earundem auctores, quatenus maioris potentiæ altioriſq; ordinis magiſtratus aſſumuntur miniſtri, aut commiſſarij, ſunt partes reipublicæ, ſed omnino per eandem aſſumptionem ſupra illam ponuntur. Sic ergo ea ſcripta, quæ quatenus membra, parteſque Eccleſiaſtici corporis, Apoſtoli aut reliqui omnes Eccleſiaſtici patres aliquando ediderunt, ut ſacra concilia, reliquaque talia Eccleſiaſtica decreta, ad reliquam totam Eccleſiæ poteſtatem, quaſi partes conferimus, ea tamen, quæ quaſi diuinitatis miniſtri, aut inſtrumenta, ad totius eiuſdem Eccleſiæ ædificationem, Deo præcipiente, ſcripſerunt, cùm ea, non quatenus partes, ſed quatenus ſupra eam conſtituti erant euaderint, cum reliqua Eccleſiaſtica poteſtate, quaſi partes cum toto conferri non poſſunt: non quòd ſancti Apoſtoli, aut prophetæ partes Eccleſiæ non eſſent, (abſit) ſed quòd ea non quà partes Eccleſiæ, id eſt, quà Eccleſiaſtico lumine præditi erant, & ea auctoritate, quæ Eccleſiæ ex communi lege tributa fuerat, ſed altiori quadam poteſtate & auctoritate, ſupra communem Eccleſiaſticæ auctoritatis rationem conſtituti, tradiderint.

Quare Eccleſia in Eccleſiaſtica decreta, nõ item in ſcripturas poteſtatem habeat.

Atqve hinc prouenit & non aliunde, quòd cùm Eccleſia, quaſi totum, in Eccleſiaſtica decreta, quæ eius auctoritate ſunt conſtituta, quaſi in partes, poteſtatem exerceat, in diuinas tamen ſcripturas, niſi interpretandi & exponendi auctoritatem non habeat: nimirum quòd Eccleſiaſtica decreta, ſiue ea conciliorum generalium, ſiue Pontificum fuerint, & ab iis, qui partes erant Eccleſiæ, & ſecundum quod partes erant, hoc eſt Eccleſiaſtica tantùm auctoritate præditis, effluxerint; contrà diuinæ ſcripturæ, licèt ab hominibus, qui Eccleſiæ partes erant, prodierint, non tamen ſecundum quod eiuſdem Eccleſiæ partes erant, id eſt, non quatenus Eccleſiaſtico, & communi tantùm lumine aut auctoritate cenſebantur, ſed quatenus in altioris ordinis lumen aſſumpti diuinæ ſapientiæ & auctoritatis commiſſarij, miniſtri & inſtrumenta erant.

Itaqve ſuadent hæ ac ſimiles rationes quidem, Eccleſiam catholicam, legitimam habere poteſtatem, ſacros libros à non ſacris dignoſcendi, interpretandi, prætereaque legitimos ſenſus ex eiſdem eruendi, at nullo pacto conuincunt, eandem Eccleſiam, cum ſcripturis canonicis de auctoritate certare, nedum illis ſuperioris eſſe auctoritatis. Nam quòd Eccleſia in iis duobus exhibendis officiis errare nequeat, non arguit eandem ſcripturæ anteferendam, niſi etiam notarium publicum, aut præconem, qui de iure gentium in denuncianda ueritate, errare non poſſunt, quibuſque ex eodem iure tanta fides, immo fortaſſe maior, quàm illis debetur, regi aut imperatori, cuius edicta uera eſſe denunciant, antehabere libeat, quod eſt longè abſurdiſſimum. Enimuerò, quemadmodum Eccleſia in denuncianda ueritate, quæ ſcripturis continetur, de iure diuino, ita de iure gentium (quod in humanis negociis eſt ſatis) huiuſmodi miniſtri non poſſunt errare: & quemadmodum Eccleſiæ in diuinis myſteriis denunciandis, theologica fides & diuina tribuitur, ita tabellioni, aut præconi in humanis contractibus, & ſcriptis, quæ eos continent, dignoſcendis, fides humana debetur. ergo quemadmodum in humanis ſcriptis, nihil humanæ fidei, humana certitudine obſtante, tabellionem aut alios publicos miniſtros, imperatoriis ſcriptis auctoritate non æquamus, ita ſuo modo ac rectiſsima proportione, nihil diuinæ fidei, diuina certitudine in rebus & ſcriptis di-

uinis obſtante, Eccleſiæ auctoritatem, cum diuinorum ſctiptorum auctoritate componere, minimè licet. Profectò tam neceſſaria eſt, tantumque habet momenti humana fides in humanis ſcriptis interpretandis, aut dignoſcendis, quàm theologica aut diuina in diuinis ſcriptis exponendis, aut comprobandis. Ergo quemadmodum illa eos, quibus tribuitur, ſcriptis imperatoriis auctoritate non æquat, ita nec iſta Eccleſiam, cui habetur, cum diuinis ſctipturis comparari non ſinit.

Obiectio. Ais, ſcriptura errare nequit, & Eccleſia pariter errare nequit. ſunt igitur pares.
Dilutio. fateor, ſi de ſola ueritate, non item de auctoritare contendas. Quemadmodum rectè quoque ſuo modo colligitur Regis edictum uerum eſſe debet, tabellio etiam & præco de iure gentium mentiri non poſſunt, ergo ſunt ueritate pares. peſsimè tamen ſic, Regis edictum uerum eſt, tabellio quoque & præco ſimul de iure genrium ueraces ſunt,
Auctoritas quid inſinuet. eiſdemque par fides debetur, ergo ſunt æqualis auctoritatis. Dicit auctoriras, præter ueracitatem, & multa alia, imperium ſcilicet, quod profectò in uita Chriſtianè componenda, non eſſe maius in ſcriptura, quàm in Eccleſia, cùm Eccleſia omnia ex præſcripto ſctipturæ faciat, neſcio quis docere audeat. dicit prætetea perſonarum ſanctiratem, ſic enim etiam in humanis ſcriptis comprobandis, nonnunquam hoc aut illud ſcriptum maioris auctoritatis cenſemus, quòd eius auctor, per maiorem morum ſanctimoniam, longius abſuerit à mendacio. Prophetas autem aut Apoſtolicos uiros, qui primitias ſpiritus acceperunt, maiori ſanctitate non polluiſſe, quàm reliquos, ſentite non poſſumus. Quemadmodum eriam ad humanæ fidei auctoritatem pertinet de iure humano, non poſſe errare, ita & ad theologicæ fidei auctoritatem ſpectar de iure diuino, à recto ueritaris tramite deuiare non poſſe: ergo hæc impoſsibilitas, quantò maior erit, tantò amplior erit illa, quæ ex ea impoſsibilitate deriuatur auctoritas. Iam ergo uideamus, utri magis ab errandi poſsibilitate diſtent, Eccleſia an ſacra ſcriptura. Profectò utraque errare nequit, fateor, ſed unum impoſſibile, tantò eſſe altero impoſsibilius, quantò ampliores cauſas habet impoſsibilitaris, aut quantò minus appropinquat poſſibilitati, negare non poſſumus. Nequit errare Eccleſia propter diuinum Spiritus ſancti concurſum, qui à Chriſto promittitur. ſi igitur hic communis concurſus, qui Eccleſiæ ad non errandum, promittitur, cum eo, qui in ſacris libris condendis, ſanctis Prophetis & Apoſtolicis hominibus adſuit, queat comparari, etiam Eccleſiæ auctoritatem cum ſcripturæ auctoritate comparare quis poterit. at hoc in Chriſtiani hominis mentem, niſi cum ingenti ſcripturarum ſanctarum detrimento uenire poſſe, quis credat? Eſt igitur ſcripturarum auctoritas, quàm Eccleſiæ tantò maior, quantò in componendis moribus, in præſcribendis fidei dogmatibus, maius habet imperium: quantò eius auctores maiori uitæ ſanctitate enituerunt, quantò demum per ampliorem, & uberiorem ſpiritus concurſum, longius à poſsibilitate mentiendi receſſerunt.

Qvin uerò etiam ſi auctoritas nihil aliud, quàm errandi impoſſibilitatem denotaret, adhuc multò maior, quàm Eccleſiæ erat ſcripturarum auctoritas. Neque ualet ea ratio, qua omnia uera, eſſe æqualiter uera, contendebatur, quoniam ueritas ſit reſpectus aut relatio, relationes uerò augmentum aut decrementum, ſiue magis & minus non admittant. nam licèt ſui ratione non ſuſcipiant, ſuſcipiunt tamen ratione fundamenti. Vnde Socratem ſimiliorem Platoni, quàm Ariſtotelem dicimus, non ſimilitudinis ratione, quæ reſpectus eſt, ſed plurium qualitatum aut accidentium, quæ ſunt ſimilitudinis propinqua fundamenta, quibus Socrates expreſsius Platonem refert quàm Ariſtoteles. Sic etiam unum uerum altero uero uerius, aut minus uerum, rectè dicimus, non ueritatis ipſius, quæ relatio & reſpectus eſt, ſed fundamenti ratione, quòd ſcilicet maiores ueritatis cauſas & occaſiones poſsideat. Nunc autem ſacra ſcriptura, quàm Eccleſia, tantò maiores habet ueritatis cauſas, quantò amplius, propter maiorem auctorum ſanctitatem, & propter excellentiorem ſpiritus concurſum, à poſsibilitate mentiendi recedit. Vnde nec etiam in ueritate æqualis eſt Eccleſia ſacræ ſciptutæ, & ſi in ueritate, certè non in ueracitate: ueracitas enim aliquid aliud, præter ueritatem dicit, nempe ea, quæ ad ueritatem dicendam impellunt, ſiue ea, quæ ex parte dicentis ueritatem, falſitatem impediunt. Ergo, ut iterum, quod in hac parte ſentio, repetam, tantum abſum ab ea ſententia, quæ Eccleſiaſticam auctoritatem ſcripturæ auctoritate docet eſſe maiorem, ut prorſus ea mihi comparatio diſpliceat.

Neque

NEQVE uerò, ut hæretici putant, nos cùm Eccleſiã, ſcriptura, auctoritate minorem eſſe decernimus, cauſam noſtram prodimus, ſed potius ſtatuimus. Donamus enim eidem Eccleſiæ, propter certiſsimum ſpiritus concurſum, infallibilitatem, tum in ſcriptis canonicis dignoſcendis, tum in legitimo ſenſu eruendo, ita ut ea ſit, & ſcripturarum iudex, & legitima interpres, illique proinde uniuerſi Chriſtiani & in dogmatum cultura, & ſcripturarum diuinarum aſsignatione & interpretatione, quaſi ſoli, legitimæq; magiſtræ parere teneamur. Vnde eorum ratio, qua colligebant, Si Eccleſia ſit minoris auctoritatis, quàm ſcriptura, de eadem ſcriptura, eiuſque expoſitione iudicare non poſſe, tam eſt ridicula quàm ea, qua quis ſic colligeret, Vrbanus magiſtratus inferior eſt imperatore, ergo edictum uerum imperatoris, à falſo dignoſcere nequit, ergo edictum imperatoris interpretari non ualet. Aut ſic, Tabellio inferior eſt magiſtratu, ergo edicta magiſtratus non poteſt dignoſcere: Magiſtratus aut ſenatus inferior eſt imperatore, ergo eius reſcriptum interpretari aut dignoſcere non poteſt. Papinianus inferior erat Alexandro aut Antonino imperatoribus, ergo eorum ueras leges à nothis & falſis ſeparare, in eatùmque interpretatione, de iure reſpondere non poterat. Videntigitur hæretici, quàm parum in Eccleſiaſtica auctoritate demolienda & proterenda proficiant, uel cùm ex ueteribus auctoribus ingentes locorum cumulos aggerunt, quibus ſcripturæ dignitatem oſtentent (quod tamen contra nos ſcribentes frequentiſsimè faciunt, quaſi nos eam inficiaremur) uel cùm magno rationum & auctorum agmine, eam excellentiorem Eccleſiaſtica auctoritate comprobare conantur. Neutrum profectò nos horum concedere renuimus, quod tamen illi tanto labore, iuſtis tractatibus, uix intorquere iis catholicis, qui contrarium probant, potuerunt! (tanta eſt hominum eruditio, ut etiam apertiſsima quæque perſuadere nequeant) ſed planè & apertè confitemur, ſanctas ſcripturas multò eſſe altioris ordinis excellentioriſque auctoritatis, quàm totam Eccleſiam, etiam ſi ea ſumatur, prout auctores ſeu potius inſtrumenta earundem ſcripturarum amplectitur. Ex hoc tamen nullo pacto colligitur, eam non eſſe in ſcripturis dignoſcendis certiſsimum iudicem, in eiſdemque exponendis legitimam interpretem, cui quaſi ſpiritum Dei habenti, qui earundem ſcripturarum proprius eſt auctor, aſſentiri compellimur.

Diluitur hæreticorũ argumentum.

HINC iam perfacile eſt aduertere, quàm ſit impudẽs hæretica calumnia ea, qua Vualfangus dicebat, nos ideò Euangelio detrahere, ut id infra Romanæ Eccleſiæ auctoritatem deiiciamus, cùm nedum illi uniuerſalis Eccleſiæ (cuius tamen caput eſt Romana Eccleſia) auctoritatem, æquo animo conferri patiamur. Tantùm Eccleſiæ, iudicandi, interpretandique ſcripturas ius, propter ſpiritus promiſsionem tribuentes aſſerimus, ex præſcripto eius, & ſcripturas & earum interpretationis accipi debere. Verùm iam ad alia progrediamur.

Quòd Eccleſia, quæ debet eſſe ſcripturarum interpres, & controuerſiarum iudex, non ſit inuiſibilis. Cap. XIX.

AT uideo, haud magnum cum hæreticis, in hac parte, nobis eſſe certamen: libenter enim cordatiores, & quorum habenda eſt aliqua ratio, nobis donant, Eccleſiam, legitimam ſcripturarum magiſtram, & in ea ſola cathedram ſpiritus, legitimi ſcripturarum interpretis, indubitatò conſiſtere. at cùm multiplex ſit Eccleſia, uera una, quæ neque rugam, neque maculam habet, Chriſti columba, Chriſti ſpecioſa, &c. iuſtorum, & peccatorum altera, quam æſtus peccatorum afflauit, meritò quæritur, quam iſtarum ſancti Spiritus magiſterium inſtituat. *Cantic.6.*

ET illi quidem, qui noſtra memoria, in Donati, Rogati, Catharorum, Circumcellionum, Montenſium, Vuiclefi, Ioannis Hus, &c. ante tot annorum centurias damnatam blaſphemiam reciderunt, docentes, ueram, unicam, ſanctam, orthodoxam, & catholicam Eccleſiam, non eſſe aliud, quàm uerorum fidelium (ſic enim illi iuſtos appellant) ſanctorum, & electorum ſocietatem & communionem, in qua nihil loci ſit reprobis, à ſpiritu Chriſti alienis, fateri perinde coguntur neceſſariò, Eccleſiam illam;

Luth. de Eccleſia. Brentius prolego.4.

quæ uel controuerſiarum Eccleſiaſticarum compoſitrix, uel rectæ fidei iudicatrix, uel
ſanctæ ſcripturæ legitima interptes, in ſanctis auctoribus aut ſcriptura uocatur, non
eam eſſe, quæ præſenti ſtatu, commercio peccatorum fœdatur, ſed eandem illam iu-
ſtorum & electorum Eccleſiam, quæ nullum habeat peccatorum conſortinm. huic
ſoli docent Spititus ſancti magiſterium indultum. aduerſus hanc ſolam, portas infero-
Brentius. rum præualitutas non credunt. reliquã, tam fidei defectioni quàm peccatis expoſitam.

Atqui iſti in hoc id ſolum moliuntur hætetici, quatenus hac frigida ſtropha, Eccle-
ſiam nobis inuiſibilem, & uulli hominum compertam reddenres, aut extra Eccleſiam
eſſe, aut ab eius magiſterio, cui ſoli religionis ueritatem promiſſam aduertunt, alieni
conuinci non poſſunt. Cùm enim illis Eccleſiam aut eius iudicium opponimus, in ma-
gnos continuò cachinnos ſoluuntur, quòd Eccleſiam noſtram, quæ peccatores, quibus
nihil cum illa alteta ſanctorum Eccleſia admittit, ſanctam illam putemus Eccleſiam, quæ
debet eſſe ueritatis magiſtra. cumque Eccleſiæ unitatem, extra quam uulli mortalium,
ſalus ſit ſicut nec olim dilunij tempore extta atcam, obiicimus, facili negorio uerum
eſſe concedunt, dum tamen nos uiciſsim illis donemus, nos eſſe illos, qui ſunt extra at-
cam. nam ſe quòd ptoprio teſtimonio ſint ſanctiſſimi, quòd ſint electiſſimi, quòd ſint
fideliſſimi, intta arcam illam totius naufragij expertes, contineri non dubitant.

Verum hæc, non tã acuta quàm futilis & inanis fuga, præter multa ueterum pattum
(Auguſtini ptæſertim) ſcripta, quibus ſuotum ſæculorũ iudicio, in infernum dettuſa eſt,
eorum hæreticotum noſtti ſæculi, qui minus, quàm alij delitare uidentur; & ridetur, &
ſcriptis proſcinditur. Tum, quòd ſua illa grandi eruditione indignum duxerunt, tam
turpi ſuffugio, tamque uetecundè, Catholici exetcitus impetum declinare: tum quòd
ſcitent iam olim patrum ſanctorum & uerorum Eccleſiæ membrorum indicio damna-
Ioã Calui. tam: tum quòd pluſquàm Babylonicam confuſionem reditutam uidebant, dum quiuis
lib. 3. inſtit. chriſt. c. 1. hætcticus ſe ac ſuos, uetam Eccleſiam, cætetos omnes falſam habere, impunè iacta-
Philip. Melãc. i reſpõ. tet, quòd Anabaptiſtas omnium hæreticotum fecnlentiſſimos, & ſtupidiſſimos, feciſſe
ad art. Bauarica inquiſit. iam uiderant: tum eruditiſsimis ſctiptutæ teſtimoniis acti, quibus nonnunquam reti
in mare miſſo, & ex omni genete piſcium congreganti, qui non ſeligantur, donec ſint
in litore, Eccleſia confettur. Item agro bona fruge conſito, & inimici hominis fraude,
Matth. 13. zizaniis infecto, à quibus non exputgetur, donec in aream aducta fuerit meſsis. Item
Matth. 13. *Matth. 3.* areæ, in qua ſic ſit collectum ttiticũ, ut ſub palea deliteſcat, donec uentilabro, ac cribro
à paleis repurgatum, in hotreum tandem combuſtis paleis, conſeruandum recondatur.
Tum demum, quòd rationes illæ, quæ peccatores ab Eccleſia protrudunt, ſint prorſus
euanidæ, & indignæ omnino, quibus nel tantilla in tantum paradoxon, à ptiſtina ſen-
tentia mouetentur ingeuia. Nam quòd Eccleſiæ in ſancta ſcriptura ea encomia & elo-
gia à Spititu ſancto donentur, quæ homini peccatori conuenire non queant, ut quòd
Cantic. 6. ſit ſpecioſa, quòd ſit columba, quòd ſit Chriſti ſponſa, quòd ſit ſine ruga, aut ſine ma-
Ephe. 5. *Matth. 16.* cula, quòd ſit ſupra petram fundata, & proinde portæ infeti aduetſus illam non ſint præ-
Iocl. 3. ualituræ, quòd ſit Hieruſalem ſancta, per quam alieni non tranſeant, quòd ſit ſacro-
Iſa. 35. ſanctum templum, quod impuri non ſint ingreſſuri, & ſimilia, talia, quæ illi Euange-
Phil. Melã. *Ioã. Calu.* lica teſtimonia aut ptophetica naticinia ftequentiſsimè tribuunt, non alia tatione ab
iſtis accipitur, quàm quòd toto ſtudio in hac uita ad ſanctimoniam & ſolidam purita-
Ephe. 5. tem aſpiret. Quemadmodum, aiunt, uerum eſt, quod ad Epheſios ait Paulus, Chri-
ſtum ſe ipſum tradidiſſe pto Eccleſia, ut illam ſanctificaret, & mundaſſe illam lauacro
in uerbo uitæ, ut ſibi exhiberet glorioſam ſponſam, non habentem maculam, aut ru-
gam, ita uerum eſt, Dominum quotidie operari iu rugis eius expoliendis, maculiſque
impetfectionis, quæ ex huius mundi conuerſatione affricantur, extergendis. Vnde iſti,
pulchram, fotmoſam, columbam, ſolidam, &c. uocant, non quòd modò in præſenti
fragilitatis ſtatu ſit uerè pulchra, formoſa, columba, & impetu tentationis infracta,
ſed quòd per continuum uitæ ſtudinm, in hæc omnia contendat. Sunt & ex noſtris qui
Rufinus in expoſitione ſymboli. non minus aptè, hanc pulchtitudinem, ſplendotem, & robur, in quod etiam infeto-
rum pottæ præualere non poſsint, non in uitæ iuſtitiam, ſed in doctrinæ & dogmatum,
quæ docet Eccleſia, pulchritudinem, robut, & ſplendorem reiicianr: nihil enim eſt iis
pulchrius, nihil ſplendidius, fortius nihil, utpote quæ ſuperata philoſophorum ſapientia,
tomm orbem peruicerint.

Docent

Docent ergo iſti, Eccleſiam non eſſe inuiſibilem, & incertam, ſed prorſus uiſibilem & certam, ſicque interpretanrur illud ſymboli uerbum, Credo ſanctam Eccleſiam ſanctorum communicationem. ut cùm prima pars ad ſanctam tum uiuorum, tum mortuorum concionem, quæ fide ſola comprehenditur, & cœtum pertineat, ſecunda fidelium, quibus in hac uita mortali, amorem, chariſmata ſpiritus, quibus donamur, & noſtrarum rerum ſubſidium communicamus, conuictus ſignetur. Docent deinde ſanctæ ſcripturæ, & Euangelicorum dogmatum magiſterium, non ad inuiſibilem & incertam, ne omnia hæreticis tumultibus conturbentur, ſed ad uiſibilem & certam, quanuis non huic loco aut illi aſsignatam Eccleſiam pertinere. Atque hucuſque omnino malè, niſi quòd hac ultima particula Romanum Pont. uidentur excludere, de quo tamen poſtea. Ioã. Calui. Phil. Mela.

Eccleſiam, quæ eſt dogmatum & controuerſiarum iudex, legitimaq; ſanctarum ſcripturarum interpres, non tantùm iuſtis, ſed & peccatoribus conſtare. Cap. XX.

Verùm ſi rurſus ab iſtis exquiras, an ſi peccatores, quos intra dominicas caulas uſque ad iudicij diem futuros fatentur, huius Eccleſiæ, quam docent, portiones exiſtant, nil minus concedent. quanuis enim ſimul peccatores cum iuſtis, intra huius Eccleſiæ ambitum contineri non dubitent, eos tamen uera Eccleſiæ membra ſola eſſe conſentiunt, qui Chriſto, per ueram fidem adhærendo, iunguntur. Nam cùm iſti, non dilectioni & caritati, & bonorum operum, ex his procedentibus fructibus, ſed ſoli fidei (antequã nihil) iuſtitiam attribuant, ſicut neceſſariò continuò fateri tenentur, nullum habere ueram fidem, qui non habeat iuſtitiam, qui non ſit Eccleſiæ membrum, &c. ita eodem rationis rigore ſentire cogũtur, eum, qui non habeat ueram fidem, aut illam ſuam fiduciam, neque iuſtum eſſe, neque ad Eccleſiam pertinere. Per fidem apud omnes eſt primus in Eccleſiam ingreſſus, per fidem etiam apud illos contingit iuſtitia. qui igitur fidem habet, iuſtitiam habet, & Eccleſiam habet. contrà qui fidem non habet, nec iuſtitiam habet, nec Eccleſiæ membrum cenſetur. Vnde quidam horum, haud ingentem operam in eo, ut ſciamus, qui ſint Eccleſiæ membra, quique ſint grana tritici, aut ignis ardore combuſtibiles paleæ, fidelibus hominibus reponendam exiſtimant, quòd nimirum ſoli Deo ſit ſuæ Eccleſiæ permittenda cognitio, iuxta illud, Nouit Dominus qui ſunt eius, &c. Ioã. Calui.

Neque uerò hi quàm illi priores, iuxta omnium hæreticorum conſuetudinem, minus ſunt uulpes. quemadmodum enim illi Eccleſiam nobis inuiſibilem, ne eius aut doctrina, aut coërtione caperentur, reddebant: ita iſti, dum homines peccatores ab Eccleſia protrudunt, & qui in ſingulari ſint Eccleſiæ membra, à nullo mortalium cognoſci permittunt, leui opera pro ſua impudentia, ſe ſolos Eccleſiæ uera membra, ut qui per ueram illam ſuam fidem Chriſto cohæreant, Romanos contra Pontifices, Epiſcopos, & quoſcunque, quibus ipſorum doctrina nondum arriſit, non item Eccleſiæ membra, ſed peccatores, ſed idololatras, ſed peſtes, in Eccleſia ad bonorum, & iuſtorum hominum exercitia tantùm toleratos, ad quos proinde, non magis ſcriptura aut Chriſtus, quàm olim ad Antiochos, Herodes, Cayphas, Annas, Pilatos, Nerones, Domitianos, aut Diocletianos pertineat, ſubinde ſubiungunt. atque hinc illi cachinni & ſolni riſus, quibus noſtrorum Pontificum, conciliorum & uniuerſitatum decreta, & ſtatuta ſuſcipiunt, quæ nulla maiore, quàm ſi ab Alphaquiis, Baxanibus, Turcarumq;, & Sarracenorum ſacerdotibus & ſatrapis orta fuiſſent, reuerentia dignantur, ſcilicet quòd illi iuſti, nos peccatores: illi puri, nos fœtidi & immundi: illi fidem habeant, quæ filios Dei faciat, nos & ipſa fide deſtituamur: illi ingenti illa fiducia, Deum ſibi metiantur, & in omnia, quæ uelint, libenter pelliciant: nos noſtrorum operum, & iuſtitiæ illius Phariſaicæ, tot locis à Chriſto damnatæ, cultores, legi tantùm ſeruiamus: cùm illi contrà iocundi, in illa Euangelica filiorum Dei libertate tripudient. Cõfutatio. Bernard. in Cant. ſerm. 66.

Verùm, quibus rationibus ueteri ac catholica proculcata ac damnata, in eam iſti

Tom. Calui. inſtit. chriſt. lib. 4. c. 1. Prima Caluini ratio. 1. Cor. 5. ſententiam deſcenderint, iam explicemus. Paulus Apoſtolus (aiunt) Corinthios obiurgat, quòd flagitioſum hominem, ſuo contubernio dignarentur, deindeque generalem ſententiam uibrat, qua neſas eſſe pronunciat, cum homine probroſæ uitæ uel panem comedere: quòd ſi uerò uulgarem panem cum homine peccatore manducare non licet, multò minus, panem Domini, id eſt dominicam cœnam, qui cibus eſt Eccleſiaſticus. non igitur ad Eccleſiam pertinent peccatores, qui tam urgenti Apoſtolico præcepto prohibentur admitti.

2. ratio. Ephe. 4. Deinde Paulus monet, ut ſimus unum corpus, unus ſpiritus, ut eſt unus Dominus, una fides, unum baptiſma. unus autem ſpiritus, niſi ſit in nobis, unus Dei ſpiritus eſſe non poſſumus. peccatores igitur non ſunt Eccleſiæ membra. Nam quòd per Spiritus ſancti in nobis per gratiam habitantis unitatem, Eccleſiæ membra in unum cor-
1. Cor. 12. pus conueniant, multis aliis locis docet Apoſtolus. In uno ſpiritu, inquit, omnes nos baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus. quo loco de Spiritu ſancto Paulum ſermonem facere, non eſt dubitandum.

3. ratio. Praeterea non alio pacto de catholica Eccleſia nunc loquendum eſt, quàm olim de ſynagoga. à ſynagoga uerò non modò fidei deſertione, ſed ſceleroſæ uitæ contagione,
Rom. 2. homines praſcindebantur, iuxta illud Pauli, Si præuaricator es legis, circumciſio tua
Apoc. 2. præputium facta eſt. & illud, quod ad Iudæos quoſdam in Apocalypſi dicitur, Qui dicunt ſe eſſe Iudæos, & non ſunt, ſed ſynagoga Sathanæ: & ab Eccleſia igitur, non modò infidelitas, ſed quodcunque flagitium peccatores præſcindet.

4. ratio. Iam Eccleſiæ in ſcriptura multa tribuuntur, quæ nullo pacto illi, ſi peccatores ſint eius membra, conuenire poterunt: quale eſt, quod pleriſque locis, corpus Chriſti uocatur, grex ouium, domus Dei, ædificium Dei, ſtructura Dei, quæ omnia, non niſi ei tantummodò congregationi aptari queunt, quæ nihil habeat peccatorum admiſtum. num
1. Cor. 3. brachium, pedem, aut oculum aridum, corpus Chriſti habebit? num in Dominico
2. Tim. 3. grege, ouibus, & agnis, capræ, tauri, ſues, leones, aut urſi miſcebuntur? num in
Ioan. 10. Chriſti Dei ſapientiæ domo erit aliqua portio, quæ non ipſi totius ædificij ſolido fun-
1. Cor. 3. damento nitatur? fundamentum uerò aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quòd eſt Chriſtus Iesvs. hic ſolus totum ædificium Dei ſuſtentare poteſt, & contra Satanam, mundum, peccatum, & mortem, incorruptam ſeruare. Qui igitur illi, quaſi fundamento cohæret, nec Satanæ, neque peccato, nec morti, nec mun-
Rom. 8. do concutitur, ſed cum Paulo clamat, Quis me ſeparabit à caritate Chriſti? an anguſtiæ? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? &c. nimirum quòd per fidem certus ſit, quod neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poſsit illum ſeparere à caritate Chriſti. Quod uerò huic Eccleſiæ fundamento, non alij quàm iuſti poſsint ſuperſtrui, ad Epheſios
Ephe. 2. ſcribens, docet idem Apoſtolus, Ergo, inquit, iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati, ſupra fundamentum Apoſtolorum, Prophetarum, ipſi ſummo angulari lapidi, Chriſto Iesv, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Sed & quòd huic ſancto & quadrato lapidi, nullum peccatum poſsit ſuperædificari, clarioribus uerbis docet Petrus
1. Pet. 2. Apoſtolus, Si guſtaſtis, inquit, quàm dulcis eſt Dominus, accedentes ad eum, lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides uiui ſuperædificamini, in domos ſpirituales, in ſacerdotium ſanctum, offerentes hoſtias acceptabiles Deo per Iesvm Chriſtum, propter quod continet ſcriptura, Ecce pono in Sion lapidem ſummum, angularem, probatum, electum, precioſum, & qui crediderit in eum, non confundetur. Quid his clarius? lapidi uiuo non uult Petrus, niſi lapides quoque uiuos ſuperſtrui: deinde non quocunque pacto ſuperædificari nos monet Apoſtolus, ſed per fidem, ante fidem uerò nullum eſt uinculum. ergo qui fidem habet, Chriſto eſt ſuperædificatus, & qui Chriſto quaſi lapidi uiuo, uiuus ipſe lapis non nititur, fidem non habet, qui uerò fidem non habet, ad Eccleſiam non pertinet.

5. ratio. Amplius, non modò ſponſam, uxorem, amicam, &c. Eccleſiam, ſcriptura, ſed unã

carnem

carnem cum Chriſto, quæ nnio arctior eſt quàm ſpiritus, frequentiſsimè uocat; Erunt, inquit Apoſtolus, duo in carne una, hoc ſacramentum magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Ephe. 5.* Quì, quæſo, eſſe poterunt peccatoris maledicta caro, unà cùm Chriſti carne, cum quo Chriſto nec minori illa ſpiritus unitate coniungitur? Quì, quæſo, Chriſtus (quod ibi quoque docet Apoſtolus) Eccleſiam ſuam diligat, in cuius membris fœculentæ ſint ſordes? Quomodo carnem ſuã, id eſt, uxorem ſuam nutriet & fouebit, ſi horrenda peccatorum lepra uideatur ſcabra? *Ephe. 5.*

Svnt igitur iuxta horum ſententiam in externa Chriſtianorum ſocietate quamplurimi, ac hactenus in Eccleſia, uerùm de Eccleſia non ſunt, quia uerè Eccleſiæ membra non ſunt. *Vualfang. Muſc. in lo. com.* aliud enim eſt eſſe in externa Chriſtianorum ſocietate, aliud pertinere ad internam, quæ ſpiritus eſt & fidei, qua caput & corpus, & membra cum membris, ſpiritualiter & ueraciter communicant. Aliud eſt eſſe in Eccleſia, aliud eſt eſſe de Eccleſia. Exierunt ex nobis, inquit Ioannes, ſed non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. *1. Ioan 4.* non pertinet ad Eccleſiam, niſi qui eſt de Eccleſia. Id nolunt Bernardum, & Auguſtinum ſenſiſſe: illum, in pſalmum, Qui habitat, ſermone ſexto, dum inquit, Nunc pacem eſſe Eccleſiæ à paganis, & pacem ab hæreticis, non item à falſis filiis, hunc, dum contra Greſconium grammaticum ſcribens cap. 21. Per hoc (inquit) etiam neſciente Eccleſia, propter malam pollutamque conſcientiam, damnati à Chriſto, iam in corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia, quoniam non poteſt Chriſtus membra damnata habere. hactenus iſti.

Est avtem inter hanc & priorem illam, quam hæreticorum argumentis ſtatim proſtrauimus, ſententiam ingens diſcrimen, quòd illa quidem, in electione ac prædeſtinatione, hæc non in his ſolùm, ſed ſuper ſpirituali iuſtitia, Eccleſiam ſtatuat. *Quod diſcrimen ſit inter hanc & priorẽ ſententiam.* deinde, quod cùm prior illa, peccatores non modò ad Eccleſiam pertinere non credat, ſed neque ad externam communicationem & ſocietatem, quòd potius illorum commercio iuſti conſpurcentur: hæc, ita peccatores in Eccleſiaſticam & externam ſocietatem admittit, ut tamen prorſus neget eſſe membra Eccleſiæ. unde apud illam, quòd nullam certam poneret humanam ſocietatem, Eccleſia prorſus inuiſibilis erat: apud hãc, quòd conſtituatur quædam humana ſocietas, certis notis diſtincta, Eccleſia quidem non eſt inuiſibilis. uera autem membra Eccleſiæ, & quæ non tantùm externa illa, ſed interna quoque ſocietate iunguntur, prorſus ſunt inuiſibilia.

Conuellitur horum hæreticorum ſententia. *Cap. XXI.*

IN hac uerò hæretica ſententia euertenda, nullo alio artificio nobis eſt opus, quàm eo, quo eius auctores, in illam priorem inuehebantur. *1. ratio.* eadem enim per omnia deliria, eademque reipub. Chriſtianæ detrimenta ſequuntur, iiſdem locis ſcripturæ, iiſdemque ueterum Eccleſiæ patrum ſententiis, per omnia proſternitur. nec mihi hi, quàm illi (licèt ſint aſtutiores) ſapientiores uidentur. Putarunt iſti, plauſibiliorem ſuam cauſam futuram, ſi ſtulto illo, & quod hominibus prudentibus totam rem prodebat, paradoxo proſtrato, in hoc ſecundum, non tam fugiendi neceſsitate, quàm electione doctrinæ ſe compulſos prætenderent, ſed ſtolide profectò. quis enim tam ſaxeus, qui in hac ſecunda ſententia eundem ſtultitiæ nidorem, ſeſe ſtatim prodentem, uel à longè non ſentiat; dum hac ratione, omnis doctrinæ certitudo, qua populus Chriſtianus in concordia retinetur, non minus quàm in illo priori, fundatus euaneſcit; dum quis ſit ueræ Eccleſiæ membrum, cui Spiritus ſanctus ueritatem reuelet, prorſus ignoratur; dum perditiſsimis homunculis, & prorſus Deo uacuis, iactandi, ſe ſolos eſſe ueros ſcripturarum & dogmatum interpretes, quòd ſoli ſint iuſti, quòd ſoli ueram fidem habeãt, pernicioſiſsima omnium, & quæ breui, florentiſsimas quaſque reſpublicas peſſundet, licentia indulgetur? Nam licèt ſit una ſocietas, & una hominum ciuitas Eccleſia, quam iſti docent, cùm tamen non ad omnes, ſed ad uera tantùm Eccleſiæ membra, doctrinæ ſanctæ magiſterium pertineat, & nemo teſtibus & publico inſtrumento ſe iuſtum eſſe, alteri perſuadere queat: & contrà, nemo iniuſtus (quòd iuſtitia per fidem, quæ eſt animi

actio

actio, illis, ut aiunt, contingat) poſsit eodem publico teſtimonio conuinci, quid aliud putas futurum, hanc Eccleſiam, quam illam, quam in prioribus illis damnabant, Babylonicam turbam? quis, quæſo, tam excors, aut cui tam cornea fibra, qui ſe non tam Deo credulum, quàm alterum iudicet? ergo quod iſti arriſerit, cùm de aliorum fide & iuſtitia, & proinde Eccleſiæ incorporatione ſit incertus, de ſua uerò fide, & proinde iuſtitia, & atque adeò Eccleſiæ incorporatione ſit pluſquam certiſsimus, prorſus fides erit, prorſus religio erit, prorſus à Spiritu ſancto, cuius, quia eſt pars corporis Chriſti, quia eſt pars & membrum ſponſæ Chriſti, pleniſsimus erit, profectum cenſebitur: prorſus quòd ſit pars domus Dei, & lapis uiuus, lapidi uiuo ſolidiſſimè nixus, quidquid in phantaſiam aut in buccam uenerit, tam Euangelium erit, quàm, quod eundem Chriſtum prædicaſſe Ioannes, aut Matthæus, aut Lucas recenſent. O' fœlicem Eccleſiam, ò concordem hominum ſocietatem. Profectò quanuis hæreticorum argumentula & ratiunculæ tanti eſſent ponderis, ut quid eſſet eis reſpondendum, neſciremus, hæc ſola ratio, quò minus illis conſentiremus, immo quò eorum in hac parte ſententiam ſtultam prorſus & Chriſto indignam putaremus, ſufficeret. ſemper enim uerum eſt illud, quod huius diſputationis initio propoſuimus, cuique tota hæc diſceptatio innititur, non modò inſtitutoris reipub. prudentiam, unitatem legum, quam earum ſenſus & interpretationis unitatem, & certum magiſterium concernere. Sed ad rem.

2. ratio. ENIMVERO negare iſti minus uerecundè quàm præcedentes non poſſunt, ſuam hanc ſententiam, in Donato, & Circuncellionibus, Barbaris & agreſtibus hominibus, ſanctorum patrum, quos florentiſsimis temporibus tulit Eccleſia, & quibus maximè ſanctarum ſcripturarum ſtudium uigebat, ſcriptis eſſe damnatam. Immo uerò nunquam Donatus docuiſſe legitur, Eccleſiam eſſe inuiſibilem, aut in electione, aut prædeſtinatione fundatam, ſed tantùm peccatores non eſſe Eccleſiæ membra, & iuſtos ex eorum conſortio maculari, quod hi ſecundi deblaterant. (Vide Aug. lib. de hære. c. 69.)

3. ratio. DEINDE negare magis, quàm præcedentes, qui eorum rationibus & argumentis conuincuntur, nequeunt, ſe in hac parte non quorũuis, ſed eorum imperatorum, quos ueræ ac Chriſtianæ religionis cultores inficiari non poſſunt, decreto & reſcriptis gladio & igni deuotos. Norunt enim, olim (ſat ſcio) Dulcitium Tribunum imperialiumque iuſsionum notarium, in huius ſceleris uindictam exequutorem ab Archadio deſtinatum. ſciunt huic ſententiæ conſilium Conſtantienſe, & Baſileenſe concordi patrum ſententia, dixiſſe Anatema: ſciunt, quæcunque Auguſtinus contra Vincentium & Fulgentium Donatiſtas, & contra Petiliani epiſtolam, longiſsimè & ſtrenuiſsimè diſputat, & in eandem uibrari. (Aug. 2. retrac. c. 59. & in epiſt. ad Dul.)

NEGARE non poſſunt, quòd aduerſus præcedentes docebant, ſimile eſſe regnum cœlorum (quod iuxta ſanctorum patrum interpretationem præſentis temporis Eccleſia dicitur) ſagenæ in mare miſſæ, & ex omni genere piſcium congreganti, ex qua, cùm fuerit impleta, angelico miniſterio, ex hoc mari magno & ſpacioſo, foras educta, boni in uaſa ſua, id eſt, in diuerſos gloriæ & beatitudinis gradus, mali contrà, in ſua, id eſt ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius, continuò mittantur. Sunt profectò mali homines in Eccleſia, ſunt & in rete mali & inutiles piſces, & quemadmodum rete utroſque ambit, utroſque continet, utroſque circundat, & utrique rete participant, ita & bonos, & malos, iuſtos & peccatores, Eccleſia ſecundum ueriſsimam rationem Eccleſiæ, & non ſocietatis tantummodò, continet, & amplectitur. (Math. 13. Math. 25.)

4. ratio. NEGARE non poſſunt, regnum cœlorum, id eſt Eccleſiam, ſimile eſſe decem uirginibus, quarum quinque fatuæ, & quinque prudentes. quæ partitio iuxta ſanctorum patrum interpretationem, bonorum & malorum diſcretionem ſignificat, quæ uſque ad mediam illam noctem, qua clamor uniuerſalis dicentium, Ecce ſponſus uenit, exite obuiam ei, concitabitur, futuræ ſint ſimul. enimuerò denarij numeri, per quem proculdubio deſignatur Eccleſia, tam quinque illæ, quæ fatuæ dicuntur, quàm prudentes, ſunt partes, quoniam nimirum denarius, duobus illis quinariis ſimul iunctis perficitur. peccatores igitur, quos fatuæ referunt, non minus quàm iuſti ſunt partes Eccleſiæ. (Math. 25. Aug. de uerbis Domini. ſerm. 22. Chryſoſt.)

5. ratio. NEGARE non poſſunt, regnum cœlorum, id eſt Eccleſiam, ſimile eſſe agro bono ſemine conſito, & inimici hominis mala opera, zizaniis, id eſt, uariis peccatorum generibus infecto, quæ paterfamilias ante meſſem uiolenter eradicari noluerit. Quemadmodum

igitur

igitur non modò triticum, ſed zizania, lolia, ſpinæ, &c. ad agrum pertinebant, & par-
tem agri occupabant, & agri fœcunditate gaudebant: ita in Eccleſia, prius quidem bo-
no euangelici uerbi ſemine reſperſa, mali hominis, id eſt, diaboli, ſemine pullu-
lantes zizaniæ, id eſt, peccatores, ad Eccleſiam pertinent, partem Eccleſiæ, licet indi-
gnè, occupant, Eccleſiæ chariſmatis, una excepta gratia, qua peccato ſuo deſtituun-
tur, participant.

Negare non poſſunt, Eccleſiam eſſe aream, in qua ſimul cum granis, quouſque cœ- *6. ratio.*
leſtis agricola, ſumpto poſtremi iudicij uentilabro, eam permundet, paleæ permaneãt. *Matth. 13.*
Igitur ſicùt area non eſt tantùm grana aut ſemina, ſed paleæ; ita Eccleſia uſque ad il- *Matth. 3.*
lum diem, non tantum eſt iuſti, ſed & peccatores. Igitur ſicut paleæ uerißimè areæ
ſunt partes, ad permundationem: ita peccatores uſque ad iudicij diem, uerißimè ſunt
partes Eccleſiæ. Firmißimè (inquit Auguſtinus) crede, & nullatenùs eſt dubitandum, *De fide ad*
aream Dei, eſſe Eccleſiam catholicam, & intra eam, uſque ad finem ſæculi, frumento *Petrũ c.43*
mixtas paleas contineri, hoc eſt bonis malos, ſacramentorum communione miſceri,
& in omni profeßione clericorum, ſiue monachorum, ſiue laicorum, bonos eſſe ſimul
ac malos, nec pro malis bonos eſſe deſerendos, ſed pro bonis malos eſſe tolerandos, in
quantum exigit fidei & caritatis ratio, id eſt, ſi in Eccleſia nullus perfidiæ ſemina
ſpargit, nec fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione ducit, nec poſſe ali-
quem intra Eccleſiam catholicam, rectè credentem beneque uiuentem, alieno un-
quam maculari peccato: ſi cuiquam peccanti, nec conſenſionem præbeat, nec fauorem:
in fine uerò ſæculi, bonos à malis etiam corpore ſeparandos, quando ueniet Chriſtus
habens uentilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum
in horreum ſuum, paleas uerò comburet igni inextinguibili; quando per iudicium iu-
ſtum ſegregabit iuſtos ab iniuſtis, rectos à peruerſis, bonos à malis, bonos conſtituet
à dextris, malos à ſiniſtris, & ex eius ore iuſti æternique iudicij, ſempiterna atque
incommutabili prolata ſententia, iniqui omnes ibunt in combuſtionem æternam,
iuſti autem in uitam æternam, iniqui ſemper arſuri cum diabolo, iuſti autem regna-
turi ſine fine cum Chriſto. Hactenus Auguſtinus.

Negare non poſſunt, arcam illam quondam à Noë fabricatam, huius Eccleſiæ ty- *7. ratio.*
pum fuiſſe. quemadmodum enim increduli extra illam manentes, aquis diluuij perie-
runt: ita increduli extra Eccleſiam conſtituti, diluuio peccatorum intereunt. Qui in-
creduli fuerant aliquando (inquit Petrus Apoſtolus) quando expectabant Dei patien- *1. Pet. 3.*
tiam in diebus Noë cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ, ſaluæ fa-
ctæ ſunt per aquam: quod & uos nunc ſimilis formæ ſaluos fecit baptiſma, non carnis
depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem
Iesv Chriſti à mortuis. Saluos nos feciſſe baptiſma, docet Apoſtolus; quòd per illud,
Eccleſiæ capacitatem, in qua ſola ſalus conſiſtit, fideles intremus. Ergo quemadmo- *Gen. 7.*
dum in arca, non omnia munda erant animalia, ſed complurima immunda: ita in Ec-
cleſia, non omnes ſunt iuſti, ſed peccatores multi. Ergo quemadmodum immundæ
illæ animantes, eius, quem ex omnibus aggregari Deus iuſſerat, gregis partes erant
uerißimæ: ita peccatores, Eccleſiæ ſunt uerißimæ partes.

Negare non poſſunt, regnum cœlorum ſimile eſſe homini regi, qui fecerit nuptias *8. ratio.*
filio ſuo, & miſerit ſeruos ſuos, id eſt, ſanctos Apoſtolos, uocare inuitatos ad nuptias, *Matth. 22*
id eſt, Iudæos, qui à mundi primordio, propheticis uaticiniis, ad humanæ naturæ cum
diuino uerbo conſortio fruendum pellecti, occiſis uocatoribus Apoſtolis, uocationem
ſpreuerint: quapropter rex iratus, & miſsis exercitibus ſuis, homicidas deleuerit, & ire
iuſſerit ſeruos ad uiarum exitus, & omnes quoſcunque caſus obtuliſſet, ad conuiuium
adduci. quibus congregatis, rex intrauerit, & inter diſcumbentes, unum fortè fortuna
repererit, ueſte nuptiali, qua in tanta feſtiuitate & lætitia nemo ſine regis contemptu
carere poterat, id eſt, caritate deſtitutum, illumque ſubinde ligatis manibus & pedi-
bus, id eſt, ablata per mortem poteſtate operandi aut (ſi illi ita uolunt) poteſtate
credendi, in tenebras exteriores recludi præceperit. Ergo quemadmodum homo ille,
quamuis in cœleſtis fœlicitatis conuiuio, quod ex humanitatis noſtræ cum diuino uer-
bo coniugio deriuatur, eo quòd caritate, quæ una inter filios regni & gehennæ diſtin-
guit, deſtitueretur, non fuerit exceptus; ſemper tamen uſque ad illud temporis pun-

ctum fuit eius congregationis, quæ ad nuptias uocara eſt, pars multò ueriſsima; ita peccatores, in toto hoc uocationis, id eſt, uitæ præſentis tempore, quo ad nuptiarum Euangelicarum conuiuia, & uera epithalamia uocantur, uerè totius ueræ Eccleſiæ huius, quæ ad ea properat, partes dicentur. Et uinculum quidem matrimonij, priuſquam nuptiæ & conuiuia celebrentur, contrahitur, immo antequam iuſta uxor in ſponſi domum traducatur, in paterna domo ſobolem procreat, ſic nimirum multò ante iudicij diem, diuini uerbi perſona, in aſſumptæ mortalitatis natura, cum Eccleſia coaluit, multoque antè facundo utero, numeroſam ſobolem Chriſto progenuit. quo toto tempore, ad opipara traductionis conuiuia, ex omni terrarum orbe, mortales uocantur: ſuntque boni ac mali, una congregatio uocata. Poſtquam uerò traduci ſponſa cœpta fuerit, qui in tanto gaudio, & tam publicæ lætitiæ, nuptiali ueſte, id eſt, talari illa toga caritatis, indutus non apparuerit, in ignem æternum, ubi erit perpetuus fletus, & dentium ſtridor, foras trudetur.

9. ratio. Luc.14. NEGARE non poſſunt, ſimile eſſe regnum cœlorum homini, qui fecit cœnam magnam, & uocauit multos, & uocauit ſeruum ſuum, hora cœnæ dicere inuitatis, ut uenirent, quoniam iam parata ſunt omnia, & illi cœperunt ſimul omnes excuſare ſe, & reuerſus ſeruus nunciauit domino ſuo, & tunc dixit illi paterfamilias, ut exiret in plateas, & uicos ciuitatis, & pauperes, & debiles, cæcos, claudos introduceret, quo facto, impleta fuit domus Domini. Ergo quemadmodum domus illa non ſolis elegantibus hominibus aut ſplendidis, ſed pauperibus, cæcis, claudis, debilibus, & denique tota uulgi fæce impleta eſt: ita Eccleſia, quæ eſt domus Dei uiui, in hac Euangelica uocatione, qua ad cœleſte prandium præparamur, non modò iuſtos, ſed uarij generis peccatores complectitur. Et quemadmodum, non modò ſani & languoribus liberi, ſed claudi quoque, illius conuocationis & cœtus ueræ erant portiones, & partem illius domus occupabant: ita quoque peccatores, & iniuſti homines ueriſsimè ſunt partes Eccleſiæ, & partem eius uerè occupant.

10. ratio. VERVM iam parabolicas rationes, quæ tamen, quòd earum hic ſit ſenſus literalis & proprius, ſunt ſolidiſsimæ, parumper ualere ſinamus, & urgentiora teſtimonia ex eadem ſancta ſcriptura, quam unam iudicem aduerſarij conſentiunt, proferamus in medium. Et principiò quidem, fateri neceſſum eſt, Apoſtolicos uiros, duodecim illos præſertim, qui ſanctæ huius ciuitatis fundamenta iecerunt, ad Eccleſiam pertinere.

Ap.21. Ephes.4. Quoſdam (inquit Paulus) dedit Apoſtolos, quoſdam prophetas, &c. quòd ſi omnes, & ſingulos, profectò neceſſaria ratione ad Eccleſiam pertinere, neceſſariò fatendum. Iudas igitur ille Iſcariotes, etiam cùm latro erat, etiam cùm contra Apoſtolicum morem loculos habebat, etiam cùm Chriſtum Iudæorum turbæ tradere moliebatur, non modò Eccleſiæ portio erat, ſed Apoſtolicæ dignitatis, ad quam fuerat euectus, non ceciderat titulo.

Matth.19. Ioan.13. Serm.66. in Cant. Vos mundi (inquit Chriſtus) eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quis erat, qui traderet eum. Apoſtolus (inquit Bernardus) erat Iudas, & licèt auarus & ſceleratus, electus à domino. an tu de illius Apoſtolatu dubitas, quem dominus elegit? Non'ne ego, inquit, uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus eſt? Audis, eundem electum apoſtolum, & extitiſſe diabolum. Hactenus Bernardus. Neque uerò huius ſceleroſi hominis meminit unquam Euangelica hiſtoria, ſine grauiſsimorum peccatorum recordatione. nam & Ioannis ſexto capite, ut inquit Bernardus, iam diabolus erat. quòd enim ea inſinuatione Iudam perſtringeret, per illa, quæ ſtatim ſubduntur, Euangeliſta nos docet. dicebat autem, inquit, de Iuda Simonis Iſcariotis: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim. Ioannis etiam 12. poſt libram unguenti nardini, piſtici ſuper Chriſtum perfuſam, cùm de unguenti perditione, præexpanſo zelo paupertatis, in illam querelam irrumperet, Quare hoc unguentum non uenit trecentis denariis, &c. continuò ſubiungitur, Dixit autem hoc, non quòd de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Omnibus tamen locis, ſceleroſa nihil uita impediente, non minus quàm Petrus aut Ioannes, inter duodecim Apoſtolos computabatur. nam cùm Petrus intruliſſet,

Matth.19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: non de ſolis iuſtis, ſed Iuda quoque ſceleſto Chriſtus reſpondit, Amen dico uobis, quòd uos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos, ſu-

per ſedes

Per ſedes dnodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. quæ promiſsio non abſolutè ſed conditionaliter, nimirum ſi uſque in finem in uocarione perſtireriris, more cæterarum promiſsionum accipienda eſt. proindeq́ue non proprerea Iudam inter hos duodecim non computabat, quòd ille eam promiſsionem non fuerit aſſecutus. Cùm etiam apud eundem Euangeliſtam duodecim diſcipulos accepit, & ſecretò dixit illis, Ecce *Matth. 20.* aſcendimns Hieroſolymam, & filius hominis tradetur, &c. inter illos duodecim Iudam compurari non eſt dubirandum. Quando etiam Chriſtum traditurus, ad principes *Matth. 26.* ſacerdotũ diſceſsit; nnns de duodecim dicitur, immo uerò, qnando prorſus obſeſſus eſt à diabolo, Apoſtolici collegij conſortium non amiſerat. Intrauir autem (inquit Lucas) *Luc. 22.* ſatanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariores, unum de duodecim. Diluit anrem Petrus ſophiſticas & pueriles uerborum ampliationes & appellationes, quibus uellenr hærerici, non de eo, qui runc eſſet ex duodecim, ſed de eo, qui eſſet tunc uel fuiſſet aliquando, hæc uerba accipi, dum quis fuerir apoſtolatus Iudæ ultimus limes, in Actis Apoſtolicis oſtendir, Viri (inquir) fratres, oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus, per os Dauid de Iuda, qui fuir dux eorum, qui comprehen- *Actu. 1.* derunt IESVM, qui connumerarus erar in nobis & ſortitus eſt, ſortem miniſterij hnius, & hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia uiſcera eius, & notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemà, qnod eſt ager ſanguinis: ſcriptum eſt enim in libro pſalmorum, Fiar habitatio eius deſerta, & non ſir, qui inhabitet in ea, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Vides igitur Apoſtolatum, aut Epiſcopatum, non niſi per ſuſpenſionem, & per uiſcernm effuſionem, per mortem, inquam, qnam ſibi in ſuorum ſcelerum complementum conſciuit, à Iuda ſublatum? Atque hic locus non modò hunc, in quem nunc decertamus, errorem proſternit, ſed illum priorem, qui Eccleſiam, tantùm electis & prædeſtinatis hominibus conſtare docebat. Apertè enim Iudas & Apoſtolus ac proinde Eccleſiæ ueriſsima portio, & filius quoque perditionis, cui æterna ſententia, ignis erat deſtinarus, in hac parte nocatur. Hoc eſt enim, quod Petrus inquit, ut abiret in locum ſnum. quod & Chriſtus antea in orarione ad Patrem apertiſsimè indicat, Quos dediſti, inquir, mihi, ego cuſtodini, & nemo periit *Ioan. 17.* ex iis, niſi filins perditionis, ur ſcriptura impleatur, nimirum ea, quam ex centeſimo octauo pſalmo Petrus addnxerat, Fiat commorario eius deſerta, & Epiſcopatum eius accipiar alter. Sed quid in Iudæ apoſtolatu perſuadendo moramur? an Petrus & Thomas non erant Apoſtoli? an non erant Eccleſiæ portiones? & tamen alter Chriſtum ter abnegauit, alter reſurrectionis, quam Chriſtus toties inculcarat, per nonnullos dies, manſit incredulus.

AMPLIVS, Paulus Apoſtolns, non quamcunque fidelium congregationem, deſcribit *11. patio.* Eccleſiam, ſed eam, in qua Deus quoſdam dederir Apoſtolos, quoſdam autem pro- *Ephe. 4.* phetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, id eſt, Eccleſiæ: ut idem ad Corinthios ſcribens luculentius inſinuar, Vos, inquit, eſtis corpus Chriſti, *1. Cor. 12.* & membra de membro, & qnoſdam quidem poſuit in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curarionum, opitulationes & gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. & ante hæc, Diuiſiones, ait, gratiarum ſunt, (nimirum in Eccleſia) idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt; idem autem dominus, & diuiſiones operationum ſunt; idem autem Deus, qui operatur omnia, in omnibus; unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, &c. conſtat igitur Eccleſia, non minus quàm eſſentiali & neceſſatia ratione, Apoſtolis, Euangeliſtis, prophetis, curationibus, uirtutibus, &c. Eſſentialiter, inquam, non ita, ut ſemper hîc omnia in Eccleſia eſſe debeant, ſed pro diuinæ pronidentiæ, ac ſapientiæ, quæ omnia dulciter ac ſuauiter, iuxra uarios temporum uſus, uariasq́ue rerum condiriones diſponit, conſtitutione. Primò quidem & tempore, ordine *Apoſtol.* ac dignitate, apoſtolos: ſecundò prophetas, qnos non tam eos, qui præſaga mente, *Propheta.* diuina inſpiratione, futura prænunciant, quàm eos, (ut antea dicebamus) qui in ſanctis ſcripturis incluſa myſteria, fracto literæ putamine, prudenter enucleant, ſacros

 nimirum

nimirum & Eccleſiaſticos patres intelligendos exiſtimo: hos enim & Apoſtolico ſæculo & honori in Eccleſia ſucceſsiſſe, cognoſcimus omnes. habet nunc Eccleſia Doctores, qui uel ea, quæ ſagaci ſcripturarum indagine, ſpiritu tamen remotius aliquantò, quàm prioribus illis, coadiuuante, in mediam Eccleſiæ lucem eruerunt prophetæ, libris & ſcriptis populos doceant. Neque enim uel nouas ſcripturas conflare, ut Apoſtolis, neque nouas expoſitiones ſcriptutis inducere, ut prophetis, id eſt, ſanctis patribus, Eccleſiaſticis doctoribus modò conceditur. Habet gratias curationum, quas leproſorum, aridorum, cæcorum, febricitantium medicationes, quæ ad corporis tantùm ſalutem ſpectant, & non potius peccatorum, quæ ueti ſunt hominum languores, expulſiones accipere, magna profectò Chriſto Eccleſiaſticæ reipublicæ conditori fit iniuria. Quorſum nanque corporum & non animarum, quarum tantùm potiſsimè cauſa uenerat, in Eccleſia, quam inſtituebat, curationes dediſſet? Quin, quanuis in uerbi Euangelici teſtimonium, Apoſtolici uiri miracula ediderint, eorum tamen edendorum poteſtas, non ad Eccleſiam, cuius totus hierarchicus ordo in ſalutem animarum ordinatur, ſed ad ſingularem cuiuſque fidem, pertinere cognoſcitur. ſupereſt ergo ut curationes, non corporum, ſed animarum, quæ ad Eccleſiaſticam œconomiam pertinent, neceſſariò dicamus. Virtutes, non illas angelicas, aut morum, iuxta prudentiam, aut rationem compoſitiones intelligo, quæ quanuis magna Dei gratia multæ ſint, Eccleſiæ eius tamen partes eſſe non poſſunt, ſed ſanctos magiſtratus, qui legibus, & humanis conſtitutionibus, ad legis diuinæ normam compoſitis, peccatores coërceant, & in ouile Chriſti, ne à lupis diſcerpantur, intrare compellant. qualem ſe uirtutum miniſtrū erga ſceleroſum illum Corinthium, qui nouercam oppreſſerat, Paulus præbebat. qualem ſe etiā Petrus Apoſtolus contra Ananiam & Zaphiram in Spiritum ſanctū peccantes, exhibuit: quanquàm huius Eccleſiaſticæ reipublicæ partis, pro maximo illorum ſæculorum, uirtutiſque ſtudio, proque impotentia, qua cùm nondum in perfectam adoleſcentiam creuiſſet, neque perfectum de mundo triumphum egiſſet, laborabat Eccleſia, rarior ſit memoria. Et hāc tamen, ſicut & alias, ſpiritualem eſſe partem Eccleſiæ, ad Eugenium ſcribens Bernardus, oſtendit. Vterque, inquit, gladius eſt Eccleſiæ, ſcilicet & ſpiritualis & materialis, ſed iſte pro Eccleſia, ille uerò extendendus eſt ab Eccleſia. iſte ſacerdoris, ille manu militis, ſed ad intuitum ſacerdotis. Opitulationes illas ego accipio, quæ Euangelicorum pauperum egeſtati ſubueniant, quarum quanta fuerit, nondum Euangelicæ uitæ ratione peruerſa, apud maiores cura, uix poteſt dici. Probauerunt, inquit, ad Romanos ſcribens Apoſtolus Paulus, Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. & rurſus, De collectis, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui in Eccleſiis Galatiæ, ita & uos facite. & iterum, Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tantò magis, quantò uideritis appropinquantem diem. Collectionem ſuam uocat ſanctus Apoſtolus, eam publicam ſtipem, quam ipſe, quòd Euangelici uerbi miniſterio diſtringeretur, Chriſtianis plebibus, quas in Chriſto genuerat, in pauperum uſus inſumendam iniunxerat. Qua cura præter prædicationis laborem, nihil illis incorruptis temporibus Apoſtolicos uiros, & qui eorum loco ſucceſſerunt, Epiſcopos uehementius urgebat: utpotè quæ ad Chriſtianæ caritatis fomentum, immo ad eius euangelicæ paupertatis, quam Chriſtus tantopere & conſuluit, & coluit, auxilium, à Chriſto inſtituta eſſet, & ad Eccleſiaſticæ reipublicæ rationem ſummopere pertineret. Carebant Apoſtolici uiri eo diuitiarum faſtu, quo nunc ſuffocatur Eccleſia: neceſſe ergo erat, ut per ſtipes & eleemoſynas emendicatas, alerentur egeni. Quo enim alio pacto à Chriſto toties Euangelicis hominibus conſultam paupertatem, & rerum omnium abdicationem exiſtimes, ſi de Eccleſiaſticæ uitæ & œconomiæ ratione, opitulationes non eſſent? prouideret Chriſtus pauperum curatores, qui rerum omnium, propter Euangelium, dominio & poſſeſsione deſertos, caritate ſuſciperent: non mirum ergo, ſi homines ad paupertatis ſtudium ſpontaneos illiceret. nihil aliud erat tunc diuitias deſerere, quàm pompam, faſtum, curam, ſolicitudinem, quibus humanæ mentes à diuino amore retardantur, abiicere. ſciebant enim ſibi nihil defuturum, quod humanæ uitæ poſtularet neceſsitas. erant tunc pauperibus Chriſti, tam ingentes pecuniæ, quàm frequentes erāt, qui patres, matres, uxores, filios, agros, facultates, theſauros, & ſeipſos, propter

Doctores. Curationes. Virtutes. 1.Cor.5. Actu.5. Opitulationes. Rom.15. 1.Cor.16. Heb.10. Quare Chriſtus tā ſpere ad paupertatē Euāgelicos homines ꝑel lexerit.

Chriſtum

Chriſtum deſererent. erant tunc, qui fide integra, & ſanctiſsimo auaritiæ ſchemate, pro eo, quod Chriſto in pauperibus tribuiſſent, centuplum accepturos conſtantiſsimè crederent: erant tunc, qui magnam dignitatem apud ſe ſtatuiſſent, & planè Euangelio dignam, pro Chriſto in pauperibus egente, oſtiatim ſtipem emendicare. hoc enim appellabant colligere, aut collectas agere: atque adeò nullus illo beatiſsimo & aureo Eccleſiæ ſæculo, magnopere laborabat ut aliquid ſuum eſſe diceret, cùm uideret omnibus Chriſtianis, Apoſtolicorum uirorum ſtudio, omnia eſſe communia. Nihil grauius erat eo ſæculo, quàm aliquid poſsidere: unde quaſi moleſtiſsimas ſarcinas, quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, uendentes afferebant precia eorum, quæ uendebant, & proiiciebant ante pedes Apoſtolorum. Illi uerò ſcientes ſe in Eccleſia opitulatores egenorum diuinitus conſtitutos, primò quidem diuidebant omnibus, prout cuique opus erat, ita ut nullus eſſet inter eos egens: ſubinde uerò creſcente diſcipulorum numero, indicanteſque non eſſe æquum, eos, qui ſingulari quadam prærogatiua, duodenario numero, fuerant in totum orbem componendæ cum Deo pacis gratia miſsi legati, relinquere uerbum Dei, & uacare menſis, quod opus & alij præſtare poterant, quorum auctoritas, in euangelio propagando, apud plebes tanta non erat, quanta eorum, qui audierunt & manibus ſuis contrectauerant uerbum uitæ, ſeptem miniſtros, qui corporalibus quidem cibis, corpora, ſancto uerò corporis & ſanguinis Chriſti myſterio ab Apoſtolis accepto, animas pauperum quotidie reficerent, è media diſcipulorum turba ſelectos, manibuſque ſuperimpoſitis, quo in tantum opus rectè exercendum, cœlitus ſpeciali gratia donarentur, crearunt. Huiuſmodi poſtea opitulandi officium ſimul cum prædicandi Euangelij obligatione, ad Epiſcopos tranſiit, unde Sixto Pontifice, à Decio ſublato, Eccleſiaſtici theſauri à Laurentio repetuntur. Vbi ſunt, inquit, Eccleſiæ theſauri, quos apud te nouimus eſſe reconditos? cui à ſanctiſsimo martyre reſponſio refertur, Facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cœleſtes theſauros manus pauperum deportarunt. Putabant illins Euangelici ſæculi homines, nullibi pauperum diuitias tutius reponi, quàm apud Epiſcopos: unde ſe omni cura exonerantes, iiſdem, quidquid uel ab iis, qui rebus ſuis renunciabant, uel à ſanctis martyribus, pauperibus legabatur, diſpenſandum tradiderunt. Atque hinc ingentes illæ ſacerdotiorum diuitiæ, hinc illi ſecundum reges ingentes theſauri, ex martyrum, inquam, uirginum, confeſſorum, in pauperum cibos & ſuſtentationem, legatis: quibus quàm bellè quidam hodie utantur, ſi nos quoque non acerbè dolere hæretici exiſtiment, prorſus ſunt ſtupidi. Excluſit certè hoc Euangelicum miniſterium ſacrilega illa ſententia, quæ quorundam opera, neſcio qua ratione Chriſtianas ſcholas irrupit, Eccleſiaſticas diuitias, Epiſcoporum, & cleri ſtipendia eſſe. Hinc enim uaniſsimis & adulatoriis quorundam ſophiſtarum nugis, cœpit illa ſententia à ſanctis olim auctoribus celebrata, Bona clericorum ſunt bona pauperum, ab eiſdem ſcholis protrudi. Tunc primùm factum eſt, ut à laicis & populi principibus, Epiſcopis, & toti clero (& meritò mea quidem ſententia) magni theſauri inuiderentur. Hinc cœptum eſt non gregi & pauperibus in electione Epiſcoporum, ſed Epiſcopis ipſis prouideri. Hinc factum eſt, ut hæretici principes eadem bona Eccleſiaſtica non ſine magna noſtra occaſione uiolenter inuaſerint; cùm uideant, ſcilicet, non in pauperum opitulationes, ſed in nepotum magnifica matrimonia, in accipitres, equos, ſeruos, purpuras, biſſos, coccos, & demum in pluſquam regium apparatum expendi. Sed hæc miſſa faciamus.

Acto.4.

1. Ioan.

NVNC quid Paulus gubernationes intelligat, conſequenter dicamus. eſt gubernatio in Eccleſia non aliud, quàm ſpiritualis gubernandi poteſtas, qua tum euangelico paſtu, tum baculo paſtorali, in Euangelicæ uitæ clauſtris continentur Chriſtiani. hæc, quemadmodum & præcedentia, prius quidem in Apoſtolicis uiris, deinde in legitima Epiſcoporum ſucceſsione, iuxta ſuos gradus & ordines, conſtitiſſe docemur. de quo non nihil poſtea, cùm de Epiſcoporum, & Romani Pontificis poteſtate loquemur. Interpretationes ſermonum demum (nam quid genera linguarum ſignificent, compertum eſt omnibus) concionatorum, quos aduerſarij Euangeliſtas, aut Euangelij miniſtros appellant, miniſterium intelligit. Differunt autem multùm à doctoribus, quòd doctores quidem ex prophetis, id eſt, ſanctis auctoribus, & rectam fidei rationem & ſanctæ ſcripturæ legitimum ſenſum eruendo, ſcriptis & libris concionatores informent: hi uerò

Gubernationes.

uerbo tenus ex doctoribus, eandem fidem & ſenſum in populos ſeminant. quãquàm & hoc genus docendi, nonnunquam in eodem Apoſtolo prophetia uocetur.

Habes ergo iam ex Paulo Chriſtianæ reipublicæ partes non quaſcunque, ſed eas, ex quibus, ſicut homo ex anima, & corpore, & corpus ex capite, thorace, corde, brachiis, uentre, cruribus, pedibus, manibus, &c. eſſentialiter conſtet: neque enim, quò minùs hæ ſint partes eſſentiales Eccleſiæ, obſtat quòd hodie non ſint Apoſtoli, aut linguarum genera. Apoſtolos enim, qui in Eccleſiaſtico ædificio, ipſi lapidi ſummo angulari Chriſto Iesu, quaſi totius Eccleſiæ fundamenta nituntur, iuxta illud, Superædificari ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & illud, Et murus ciuitatis, habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum & agni, initio tantummodò Eccleſiæ, non item in Eccleſiæ progreſſu eſſe oportebat. Immo uerò, cùm cætera omnia, quæ loco illo Paulus enumerat, ex ui diuinæ prouidentiæ, qua Eccleſiam conſtitutam diffiteri non licet, ſemper in Eccleſia requirantur, ſolum Apoſtolicum miniſterium, & quæcunque illi annexa erant, genera ſcilicet linguarum, miraculorum & operatio, priori illi rerum ſtatui tantùm conueniunt. Quid enim modò Apoſtolorum munus in Eccleſia proficeret, quorum erat in mundum uniuerſum, nomen Chriſti gentibus incognitum, prædicando deferre? Erant Apoſtoli legati quidam diuini, qui totum Orbem peragrando, Chriſti Euangelium & per id Dei reconciliationem, ubique annunciarent, iuxta illud, Legatione fungimur tanquam Deo per nos exhortante, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Erant oculati teſtes quidam, eorum, quæ Chriſtus ad humani generis reparationem in hac uita præſtiterat, iuxta illud, Eritis mihi teſtes in Hieruſalem & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. Munus igitur eorum, eo ſolo tempore, quo incognitus erat Chriſtus, quo iacienda erant Eccleſiarum fundamenta, quo uirtutum, quas Chriſtus geſſerat, & doctrinæ, quam prædicarat, teſtes eſſe oportebat, non item reliquis Eccleſiaſticis ſæculis perdurare decebat. idemque de linguis, quarum miraculoſa cognitio, Apoſtolico muneri neceſſaria erat, & de miraculoſis curationibus, confiteri cogimur.

Apoc.21.

Apoſtolicũ munus tantùm Eccleſiæ initio fuiſſe oportuit.

2.Cor.5.

Actu.1.

Nunc iam aduerſarios conueniamus: ſi Eccleſia tantùm ex iuſtis coaleſcit, illique tantummodò ſunt partes Eccleſiæ, erit igitur Eccleſia aliqua, quæ nullas habeat earum partium, quas recenſet Apoſtolus, id eſt, nec Apoſtolos, nec Prophetas, nec Doctores, nec uirtutes, nec opitulationes, nec gubernationes, nec interpretationes ſermonum. quod eſt abſurdiſſimum. Nam quòd id apertè ſequatur, cùm omnes iſti poſſint ſceleribus implicari, probatione non indiget. Quis enim dubitet, doctores uirtutis, opitulatores, gubernatores, Epiſcopos, Euangelij magiſtros, &c. poſſe mortalis peccati reatum incurrere? eſt igitur, nihil aliud, tantum ex iuſtis Eccleſiam conſtare, aduerſarios docere, quàm ſi apertè dicerent, aut non eſſe Eccleſiam, aut ſaltem poſſe non eſſe, quod ante iudicij diem eſt apertè nefarium. Et quo pacto, obſecro, qui uel doctorem, uel uirtutem, uel miniſtrum Euangelij, peccaſſe ſciret, ab eo uel legis diuinæ cognitionem, uel iuſtitiæ, aut alterius alicuius emolumentum acciperet, quem per peccatum ab Eccleſiaſtico corpore receſsiſſe cognoſceret? immo quis certus doctor, uirtus, opitulator, gubernator, concionator, &c. haberetur, ſi nullus poteſt iuſtus certus haberi? Egregiam uerò Eccleſiæ à Chriſto inſtitutam œconomiam, in qua, quò pro doctrina & iuſtitia petenda recurrendum eſſet, conciues neſcirent. Itaque, non aliam conſtitutionis Apoſtolorum, prophetarum, paſtorum, doctorum, &c. cauſam ad Epheſios ſcribens proferebat Apoſtolus, quàm ut, donec occurramus in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, non ſimus paruuli fluctuantes, id eſt, quò ſit pro doctrina recurrendum neſcientes, aut dubij, & circunferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia circũuentionis erroris. Illud uerò non tantùm nobis, ſed Ethnicis etiam uideretur ridiculum, quòd millies quotannis ab Eccleſiaſticis officiis contingeret cadere. Quoties enim doctorem, uirtutem, gubernatorem, concionatorem, peccati mortalis contagio peruaderet, toties ab Eccleſiaſtico miniſterio, quo tantùm Eccleſiaſtica membra fruuntur, illi fuiſſet cadendum. quoties deinde per pœnitentiam reſurgeret, toties noua iniunctione opus eſſet. nec enim Eccleſiaſticorum munerum quiſquã, ſibi ſumit honorem, ſed qui per Eccleſiaſticam poteſtatem uocatur à Deo, tanquam Aharon. Itaque

Ephe.4.

Heb.5.
Actu.5.

Paulus

Paulus olim & Barnabas quæſituti de ceſſatione legalium, Hietoſolymas aſcendentes, an
illi, quos Deus Apoſtolos dederat, & reliqua Eccleſia prædeſtinati, aut iuſti eſſent, pa-
rùm erant ſoliciti, ſed eos, quaſi certiſſimas Eccleſiæ partes, à quibus diuina conſtiru-
tione, ſibi petendam uetitatem ſciebant, adeuntes, acceptaque ab eiſdem ueritare,
regreſsi, quæ docti fuerant, in Eccleſias profundunt. Nec mirum: ſciebant enim, non
minorem Euangelico ſtatu in Eccleſia prouidentiam futuram, quàm olim ſub Iſraë-
litico ſtatu, in quo legalium quæſtionum petendarum certiſsimus locus uel perſo- Deut. 17.
na, nec à prædeſtinatione, nec iuſtitia interiori dependens, propoſita fuerat. Sed alia
iam applicemus.

Praecipit Chriſtus apud Matthæum, in nos peccantem fratrem, inter nos & ip- 12. ratio.
ſum, primò quidem corripere: quòd ſi nihil promouerimus, duos aut tres teſtes nobi- Matth. 18.
ſcum adhibere, ut in ore duorum uel trium ſtet omne uerbum: quòd ſi nec à peccando
deſtiterit, dicamus Eccleſiæ: quòd ſi tandem nec Eccleſiam audierit, ſit nobis ſicut
Ethnicus & Publicanus, id eſt, Eccleſiaſticæ ſocietaris & corporis exors, atque adeò con
tinuò uitandus. Nam ab aduerſariis, qui Eccleſiam ex iuſtis tantummodò conſtare
uolunt, inquiramus oportet, quæ ſit illa Eccleſia, cui deferendus eſt frater, & quam
niſi audierit, ſit tanquam Ethnicus & Publicanus habendus? profectò eam non eſſe Ec-
cleſiam uniuerſalem, id eſt, omnium fidelium congregationem, præter quàm quòd ipſi
nobis libenter donant, ratio quoque ipſa demonſtrare uidetur. nec enim in Orientē & Vualfang.
Occidentē, Septentrionem & Meridiem miſsis epiſtolis, fratris pertinaciam & incorrigi- Muſculus ſ
bilitatem denunciare compellor, ſed nec de Eccleſia tota particulari, de tota, inquam, locis com.
Tridentina, Mediolanenſi, &c. Chriſti aut conſilium, aut præceptum accipi poteſt,
nam licèt per ſententiæ excommunicationis, aut (ut aduerſarij loquuntur) ligationis
publicationem, peccatum fratris toti Eccleſiæ innoteſcat, & perinde conuictu eius ab-
ſtineat: non tamen tota Eccleſia ea ratione accepta, tertia illa monitione, poſtquam
ſit tanquam Ethnicus & Publicanus habendus, poreſt fratrem corrigere, eſt igitur illic
Eccleſia, non aliud, quàm Eccleſiaſticæ reipub. magiſtratus, ſiue ille ſacer ſit, ſiue pro-
phanus: quod & iſti ex Tertulliano, qui dicat olim Eccleſiæ initio, in ſingulis Eccleſiis,
ſolitos eſſe ſeniores quoſdam probatos, iuxta Pauli Apoſtoli præceptum, in lites & iu-
dicia conſtitui, libenter fatentur. Quòd ſi hoc ita habet, rurſus inquirimus, an iudi- 1. Cor. 5.
ces illi, qui à Chriſto, illo loco uocantur Eccleſia, peccati mortalis pollutione ſorden- Vualfang.
tes, iudicandi poteſtatem amittant? fatebuntur ſat ſcio. nam ſi quiuis Chriſtianus Muſcu. in locis commu-
iuſtitiæ iactura, pars Eccleſiaſtici corporis eſſe deſinat, & illi quoque Eccleſiæ membra nibus.
perinde non erunt: quòd ſi non erunt membra, nec iudices ergo. quemadmodum enim
in externos Eccleſia poteſtatem non habet, iuxta illud, Quid mihi de his, qui de- 1. Cor. 5.
foris ſunt, iudicare? ita nec externi, & qui non ſint eius partes, ullam iurè in Eccle-
ſiam poteſtatem exercent. Demus igitur, (quod eſt ualde poſsibile) eos uel publicè
uel ſecretè aliquando peccare: non erunt tunc ergo Eccleſiaſtici corporis membra,
tantum abeſt, ut ſint Eccleſia illa litigiorum compoſitrix. Nam ſi peccatum fuerit pu-
blicum, ad nullum eis pro iuſtitia poſtulanda licebit accedere: ſin ſecretum, nulla ſen-
tentia ab eo, qui iam poteſtate & magiſtratu ceciderit, ſolida erit. quòd ſi dubium
fuerit & incertum peccatum, cùm rei apparentiæ, ipſa humanæ fragilitatis ſuſpicio
ſuffragetur, ſemper erit bonarum mentium, donec res ſit aperta, ab eorum iudicum
uſu cauere. Immo ſemper in miſeranda repub. procaciſsimis quibuſque locus erit ad-
uerſus iudices reclamandi, & eorum infirmandi poteſtatem, quòd hoc aut illud pec-
catum incurrerint, nec ſemel ab eodem auulſi in corporis Eccleſiaſtici ſtructuram,
per pœnitentiam, aut (ut illi uolunt) per reſipiſcentiam redierint. Quòd ſi tanta
eſt hæc abſurditas, ut Chriſto, inmo homini prudenti iudicetur indigna: non igitur Ec-
cleſiaſtica illa poteſtas, quam Chriſtus Eccleſiam uocat, nec perinde quæcunq; aliæ ſiue
ſpirituales, ſiue prophanæ, à iuſtitia, & multò minus à prædeſtinatione, & electione
pendebunt, ſed à ſola legitima Chriſti & Eccleſiæ, aut eius miniſtri iniunctione. quòd ſi
iudices ab Eccleſia non deturbant peccata, nec ergo quoſcunque alios Chriſtianos,
interioris iuſtitiæ amiſsio ab Eccleſia protrudit, quæ enim maior horum quàm illo-
rum ratio eſſe deberet? Deinde rogamus aduerſarios, cur ille, qui adeò obſtinatè
peccat, ut bis monitus, à peccando non ceſſet, ſi peccata Chriſtianos ab Eccleſia ex-
cludunt,

excludunt, frater uocetur, niſi quia adhuc Eccleſiaſticæ ſocietatis eſt particeps? aut cur
Eccleſiam, ſi tamen eſt per peccatum præciſus, teneatur audire?

Hvc etiam pertinent Apoſtolicæ illæ increpationes, quibus ſæpiſsimè peccatores
1.Cor.5. inceſſunt. quid enim illis de his, qui foris ſunt, iudicare? Talis erat illa, qua quòd in-
dignè ad Chriſti corpus & ſanguinem accederent, Corinthij carpuntur. nam illos mor-
1.Cor. 11. taliter peccaſſe, ex his, quæ illic ponuntur, manifeſtè conuincitur. Conuenientibus no-
bis, inquit, in unum, iam non eſt dominicam cœnam manducare. & iterum, Conue-
nientibus nobis in unum, audio ſciſſuras eſſe. & iterum, Qui manducat & bibit in-
dignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. & ideò inter
uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Enimuerò, dominicam cœnam
non manducare, ſed ea abuti, caritatem Chriſtianam ſciſſuris diſcindere, indignè man-
ducare corpus Domini; non leuia ſed grauia ſunt ſcelera. Quòd uerò hæc eoſdem ab
Eccleſiaſtica ſocietate non ſcinderent, præter ipſam reprehenſionem, quæ in alienos non
fertur, illa etiam non obſcurè indicare uidentur, quòd in totum eum ex iuſtis & pec-
catoribus cœtum, quaſi unam eandemque Eccleſiam ſermonem exacuat, Conuenien-
tibus, inquit, uobis: & iterum, Ideò inter uos dormiunt multi, &c. Sed huiuſmodi
increpationes in Apoſtolicis ſcripturis ſunt multæ.

Hvc etiam pertinent Eccleſiæ illius Moſaicæ ratio, & œconomia, in qua profe-
ctò nihil iniuſtitia impediebat quominus peccatores uetiſſima eſſent & haberentur eius
populi membra. Atque ut ab eiuſdem populi incunabulis ordiamur, patriarchæ circun-
Gene. 37. ciſi erant, in fœderis participationem allecti erant, edocti erant patris diligentiam, iuſti-
tiam & integritatem, cùm tamen in fratricidium conſpirarunt, ſcelus (haud dubiè)
commiſerunt, perditiſsimis latronibus abominandum. tandem manſuefacti Iudæ mo-
Gene. 34. nitionibus, uendiderunt; quæ etiam intolerabilis fuit immanitas. Simeon & Leui, ne-
faria ultione & iudicio quoque patris damnata, in Sichimitas ſæuierunt. Ruben cubile
Gene. 35. patris aſcendit, & puriſſima libidine contaminauit. Iudas dum ſcortationi uult indul-
Gene. 38. gere, præter naturæ leges, ad nurum ingreditur. Quæ cùm tanta eſſent eorum ſcelera,
tantum abeſt ut expuncti fuerint è populo illo electo, & eius ſæculi Eccleſia, ut potius
in eius capita fuerint electi. Iam Dauid, cùm præſes eſſet iuſtitiæ, quantò cum flagi-
2.Reg.11. tio per innocentis ſanguinis effuſionem uiam cæcæ libidini patefecit? nec tamen aut Iſ-
raëlitico regno, quod eius Eccleſiæ pars erat præcipua, aut ex eadem Eccleſia ceci-
diſſe creditur. Talia ſunt in ueteri ſcriptura frequentiſsima exempla, quæ non modò
peccatores, ipſa interioris iuſtitiæ dirutione, aut ſceleris commiſsione, extra Eccle-
ſiam non eſſe docent: ſed inſuper Eccleſiaſticis functionibus, quas (haud dubium) niſi
Eccleſiaſticæ ſocietatis partes eſſent, exercere non poſſent, nullo pacto deſtitui.

Conuellitur eadem hæretica ſententia ſanctorum patrum teſti-moniis. Cap. XXII.

VErùm, quoniam hanc controuerſiam, in qua legitima Eccleſia ab ſpuria
ſecernitur, ac proinde legitimus ſacrarum ſcripturarum iudex inquiri-
tur, grauiſsimam eſſe arbitror, (hinc enim uel nobis aduerſus fidei ho-
ſtes certiſſimus triumphus, uel illis libera inſaniendi facultas tribuitur)
non ab re futurum eſſe exiſtimo, ſi præter ſcripturæ aptiſsima teſtimo-
nia, quibus hucuſque cum hæreticis egimus, in fidelium catholicorum
ampliorem confirmationem, quid de ea re tum Græci, tum Latini ſancti patres ſcri-
Gregor.14. pſerint, in medium proferamus. Gregorius Romanus Pontifex ſic ſcribit, O quantos
lib.37.mo- hypocritas Eccleſia modò tolerat, quos cùm tempus eruperit, tentatio aperta mani-
ral.c.12. feſtat, qui uoluntates ſuas, quas contra ea modò non exerunt, quaſi complicatas inte-
rim alas cogitationum præmunt. quia enim à malis boniſque hæc uita communiter
ducitur, nunc Eccleſia ex utrorumque numero uiſibiliter congregatur, ſed Deo inui-
ſibiliter iudicante diſcernitur atque in exitu ſuo, à proborum ſocietate ſeparatur:
modò uerò eſſe in ea, nec boni ſine malis, nec mali ſine bonis poſſunt. hoc enim tem-
pore,

pore, coniuncta utraque pars, ſibi neceſſariò congruit, ut & mali inuitentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tentamenta malorum. Hactenus Gregorius. Quòd uerò ait, bonos à malis, Deo iudicante, diſcerni, de gratia, qua iuſti ab iniuſtis in hac uita diſtinguuntur, intelligit.

Hormiſda.

Hormiſda Romanus item Pontifex in epiſtola ad Poſſeſſorem Epiſcopum, Adhuc, inquit, in area ſumus, mixta ſunt frumenta cùm paleis, gemunt boni conſortia malorum, ſed ſupereſt flamma non neceſſariis, & ubi terrarum non iſta permiſtio? non fixis decet ſtare ueſtigiis. proficiemus inter aduerſantes, propriis bonis, ſi erroribus non inuoluamur alienis. probat enim uirtus ſuum ualidum robur, ſi cùm impellitur, non mouetur. Hactenus Hormiſda.

Auguſt. 2. retractat. cap. 8.

Auguſtinus, præter eos libros & epiſtolas, quas in hunc Donatiſtarum errorem, initio diſputationis ſcripſiſſe retulimus, multus eſt in Catholica ſententia docenda. Vbicunque, inquit, in libris, quos ſeptem contra Donatiſtas de baptiſmate ſcripſi, commemoraui Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi iam ſit, ſed, quæ præparatur ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa. nunc enim propter quaſdam ignorantiæ rugas, & infirmitates membrorum ſuorum, habet unde quotidie tota dicat, Dimitte nobis debita noſtra. Mali & boni (ait alibi) ſunt in Eccleſia, ſed apud hæreticos ſoli mali ſunt. & poſt pauca, Nos fatemur, in Eccleſia catholica & bonos & malos eſſe, ſed tanquam grana & paleas. rurſuſque idem, Cùm per negligentiam præpoſitorum, ſiue per aliquam excuſabilem neceſsitatem, ſiue per occultas obreptiones, inuenimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſtica diſciplina corrigere aut coërcere non poſſumus: tunc ne aſcendat in cor noſtrum impia & pernicioſa præſumptio, qua exiſtimemus, nos ab ipſis ſeparandos, ut peccatis eorum non coinquinemur, atque ita poſt nos trahere conemur, ueluti mundos ſanctoſque diſcipulos ab unitatis compage, quaſi malorum conſortio ſegregatos. Veniant in mentem illæ de ſcripturis ſimilitudines, & diuina oracula, uel certiſsima exempla, quibus demonſtratum & prænunciatum eſt, malos in Eccleſia permixtos bonis, uſque in finem ſæculi, tempuſque iudicij futuros. Hæc Auguſtinus.

Tractat. 6. in Ioan. De fid. & oper. c. 5.

Eiuſdem etiam eſt & illud, Habet Eccleſia in ſe fortes & infirmos, habet iuſtos & iniuſtos, modò enim corpus Chriſti, quod iuſtis area eſt, poſtea horreum erit: tamen cùm area eſt, non recuſat paleas ſuſtinere, cùm tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis ſegregabit. Paccianus olim Barcinonenſis Epiſcopus, multò Auguſtino antiquior contra Nouatianos ſcribens, Eccleſia eſt, inquit, non habens maculam neque rugam, id eſt, hæreſes non habens, neque Valentinos, non Cataphrigas, non Nouatianos: ſunt in his quidam ſinus maculoſi, atque rugoſi precioſarum ueſtium, ornatibus inuidentes. Cæterùm peccator & pœnitens, non eſt Eccleſiæ macula, quia quandiu peccat, & non pœnitet, extra Eccleſiam eſt conſtitutus, non extra Eccleſiam communem, ſed ſpecialem iuſtorum. ſubiungitque deinde, Vbi deſinit peccare, iam ſanus factus eſt. Hæreticus uerò ueſtem domini, Eccleſiam Chriſti ſcindit, intercipit, uitiat, irrugat. cùm enim ſchiſmata, inquit, & contentiones ſunt inter uos, non'ne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? ſed & ſermo eorum quaſi cancer ſerpit. Hæc eſt macula uanitatis, hæc ruga. Denique, ubi ſuperbis Apoſtolus loquitur, de amore Chriſti, & de dilectione propoſuit, Sicut, inquit, Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut hæreticos ſummoueret, quia diligere non nouerunt. cæterùm miſero pœnitenti, quia amare optat, & amari, Eccleſia eſt, integra Euangeliorum iura cuſtodiens. Hactenus Paccianus. Apud quem uides, ſolas hæreſes & ſchiſmata, Eccleſiaſtici uinculi nodum diſrumpere.

Origen. hom. 21 in Ieſum Naue.

Origenes Adamantius, Non eſt poſsibile, inquit, ad liquidum purgari Eccleſiam, dum in terris eſt, ita ut neque impius in ea quiſquam, neque peccator reſidere uideatur, ſed ſint in ea omnes ſancti & beati, in quibus nulla prorſus peccati macula deprehendatur. Hæc Origenes.

Lib. 2. c. 14. 15. 16.

Sed ante hos omnes, apertius Clemens Romanus Pontifex idemque Chriſti martyr, mea quidem ſententia, teſtari uidetur, cùm libro ſecundo Apoſtolicarum conſtitutionum ex Apoſtolorum perſona contra quoſdam ſcribit, Recipe igitur, Epiſcope, inquit, pœnitentem, ſine ulla dubitatione omnino, neque impediatis ab eis, qui crudeliter dicunt, non oportere cum eis coinquinari, neque ſermonis cõmunionem habere. hæc enim conſilia ſunt hominum ignorantium Deum atque eius prouidentiam de agreſtibus belluis feriſque indomitis. non enim uident, quòd oportet non

communione ſermonis cauere à peccatoribus, ſed operis. Iuſtitia enim iuſti ſuper ipſum erit, & iniquitas iniqui ſuper ipſum erit. & rurſum, Terra ſi peccauerit mihi, ut præuaricetur præuaricationem, extendam manum meam in illam, & conteram ſuper eam uirgam panis & iumentum: & ſi fuerint tres uiri in medio eius, Noë, Iob, & Daniel, ij in iuſtitia ſua ſaluabunt animas ſuas, dicit dominus Adonai. Manifeſtè declarauit ſcriptura, quòd iuſtus, ſi uixerit cum iniquo, non perit cum eo. in hoc enim mundo iuſti & iniuſti, una congregantur ſocietate uitæ, non ſanctitatis, neque in hoc peccant ſancti: imitatores enim ſunt patris ſui, qui eſt in cœlo, qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper iuſtum & iniuſtum pluit ſuper bonos & malos; & nullum ex hoc periculum imminet iuſto. nam in ſtadio uictores cernuntur & uicti; in corona ſoli qui generosè certauerunt, nemo uerò coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Vnuſquiſque de ſe confitebitur, & non perdet Deus iuſtum cum iniuſto, quoniam apud eum expers peccati uita, immunis eſt à ſupplicio. nam nec Noë aqua obruit, neque Loth incendio conſumpſit, neque Raab unà cum aliis interemit. Quòd ſi ſcire uultis ea, quæ nobis euenerunt, Iudas, cùm eſſet nobiſcum, accepit ſortem miniſterij, eam, quam nos accepimus. Simon etiam magus accepit ſigillum in domino, ſed uterque, cùm ſe prauum oſtendiſſet, alter ſuffocatus eſt, alter contra naturam uolans attritus eſt. Et in arca Noë & filij eius erant, ſed ſolus Cham improbus repertus, in filio pœnas dedit: quanquàm parentes pro filiis non puniuntur, neque filij pro parentibus, neque ſerui pro dominis, neq; propinqui pro propinquis, neq; amici pro amicis, neq; iuſti pro iniuſtis, ſed unuſquiſque de ſuis operibus rationem eſt redditurus. nam neque Noë pro mundo pœnas pendit, neque Loth pro Sodomitis igne flagrauit, neque Raab pro Ierichuntiis interfecta eſt, neque Iſraël pro Aegyptiis. non enim cohabitatio condemnat iuſtos cum iniuſtis, ſed eiuſdem propoſiti ac uoluntatis conſenſio. Non oportet igitur ad cædem paratis, nec iis, qui odio homines habent, neque criminum ſtudioſis, & per occaſionem mortem inferentibus, mentem adhibere. alius enim pro alio mortem non ſubit, ſed propriorum peccatorum catenis unuſquiſque conſtringitur. & ecce homo, & opus eius. Oportet autem uos, Epiſcopi, opem ferre infirmis, periclitantibus, & errantibus, & quoad fieri poteſt, ſermonis exhortatione ſeruare eos, & liberare à morte. non enim opus habent, qui ualent, medico, ſed qui ægrotant: quoniam non eſt uoluntas coram patre, ut pereat unus ex paruulis. non enim hominum duri cordis uoluntatem expendere oportet; ſed Dei & patris cunctorum, quæ eſt per Chriſtum dominum noſtrum, cui honor in ſæcula, Amen. Hactenus beatus Clemens. Cuius uerbis nihil expreſsius in hanc ſententiam, uel ab Auguſtino ipſo, qui contra Donatiſtas pugnauit, proferri potuiſſet. Congeſſerunt & multa alia noſtra & præcedenti memoria multi eruditi uiri, & Eccleſiaſtico zelo inſignes in eandem ſententiam, quæ huc afferre fuiſſet moleſtiſsimum. Nunc ergo, quantum huius hæreticæ ſententiæ ratiunculæ & argumenta ualeant, iam expendamus.

Diluuntur præcedentis ſententiæ rationes, & argumenta. Cap. XXIII.

Dilutio 1. ET prior illa, quæ ex punitione Corinthij inceſtuoſi, & ſubiuncta Apoſtoli Pauli ſententia generali, qua iubet ab Eccleſiaſtico conuictu peccatores abſcindi, nectitur, tantùm abeſt, ut peccatores non eſſe Eccleſiæ catholicæ portiones oſtendat, ut potius aduerſam ſententiam noſtris aduerſatiis uiolentiſsimè intorqueat. Enimuerò Corinthium illum, multò antè quàm à Paulo Eccleſia excluſus, Satanæ traderetur, in interitũ carnis, flagitium perpetraſſe, dubitari non poteſt. Quid igitur hinc aliud infertur, quàm quòd etiam atrocibus ſceleribus, quæ nec inter gentes audiantur, implicari homines, extra Eccleſiam nullo pacto protrudantur? nam ſi ille iam ipſa flagitij cõmiſsione, extra Eccleſiam conſtitutus erat, quo pacto Paulus Apoſtolus eum extra Eccleſiam feciſſet? aut, cùm ille eodem in loco fateatur ingenuè, ſe in eos, qui foris ſunt, non habere poteſtatem, quo pacto in eundem, ſi foris erat, poteſtatem exercuit? Nam quòd illa gene-

rali ſententia, qua iubet, improbis ac flagitioſis hominibus, conuictu non congredi, idem protſus oſtendat, eiiciendos, inquam, eſſe ab Eccleſia peccatores, & per ipſam peccati commiſsionem nondum eiectos, quis, quæſo, non uideat? Adde quòd eo loco, non quoſcunque peccatores Chriſtiana familiaritate priuandos, ſed eos, quos uitæ improbitas fecit infames, ne nomen domini, potiſsimè uerò eo ſæculo, quo inter gentes uiuebatur, blaſphemetur, decernit Apoſtolus. nam id ipſum illa eadem uitiorum nomina, quæ illic ſcribuntur, apertiſsimè indicant. Si is, inquit, qui frater nominatur 4. Cor. 5. inter uos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere. ſtatuitur igitur hoc Apoſtolico loco, peccatores incorrigibiles ab Eccleſia arcendi, Eccleſiaſtica poteſtas; non item peccatores ab Eccleſia extruduntur.

QVOD autem ex Apoſtolica exhortatione, ſecundo loco producebant, tale profectò mihi eſſe uidetur, ut reſponſione non egeat. quis enim uel parum eruditus, locum illum Apoſtoli in hoc totum ſcribi, non uideat, ut concordiam, amorem, & mutuam in fidelibus dilectionem accendat? Profectò unitatem ſpiritus, illo loco pro unitate Spiritus ſancti, in nobis manentis, ita ut omnes ſimus idem corpus, quòd unus & idem ſit in nobis Spiritus ſanctus, accipere ſtultum eſt prorſus. ſignificat igitur unitas ſpiritus illic, unitatem uoluntatis, unitatem animorum, & mentium Hebraica ratione loquendi, in qua lingua, id ſpiritus frequentiſsimè pollet: pacem (inquam) & concordiam, quæ in Chriſtianis magis, quàm in aliis quibusque uigere debet, quòd ſcilicet in illis ſit unus Deus, una eademque fidei profeſsio, unum baptiſma, una ſpes uocationis, unus Deus & pater omnium, qui ſit ſuper omnes & in omnibus. Quòd ſi unitas ſpiritus, pro unitate, aut unione Spiritus ſancti ibi caperetur: nihil tamen minus illic inſinuaretur, quàm peccatores extra Eccleſiam eſſe. Non enim ibi Paulus unitate illa ſancti Spiritus, fideles eſſe unitos decernit; ſed eoſdem Eccleſiaſtica unitate per fidei profeſsionem, & baptiſmum coniunctos, in ampliorem illam Spiritus ſancti unitatem, prouocando, exhortatur. Dilutio 2

FATEMVR nihilominus, eo loco, quem ex epiſtola ad Corinthios proniunt, nonnulliſque aliis, unum ſpiritum, pro uno Spiritu ſancto, quo iuſti omnes, id eſt, uiua Eccleſiaſtici corporis membra uiuunt, ab Apoſtolo accipi, in quo uno eodemque ſpiritu, qui ſacramentorum miniſterio indulgetur, omnes ſumus baptizati & potati. ac perinde conſequenter fatemur, iuſtos hac unitate ſpiritus, eſſe cum Chriſti membris coniunctos. uerùm non inde ſequitur, non eſſe Eccleſiaſtici corporis membra peccatores. Quemadmodum at ida membra, quanuis ſpiritu quidem uitali, animali, aut naturali, cæteris uiuis membris non uniantur; uniuntur tamen ſitu, neruis, tendonibus, ligamentis, cartilaginibus, & cute, ita ut ad idem corpus pertinere dicantur. 1. Cor. 12.

BAPTIZAMVR omnes deinde, in eodē ſpiritu. omnibus enim non ponentibus obicem, Spiritum ſanctum ſacramenta propinant, fateor. eſſemus deinde unum, unitate illa ſpiritus, ſi inde albam innocentiæ tunicam conſeruare uellemus, ſit ita: at, quòd non conſeruemus, unitate illa Spiritus ſancti, quæ maxima unitas erat, per peccatorum languores, foras protruſa, manemus ſub eadem Eccleſiæ pelle, fidei (inquam) confeſsione ac cæteris Eccleſiaſticis membris, non iam ſpiritus, quo, quaſi ſtupida & arida mēbra ſumus, deſtituti, ſed articulorum fidei ligamentis aſtringimur.

MVLTO minus uiolentum eſt illud, quo tertio loco nos adoriuntur. licèt enim eodē pacto de Eccleſia, quo olim de ſynagoga, quam nihil aliud, quàm Eccleſiaſticæ reip. quæ à mundi exordio ſumpſit initium, ueterem portionem definiuimus, loquendum ac ſentiendum aduerſariis noſtris, libentiſsimè demus: falſum eſt tamen, quod aiunt, peccatores uita ſceleroſa, ab eadem fuiſſe præciſos, ita ut ad populum Dei non pertinerent, immo contrarium multis magniſque exemplis comprobauimus. Neque uerò Pauli Apoſtoli locus, quo docet, non ſeruantibus legem, circuncifionem factam eſſe præputium, illis adſtipulatur. non enim id docet, ut qui ſemel à legis exhibitione defecerint ad Gentiliſmum aut Paganiſmum, continuò pertineant; ſed quòd cum legis præuaricatione ad ſalutem obtinendam circuncifio non proſit: quemadmodum & nos quoque libenter fatemur, baptiſmum ſine caritate & bonis operibus, ad ſalutem conciliandam inutilem eſſe. Itaque non de profeſsione, ſed de merito, ibidem loquebatur Dilutio 3.

Apoſtolus. perdebat Iudæus, legis omiſsione ac præuaricatione, ſalutis æternæ, quæ Iudaiſmo promiſſa erat, efficaciſſimum meritum, ſed profeſsio religionis, & tunc, & modò conſtituit Eccleſiam. Eſt etiam aduertendum, ibi Apoſtolum, non ad quoſuis Iudæos uerba facere, ſed ad eos, qui iam Chriſti, ſine cuius profeſsione, nihil circumciſio proderat, aduentum ſequebantur. unde, etiamſi ſine legis, in qua, quaſi in utero Chriſtus continebatur, exhibitione, circuncisionem, præputium, id eſt, in gentiliſmum, factam eſſe doceret, ita ut qui legem non impleret, amplius in ſynagogam aut Eccleſiam non pertinere ſentiret, nihil Eccleſiaſticos peccatores læſiſſet, qui in Chriſtum tantùm credant, & Chriſtiana profeſſione cenſentur, cùm ſit utrorumque diuerſiſſima ratio. Atque huic ſenſui accedere uidetur Ambroſius, in eius loci commentario, ſic dicens, Hoc eſt quod dicit, quia ſi legis ſeruator non fuerit Iudæus, gentilis efficitur, ſed circuncisionem pro genere poſuit Abrahæ, quia ex Abraham circuncisio. neq; enim poterat ædificare, quæ deſtruxerat. hoc enim ait, ut doceat, tum prodeſſe ex genere Abrahæ eſſe, ſi lex ſeruetur, id eſt, in Chriſtum credatur, qui promiſſus eſt Abrahæ: quia & ſuum meritum habent iuſtificati per fidem, & honore patrum ſublimantur. omnis enim ſalus in lege de Chriſto eſt. hic igitur ſeruat legem, qui credit in Chriſto: ſi autem non credit, tranſgreſſor eſt legis, quia non recipit Chriſtum, quem lex ad iuſtificationem uenturum cecinit, quam ipſa dare non potuit, & nihil proderit dici filium Abrahæ, quia hic ſecundum meritum eſt filius Abrahæ, qui fidem ſequitur, per quam dignus Deo extitit Abraham. unde ait, Circuncisio tua præputium facta eſt, id eſt Gentili ſimilis factus eſt, non credens in eum, qui in ſigno circuncisionis, filius promiſſus eſt Abrahæ. Hactenus Ambroſius. Cui ſententiæ, quod immediatè in Paulo ſubiungitur, adſtipulari uidetur, Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, non'ne præputium eius in circuncisione reputabitur? in quæ uerba idem Ambroſius, Iuſtitia, inquit, legis, fides eſt Chriſtiana, ſicut alio loco dicit, Finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. ideò manifeſtum eſt, quia ſi Gentilis credat in Chriſtum, ſit filius Abrahæ, qui pater eſt fidei: meritò igitur illi, qui ſe Iudæos, id eſt, legis Moſaicæ ſeruatores, cùm tamen Chriſti abiectione & repudiatione dicebant, ad ſatanæ ſynagogam, non ad Chriſti Eccleſiam aut Moſis ſynagogam pertinere dicuntur.

Apo.2.

Dilutio 4. VOCATVR, dicunt, Eccleſia in ſcripturis & ſanctis auctoribus, Chriſti corpus, uocatur grex ouium, uocatur Dei domus, & ſtructura, &c. libenter fatemur, ergo non continet peccatores, collectionem negamus. tantùm enim inde ſequitur, ergo in ea non ſunt peccatores, quaſi membra uegêta, & uiua ſuccumque ſpiritus, à corde & à capite trahentia: ergo in ea non ſunt peccatores oues, ergo in ea non ſunt peccatores lapides uiui, ut Petrus dicebat. aut, ergo in ea non ſunt cæteris lapidibus caritatis calce & bitumine peccatores uniti. Eſſe tamen peccatores in Eccleſiaſtico corpore, quaſi

Tract.3 in canon. Ioã. membra arida, aut, ut Auguſtinus aptiſsimè inquit, quaſi malos humores, qui quando euomuntur, tunc releuant corpus: eſſe in Eccleſiaſtico grege peccatores quaſi capras aut hœdos, qui oues & agnos, uſque ad diem illum, quo his ad dexteram, illis uerò ad ſiniſtram ſequeſtratis, moleſtiſsimè uexent: eſſe peccatores in Eccleſiaſtico ædificio, quaſi lapides Bitumine caritatis ſolutos, qui tamen ut cæteri alij, Chriſtiani ædificij ſint partes, licèt non tam ualidæ; ex omnibus illis locis nullo pacto conuincuntur. Neque uerò magnoperè eſt mirandum, ſi Eccleſia in præſenti fragilitatis miſeria, in hoc

Ephes.6. exilio dum peregrinatur à domino, in hac grauiſsima tentationis militia, qua non aduerſus carnem tantùm & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus, irreconciliabili bello perpetuò decertat, ſi in hoc teterrimi & ſqualidi carceris ergaſtulo, quo quotidie ingemiſcit, Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, &c. eum decorem, & membrorum integritatem, quam poſtea, cùm renouabitur ut aquilæ, iuuentus eius, eſt habitura, nondum acceperit. ſi (inquam) quandoque ex tot laboribus, ex tot ærumnis, ex tot inimicorum externorum, & internorum uiolentiſsimis irruptionibus, aut oculus illi areſcat, aut brachium ſtupeſcat, aut manus, neruorum conuulſionem aut ſpaſmum patiatur. Neque eſt magnopere mirandum, ſi in tot carnis, mundi, & Satanæ uiolentiſsimis tormentis impulſa, tot arietibus, tot uineis impetita, ſancta Dei Ciuitate, (licèt fundamenta eius ſint in montibus ſanctis, atque adeò

ta funditus excindi nequeant, ex lapidibus eius, quidam, qui & naturaliter grauitate
& caritatis bitumine deſtituti erant, extra ipſum quidem ædificium pulſi, proſternan-
tur in terram, quidam uerò, licèt bitumine ac calce caritatis, quibus aliis cohærebãt,
deſtituantur, in ipſo tamen ſancto ædificio, ſuaque ſede inconuulſi permaneant, donec
rurſum, per Chriſtum cæmentarium, calce & bitumine reuniantur, quidam uerò ne-
que hoc neque illud patiantur, ſed inconcuſsi perſeuerent: neque ſedem ut priores, ne-
que bitumen ut poſteriores ullo pacto amittentes. Priores ſunt hæretici, ſecundi pec-
catores, tertij iuſti, quos Petrus Apoſtolus lapides uiuos elegantiſsimè uocat. Talesque 1. Petr. 2.
ſunt lapides illi, qui clamant, Quis me ſeparabit à caritate Chriſti? an anguſtiæ, an
fames, &c. haud profectò hæc omnium lapidum uox eſt, ſed uiuorum lapidum, præ- Rom. 8.
grandium lapidum, qui ipſi Chriſto, primo huius ſtructuræ lapidi, non uno latere, fide
tantùm ſcilicet, ſed tribus, fide, ſpe, & caritate planiſsimè ſternuntur. Immo uerò eo-
rum, qui non tam calce caritatis, quàm plumbo confirmationis fundamento cohærẽt.
In arcium profectò expugnationibus, cùm cæteri lapides, qui in ædificij faſtigio ſunt,
partim impetu tormentorum labantur, partim calce, gypſo, & bitumine, quibus illi-
gabantur, priuentur: hi tamen, qui fundamento, lapidi, inquam, uiuo, id eſt, nati-
uo, (in cuius generis lapidibus ſolent arces ſuperſtrui) immediatè cohærent, nulla ui
commouentur. Ita uiri Apoſtolici, ipſi lapidi uiuo, id eſt, Chriſto immediatè, in ſancti
huius ædificij ſtructura cohærentes, nullis nedum non ſunt tentationibus aut diaboli-
cis tormentis, quibus hæc ſancta domus concutiebatur, attriti, aut proſtrati, aut bitu-
mine caritatis priuati, ſed nec quidem concuſsi. haud tamen hoc priuilegium aliorum
eſt, qui in extremo faſtigio domus reponuntur. Illic quidem plerunque ſunt parui la-
pides, qui primo ictu proſternuntur; ſunt ligna & tabulæ, quæ accenſo igne tentationis
comburantur; ſunt denique tegulæ, quæ cùm non minimam utilitatem afferant, neque
tamen calce neque bitumine, ſed ſolo compoſitionis artificio cohærent.

Damvs igitur libentiſsimè aduerſariis, omnes Eccleſiaſtici ædificij partes, Chriſto
lapidi uiuo inniti: damus, omnes partes domus Dei eundem Chriſtum habere funda-
mentum, ſed diuerſa ratione. uiri quidem Apoſtolici, quaſi magni lapides & tum iuſti-
tiæ pondere, tum confirmationis, quam per ſpiritum acceperunt, plumbo graues, im-
mediatè & immobiliter eidem innituntur. iuſti omnes, caritatis bitumine & calce
obligati, quaſi mobiles quidem lapides, ſed qui nondum ea, quibus cæteris cohærent,
retinacula amiſerint. peccatores uerò quaſi lapides quidem concuſsi & bitumine ſo-
luti; ſed qui nondum ceciderint, aut quaſi tegulæ, ſolo artificio, in domus tutelam col-
ligatæ. Nam hæretici, qui & calcem caritatis, & fidei ſedem amiſerunt, cùm non ſint
amplius ædificij portiones, Chriſto fundamento, nullo pacto nituntur. Deſiderat uerò
Petrus Apoſtolus eo loco, ut non quouis modo, ſed quaſi lapides uiui, & ponderoſi,
qui nullo tentationis impetu concuſsi ruamus, Chriſti lapidi uiuo ſuperſtruenti firme-
mur. Apoſtolicum autem deſiderium, nihil decernit, ſed quid eſſet melius, inſinuat, ut
ſcilicet, non ipſa nominis Chriſtiani ſola profeſsione, ſed fide integra & uiua lapides ui-
ui effecti, lapidi uiuo Chriſto, qui eſt fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, Ephe. 2.
ſuperædificemur. nam ſi ipſam ſolam ſterilem fidem in Chriſtum, ad hoc genus ædifi-
cationis, in quo homines, quaſi lapides uiui & Chriſto lapidi uiuo connituntur, (ut ad-
uerſarij docent) ſatis eſſe credidiſſet Apoſtolus, quorſum homines Chriſtianos, & qui
Chriſtianæ fidei religionem tenerent, ad hanc eandem unionem exhortaretur Apoſto-
lus? Ergo ſua illa exhortatione apertiſsimè indicat, homines iam ſemel Chriſto per fi-
dei ſimplicem profeſsionem, ſuperſtructos, alio quoque pacto ſuperſtrui.

Vltima tandem ratio, quanquàm ab his ipſis, contra quos decertamus, dum illis, Dilutio 5.
qui ex electis Eccleſiam conſtare dicebant, reſpondent, quantum eius robori commi-
nuendo ſit ſatis, diluatur, dum ex omnibus illis, quæ ex ſcripturis proferuntur, Eccle-
ſiaſticis elogiis, quibus uocatur pulchra, formoſa, amica, ſponſa, uxor, ſupra firmam
petram fundata, aduerſus quam portæ inferi non præualeant &c. non aliud conuinci aiũt,
quàm quòd in hoc uitæ mortalis ſtadio, quotidiano ſtudio ſeſe poliendo, in hæc ipſa
contendat. Nobis tamen, quia grauiſsima res eſt, quid ea Eccleſiaſtica encomia ſibi
uelint, altius eſt repetendum.

Ergo ſunt inter noſtros, non tantùm eos, qui noſtra memoria philoſophantur, ſed Prima dilutio.
uetuſtiores

uetuſtiores illos, auctores complurimi, qui propter hæc & ſimilia elogia, quæ à ſancto
Spiritu Eccleſiæ frequentiſsimè in ſcriptura donantur, triplicem fabricentur Eccleſiam,
electorum unam, iuſtorum alteram, peccatorum & iuſtorum tertiam; ad priorem il-
lam omnia, quæ Eccleſiæ ſtabilitatem & carnis, mundi ac diaboli uictoriam inſinuant,
Ioan. 10. pertinere uolunt, quale illud Chriſti paſtoris apud Ioannem, Oues meæ uocem meam
audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & uitam æternam do eis, & non peri-
bunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. ſimiliaque talia. ſunt &
Matth. 16. multi, qui eum locum apud Matthæum, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,
& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam &c. de hac electorum Eccleſia intelligen-
dum exiſtiment: dum non tantùm hæreſes, ſed uniuerſa peccata, quæ quaſi portæ quæ-
dam ad inferos ducunt, quæque iniuſtorum, & eam, quæ ex iuſtis & peccatoribus coa-
leſcit, Eccleſiam, quotidie præualere uidetur, portas inferi accipiunt. Quam interpre-
In Apolog. profitr. randi rationem, cùm alibi diffusè ſcripſerimus, quàm eſſet apud ueteres frequens, huic
loco non eſt opus inſerere.

Ad secvndam illam iuſtorum Eccleſiam, quæcunque pulchritudinem, decorem,
ſpeciem &c. inſinuant, pertinere uolunt. talia ſunt quæcunque uel à Salomone in canti-
Can. 4. cis, uel Dauide, & cæteris prophetis myſtico uerborum ſchemate, de ſponſæ aut Hie-
ruſalem pulchritudine frequenter dicuntur. nihil enim gratia & caritate iuſtorum pul-
chrius: ſicut contrà, nihil peccati deformitate turpius. de eadem etiam dicitur, quòd
Auguſt. de Bapt. con. don. lib. 5. c. 27. ſit hortus concluſus, & fons ſignatus. quod intelligere non audet Auguſtinus, niſi de ſan-
ctis & iuſtis, non auaris, non fraudatoribus, non raptoribus ebriis, inuidis, &c. Huic
uerò iuſtorum Eccleſiæ pulchritudo, & non illi priori electorum defertur, quòd illa ple-
runque, ex his, qui actualiter ſunt peccatores, coaleſcat: unde multa eius membra
uſque ad ultima uitæ momenta, peccatis ſordeſcunt; ſicut illi contrà fortitudo huic
non item tribuitur, quòd plerunque, in huius membra, abiecta ſemel accepta gratia,
peccata præualeant. ſicut enim multi ſunt, qui uſque ad ultimos uitæ huius mortalis
hiatus, à peccatis non ceſſent, tuncque ad Deum per pœnitentiam conuerſi, electioni
reſpondeant: ita multi ſunt in eadem Eccleſia, qui cùm per totum uitæ ſpacium, iuſti-
tiam coluerint; tunc cùm excitandus erat plauſus, & coronanda perſeuerantia, repro-
bationi ſuæ reſpondentes iuſtitia ceciderint, hi igitur cum ad iuſtorum Eccleſiam pro-
culdubio pertineant, cùm tamen illa electorum Eccleſia, nihil habent commune:
contrà, illi, cùm eius, quæ electorum eſt, Eccleſiæ ab æterno ſint partes; ad iuſtorum
tamen Eccleſiam, nullo modo reſpiciunt. huius, Iudas aliquando fuit portio, illius
nunquam. illius tamen Petrus etiam, cùm Chriſtum abnegauit, pars erat.

Tertia tandem Eccleſia, quæ ex iuſtis & peccatoribus conflatur, omnia illa habet
encomia aut elogia, quæ partim pulchritudinem, partim turpitudinem inſinuare ui-
dentur; ut quòd nigram ſed formoſam, ut quòd æſtu ſolis deformatam ſe uocat, ut
quòd tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis ſe confert, & (quod grauius eſt)
Hiere. 3. quòd ueteri illo ſtatu Moſaico, tum propter cætera ſcelera, tum uerò propter horren-
Ezech. 16. dum idololatriæ crimen, in quod penè ruebat, polluta, contaminata, fornicatrix &
Oſee. 1. adultera, pleno ore uocatur. quæ improperia, uniuerſo illi populo, etiam cùm in eo
ſeptem millia uirorum, qui non curuarant genu ſuum ante Baal, ſibi dominus relique-
rat, prophetæ loquuntur. Nec mirandum: cùm enim ſit ex peccatoribus & ex iuſtis
compoſita, numero quidem iuſtorum excreſcente, nigra ſed formoſa uocatur: cùm
uerò iuſtorum numerus à peccatorum hominum multitudine uincitur, huiuſmodi &
aliis multis ſaturatur opprobriis. Quòd autem adulteræ & meretrices ſynagoga & Ec-
Hieronym. in epiſtola ad Rufin. cleſia dicantur, (inquit ad Rufinum Hieronymus) in ſcripturis nulla dubitatio eſt,
& hic prima fronte uidetur eſſe blaſphemum, cæterùm ſi recurramus ad prophetas,
Oſeam ſcilicet, qui accepit uxorem fornicariam, & generauit filios fornicationis, &
deinde adulteram, & ad Ezechielem, qui Hieruſalem quaſi meretricem arguit, quòd
ſecuta ſit amatores, &c. animaduertemus, Chriſtum idcircò ueniſſe, ut meretrices
damnaret matrimonio, & de duobus gregibus unū ouile feceri. Hactenus Hieronymus.

Hi igitvr facilè quæcunque ab aduerſariis ex Eccleſiaſticis elogiis proferuntur, ad
unam ex his tribus Eccleſiis allidunt: docent enim ea omnia, de Eccleſia quidem nunc
in terris militante, debere accipi, ſed in ea uarias eſſe manſiones, id eſt, uarias eſſe

partiales

partiales Eccleſias, ſcripturamque per ea elogia excludere quidem uel reprobos ab Eccleſia electorum, uel peccatores ab Eccleſia iuſtorum, non tamen à tota Eccleſia: quæ ſicut prior æterna electione, & ſecunda ſpirituali iuſtitia, ſic tertia ſola fidei ueræ profeſsione, & ſeptem ſacramentorum uſu, quaſi baſi fundatur. cùm uerò uel in ſancta ſcriptura, uel in ſacris auctoribus perpetua ueritatis cognitio, & adhæſio Eccleſiæ promittitur; non de duabus illis Eccleſiis, quæ uel ex electis, uel ex iuſtis conflantur, ſed de hac tertia, quæ totius reſpectu illarum rationem habet, promiſsiones intelligi. Nam ſi de particularibus his Eccleſiis ſint intelligendæ, profectò de ea, quæ electorum eſt, cùm ob eos tantùm ſcriptura ſit indulta, eorumque ſaluti tandem efficaciter poſsit, eſſe accipiendas, ratio ipſa demonſtrat: contrà, iuſtis hominibus, qui Dei uoluntati per fidem & dilectionem cohærent, legitima ſanctæ ſcripturæ notitia ueritatiſque cognitione priuatis, eandem in electos illos, qui plerunque per totum uitæ tractum ſunt peccatores, immo uerò uſque ad poſtremum uitæ hiatum plerunque hæretici & idololatræ, transferre nulla ratio permittit. Sunt ergo promiſsiones illæ accipiendæ de tota Eccleſia iuſtorum & electorum.

Ad hanc trifariam Eccleſiæ partitionem, ſancti in ſuis ſcriptis frequentiſsimè alludunt, cùm Eccleſiam occultam docēt, cùm peccatores ad Eccleſiam pertinere nolunt, & cùm contrà, Eccleſiam huius temporis iuſtis & peccatoribus, aduerſus Donatiſtas conſtare contendunt. occultam quidem uocant electorum Eccleſiam, peccatorum immunem: eam, quæ iuſtorum tantùm eſt, ex iuſtis & peccatoribus conflatam, ueracem religionis, & ſanctarum ſcripturarum interpretem uocant. Vnde Auguſtinus, Ad Eccleſiam, inquit, non pertinent auari, raptores, fœneratores, &c. quos tamen omnes non foris ſed intus multis ſuarum literarum locis, Cyprianus ipſe teſtatur. *lib. 4. de baptis. con. Don. c. 2.* Et ſubinde de peccatoribus loquens, qui ficta mente, id eſt, uita non in melius mutata baptiſmum ſuſcipiunt, Iſti, inquit, Eccleſiæ deuoti non ſunt, qui uidentur eſſe intus, & contra Chriſtum uiuunt, id eſt, contra Chriſti mandata faciunt, nec omnino ad illam Eccleſiam pertinere iudicandi ſunt, quam ſic ipſe mundat lauacro aquæ in uerbo, ut exhibeat ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Quòd ſi in noſtra Eccleſia nō ſunt, ad cuius membra non pertinent, non ſunt in Eccleſia, de qua dicitur, Vna eſt columba mea, una eſt matri ſuæ: ipſa eſt enim ſine macula & ruga: aut aſſerat, qui poteſt, huius colūbæ mēbra eſſe; qui ſæculo uerbis, non factis renunciant: Interim ad quod uidemus: unde dictum arbitror, Qui ſapit diem, domino ſapit: Deus enim iudicat omnem diem: ſecundum autem præſcientiam, qui nouit quos prædeſtinauit ante ſæculi conſtitutionem, conformes fieri imagini filii ſui. multi etiam, qui apertè foris ſunt, & hæretici appellantur, multis & bonis catholicis meliores ſunt. Quid enim ſint hodie, uidemus: quid cras futuri ſint, ignoramus. & deò quidem apud quem ſunt præſentia quæ uentura ſunt; etiam quod futuri ſunt. iam ſunt. nos autem ſecundum id, quod in præſenti eſt cuique hominum, quærimus, Vtrum in illis Eccleſiæ membris, quæ una columba dicta eſt, & ſponſa Chriſti ſine macula & ruga, hodie deputandi ſint; de quibus dicit Cyprianus, quòd uiam domini non tenerent, nec data ſibi ad ſalutem cœleſtia mandata reſeruarent, quòd non facerent domini uoluntatem, patrimonij lucro ſtudentes, ſuperbiam ſectantes, æmulationi & diſſenſioni uacantes, ſimplicitatis, & fidei negligentes, ſæculo ſolis uerbis & non factis renunciantes, unuſquiſque ſibi placentes, & omnibus diſplicentes. Quòd ſi eos nec in ſuis membris illa columba agnoſcit, & talibus, ſi in eadem peruerſitate permanſerint, dicturus eſt Deus, Diſcedite à me qui operamini iniquitatem: uidentur in Eccleſia eſſe, ſed non ſunt, immo & contra Eccleſiam faciunt. Hæc Auguſtinus, multaque alia in eandem ſententiam: quibus apertè uides, eum & electorum occultam quandam Eccleſiam, iuſtorum aliam, ad quam peccatores non attineant, miſtam tertiam, in qua peccatores & iuſti contineantur, ſtatuere. Tale eſt & illud eiuſdem aduerſus eoſdem hæreticos diſputantis, *lib. de baptis. contra Don. cap. 3.* Habere, inquit, & tradere baptiſmum, malos nequaquam in melius commutatos, & ſcripturis canonicis, & de ipſius Cypriani literis, ſatis, ut arbitror, demonſtrauimus, quos non pertinere ad ſanctam Eccleſiam Dei, quamuis intus eſſe uideantur, ex hoc apertiſsimè apparet, quia iſti ſunt auari, raptores, fœneratores, inuidi, maleuoli, & cætera eiuſmodi: illa autem columba unica, pudica, caſta, ſponſa, ſine macula, & ruga,

hortus concluſus, fons ſignatus, paradiſus cum fructu pomorum, &c. quæ de ea ſimiliter dicta ſunt, quòd non intelligitur niſi in bonis & ſanctis & iuſtis, id eſt, non tantùm ſecundum operationes munerum Dei, bonis maliſque communes, ſed etiam ſecundum intimam & ſupereminentem ſpititus gratiam habenribus, quibus dominus dicit Si cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei; & ſi cui retinueritis, tenebuntur. Hactenus Auguſtinus: eſtque adeò frequens in hac ſententia, ut operoſum ſit uniuerſos locos, quibus huic Eccleſiarum diſtinctioni conſentit, huc uelle adducere, præſertim cùm hoc onere nos leuarint multi eruditi uiri noſtra & præcedenti memoria, qui & in Vuiclefum & in Lutherum ſcripta ediderunt.

Echius contra Bucer.

VNDE mirari ſatis nequeo, quid quoſdam uiros alioquì doctiſsimos impulerit, ut eam ſententiam, uel ut catholicæ confeſsioni, uel ut huic tempori non congruentem, repudio damnauerint, quando illa ipſa, non alio tempore nata eſſe, & ab Auguſtino ſcripta comprobatur, quàm eo, quo hæc ipſa hæreſis, quæ peccatores ab Eccleſia proiicit, Donato auctore, cepit initium. Si igitur eo tempore ab orthodoxis & catholicis auctoribus, immo uerò ab his, qui toti Orbi catholicæ ueritatis ebibendi fontes erant, ex euangelica doctrina hæc ſententia conflata eſt, immo ſi ea ipſa, tota illa hæreticarum rationum moles euanuit: quare, quæſo, in noſtro ſæculo, in quo eadem hæreſis reuixit, incongrua credetur? At accedit Lutheranæ ſententiæ. ſed quì accedere poteſt Lutheranæ ſententiæ ea ſententia, qua Donati inſania (quæ eadem erat cum Lutherana) è medio ſublata eſt, &c. Aut quì poteſt accedere Lutheranæ ſententiæ illa ſententia, quæ omnia Lutherana argumenta, quibus ex ſcripturæ locis peccatores non eſſe partes Eccleſiæ perſuadere contendit, tam dextrè comminuit, ut nullus hæretico reclamandi locus, ex ipſamet ſcriptura ſacra relinquatur? quæcunque enim de firmitate, uel de pulchritudine, aut de iuſtitia Eccleſiæ obiiciuntur, dum illa in electorum, aut iuſtorum Eccleſiam, hæc opinio refundit, facillimè diluit. Peccatores intra eius Eccleſiæ, quam propriè Eccleſiam dici fatetur, quæ ſola Chriſtiani nominis profeſsione fundatur, capacitatem conſtituit, illique ſoli, quaſi quæ totius, reſpectu aliarum duarum rationem habeat, infallibilitatem tribuit, illamque ſolam, ſi ſola doctrinæ ueritas attendatur, ſupra petram firmam conſtituit, ut aduerſus eam portæ inferi, id eſt, hæreſis, præualere non poſsint.

AT ECCLESIA in ſancta ſcriptura, una eſſe dicitur. eſto: ſed nunquid huic unitati, quæ tam frequenter in ſcripturis prædicatur, obſtat, duplicem eſſe, militantem unam, triumphantem alteram? Aut uerò oblitus Deus triumphantis illius, de militante tantummodò perpetuò loquetur? Quòd ſi duplex ſit Eccleſia, militans una, triumphans altera, quarum neutra reſpectu alterius rationem partis ſubeat, & quarum in ſancta ſcriptura maximam rationem Deus habet, huic unitati non obſtat: cur, quæſo, obſtabit, tripılcé eſſe Eccleſiam, militantem electorum unam, iuſtorum alteram, iuſtorum & peccatorum tertiam, in qua ultima quaſi in toto, duæ illæ priores includantur? tres Eccleſias conſtituere, tribus eiuſdem generis fundamentis innixas, tribus ſcilicet religionibus, aut tribus fidei profeſsionibus, catholicæ profeſsioni contrarium eſt. at tres Eccleſias conſtituere, quarum prior electione, ſecunda iuſtitia, tertia, quæ duas illas priores amplectitur, Chriſtianæ & catholicæ religionis tantùm fundamento nitatur, profectò nullo tempore apud Eccleſiaſticos uiros ſuſpectum habebitur. Immo id ipſum, ex Euangelicæ ueritatis rigore, & ex uaria loquendi ratione ſcripturæ ſacræ, fateri compellimur. Enimuerò, eſſe in Eccleſia iuſtorum quandam congregationem, illamque, quatenus à non iuſtis diſtinguitur, in iuſtitia fundari, diffiteri non poſſumus. eſſe deinde in uniuerſo Orbe, per uarias nationes & ritus turbam magnam, quam dinumerare nemo poſsit, ex omnibus gentibus congregatam, cuius nomina ſint ſcripta in libro uitæ, hancque non fide aut iuſtitia, cùm his plerunque deſtituatur, ſed ſola electione niti, multò minus negabitur. Rurſus, iuſtorum illam turbam, cum peccatoribus, licèt non iuſtitia, fidei tamen profeſsione concurrere, atque adeò unam cum illis congregationem efficere, contra Donatum hæreticum uniuerſi concedimus. Cur igitur ſi tres ſunt congregationes, non erunt tres Eccleſiæ? an non Græcè idem eſt ἐκκλησία, quod collectio, congregatio, & multitudo hominum in unam religionem coëuntiũ?

Obiectio.

AT, AIVNT, Eccleſiæ partes, non ſunt Eccleſiæ appellandæ, quemadmodum nec ho-

minis

[illegible] partes, caput, pectus, anima, corpus, brachia, &c. homines uocantur. Verùm Dilutio.
aduertere debuiſſent uiri alioqui humanarum diſciplinarum periti, duplex eſſe rerum
genus, unum, quod ex partibus eiuſdem rationis, quas Peripatetici, & medici ſimila-
res appellant; alterum, quod ex diuerſarum rationum partibus, quas iidem diſſimila-
res uocarunt, conſtitutum exurgat. conſtat terra multis terræ portionibus, aqua item
multis aquæ partibus, aër item, ignis item, lapis item, lignum item. contrà animal nō
ex multis animalibus, homo non ex multis hominibus, ſed ex multis partibus diuerſa-
rum rationum, anima, corpore, oſsibus neruis, &c. horum itaq; partes, cùm totius de
nominationem non ſubeant (nec enim caput, crus, cor, &c. homines uocantur) eſſe
hominem non dicimus: illorum contrà partes, eodem nomine, quo totum, uocantur:
terræ enim portio, terra eſt, aquæ pars, tam aqua eſt quàm tota aqua: idemque eſt iu-
dicium de cæteris quibuſque, quæ ex partibus ſimilaribus conſtant. aceruus lapidum,
multorum lapidum congregatio uocatur: quòd ſi eum in decem aut plures aceruus di-
ſtraxeris, quemcunque illorum, tam propriè quā priorem illum, cuius paulò antè pars
erat, uocabis aceruum. idem de hominum turba & multitudine per omnia dicendum.
turba eſt, centies centum millia hominum: uerùm ſi eam in partes diuiſeris, multas tur-
bas habebis: ita uniuerſa ea hominum multitudo, in Chriſtianæ & catholicæ fidei pro-
feſsione fundata, Eccleſia uocatur; atque adeò cùm omnes eius partes ſint eiuſdem ra-
tionis, (conſtat enim Eccleſia multis hominum congregationibus) omnes illæ uocabun-
tur Eccleſiæ. Et alioqui, ſi Eccleſiæ partes eandem, quam totum, appellationem non
ſubeant, præpoſterè Ioannes Apoſtolus ſeptem Eccleſiis Apocalypſim ſcribit. Apo. 1.

Sed exercitus, aiunt, hominum eſt multitudo, non tamen quæcunque exercitus Obiectio 2.
portio diceretur exercitus, ſed ea, quæ ordinem ad ducem habet: eſt enim exercitus,
non quæuis hominum turba, ſed quæ Imperatorem habet, & ſub eodem cæteros mili-
tares præfectos: ita cùm Eccleſia, quæ eſt acies caſtrorum ordinata, non quæcunque Can. 4.
Chriſtianorum hominum ſit congeries, ſed ea congregatio, quæ iudicio ac ratione, ſub
uno ſummo Romano Pontifice, & ſub cæteris Chriſtianis magiſtratibus, in eadem fidei
profeſsione conueniat, occultæ illæ congregationes iuſtorum, aut electorum, nulla pro-
prietate uocabuntur Eccleſiæ. At hoc parùm urget: quamuis enim uerum ſit, non quan- Dilutio.
cunque exercitus partem, ſed eam, quæ Romanum Pontificem reſpiciat, Eccleſiam ap-
pellari, quòd hæc uocabula, non ſolam hominum congeriem, ſed ordinem dicant; iuſti
tamen ubicunque ſint, & electi ubicunque ſint, cùm primùm ad unum ſalutis medium,
Chriſtianam religionem peruenerint, aut actu aut uirtute, Pontifici Romano, cæteriſ-
que Chriſtianis magiſtratibus ſubſunt: eundemque ducem habent. Nec obeſt, quòd il-
lius uniuerſalis Eccleſiæ, quæ iuſtos & peccatores amplectitur, Pontifex ſit caput, tum
quòd electorum aut iuſtorum Eccleſia, illius Eccleſiæ uniuerſalis, cui Pontifex præſidet,
pars eſſe cenſetur, ac perinde, idem quoque caput habebit; tum, quòd etiamſi hæ Ec-
cleſiæ non haberent rationem partium, ſed quæcunque illarum per ſe rationem totius,
nihil repugnat, unum eundemque Imperatorem, diuerſorum exercituum, perfecta-
rumque acierum caput exiſtere. eſt Rex Hiſpaniæ, rex Caſtellæ, Aragoniæ, Valentino-
rum, Nauarrorum, Neapolitanorum, Mediolanenſium, Flandriæ, atque aliarum pro-
uinciarum, inſolidum: nullum enim horum regnorum alterius eſt portio; nec enim iiſ-
dem legibus aut moribus uiuunt, ſed multùm diuerſis.

Sed nunquid peccator Pontifex, aut peccatores Eccleſiaſtici magiſtratus, aut re- Obiect. 3.
probus Pontifex, aut reprobi Epiſcopi &c. harum duarum Eccleſiarum capita erunt?
quæ conuentio lucis ad tenebras eſt? Reſpondeo, cùm Pontificem Romanum, etiam Dilutio.
in illa uniuerſali Eccleſia, quæ peccatores complectitur, non perſonæ, ſed dignitatis ra-
tione, caput fateamur; haud mirum, ſi eundem caput Eccleſiæ iuſtorum aut electorum
dicamus. dignitas autem, nec in reprobo Pontifice reproba eſt, nec in peccatore delin-
quit. ad hanc per ſe, & ex Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ratione, fideles, iuſti & electi re-
ſpiciunt: ad ſubiectum eius, hunc atque illum hominem, per accidens tantùm. Eſt
Chriſtus uerum & eſſentiale Eccleſiæ caput, & quod uerè corporis Eccleſiaſtici perfe-
ctionem implet, Romanus Pontifex myſteriale tantummodò, non eo quòd Socrates eſt
aut Plato, ſed eo quòd uice Chriſti & eius poteſtate defungitur. Nihil ergo aut Roma-
ni Pontificis reprobatio, aut peccatum iuſtis & electis hominibus obeſſe poterit, quo-

minus poſt Chriſtum uerum caput, peccatorem Pontificem aut reprobum, inquantum ſunt etiam eius Eccleſiæ uniuerſalis, quæ ex iuſtis & peccatoribus coaleſcit, membra uerißima, caput miniſteriale poßint habere. ſed hæc ſunt apertißima. Itaque, non uideo, cur quidam hanc multiplicis Eccleſiæ partitionem, quæ omnibus Eccleſiaſticis patribus, eo ſæculo, quo Donati hæreſis in Eccleſiam ſæuiebat, in hæreticis argumentis diluendis fuit in uſu, hoc noſtro ſæculo iudicent ineptam, niſi ſanctos illos eccleſiaſticos auctores infirmè ac debiliter illius hæretici argumenta ac ratiunculas comminuiſſe perinde quoque quis fateatur. immo niſi Auguſtinum. Optatum Meleuitanum, & reliquos eius ſæculi doctos uiros fruſtrà laboraſſe quis aſſerat.

Solut. 2. SVNT tamen & alij, qui ea Eccleſiaſtica elogia, neque de Eccleſia electorum, neque de Eccleſia iuſtorum, ſed tantùm de Eccleſia perfectorum accipi uelint, ita ut neque iuſtorum quorũque Eccleſia, ſit columba illa, amica, dilecta, carißima, ſponſa ſine ruga & macula, hortus concluſus, fons ſignatus, &c. ſed tantùm ea, quæ ex uiris perfectæ uirtutis, & ex his animabus ſanctis, quæ per uitæ contemplationem, populi ſui & domus patris ſui, prorſus oblitæ, cœleſtis ſponſi quotidiano conuictu, fruuntur amplexibus. Noſcendum (inquit Hieronymus) dupliciter poſſe Eccleſiam dici, & eam, quæ non habet maculam aut rugam, & uerè corpus Chriſti eſt, & eam, quæ in Chriſti nomine, abſque plenis perfectisque uirtutibus congregatur. Hactenus Hieronymus. Methodius etiam Tyri Epiſcopus, & Chriſti martyr, ante mille & trecentos annos, in ſympoſio decem uirginum, interperans illam Hæue è latere Adæ fabricationem, totumque illum locum Pauli ad Epheſios, Vt eam exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam &c. Latus, inquit, uerbi Dei, dici poteſt, ſeptiformis ſpiritus ueritatis, ex quo concipiens Deus, poſt ecſtaſim Chriſti, id eſt, poſt incarnationem & mortem eius, eidem facit adiutorium, deſpondens ei animas. ſæpe enim uocat ſcriptura Eccleſiam, credentium perfectionem, qui ſecundum perfectum in unam perſonam, & in unum corpus Eccleſiæ euadunt. qui enim præſtantiores ſunt, & liquidius ueritatem hauſerunt, hi propter perfectam purgationem & fidem, exutis abſurdis operibus carnis, Eccleſia fiunt, & adiutrix Chriſti uirgo, tanquàm aptati ſecundum Apoſtolum, ac deſponſati, ut puram doctrinam & fœcundum ſemen excipientes, cooperentur deinceps, adiuuantes prædicationem ad reliquorum ſalutem. Imperfecti autem, & qui diſcere incipiunt, parturiuntur & formantur tanquàm à matribus, donec editi in lucem, regenerentur in magnitudinem & pulchritudinem uirtutis; ut iidem rurſus ſecundum profectum Eccleſiæ, ad iterum parturiendum & nutriendum filios miniſtrent, poſtquàm uoluntati uerbi Dei, in receptaculo animæ ſuæ quaſi in utero, maturitatem attulerint. ſic Paulus cùm nondum perfectus eſt in Chriſto regeneratur, & lacte utitur euangelizante, & renouante eum Anania per baptiſmum. poſtquàm autem factus eſt uir grandis, ædificatus eſt in perfectionem ſpiritualem, reformatus factus eſt adiutor uerbi, & femina uitæ excepit, Qui per Euangelium, inquit, ego uos genui: hactenus Methodius. Qui non modò hunc Apoſtoli locum de perfectorum Eccleſia, & iis tantùm, qui omnes carnis imperfectiones per Euangelicæ uitæ perfectionem excluſerint, accipi docet; ſed eam quoque loquendi rationem in ſcriptura frequentem eſſe, clarè teſtatur. Sæpe, inquit, uocat ſcriptura Eccleſiam credentium perfectorum. Eſt etiam idem loquendi modus apud ueteres frequens, in quo rugas & maculas, carnis imperfectiones, non item peccata mortalia ſiue ſcelera intelligant; quæ uerius uulnera lethalia, quàm rugæ aut maculæ ſunt appellandæ.

Pſal. 44.
Hieron. in epiſtolam ad Galat. c. 1.
Method. apud Frã. Torren. libro 1. de characler. uerb. Dei
Ephe. 5.

HI ERGO facilius quàm præcedentes, quæcunque ab Hæreticis opponuntur, eludunt, dum ea omnia elogia, quæ pulchritudinem, ſpeciem, leporem, uirginitatem, etc. ſonare uidentur, ad eam Eccleſiam, quæ eſt perfectorum, referenda reſpondent: cætera uerò, quæ fidei firmitatem, & ueritatis agnitæ ſequelam inſinuant, ad uniuerſalem Eccleſiam, in qua electi & reprobi, iuſti & peccatores, perfecti & imperfecti clauduntur, reducunt.

Solut. 3. EST & tertia ſententia, quæ hanc Eccleſiæ multiplicitatem non ferens, duplicem tantùm agnoſcit Eccleſiam, unam, quæ in præſentis infœlicitatis ſtadio, pro corona decertat, alteram, quæ pro benefactis, & legitima militia iam gaudeat in patria: & illam militantem ab officio, hanc triumphantem, à uictoria uocant. & in hac, quemadmodum ſoli beati: ita & illa non modò electi, ſed reprobi, non modò iuſti, ſed pecca-

tores,

tores, non modò perfecti, ſed imperfecti, ſola Chriſtianæ religionis & fidei confeſſione
copulari, coguntur. Hæc igitur eſt his, ſponſa glorioſa ſine macula & ruga, illa dum
cœleſtis fœliciratis medicamine, & gloriæ purpuriſſo non comitur, his ac ſimilibus
elogiis, quæ eximiam quandam pulchritudinem denorant, indigna cenſetur. Vnde Au- De nupt. & concupiſ. lib. 1. c. 34.
guſtinus, Non ſolùm omnia peccata, ſed omnia prorſus hominum mala, Chriſtiani la-
uacri ſanctitate tolluntur, quo mundat Eccleſiam ſuam Deus Chriſtus, ut exhibear eam
ſibi, non in hoc ſæculo ſed in futuro; non habentem maculam aut rugam, aut aliquid
einſmodi. Nam qui modò talem eſſe dicunt, & tamen in illa ſunt, quoniam & ipſi fa-
tentur ſe habere peccata, ſi uerum dicant, profectò, quoniam mundi non ſunt à peccatis,
habet in eis Eccleſia maculam. ſi autem falſum dicunt, quia corde duplici loquuntur,
habet in eis Eccleſia rugam: ſi autem ſe dicunt habere iſta, non ipſam, ergo ſe non eſſe
membra eius, nec ſe ad corpus pertinere fateantur, ut etiam ſua confeſsione damnen-
tur. Hactenus Auguſtinus. Cuius ſunt & illa, Quod libro ſecundo de ſermone domini Auguſt. 5. retra. c. 19
in monte dixi, de Eccleſia, quam ſibi Deus elegit glorioſam Eccleſiam, non habentem
maculam neque rugam, non ideò dixi, quia nunc ex omni parte iam talis eſt, quanuis
ad hoc electa non dubitetur, ut ralis ſit, quando Chriſtus apparuerit uita eius. tũc enim
& ipſa apparebit cum illo in gloria, propter quam gloriam, dicta eſt glorioſa Eccleſia.
Idemq; alibi in illa uerba, Dimitte nobis debita noſtra, hanc orationẽ dicit, Eccleſia uni- in epiſtola ad Darda.
uerſa, inquit, quã mundat Saluaror lauacro aquæ in uerbo, ut eã ſibi exhibeat glorioſam,
non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; tunc utique perficietur in
re, ubi nunc proficiendo ambulatur in ſpe. Nam quomodo eſt nunc non habens macu-
lam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, quæ uel in omnibus ad eam pertinentibus ho-
minibus, qui iam ratione mentis utũtur, & uoluntatis arbitrio, mortaliſque carnis ſar
cinam portant, uel certè quod ipſos etiam contentioſos neceſſe eſt fateri, in multis ſuis
mẽbris, ueraciter, Dimitte nobis debita noſtra: Abſit (inquit idem alio loco) ut quiſ-
quam noſtrûm ita ſe iuſtum dicat, ut aut ſuam iuſtitiam uelit conſtituere, id eſt, quaſi Auguſt. in epiſtola ad Boniface.
à ſe ipſo datam ſibi, cùm dicatur ei, Quod habes, quod nõ accepiſti? aut ſine peccato
ſe eſſe, iactare audeat in hac uita, ſicut ipſi in noſtra collatione dixerũt, (loquitur autem
de Donatiſtis) in ea ſe eſſe Eccleſia, quæ iam nõ habeat maculam aut rugam, aut aliquid
huiuſmodi, neſcientes hoc modo in eis compleri, qui uel poſt baptiſmum continuò, uel
dimiſsis debitis, quæ in Oratione dimittenda poſcuntur, de hoc exeunt corpore. In to-
ta uerò Eccleſia tunc futurum, ut ſit omnino non habens maculam aut rugam, aut ali-
quid huiuſmodi, quando dicendum erit, Vbi eſt mors uictoria tua? ubi eſt mors aculeus
tuus? aculeus enim mortis peccatum eſt. In hac autem uita, ubi corpus, quod cor-
rumpitur, aggrauat animam, ſi Eccleſia eorum iam talis eſt, non ergo dicant Deo, quòd
Dominus nos orare docuit, Dimitte nobis debita noſtra. cùm enim in baptiſmo cuncta
dimiſſa ſunt, ut quid hoc poſcit Eccleſia, ſi iam etiam in hac uita non habet maculam
aut rugam aut aliquid huiuſmodi? Idem etiam alibi. Cùm tota, inquit, Eccleſia dicat, 1. lib. retra. 1. cap. 7.
Quando hic eſt, dimitte nobis debita noſtra, non utique hîc eſt ſine macula & ruga,
aut aliquo huiuſmodi: ex eo tamen, quod hîc accipit, ad illam gloriam, quæ hîc non
eſt, perfectionemque perducitur. hactenus Auguſtinus. eſtque in hac ſententia multus
quoties Donatiſtarum arrogantiam proſternere oportet. eſt etiam familiaris hæc lo-
quendi forma multis aliis ueteribus, quorum dicta ne lectorem grauemus, omit-
tere oportet.

Ergo tertia hæc ſententia faciliùs adhuc, quàm illæ præcedentes, utpote quæ ſim-
plicior & planior ſit, hæreticorum, peccatores ab Eccleſia protrudentium, argumenta
comminuit. nam cùm nulla ratio ſuadeat, Deum de illa cœleſti ac triumphanti Eccleſia,
in latiſsimo ſanctæ ſcripturæ campo ſermonem non facere, ſed tantùm de Eccleſia,
quæ nondum per perfectam fœlicitatis unionem eidem cohæret, militanti (inquam)
ea omnia epitheta & elogia, quæ communem fragilitatem uidentur excellere, in trium
phantem, ea uerò, quæ ueritatis apprehenſionem, quæ ex diuinæ prouidentiæ pacto
ac ratione ſemper debet eſſe in Eccleſia militante, religioniſque ſequelam inſinuant, ad
militantem reducunt. Docent igitur in illa fœliciſsima Eccleſia, quæ tota ſit pulchra,
tota ſpecioſa, tota ſuauis, & decora, quæ ſit ſine ruga, & ſine macula, peccatores non
eſſe; quoniam nec in illa omnes electi omneſque iuſti, uſque poſt uitæ huius mortalis

 egreſsum,

egreſsũ, ullo pacto conſiſtant. cæterùm in illa, quæ non dum rugas compſit, nondum maculas terſit, non dum gloriæ ueſtimentis induta, ſponſi amplexibus iucundiſsimè fruitur, ſub una fidei religioniſque ueræ confeſsione, reprobos & electos, iuſtos & peccatores, generaliter cogi.

Solutio 4. SUNT & qui, nec militantem Eccleſiam à triumphanti diſiungi ullo pacto patiantur, ſed ex ea, quæ in cœlis regnat, & ea, quæ adhuc mundi preſſuris ac laboribus teritur, unam Eccleſiam ab initio mundi uſque ad finem, conſtituant. Quò Apoſtolum Paulum alludere credunt, cùm utriuſque legis diſcrimen inſinuans, ſic inquit, Non acceſsiſtis ad tractabilem montem & acceſsibilem ignem & turbinem, caliginem, & procellam & tubæ ſonũ, &c. quibus uerbis quo pacto data eſſet lex, & per quem, & qualis illa cõgregatio ſiue Eccleſia, cui data eſſet, inſinuat, poſt quæ, ſubiungit, Sed acceſsiſtis ad mõtem Syon & ciuitatem Dei uiuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem IESUM, & ſanguinis aſperſionem &c. Loquebatur (aiunt) Apoſtolus Paulus, non ad Hebræos, quos cœleſtis fœlicitatis corona honeſtarat, ſed ad eos, qui adhuc in ſtadio decertabant. alioqui nõ dixiſſet, Acceſsiſtis. Docet autem acceſsiſſe ad multa millia Angelorum & Beatorum ſpirituũ, Inſinuat ergo Beatus Apoſtolus, & ex uiuentibus hominibus, & ex angelicis ſpiritibus, hiſque hominibus, qui iam ſunt in cœlis ſicut angeli Dei, unam, & eandem Eccleſiã & ciuitatem conſtitui. Vnde Theophanus Epiſcopus Nicenus, Acceſsiſtis, inquit, ad montem Syon & ciuitatem Dei uiuentis, hæc ciuitas, non eſt ut illa in Palæſtina, non, inquam, locus eſt ex muro & lapidibus & calce ædificatus, plenus hominibus ſed potius cœtus naturæ rationalis piæ, tum incorporeæ, tum corporeæ, quæ Chriſtum Deum habet artificem, auctorem, regem, Pontificem, iudicem, gubernatorem, nutricium. Verùm hic cœtus beatus, qui Eccleſia Chriſti dicitur, non eſt totus in cœlis, immo parua eius pars in terra breui tempore, aliis alio tempore ſuccedentibus, uerſatur, propterea quòd capere generationem ſecundum ſpiritum & ſecundum ætatem eius proficere & perfici, hoc quidem tantiſper liceat, dum in carne ſumus; ingredi intra uelum ad regalem thalamum, ideſt, in cœlum, non niſi perfectis. hoc enim domicilium & habitaculum mundanum, quod eſt apud nos, beatæ huius ciuitatis & Eccleſiæ, tanquàm domus quædam eſt ædificata, & conſtructa ut in ea uiuant & alantur generati ſecundum Chriſtum, & gymnaſium quoddã puerorum ætatis Chriſti, ubi docetur & traditur omnis ſpiritualis ſapientia: cœleſtis autem domus perfectorum ſpirituum regiſque aſpectu, ſplendore & lætitia fruentium thalamus eſt, ut olim imperatoribus locus erat quidam ad generandos filios ſeparatus, quem Πορφύραν appellabant, & in eo loco natos Πορφυρογεννήτους. erantque rurſus aliæ ſedes ad nutriendum infantes, ubi paularim ætate proficerent, & omnem diſciplinam regalem & imperatoriam ſub magiſtris & pædagogis caperent. Poſtquàm uerò ad perfectionem ætatis & diſciplinæ perueniſſent, in ipſum regalem ſiue imperatorium thalamum admittebantur, cum rege & patre regni uerſaturi, boniſque paternis uſuri. Adhunc modum cœleſtis regis filijs mundus hic noſter, uelut quædam domus ab ipſo rege, ad ortum & educationem omnemque ſpritualem diſciplinam & inſtitutionem, præparatus eſt, ex quo ſic nati & alti atque educati & eruditi, propriè appellari poterunt purpurati, non quidem quaſi ſolam purpuram regalem & paternam induti, ſed potius regem ipſum totum cum ueſtitu eiuſdem rubro ex ſanguine. Quicunque, inquit, in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, cuius pulchritudinem olim Angeli admirati, Cur, inquiunt, rubra ueſtimenta tua? quando igitur, qui hîc geniti ſunt, bene iam educati, & inſtituti filij regis cœleſtis occurrerint, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ingredientur deinde intra uelum cœleſte, quò præcurſor Chriſtus ingreſſus eſt, ut regno eius fruantur. Quia igitur qui in Chriſtum crediderunt, non in cœlis tantùm ſunt, ſed pars quædam eorum in terra uerſatur, idcircò non ſunt diuiſi, loci interuallo, ſed potius totus cœtus una Eccleſia eſt, & una ciuitas, ratione perfecti differens. Et poſt pauca; Hæc igitur una eademque admirabilis ciuitas, & Eccleſia, Syon & Hieruſalem in uetere & noua ſcriptura appellatur, propterea quòd illa in terris Hieruſalem & templum, quod in ea erat, quæque in eo fiebant, typi & umbræ erant beatæ huius & æternæ ciuitatis, & eorum, quæ

Margin notes: Heb. 12. (beside "lum alludere credunt…"); Mat. 13. (beside "Dei, unam…"); Apud Frãciſcum Turrian. lib. 1. de dogmat. character. lib aduer. Iudæos. (beside "Nicenus…" to "tur, non eſt totus…")

quæ in ea ſunt. Hactenus Theophanes. Auguſtinus etiam, Probant, inquit, catholici parres, non eſſe aliam Eccleſiam à regno Dei, ſed unam & eandem, quæ nunc aliter eſt, & alirer poſtea futura. Hæc Aug. Synodus demum Nicena μία, inquit, ἡ ἐκκλησία ἐστὶν ἐν οὐρανοῖς αὐτή τε ἐπὶ γῆς, καὶ ἐν αὐτῇ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπαναπαύεται, ideſt, Vna eſt Eccleſia in cœlis & in terra, & in hac requieſcit Spiritus ſanctus. deindeque ſubiungit, Hæreſes autem, quæ extra hanc ſunt, quas habent homines, non ſunt doctrinæ Saluatoris noſtri, neque Apoſtolorum, ſed Satanæ & patris eius diaboli. hactenus concilium.

Hi ergò haud magnopere fatigantur, in Donatiſtarum uererum & recentiorum eludendis rationibus, quæ ex his locis ſcripturæ, qui pulchritudinem, decorem, &c. Eccleſiæ tribuunt, qnique ab eadem omnem maculam & rugam excludunt, peccatores ab Eccleſia conantur extorquere. aiunt enim, uniuerſa illa κατὰ τὴν συνεκδοχὴν, eſſe inrelligenda. ita ut pulchra, aut ſine macula & ruga uocetur, non ratione totius, ſed partis, partis (inquam) eius, quæ iam cœleſti pulchritudine prædita, peccatorum deformitatem non timet.

His affines ſunt & illi, qui cùm unam ex militante & triumphante Eccleſiam non conſtituant, militantem tamen Eccleſiam, unam tantùm, in qua iuſti & peccatores, electi & reprobi contineantur, exiſtimant: de qua etiam tota, per ſynecdochen, ea ſanctæ ſcripturæ elogia, quæ pulchritudinem, mundiciam, aut iuſtitiam inſinuant, à principaliori potiorique parte, prædicentur. Quæ ſententia non modò noſtris hac memoria (an ueteri neſcio) in uſu eſſe cœpit, ſed & quibuſdam ex aduerſariis, quibus uel cum Luthero in hac parte uel cum Anabaptiſtis non conuenit. Eſt igitur his ſoror, amica, columba, ſine ruga & macula, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus, &c. non pars illa electorum, aut iuſtorum, aut triumphans, ſed tota, quæ modò in terris detinetur, iuſtis & iniuſtis, reprobis & electis conſtans uniuerſalis Eccleſia, non utique ſui totius, in qua multæ ſunt ſordes, maculæ, rugæ peccatorum, &c. ſed partis, ideſt, iuſtorum ratione, quorum pulchritudo tanta eſt apud Deum, ut cùm ſint malorum reſpectu pauciſſimi, totum corpus denominēt; ſic enim ob faciei pulchritudinem, aut ob oculorum uenuſtatem, pulchros aut uenuſtos appellare ſolemus. ſic ciuitas, ſic regnum, ſic uniuerſitas, ſic religio, non ab omnibus quotquot habet ciues, urbes, ſcolaſticos, religioſos, nobiles, diuites, fortis, diues, docta & ſancta, communi ratione loquendi, quam ſcriptura ſemper obſeruat, uocari aſſueuit. Quis enim (ut rei, de qua agimus, proprio exemplo utamur) ut populum, gentem aut hominum congregationem pulchram, doctam aut diuitem appellet, expectare debeat, ut nullus ſit in ea deformis, nullus indoctus, nullus egenus? aut quis eam urbem, non pulcherrimam laudet, in qua cum cætera ſint abſolutiſsima, quindecim aut centum ædificia ſint lutea? aut quis unquam ut mulierē ſpecioſam appellet, expectare debet, ut nulla corpus eius deformitate notetur? Eſt igitur Dei populus, gens acquiſiotionis, congregatio fidelium, ideſt, ſancta Eccleſia, non propterea non pulchra dicenda, quòd in eo populo, in ea gente, in ea congregatione, id eſt, in ea Eccleſia, quidam peccatorum deformitate turpeſcant, quemadmodum (uel ipſis aduerſariis conſentientibus) idem populus, eadem gens, eadem congregatio, eadem Eccleſia, ſapientiſsima dicitur, non quòd omnes, quotquot continet, ſint ſapientiſsimi, (multi enim, immo multò maxima pars ſunt ignorantiſsimi) ſed quòd quædam eius portio, quæ huic operi incumbit, ſit ſapientiſsima. Eſt igitur hæc urbs beata Hieruſalem, non propterea non pulchra dicenda, quòd quædam terreſtria & lutea ædificia intra ſua mœnia habeat, quæ diabolicæ tentationis impulſum ſuſtinere non queant. Eſt igitur Chriſti ſponſa Eccleſia, non propterea non pulchra & ſpecioſa dicenda, quòd quaſdam habeat deformitates, & næuos. nam præter externum pulchritudinis lepôrem (quo etiam dum multùm ſordet, & uileſcit, omnes hominum congregationes & ſocietates, etiam eas, quæ quòd legibus Dei uixerint, Dei filiæ dicuntur, & diuitias ſibi bonorum operum congregarunt, multùm ſupergreditur) adhuc admirandam quandam & mundo incognitam pulchritudinis ſpeciem, quæ mirè allicit ſponſum, intrinſecus habet; hoc eſt enim, quod contra aliarum ſponſarum morem, quæ dum præſtigioſis fucis exterius formoſæ apparent, intus tamen plerunque ſunt turpes, in hac ſancta ſponſa, ab ſponſo commendatur, Abſque eo, inquit, quòd extrinſecus latet. Eſt hic abſconditus lepor, non aliud, quàm iuſtorum hominum, qui in Eccleſiæ uiſceribus,

Quinta diuiſio.

Echius contra Buc. & Froſchan. annot. 6 artic. 6. lib. oblati Carolo imp. Antonius Cordubēs. in libello, qui prænotatur Forma fidei. Philipp. Melanc. in reſpon. ad inquiſ. Bauar. &c.

Prouer. 31.

Cant. 4.

mundo incogniti deliteſcunt, apud ſponſum ipſum certiſsimus numerus; quorum ratione adeò illi tota ſponſa pulchreſcit, ut cùm multas habeat deformitates, totam pulchram, totam ſpecioſam, totam ſine macula & ruga, frequentiſsimè uocet.

Epheſ. 5. Atqve in hac ſententia, nihil eſt, quod diſpliceat, niſi quòd Apoſtolicus locus ad Epheſios, ab ea pulchritudine, quam Eccleſiæ tribuit, omnem ſynecdochen uideatur excludere. Quanquàm enim rectè per ſynecdochen pulchra mulier dicatur, quæ cùm habeat aliquas deformitates, cætera ſit ſpecioſa: non tamen ea ſine macula & ruga, quæ rugas aliquas aut maculas habeat, iure uocabitur. Deinde tam uniuerſale omnium mẽbrorum, capitis, oculorum, naſi, dentium, labiorum, genarum, colli, uberum, pedũ, iuncturarum, feminum, umbilici capillorum, & uocis encomium, nullam ſynecdochen uidetur admittere, præſertim cùm ſiquid omiſſum eſſet, illa laudis generalitas, ſufficienter excluderet, qua illi poſt has particularium membrorum laudes, ſponſus ap-

Cant. 4. plaudit, Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Dilutio 6. Ego uerò (ut iam, quod mihi uidetur, in medium proferam) duplicem horum locorum ſcripturæ, qui pulchritudinem, id eſt, iuſtitiam ſpiritualem Eccleſiæ tribuunt, aciem componendam exiſtimo: unam quidem eorum, quæ abſolutam pulchritudinem & ſpeciem dicunt, qualis locus Apoſtoli Pauli ad Epheſios, & hic, quem modò ex Canticis protulimus, quo tota pulchra eſſe & ſine macula dicitur; alteram eorum; quibus nõ totius Eccleſiaſtici corporis pulchritudo, ſed partium exprimitur, quales illi, quibus caput, os, labia, collum, manus, &c. laudantur. Et primum illum ordinem locorum aut ad iuſtorum, aut perfectorum, aut ad Eccleſiam hac mortali uita defunctam, in paciſque pulchritudine cum ſponſo lætantem, quæ iam omnẽ ſuorum membrorum fœcunditatem proiecit, pertinere coniicio: ſecundum ad eam uniuerſalem Eccleſiam, quæ omnes Chriſtianos ſiue iuſtos, ſiue peccatores, ſiue electos, ſiue reprobos, una fidei profeſsione coniunctos, complectitur, refero. Atque in hac ſecunda, mulieris per ſy-

Iuſtus Orgelitanus in cantic. necdochen pulchræ, typo, nunc capilli, id eſt, primi illi, qui ex circunciſione credentes, Eccleſiaſtico capiti ornamento fuerunt, nunc dentes, id eſt, Euangelici prædicatores, qui ea, quæ ſuſceperunt, ſalubriter comminuentes, in corpus Chriſti traiiciunt; nunc genæ rubicundæ, id eſt, ſancti martyres, qui imitantes Chriſti paſsionem, roſeo ſanguinis ſui decore ſunt perfuſi; nunc oculi, id eſt, ſanctorum uirorum ueneranda ſimplicitas, qua ſe nec extollere nouerunt, & conſcientiæ puritate, magis Deo quàm hominibus placent; nunc collum, id eſt, ſanctorum doctorum & confeſſorum, qui capiti Chriſto, & Apoſtolico capillorum ornamento, immediatè cohærentes, cum Chriſto ipſo reliquum eccleſiaſticum corpus committunt; nunc greſſus, ſiue pedes ſpecioſi euangelizantium pacem, euangelizantium bona; nunc iuncturæ feminum, id eſt, duorum populorum ex circunciſione & præputio uenientium, legibus, moribus & genere prius diſsitorum, ſub uno Deo, una fide, uno baptiſmo, admiranda ſocietas; nũc uox, id eſt, cœleſtis prædicationis alloquiũ, cuius tantæ ſunt illecebræ, ut efferas & indomitas

Cantic. 4. gentes, eo ſolo pellexerit, in ſcriptura laudatur. Quin nonnunquam non ambo oculi, ſed unus tantùm commendatur: immo uerò nonnunquam ſponſus unius ſolius crinis lenocinio irretitur. Laudatur igitur Eccleſia noſtra, non omnium, qui in ea continentur, ſed paucorum ratione: commendatur eius pulchritudo, at non omnium membrorum ſed paucorum ratione.

Dilutio 7. Immo uerò etiamſi uniuerſalis illa laus, quæ per ſcripturæ locos, quos in priorem ordinem reiecimus, exprimitur, ad noſtram hanc militantem Eccleſiam ex iuſtis & peccatoribus coactam adducere libeat, nihil erit incommodi. Enimuerò Eccleſiaſtica mẽbra, non uno pacto ſed multiplici dici, uelint nolint aduerſarij, confiteri tenentur. Di-

Multipliciter mẽbra eccleſiæ dicuntur. cuntur Eccleſiaſtica membra, aut per reſpectum ad Chriſtum, & hoc modò ſoli iuſti, iuxta eam meritorum & dignitatis diſtinctionem, quam humani corporis membra conſeruant, membra eius Eccleſiæ; cuius Chriſtus actu, caput eſt, analogica ratione

Bernardus. in ſcriptura dicuntur: ſic ſancta uirgo Dei mater, Chriſto capiti proxima, collum: ſic Apoſtolicus cuneus, quo totius Orbis triumphum duxit, pectus dicitur, ſic martyres, uirgines, confeſſores, uiduæ, & cæteri Eccleſiaſtici ſtatus, in hoc Eccleſiaſtico corpore ſuos locos accipiunt. quo pacto non modò per ſynecdochen, ſed abſoluta ratione, Eccleſia pulchra, & ſpecioſa uocatur. Dicuntur rurſus Eccleſiaſtica membra temporis præ-

ſentis reſpectu, quo pacto eſt Eccleſiæ caput Pontifex Pius, ſui temporis, quo Eccleſiæ præſidet, tantùm reſpectu. ſunt Epiſcopi ac ſacerdotes, qui modò uigilant, huius Eccleſiæ, quæ nunc eſt tantùm, oculi aut os, quo Euangelici uerbi rore populi reſperguntur. ſunt Reges & Imperatores lacertoſa brachia, quibus hoſtium uiolentiam à filiorum ſuorum iniuria repellit. ſunt & alia quædam ignobiliora membra, quibus forſan hodie (ſi quando aliâs) abundantiorem honorem circundamus. Eſt denique huius Eccleſiæ, quæ nunc uiuit, qualiſcunque illa ſit, certa quædam membrorum integritas, at non ſunt hæc illa, quæ abſoluta ratione, corporis Eccleſiaſtici membra dicuntur, quibus, inquam, ſancta illa Chriſti ſponſa, quæ ab Orbis exordio uſque ad finem in terris exulat, & pòſt cum Chriſto in perfecto decore eſt contegnatura, in ſanctis ſcripturis conflari deſcribitur: ſed ſunt diuerſa ſæculorum & temporum momenta, quibus à ſeipſa, & uirtute & nobilitate tantum diſtat Eccleſia, quantum membrum à membro. Sic olim totus mundi ſtatus, Danieli ſtatua illa, cuius caput aureum, pectus argenteum, uenter & fœmora ænea, tibiæ ferreæ, pedes fictiles erant, diuinitus pandiтur. Eccleſiæ igitur, id eſt, Eccleſiaſtici regni membrorum diuerſitas, non eſt aliud, quàm eiuſdem Eccleſiæ per uarios temporum excurſus uariatio, ut eius, quæ à Chriſto incipit, Eccleſiæ ſit caput Apoſtolicum ſæculum, quo uniuerſum Orbem euangelium inundauit; collum proximum tempus; pectus, in quo hominis fortitudo & robur ſita ſunt, aut tempus perſecurionis, quo animoſi Chriſti milites de mundo triumpharunt, aut imperium Chriſtianum, quod idola contriuit. in eo enim loco imperio primo omnium, à tyrannorum perſecutione reſpirans Eccleſia, cœpit adoleſcere, & ſanctorum confeſſorum ocio; duo eius ubera unum rectæ uitæ, alterum excellentis doctrinæ, cœperunt intumeſcere; tantumque lactis, uberibus cœlo plenis, in paruulos filios cœpit effundere, ut nos, qui modò uiuimus, qui reſidui ſumus, de plenitudine eorum, ab uberibus conſolationis faciemur. Talia ſunt profectò Eccleſiaſtica membra, quæ ore ſponſi in ſcriptura laudantur: hæc uerò membra, pulchra eſſe dicuntur, quòd in quouis eorum, iuſtitiæ pulchritudo emicuerit. quouis enim tempore fuerunt in Eccleſia & erunt iuſti, qui membrum illud Eccleſiaſtici corporis, uenuſtate ſuffundant, ita ut optimo iure dici poſſit, tota pulchra, tota, inquam, totalitate temporum, & ſponſa & glorioſa, ſine macula & ruga. — Dan. 2.

Est illa mihi non inepta ſententia, quæ omnes eos ſcripturæ locos, non de abſoluta pulchritudine aut iuſtitia, ſed de reſpectiua, collata nimirum ad cæteras quaſcunque Orbis nationes, aut congregationes, ſiue Eccleſias, intelligit. ita ut tota Eccleſia ſiue partes eius pulchræ dicantur, non quòd labe careant omnino, ſed quo pacto inter turpes & deformes, pulchram ſolemus appellare mulierem, non quæ abſoluta pulchritudine conſtat, ſed eam, quæ cæteris omnibus collata, ſit pulchrior. Fuerunt ab Orbis initio cæteræ quæcunque Eccleſiæ, aut hominum congregationes, ſiue hæreſes, cùm aliis grauiſsimis peccaris, tum idololatria turpiſsimæ: adeò ut dominus, illarum appellari Deus, dedignatus ſit. contrà, Eccleſia noſtra cùm illarum uirtutum, tum ueræ religionis cultura, fuit ſemper ſpecioſa. & licèt non cunctarum partium, ſui tamen totius ratione, Deo ipſi fuit ſemper amabilis. Atque huc forſan pertinet quod eam lilium inter ſpinas ſponſus appellat: in quem locum iuſtus Orgelitanus, Expulſo, inquit, homine de paradiſo, dicitur, Maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos germinabit tibi. quæ terra utique caro humana intelligitur, quæ aculeos libidinum, & concupiſcentiarum ſuarum producere conſueuit. Quapropter, quod ait, Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic amica mea inter filias, filias hæreſes dicies, quæ per baptiſmum quaſi tenatæ, filiarum nomine nuncupantur, ſed ſpinis comparatæ, corrumpentes & corruptibiles perdocentur: quam corruptionem Eccleſia neſcit, quæ liliorum ſinceritati comparata, ultro citroque, redolet & reſplendet. Hactenus ille. — Dilutio 8. — Idem Greg. etiam lib. 1. mo. cap. 1.

Dimus non minus cum legitimo ſcripturæ, ſenſu, illi mihi congruere uidentur, qui uniuerſalem pulchritudinem, ſpeciem, incorruptionem, & cætera, quæ tranſlatitio ſermone, Eccleſiæ donat ſcripturæ, non de iuſtitiæ, aut morum pulchritudine abſoluta aut reſpectiua, ut præcedentes illorum locorum interpretationes faciunt, ſed de pulchritudine dogmatum & doctrinæ, de pulchritudine ſacramentorum ordinum, graduum, donorum & officiorum ſpiritualium, quibus gubernatur Eccleſia, quibusque omnibus abſoluta, — Dilutio 9.

Sap. 9. In expoſit. Symboli. abſoluta, iuxta diuinæ ſapientiæ uias, quæ ſibi eam quaſi domum ædificauit, pulchritudine conſtat. Vnde Rufinus Aquileenſis, Credere etiam hoc debent, unam eſſe Eccleſiam ſanctam, in qua eſt una fides, unum baptiſma, in qua unus Deus creditur Pater, & unus Dominus IESVS Chriſtus filius eius, & unus Spiritus ſanctus. Iſta igitur eſt ſancta Eccleſia, non habens maculam aut rugam. Multi alij Eccleſias congregarunt, ut Marcion, Valentinus, & Hebion, Manichæus, & cæteri omnes hæretici: ſed illæ Eccleſiæ non ſunt ſine macula & ruga perfidiæ. & ideò dicebat de illis Propheta, Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebam. De hac autem Eccleſia, quæ fidem Chriſti integram ſeruat, audi quid dicat in Canticis Spiritus ſanctus, Vna eſt columba mea, una eſt perfecta genitrici ſuæ. Hactenus Rufinus. Optatus etiam Mileuitanus, eiuſdem ſæculi homo, contra Parmenianum ſcribens, cùm eam pulchritudinem Eccleſiæ, quæ ex his locis colligitur, enarrandam aggrederetur, Ergo, inquit, Eccleſia una eſt, cuius ſanctitas de ſacramentis colligitur, non de ſuperbia perſonarum ponderatur. Ergo hanc unam columbam & dilectam ſponſam ſuam Chriſtus appellat. hæc apud omnes hæreticos eſſe non poteſt. Hactenus Optatus. quam ſententiam toto libro ſecundo demonſtrare contendit. Et profectò nihil eſt in communi loquendi ratione frequentius, quàm eam reipublicæ formam laudibus efferre, & pulchram, ſanctam & iuſtam appellare, quæ ſanctas, iuſtas & pulchras leges, pulchrumque magiſtratuum & graduum ordinem habeat. Et alioqui ſi legum particularis uſus habenda eſt ratio, nulla in uniuerſo Orbe potuit reſpublica commendari. in omnibus enim, quas præcedentium ſæculorum hiſtoriæ commendant, fuerunt peſſimi homines, & qui rectis legibus malè uterentur. immo hoc uſuuenire compertum eſt, in optimis quibuſque rebuſpub. peiores quàm apud Barbaros homines plerunque prouenire: nec tamen illæ propterea ſunt uituperio, ſed quaſi iuſtiſsimæ, prudentiſsimæ & pulcherrimæ, ſummæ commendationi & laudi. Cùm uerò nulla fuerit apud omnes mortales, etiam ex his, quæ ſummè commendantur, reſpub. quæ non uel in religionis doctrina, uel in morum formatione, uel in magiſtratuum, tum ſpiritualium, tum temporalium ordine turpiſsimas maculas habuerit: noſtra tamen Eccleſiaſtica reſpub. præter quòd, in his omnibus uel nævulo careat, habet inſuper admirabili quodam, & quaſi diuino ordine ſeptem ſibi inuicem ſuccedentia ſacramenta, quibus ſuorum filiorum ſordes, quas humanæ uirtutis fragilitate contraxerint, efficaciter abluat. Nihil falſum docet hæc ſancta reſpublica, nihil malum admittit, immo ſummo odio peccata abominatur: ſiquid filij admiſerint, continuò ſanctorum ſacramentorum uſu detergit. Cur igitur non modò per ſynecdochen, ſed abſque ulla ſynecdoche, abſolutè tota pulchra, formoſa, ſine macula & ruga, chariſsima ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus, cuius emiſsiones ſint paradiſi, id eſt, optimè redoleant, non uerè dicetur? Cur deinde huius oculi, caput, naſus, labia, genæ, collum, ubera, uenter, iunctura feminum, greſſus, calciamenta, capilli, uox, & demum ſtatura, ab ſponſo commendetur? Itaque Optatus Mileuitanus Auguſtino coætaneus contra Parmenianum Donatiſtam ſcribens, ad hæc loca, quæ hæretici obiiciebant, declaranda progreſſus, Eccleſiæ pulchritudinem, non ab alio, quàm à ſacramentis uenatur. Ergo, inquit, Eccleſia una eſt, cuius ſanctitas de ſacramentis colligitur, non de ſuperbia perſonarum ponderatur. Ergo hanc unam columbam, & dilectam ſponſam ſuam Chriſtus appellat. hæc apud omnes hæreticos eſſe non poteſt. Hactenus ille. Quòd ſi prolixiores forſan æquo in hac aduerſariorum ratione diluenda, uiſi ſumus; lector, id duplici ratione factum ſciat, tum quòd in omnibus controuerſiis, quibus nunc Chriſtiana religio iactatur, hac, qua Eccleſia ſanctarum ſcripturarum iudex inquiritur, nulla ſit excellentior: (hac enim ſemel compoſita, cæteræ quæcunq; hæreſes, quæ Eccleſiaſtico iudicio & doctrinæ aduerſantur, facillimè corruunt. unde non indignam Auguſtinus iudicauit, quam tot libris & tractatibus illuſtraret) tum deinde, quòd adeò huic ultimæ rationi confidant hæretici, ut eam ineluctabilem putent. quàm uerò ſit ineluctabilis, ex nouem dilutionibus (quarum quæcunq; eſt profectò ſufficientiſsima, & quæ ueterum & noſtrorum Donatiſtarum ora, potentiſsimè obruat) uel aduerſarij iudicabunt.

Optatus Afr. lib. 2. con. Parm.

Qua'nam

Quænam Eccleſia ex iuſtis & peccatoribus coacta, ſit legitima ſcripturæ interpres. Cap. XXIIII.

ID HABET hæreticorum ingenium, ut cùm plurimùm eoſdem irretitos & comprehenſos exiſtimes, tunc quaſi anguillæ lubricæ elabantur, & latibula, quibus ſuam impietatem abſcondant, quærentes, aufugiant. Quòd (ſi alicubi) in hac controuerſia, in qua uera Eccleſia, & legitimus ſcripturæ ſenſus inquiritur, maximè eoſdem factitaſſe uidemus. cùm enim Eccleſiæ auctoritate coërcerentur, non auſi Eccleſiam negare, extra quam nnllibi ſalutem eſſe conſtitutam, apud omnes Chriſtianos perſuaſiſsimum nouerant, ad Eccleſiam electorum, id eſt, ad Eccleſiam, quæ nullo pacto deprehendi poſſet, quaſi ad ſacram anchoram confugerunt. deinde cùm catholicorum rationibus ab hac Eccleſia, quòd nihil forſan cum illa commune haberent, protruſi eſſent, in iuſtorum Eccleſiam, quòd ſcilicet ſe omnium mortalium iuſtiſsimos arbitrentur, ſeſe receperunt: quam cùm multis ualidis rationibus ſuaſerimus, non eſſe illam, cui ſit promiſſum magiſterium ſpiritus, ſed eam uniuerſalem, quæ iuſtis & peccatoribus conſtat; actum eſſe uideri poterat de noſtrorum ſæculorũ hæreticis, qui noſtram Eccleſiam quaſi peccatricem, & ſordidam à ſanctarum ſcripturarum interpretatione, controuerſiarumque Chriſtianarum iudicio excluſerant; niſi recentiores quidam poſt ingentes ſtudiorum labores, nouas cogitaſſent præſtigias, quibus ſtationem, qua per catholicos uiros truſi fuerant, repetentes, ſaltem dum illa rurſus expellebantur, apud ſuas miſerandas plebes, liberè inſanire poſſent.

ERGO ſunt quidam, qui cùm libenter nobis donent, Eccleſiam ſcripturarum interpretem, legitimamque controuerſiarum Chriſtianarum iudicem, nec tantum ex electis, nec tantùm ex iuſtis, ſed ex peccatoribus quoque coaleſcere: cùm tamen tot ſint Eccleſiæ, quot Eccleſiaſtica ſæcula, non quancunque Eccleſiam, ſed primam illam, quæ uiris Apoſtolicis conſtitit, eſſe ueram & catholicam Eccleſiam, omnino contendant. *Auctores apologiæ Anglican.* Atqui, aiunt, nos Chriſti & Apoſtolorum atque ſanctorum Patrum primitiuam Eccleſiam, ſemper iudicauimus eſſe catholicam, neque eam dubitamus arcam Noë, ſponſam Chriſti, columnam & firmamentum ueritatis appellare, aut in ea omnem ſalutis noſtræ rationem collocare. Huic quoque ſententiæ Eccleſiaſticarum centuriarum compilatores conſentire uidentur, dum ſolos eius Apoſtolici temporis Eccleſiaſticos auctores, uerum germanumque ſenſum ſcripturarum, apprehendiſſe, multis locis docent; cæteros omnes, qui ea tempora inſequantur, multis næuis reſpergi, multaque habere, quæ indicent, iam eos à puriori illa ſanctarum ſcripturarum, & Chriſtianiſmi tractatione degenerare.

ATQVE hi quidem, cùm nullam aliam rationem, quàm quoſdam huius, quæ nunc eſt Eccleſiæ, abuſus pro ſua conſuetudine proferant: nos tamen in illorum gratiam illud adducamus, quòd eadem Eccleſia, in Niceno ſymbolo, quotidie canit, Et unam *1. ratio pro hæretica ſententia.* ſanctam catholicam & apoſtolicam Eccleſiam. ſi cuiuſcunque temporis Eccleſiæ ſententiæ parendum eſſet, aut ſi quæuis Eccleſia ſanctarum ſcipturarum legitima interpres eſſet, aut ſi quæuis cuiuſque temporis Eccleſia ſpiritus magiſterium haberet, quid opus erat, Eccleſiam illam Apoſtolicam profiteri?

DEINDE, illa teſtimonia, quæ Eccleſiæ, magiſterium ſpiritus promittere uidentur, *2. ratio.* tantùm de Apoſtolica illa Eccleſia, ſunt accipienda: de illa enim, non de quacũque altera dicitur, Ego rogabo patrem, & alium paraclerum mittet uobis, ſpiritum ueritatis, &c. *Ioan. 14.* et rurſus, Spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcũque dixero uobis, &c. et iterum, Multa habeo nobis dicere, quæ non *Ioan. 16.* poteſtis portare modò: cùm autem uenerit ſpiritus ueritatis, ille uos docebit omnem ueritatem. Quæ planè omnia in ſancti Spiritus uiſibili aduentu impleta fuiſſe, nemó eſt, qui dubitet. Illa igitur Apoſtolica Eccleſia, ſola eſt, quæ promiſſum habet ſpiritus magiſterium, non quæcunque aliæ, quæ per uaria tempora eidem ſucceſſerunt. Atque

hæc ſunt, meo quidem iudicio, in uniuerſum, quæ potiſsimè huic hæreticæ technæ ſuffragari poſſunt.

Nos uerò hos, quò hac quoque Eccleſia, ad quam ſe randem receperunt, eos rrudamus, axiomate illo, quo in tota hac diſputarione uſi ſumus, non minùs ad Chriſti prouidentiam, unum & eundem ſenſum in Chriſtiana repub. quàm unas & eas leges pertinere, principio omnium aggrediamur oporret. *Prima in hæreticam ſententiam ratio.* Qui docet tantùm eam Eccleſiam, quæ prioribus illis Chriſtianis & uiris Apoſtolicis conſtitit, ueram eſſe & catholicam Eccleſiam, apertè omnem rationem interpretandi, cui parêre & ſtare teneamur, exulare iubet ab Eccleſia. nulla igitur certa erit ſchola, in qua diuinarum legum legitimum ſenſum huins ſanctæ reipub. ciues addiſcere liceat: licebit igitur, cuiuis, quodcunque uelit & libeat, ſentire. nõ ergo Arius, quòd filium cum patre nõ cenſeret homuſion, hæreticus erit: non ergo Sabellius, quòd cum una natura unam quoque in Trinitate confitetur perſonam, hæreticus erit: non ergo Neſtorius, Eutiches, Donatus, Nouatus, &c. iudicentur hæretici, quoniam non eſt modò catholica Eccleſia, quæ eos Eccleſiaſtico iudicio decernat hæreticos. omnes igitur tumultuentur, omnes nouas & inauditas ſectas inueniant, & inuentas tueantur: ſæuiat pater in filios, & filij in patres: uxores diuerſa ſentiant à uiris: non ſit unus ſpiritus nec una fides, quoniam non eſt unus controuerſiarum compoſitor, cuius ſenſui omnes ſtare teneamur. At dicent Eccleſiam illam, cæteris quibuſque futuris Eccleſiis, quid credendum eſſet, præſcripſiſſe, illiusq; magiſterio, omnes ſectas, omnesque hæreſes poſſe profligari. Sed quid aliud eſt hoc dicere, quàm docere ad ſolam ſcripturam ſacram, cum hæreſes inciderint, eſſe currendum, quod iam dudum eluſimus? Profectò eius Eccleſiaſtici ſæculi homines, præter ſcripturas ſacras, aut nihil, aut pauciſsima ſcripſere, taliaque, ut aut nullibi, propter Chriſtianorum perſecutiones nunc extent, aut ſi extent, ab hæreticis tamen uitiata & mille næniis, & illorum temporum hæreticis inſaniis reſperſa pro fabulis habeantur. Nullos in ſanctas ſcripturas commentarios ediderant, nullæ inciderant Eccleſiaſticæ controuerſiæ, ut quis in ea parte eſſet legitimus & catholicus uerbi Dei ſenſus, nobis cum ſcripturis tranſmitterent. Petrus quanuis Pauli epiſtolas, complurimos locos continere difficiles iudicaſſet: non tamen, qui eſſet legitimus eorum ſenſus, nobis expoſuit. Ergo qui ad Eccleſiam illam priorem prouocat, ad ſolas nudas, puras putasque ſcripturas prouocat, nullum uult præter propriam temeritatem earundem interpretem.

Deinde ſi illa Eccleſia & eius doctrina eſt ille legitimus Euangelicæ legis interpres, quem, ut omnes in unum conueniremus ſenſum, Chriſtus in hac republica Chriſtiana reliquit, cur nos & illi, qui eandem illam apoſtolicam Eccleſiam colimus, in eundem ſenſum non conuenimus? Quòd ſi nos ſimus, qui eius apoſtolicæ Eccleſiæ imperio aut interpretationi refragamur, cur iidem ipſi, qui eam Eccleſiam tantopere colunt; uniuerſi, inquam, hæretici, quibus ſolenne eſt ad eam Eccleſiam & ſcripturas prouocare, inter ſeipſos tantopere diſsident? cur uel in noſtram perniciem, non in unum conueniunt? atqui, oportuit Chriſtum in ſua repub. componendæ pacis media relinquere: oportuit eum, qui pacem tantopere commendauit, omnes diſsidiorum & partium occaſiones præcidere. Deinde cur iſti inter ſe non conueniunt, quo tempore finita fuerit Apoſtolica illa Eccleſia, quo tempore ſanctarum ſcripturarum legitimus ſenſus purusque ille Chriſtianiſmus terminus fuerit, ut ſaltem ſciamus, quos auctores Eccleſiaſticos, qui ad puriorem Chriſtianiſmum illum aſpiramus, legere ac uerſare debeamus? Quòd ſi tamen ex horum ſcripturis diuinare liceat, iam Clementis Alexandrini ſæculo forſan extinctus fuerat purior ille Chriſtianiſmus: quoniam ille multa dicit, quæ non ſatis, cum ea, quam modò iſti, quaſi uerum Chriſtianiſmum docent, doctrina conueniant. Clemens Romanus, licèt Petri & Pauli diſcipulus fuerit, quòd tamen fuerit Papa, quando cum horum doctrina ex diametro pugnat, ad puriorem Chriſtianiſmum non pertinebit. Ireneus, Iuſtinus, Tertullianus, Cyprianus, & ſi qui ſunt alij his uetuſtiores, quo pacto, quæſo, ad puriorem illum Chriſtianiſmum, ad Apoſtolicumque illum Eccleſiæ prioris ſenſum pertigerint, cùm multa doceant, quæ iſtos hodie robuſtiſsimè torquent? Quin uerò neque omnes eius Apoſtolici ſæculi homines, puriorem habuerunt Chriſtianiſmum, niſi omnia, quæ Ignatius Antiochenus Epiſcopus, Dionyſius Areopagita, Abdias Babylonicus, &c. docuerunt cum puriſsimo ho-

rum Chriſtianiſmo, quem modò colunt, conuenire debeant. Sunt igitur ſoli illi, qui ſcripturas canonicas ediderunt, Petrus nimirum, Ioannes, Matthæus, Paulus, Lucas, Marcus, & Iudas, Apoſtolica Eccleſia. Nam Iacobum, cùm doceat, fidem ſine operibus mortuam eſſe, & nihil prodeſſe, quòd horum iudicio cum puriori illo Chriſtianiſmo non conuenit, ad Apoſtolicam illam Eccleſiam pertinere non credent. ſed hæc ſunt prorſus ridicula, & indigna, quæ rationis participibus hominibus, tam petulanter obiectentur.

Deinde quo pacto ea, catholica uocetur Eccleſia, quæ tantùm paucißimis hominibus, unoque ſæculo fuiſſe conuincitur? Atqui Eccleſiam catholicam dici hucuſque didiceramus, quòd eſſet omnium hominum, quòd eſſet omnium temporum, quòd eſſet locorum omnium in eandem fidem, in eandem religionem, in eandem ſententiam, uniuerſalis conſenſio. Putabamus nimirum, Auguſtini, Hieronymi, & Ambroſij tempore, catholicam Eccleſiam fuiſſe, neſciebamus ante Cyprianum & Tertullianum iam dudum obiiſſe. Quid illi ſancti patres ergo, Eccleſiæ catholicæ conſenſu & auctoritate, hæreticos coërcent? quid tantopere cum Nouato Cyprianus, & Auguſtinus cum Donato de catholica Eccleſia, quæ iam dudum fuerat extincta iuxta horum ſententiam, cum Apoſtolico ſæculo, iurgant? An Cyprianus cum Nouato, & Auguſtinus cum Donato, de Eccleſia illa, quam iſti catholicam & Apoſtolicam ſolam uolunt, id eſt, Apoſtolica illa ſocietate, aut de ea, quæ Apoſtolico ſæculo fuit, Chriſtianorum hominum congregatione decertabant? uides igitur, quò miſerandos homines obſtinatißimum illud ueritatis odium perducat? uides quanto ludibrio, & ſubſannationi exponat, dum potius quiduis dicere malunt, quàm Eccleſiaſticæ cenſuræ & correctioni parêre?

Optatus Mileuitanus lib. 2. con. Parm.

In hoc tamen multò magis ſunt ridiculi, quòd noua & prioribus ſæculis inaudita, proferre ſe putent. Tenenda eſt, inquit Auguſtinus, nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ catholica eſt, & catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, uerùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint, ipſi quoque hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, catholicam, nihil aliud quàm catholicam uocant. non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab uniuerſo Orbe nuncupatur. Hactenus ille. Ergo ſi Auguſtino de omnibus hæreticis loquenti, fidem adhibemus, non eſt nouum hæreticos catholicam Eccleſiam, catholicam negare: quoniam nimirum ſciant, ſi illam ſemel catholicam conceſſerint, eiuſdem ſibi continuò ſubeundum iudicium. ſed quantumuis quando cum ſuis loquuntur, nolint eſſe catholicam: cùm tamen aut ſecum, aut cum aliis loquuntur, catholicam uocant. nec mirum, quandoquidem hoc grande mendacium, quo ſola illa Apoſtolica Eccleſia, ſola Eccleſia catholica dicitur, ex eorum numero fit, quæ dici cùm poßint, ab ipſis tamen inuentoribus credi non poßint.

De uera relig. cap. 7.

Sed agedum, horum hominum ſtultitiam ampliùs exagitemus. Apoſtolicam illam eccleſiam, tantùm uolunt eſſe arcam Noë, uolunt eſſe ſponſam Chriſti, & columnam ueritatis immobilem. quicunque igitur in illa nō fuerūt, naufragio perierunt; quicunque igitur eius partes non fuerunt, Chriſtum caput non habent; quicunque igitur contra eam docuerunt, id eſt, quicunque illis, contra illam docere uidentur, tanquàm mendaces, qui illi firmamento ueritatis non adhæſerint, ſunt execrandi. Ergo quicūq; poſt illam fuerunt Eccleſiaſtici uiri, & quicunque ſumus modò, diluuio perimus, ad Chriſti ſponſam non pertinemus. nulla ergo ſanctorum ſcriptis fides adhibenda, immo ab illis, quaſi à certißimis peſtibus, quòd non ulla docuerint, quæ iſtis cum illa Eccleſia conuenire non uidentur, fugiendum nobis erit. omnes illi horum inſania, hæretici erunt, qui ea, quæ iſti ab ea Eccleſia aliena uiderunt, docuerint. Sed ridiculi homines, ea parte, quæ ipſis placet, Eccleſiam Chriſti, id eſt, tunicam, quam nec carnifices ſcindere auſi ſunt, procacißimè rumpunt. & profectò ſi inter ſanctos auctores, qui poſt Apoſtolicum illud ſæculum uixerint, ſuarum blaſphemiarum reperiſſent ſuffragium, eoſdem ipſos in ſuam illam Eccleſiam (ſat ſcio) libentißimè admitterent. nunc quia nullum reperiunt, qui ſuæ, quam in Eccleſiam inducunt, carnis libertati conniueat, omnes ab eadem pluſquam Apoſtolica poteſtate protrudunt. Sed ò furorem, quis neſciat, eam Eccleſiam, quæ arca Noë dicitur, quæ ſponſa Chriſti in ſcriptura uocitatur,

Zzz ij quam

quam columnam & firmamentum ueritatis Paulus appellat, non uno ſæculo, ſed à mundi exordio uſque ad finem duraturam? Quis unquam hæreticorum, qui tamen omnes, quòd ab uno eodemque ſpiritu agantur, ſemper Eccleſiæ fuerunt infeſtiſsimi, eandem in quinquaginta aut centum annos (quod iſti faciunt) Eccleſiam catholicam, quæ ſit arca Noë, ſponſa Chriſti, columna & firmamentum ueritatis, coërcuit. Donatus in Aphricæ parte quadam, coarctabat Eccleſiam catholicam, quæ eſſet arca Noë, & ſponſa Chriſti, &c. ac perpetuò duratura, ut illam ſaltem in quæſtionibus ſuborientibus, uiuæ uocis oraculo poſſemus conſulere. At iſti omnibus Donatis dementiores, eandem nobis catholicam Eccleſiam, in quinquaginta, aut ſexaginta annos Apoſtolicos cogentes, cum eodem Apoſtolico ſæculo fabulantur extinctam: ut illis & quibuſque aliis ſimilibus, impunè rempublicam Chriſtianam diuexare liceat.

Hæreticorum fuga. Dilutio.

Dicent, non ſe eam hominum congregationē, quæ illo Apoſtolico ſæculo uixerit, catholicam Eccleſiam & arcam Noë appellare, ſed fidem eius, ſine qua, ſicut olim ſine arca Noë, nullus mortalium ſalutem conſequetur. At ego aliud Eccleſiam, aliud Eccleſiæ fidem hucuſque putaram. Sed eſto ita: in illa enim Eccleſia fuerunt Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui ſcriptis ac uerbis, ueram fidem Orbem docuere. Sed quis, quæſo, nobis nunc aut poſt Apoſtolica ſæcula, cùm controuerſiæ inciderint, cùm uariis opinionum & ſententiarum tumultibus agitetur Eccleſia, hanc aut illam ſententiam cum Apoſtolica illa fide ac ſenſu conuenire docebit? Quis, quid ſit ſequendum, quidúe fugiendum, id eſt, quid in ea parte Apoſtolica illa Eccleſia amplecteretur, aut fugeret, nobis indicabit? Quis hos rectè ſentire, ex præſcriptoque illius ueteris Eccleſiæ docere; contrà, illos ab eadem Eccleſia ſenſu & interpretatione ſcripturarum deficere oſtendet? Tumultuemur igitur uniuerſi, dum unuſquiſque potius ſuam fidem, quàm alterius, cùm eius Apoſtolicæ Eccleſiæ fidem conuenire contendat.

Dicant iam hæretici, quid Chriſti regnum & ſedes in ſcriptura uocetur, an non catholica Eccleſia, illa, inquam, quæ eſt ſponſa Chriſti; illa, inquam, quæ eſt columna & firmamentum ueritatis? Quis eſt tam effrons, qui hoc negare audeat? Quòd ſi ita eſt, mendaces igitur illæ promiſsiones, quæ Chriſti regnum & ſedem, id eſt, catholicā Eccleſiam, in finem uſque ſæculi perduraturam ſpondent. Ordinaui, inquit, teſtamen-

Pſal. 89. Pſal. 132 Hæreticorum fuga.

tum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, uſque in æternum propagabo ſemen tuum, in generatione & generationem ædificabo ſedem tuam. Item, elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem ſibi, hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Dicent Eccleſiā quidem omnibus ſæculis duraturam, non tamen ſemper eſſe doctricem, ſed eam tantummodò, quæ Apoſtolicis illis ſæculis uixit, quibus & ſanctarum ſcripturarum uerus ſenſus, & puri Chriſtianiſmi uſus uiguit: ſic enim in cæteris quibuſcunque rebus pub. contingere, in quibus, qui primò illas inſtituerunt, quos maiores appellant, in legum exprimenda intelligentia, magiſtrorum, quicunque deinde ſuccedunt, perſonam diſci-

Ditio.

pulorum ſortiuntur. Eſto ita. ſed nunquid propterea hæc, quæ modò uiuit, Eccleſia, eius, quæ tum uixit, non erit legitima interpres? & quis, quæſo, potius noſtrorum maiorum & ſenioris Eccleſiæ placita interpretetur, quàm ea, quæ legitimè ſucceſsit Eccleſia? fatemur eam ſolam Eccleſiam, quæ fuit Chriſti tempore, in tota futura Chriſtiana repub. magiſterium obtinere, magiſterium, inquam, id eſt, legiſlationem: ipſa enim eſt, quæ ſcripturas, aut potius per ipſam Spiritus ſanctus, condidit. at noſtræ huic, quæ per uaria ſæcula eidem ſucceſsit, illius ueteris Eccleſiæ interpretandæ, & quid ſibi uoluerit explicandi, ſcholam tribuimus, quemadmodum in cæteris rebus publicis, legum condendarum magiſterium, maioribus quidem; iam uerò latas exponendi poteſtatem, minoribus damus: minoribus, inquam, non huic aut illi, (eſſent enim omnia confuſiſsima,) ſed reipub. magiſtratibus, & qui cæteras quaſque reipub. partes uirtute contineant. Iam uerò falſum eſt, quod aiunt, ſolam eam, quæ Apoſtolico ſæculo uixit, Eccleſiā, in republica Chriſtiana magiſterium obtinere: nam aſcendens ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia, Chriſtus, quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, quoſdam uerò euangeliſtas, alios uerò paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, & ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quærimus ab his, an illo Apoſtolico ſæculo ſancti omnes fuerint conſummati? an opus

miniſterij Euangelici illo tempore fuerit abſolutum? an illo ſæculo omnes occurrerimus, reſumptis iam corporibus, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti? Quod ſi negent, & id in die iudicij futurum fateantur: non igitur uſque ad eum diē in Eccleſia paſtores & doctores deficient, qui totius Eccleſiaſtici cœtus perſonam ſuſtinentes, ad uerum & purum Chriſtianiſmum Chriſtianos inſtituant. nam neque id olim (cùm tamen grandis eſſet utriuſque ſtatus differentia) Deus feciſſe legitur. quāuis enim per Moſem legem tuliſſet, quæ omnibus ſuis numeris (quantum ad illum ſeruilem ſtatum attinebat) abſoluta uideri poterat: nunquàm tamen ſequentibus ſæculis, ſic eam gentem deſeruiſſe legitur, quin legitimos quoſdam ſuarum legum interpretes, id eſt, ſanctos Prophetas, eidem indulſerit. Nam cùm maximè deſertus illo magiſterio uideretur, id eſt, cùm iam non eſſet Propheta, qui legum diuinarum interpretem ageret, Chriſtus non modò ad ſacerdotes, ſed ad Phariſæorum & ſcribarum cathedram, tanquàm quæ etiam tunc, in tanta peccatorum colluuie & & uirtutum ſtrage, adhuc Moſis cathedra eſſet, Apoſtolos remittit. Super cathedram Moyſi, inquit, ſederunt ſcribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite, ſecundū autem opera illorum nolite facere.

Matt. 23.

Ex quo loco duo, (mea quidem ſententia) quæ noſtri ſæculi hæreticos uiolentiſsimè comprimunt, euidenter eliciuntur; prius quidem, ſemper in Eccleſia publicam diuinarum legum cathedram & ſcholam futuram; alterum, hanc nulla peccatorum alluuione, nulla uitiorum mundatione extinguendam. quod poſterius, horum, quibuſcum decertamus, uniuerſas ratiunculas & frigidiſsimas excuſatiunculas, quibus ſuam, ab Eccleſia in alteram neſcio quam Eccleſiā, apoſtaſiā excuſare conantur, unicè transfodit. ſic enim aiunt, Odioſum quidem eſt ſeparari à ſocietate, qui licèt non ſint, tamen uideantur ſaltem, atque appellentur Chriſtiani. Et certè nos iſtorum Eccleſiam (loquuntur de Romana Eccleſia) qualiſcunque tandem ea nunc eſt, uel nominis ipſius cauſa, uel quòd in ea euangelium aliquando IESV Chriſti uerè ac purè illuſtratum fuerit, non ita contemnimus, neque ab ea, niſi neceſſariò & petinuiti diſceſsionem feciſſemus: ſed quid ſi in Eccleſia Dei, idolum excitetur, & deſolatio illa, quam Chriſtus futuram prædixit, ſtet palàm in loco ſancto? Quid ſi eam aliquis prædo, aut pyrata occupet? Hæc illi, & alia quædam, euangelica illa ſua libertate dicendi, qua nemini parcunt. quæ tamen uniuerſa non aliò tendunt, quàm ut apoſtaſiam ſuam apud indoctas plebes præſtigioſis ratiunculis fucare queant. Vertunt & inuertunt uniuerſas hiſtorias, & ex Theologis, ſi Diis placet, plebecularum ſcurræ facti, Romanorum Pontificum, & eorum, qui eis adhærent, id eſt, totius Eccleſiæ catholicæ, næuos notant: in qua re adeò mirè ſibi placent, ut continuò prorſus ſummis rationibus & cauſis, innocentiſsimos homines, & qui nihil mali unquam deſignarunt, ſe ab Eccleſia diſceſsiſſe, apud uniuerſum Orbem perſuaſiſsimum putent. Ab Eccleſia, inquam, id eſt, ab ea, quæ nomen habeat Eccleſiæ, quòd ueram illam Eccleſiam, in qua purus uigebat Chriſtianiſmus, iam extinctam exiſtiment. Verùm in hac parte, nemo melius eis ſatisfacere poterit, quàm quidam eorum in eadem apoſtaſia & diſceſsione fideliſsimus ſocius. Hic enim, cùm Chriſti regnum & fidem, id eſt, Eccleſiam, uſque ad finem ſæculi, quibuſdam ueteris Teſtamenti locis comprobaſſet, continuò ſubiungit, Huius Rei Chriſtus, Apoſtoli, & omnes Prophetæ exemplum præbuerunt. Horrendæ ſunt illæ deſcriptiones, quibus Iſaias, Hieremias, Ioël, Abacuc, & alij, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ morbos deplorant, in plebe, in magiſtratu, in ſacerdotibus, omnia uſq; adeò corrupta erant, ut nō dubitet Iſaias, æquare Hieroſolymam Sodomæ & Gomorræ. Religio partim contempta, partim contaminata in moribus, paſsim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & ſimilia ſcelera: neq; tamen propterea aut nouas ſibi Eccleſias erigebāt, aut noua altaria extruebāt Prophetæ, in quibus ſeparata ſacrificia haberēt, ſed qualeſcunq; eſſent homines, quia tamen reputabāt dominū apud eos uerbū ſuum repoſuiſſe, & cæremonias inſtituiſſe, quibus illic colebatur, in medio impiorum puras manus ad illum extendebant. Certè ſi putaſſent aliquid contagionis ſe contrahere, centies potiùs mortui eſſent, quàm paſsi fuiſſent, ſe pertrahi. Nihil ergo aliud illos retinebat, quominus diſceſsionem facerent, quàm ſeruandæ unitatis ſtudium. Quòd ſi religio ſanctis prophetis fuit, ob plurima & maxima ſcelera, non unius aut alterius hominis, ſed propemodum totius populi, ſe ab Eccleſia alienare: nimium nobis arrogamus, ſi protinus audemus ab Eccleſiæ communione deficere, ubi

Verba ſunt auctorum Apologiæ Anglicanæ.

Verba ſunt Ioannis Caluini lib. 4. inſti. Chriſti. cap. 1

non omnium mores uel noſtro iudicio, uel Chriſtianæ etiam profeſsioni ſatisfaciunt Iam Chriſti, & Apoſtolorum ſæculum, quale fuit? neque tamen impedire potuit illa Phariſæorum impietas, &, quæ tum uigebat paſsim, diſſoluta uiuendi licentia, quin eiſdem ſacris, cum populo uterentur, & in unumcum reliquis templum, ad publica religionis exercitia conuenirent. Vnde id? niſi quia ſciebant, malorum ſocietate minimè pollui, qui pura conſcientia eiſdem ſacris communicaret? ſi quem parum mouent Prophetæ & Apoſtoli, ille ſaltem Chriſti auctoritati acquieſcat. bene ergo Cyprianus, Etſi uidentur, inquit, in Eccleſia zizania, aut uaſa impura, non eſt tamen, cur ipſi de Eccleſia recedamus: nobis modò laborandum ut frumentum eſſe poſsimus; nobis danda opera, & quantum licet, enitendum, ut uas aureum, aut argenteum ſimus: cæterùm fictilia uaſa confringere, ſolius Domini eſt, cui & uirga ferrea data eſt, ne quiſquam ſibi, quod proprium eſt ſoli filio, uendicet, ut ad aream uentilandam & purgandam ſufficiat, zizaniaque omnia ab humano iudicio ſegreganda. ſuperba eſt iſta obſtinatio & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor prauus aſſumit. Hactenus ille. Quæ utinam tam bene imitatus fuiſſet, quàm bene rhetoricatur. profectò haud ſibi aliud altare immo alia ſacrificia extruxiſſet, aut ab Eccleſia receſsiſſet. Sed ad rem.

Habent hæretici noſtri, non à Romano Pontifice, aut à papiſta quopiam, ſed à Ioanne Caluino, nec tunc quidem, cùm horrenda peccata, plebes, magiſtratus, & ſacerdotes inuaſerint; nec tunc quidem, cùm Gomorrhitica & Sodomitica ſcelera, eccleſiaſticum corpus, quaſi tabe confecerint; nec tunc quidem, cùm furta, rapinæ, cædes, perfidiæ, & ſimilia ſcelera, inundauerint; nec tunc quidem, cùm religio partim contempta, partim contaminata iaceat, nouas ſibi eſſe Ecceleſias comparandas, aut ad nouas hominum ſocietates digrediendum: ſed qualeſcunque ſint homines, apud quos dominus ſuum uerbum repoſuerit, & cæremonias inſtituerit, cum illis manendum, cum illis conuiuendum, in medio eorum cœtu, quantùs ſit impuriſsimus, & impiiſsimus, puras manus ad Deum extendendas; quoniam nihil inde contagionis affricetur. Habent ab eodem, nihil æquè ſanctos prophetas, in illa corruptiſsima Eccleſia, ubi non modò cætera uitia, ſed idololatria, non modò principes ſed ſacerdotes inuaſerat, retinuiſſe, quominus diſceſsionem facerent, quàm ſeruandæ concordiæ & unitatis ſtudium: quibus nihil magis Deo placere ſciebant. Habent ab eodem, ſanctis prophetis religionem fuiſſe, ob plurima & maxima ſcelera, non unius aut alterius hominis, ſed totius populi & gentis propemodum, ſe ab Eccleſia alienare atque abducere. Habent ab eodem, Chriſti & Apoſtolorum ſæculo, neque deſperatam illam Phariſæorum impietatem, neque, quæ tunc paſsim regnabat, diſſolutam uiuendi licentiam, impedire potuiſſet, quominus eiſdem ſacris, cum populo uterentur, & unum cum reliquis templum, ad publica religionis officia & cæremonias conuenirent: quoniam nimirum malorum ſocietate minimè polluantur, qui pura conſcientia, eiſdem ſacris communicant. Habent ab eodem & Cypriano, etſi multæ ſint in Eccleſia zizaniæ, & uaſa impura, non ideò tamen eſſe ab Eccleſia recedendum, ſed Chriſtiani hominis tantùm ſtudium eſſe, anniti, ut ipſe inter zizaniam ſit frumentum, & inter uaſa impura ſit uas mundiſsimum. Habent ab eodem, non cuiuſuis ſed filij Dei, qui ſolus habet uirgam ferream, munus eſſe, fictilia uaſa confringere. Habent denuum, uelle omnia corrigere; ſuperbam eſſe præſumptionem, à prauo furore miniſtratam. Cur igitur uel in hac peccatorum inundatione, quæ tamen quantũcũque illi rem exaggerent, nondum ad idololatriam, & Dei abnegationẽ peruẽnit? cur in hac religionis conculcatione, quæ tamen ad eam, quam Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Oſeas, Ioël, Micheas, & cæteri nobis exprimunt, nondum dilapſa eſt ab Eccleſia, apud quam olim uerbum Dei repoſitum, & cæremonias, id eſt, diuina ſacramenta inſtituta cognoſcunt, cateruatim dilabuntur? Suſcitetur igitur in Eccleſia idolum, ſedeat in loco ſancto abominatio Danielis, ut illi uolunt, occupet arcam Noë pyrata, an ideò tam atrox diſceſsio facienda erat? an ideò ſibi alias Eccleſias exſtruere debebant, & in neſcio quarum Eccleſiarum latibula diuertendum erat? Vbi ergo eſt illud, quod Caluinus inquit, ſanctorum Prophetarum, immo Chriſti & Apoſtolorum eius, etiam inter atrociſsima magiſtratuum & ſacerdotum ſcelera unitatis ſtudium? Vbi amor ille concordiæ? ubi uniendæ & non diſſoluendæ caritatis affectus? cur ſibi alia altaria & alias aras ædificarunt? cur ſibi diuerſa ſacramenta finxerunt?

runt? Produnt igitur apertè ſe ſpiritu illo, quo olim ſancti prophetæ & Apoſtolici uiri uitia & peccata tolerabant, quo uel ab idololatra populo, ne caritatem ſcinderent, non diſcedebant, affectos non eſſe.

At non docetur in Eccleſia ſincerè euangelium. Sed quis inter hæreticos olim id fruſtrà non fuit cauſatus? immo quis inter hos, qui ſe uerum Chriſtianiſmum aſſequutos putant, in ſua factione & ſecta, & non in alia, euangelium ſincerè doceri, firmiſsimè non aſtruit? Sed nũquid minùs nunc euangelium docetur, quàm olim, cùm ſancti prophetæ mittebantur, lex docebatur? Num minùs noſtro ſæculo docetur euangelium in eccleſia, quàm Chriſti & Apoſtolorum tempore lex docebatur? Cur ergo neque prophetæ, neque Chriſtus, neque Apoſtoli, toto illo legis Moſaicæ tempore, ab ea ueteri eccleſia, quæ non erat aliud, quàm idololatriæ & ſcelerum ſentina, non diſceſſerunt? cur non ſe ab ea alienarunt? cur non puriori quadam Iudaiſmi ratione renouata, ab antiqua illa, iam per hominum traditiones confuſa & ſepulta, diſceſsionem fecerunt? cur eaſdem cæremonias non à Deo, ſed hominum traditione ſuſceptas, non riſerunt, aut irridendas plebibus expoſuerunt? immo cur eas, non modò ante legis interitum, ſed poſteaquàm euangelij aduentu inanes erant, ne fratres ſcandalizarent, aut unionis uinculum rumperent, tam modeſtè ſubibant? an'non Paulus tonſus eſt? an'non Timotheum circuncidit? an'non ingreditur templum, quaſi notum habens? Cur deinde in tanto cæremoniarum & humanarum traditionum tumultu, ſancti Prophetæ ad uerbum Dei non prouocarunt? Cur non ad ueterem illam puram putam ſynagogam, ſuas cauſas adduxerunt? Cur illam, quæ tunc erat tanto uitiorum turbine obruta, non eſſe ueram ſynagogam, ſed aliam quandam iuſtorum, electorum, aut Apoſtolorum clamarunt?

Actu. 18.
Actu. 16.

At in eccleſia ſunt mali Pontifices, ſunt Antichriſti, ſunt nauiculæ Chriſti pyratæ, ſunt laruæ papales. & quid? non'ne ſi eſſent, & tunc peiores erant? non'ne quidam eorum idololatræ extiterunt? Profectò quantumuis iſti hiſtorias eccleſiaſticas ſeorſum deorſumque inuertant, ut matris ſuæ principumque populi ſui uerenda retegant, & ea non modò domeſticis fidei, ſed Iudæis, Thurcis & gentibus, qui cum ingenti eccleſiæ dedecore libros eorum, obſcœniſsimis mendaciis refertos, legunt, irridenda proponant: nunquam tamen tam atrocia ſcelera, nunquam tam deteſtanda facinora, nunquam tam execranda peccata inuenient, quàm olim apud eam gentem Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Ioël, Aamos, Michæas & reliqui ſancti Prophetæ inueniſſe ſe docent. Quid ſi modò Rom. Pont. publicè ab Imperatoribus, ut olim Iudæi, numerata pecunia ſacerdotium (quod abſit) coëmeret? Quid ſi à principe non Chriſtiano, ſed idololatra, & totius religionis ſæuiſsimo hoſte, ſibi illud compararet? Quid ſi non perpetuam functionem, contra quàm, quod lex præſcribebat, ſed annuam obiret? Quid ſi cum ſocero aut genero eum honorem ac dignitatem annuatim partiretur? Quid ſi Alcimos ab Antiochis, Anaëlos ab Herodibus, intruſos uidiſſent? Quid demum ſi uniuerſa illa peccata, quæ Ioſephus memoriæ prodidit, in Romanorum Pontificum hiſtoriis deprehenderent?

Hæreticorũ friuola excuſatio.

Sed non recedimus, aiunt, ab Eccleſia uniuerſali, ab ea nimirum, quæ eſt ſponſa Chriſti; ſed à Romana. Verùm non'ne id quoque Prophetis, Apoſtolis & Chriſto dicere licuit? non'ne cauſari potuiſſent, ſe quidẽ non à ſynagoga Moſaica, ſed ab Hieroſolymitana, quæ tum temporis iuſtiſsimè ſynagoga Satanæ cenſeri poterat, propter aperta ſacerdotum & totius populi ſacrilegia, & idololatriam, diſcedere? Cur ergo non receſſerunt? aut cur non (cùm tamen illa ratione certiſsimam necem declinare potuiſſent) in ampliſsimas ciuitates, quæ gratiſsimè eorum ſuſcepiſſent aduentum, conceſſerunt?

Eccleſia Rom. aiunt, non eſt uniuerſalis Eccleſia. Eſto. neque enim in hoc, in quo tamen magnopere nobis aduerſarij inſultant, maximè contendimus, dum eandem, aut eiuſdem paſtorem, uniuerſalis Eccleſiæ caput fateantur. caput, inquam, miniſteriale, id eſt, Chriſti loco eidem præſidentem. Sed nunquid Hieroſolymitana ſynagoga erat uniuerſalis? nunquid extra Hieroſolymas, maximè poſt Aſſyriacam & Babylonicam captiuitatem, non erant Iudæorum ſynagogæ? Cur ergo neque Prophetæ, neque Chriſtus, neque Apoſtoli ab Hieroſolymitana Eccleſia diſceſſerunt? aut cur

quando

quando Domini eſt terra & plenitudo eius, in alia quacunque Orbis prouincia, ueram
& puram Iudaiſmi rationem non renouarunt?

At erat Hieroſolymis templum & altare. fateor: ſed nunquid ſancti Prophetæ ne-
ſciebant, Deum eſſe ſpiritum, & ueros adoratores in ſpiritu & ueritate adorare patrē?
Ioan. 4. Nunquid non ſciebant, ſcriptum eſſe, Quo mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum?
Iſa. 1. dicit dominus: plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem ui-
tulorum, agnorum, & hircorum nolui. Cum ueneritis ante conſpectum meum, quis
Pſal. 50. exquiſiuit hæc de manibus ueſtris? &c. Neſciebāt ſcriptum eſſe, Sacrificium Deo ſpi-
ritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies? Neſciebant ſcri-
Pſal. 39. ptum eſſe, Sacrificium laudis honorificabit me? Neſciebant legis obedientiam potio-
rem eſſe, quàm ſacrificia? iuxta illud, Sacrificium & oblationem noluiſti: aures au-
tem perfeciſti mihi. holocauſtum & pro peccato nō poſtulaſti? tunc dixi, Ecce uenio.
in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem uoluntatem tuam, Deus meus. Neſcie-
bant templi Hieroſolymitani & ſacrificiorum uſum, extra Hieroſolymas non obligare?
Quare igitur, ne cum praua illa & adultera generatione damnarentur, in alias urbes &
ciuitates concedentes, ab Hieroſolymitana eccleſia diſceſſionem non fecerunt? præſer-
Ioan. 21. tim, cùm tunc Hieroſolymitano ſacerdoti, nondum fuiſſet dictum, Paſce oues meas:
Matth. 16. aut, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis: aut, Super hanc pe-
tram ædificabo eccleſiam meam, &c. quæ ſi non apud hos homines ſapientiſsimos, qui
(quòd cœleſti quadam eruditione ſint præditi, aliter quàm ſancti illi patres ſcripturas
interpretari nouerunt) Petri & Romanorum Pontificum primatum ſuadeant, ſat
ſcio, ſcrupulum ſaltem iniicient. Neque enim hos adeò ſaxeos putauerim, ut quàm
durum ſit à tot tantorumque patrum, de quorum ſalute dubitare non liceat, ſententia
recedere, uel inuiti non ſentiant.

Sed prophetis, dicent, Chriſto & Apoſtolis de diuinæ legis aut euangelij doctrinà
prædicanda, præceptum imminebat. Ita eſt: ſed nunquid & noſtris iſtis apoſtolicis ui-
ris, qui modò ex alio orbe, in quem Pontificum Romanorum, epiſcoporum, mona-
chorum, & ſophiſtarum malis artibus fuerat detruſum, Euangelium Chriſti reuocare
ſe iactant, idem hoc præceptum non incumbet? An non mandauit Deus uniſcuique de
Pſal. 50. proximo ſuo? cur ergo mirabiles uiri, quibus incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manife-
Matth. 5. ſtauit, ut eſſent lux mundi, ut eſſent ſal terræ, ut eſſent ciuitates ſupra montes poſitæ,
Iſa. 60. ut eſſent in lucem gentium uſque ad extremum terræ, in quorum oribus Deus dedit
uerba ſua, ut conſtitueret eos ſuper gentes & regna, ut euellerent & deſtruerent, diſper-
derent & diſsiparent phariſaicas doctrinas, quaſi pontifices & monachi, quaſi malam
zizaniam, Chriſti agro, id eſt, puro Euangelio, ſuperſeminarunt, ut ædificarent &
plantarent uerum euangelium in mediam Romam, non prorumpunt, ſicut olim pro-
phetæ, Chriſtus & Apoſtoli, in Hieroſolymas & euangelico illo, quo feruent ſpiritu,
liberè clamant, Audite cœli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt.
Iſa. 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, filiis ſceleratis, ſemini nequam: dereli-
querunt dominum, &c. Cur, inquam, ſeſe ab eccleſia, in quam corrigendam & puri-
ficandam, priuſquam formati fuiſſent in utero, electi ſunt, ſeſe abſcindunt? Quî, quæ-
ſo, ſal terræ eſſe poterunt, ſi à terra ſe ſepararent? aut quî lux mundi eſſe poterunt, ſi
à tenebris ipſis diſceſsionem fecerint?

At Romani Pontifices ſunt crudeles, ſunt truculenti, & eos, qui ſincerè euangelium
tractant, ignibus tradunt. Sed quid, ò euangeliciſsimi homines, timetis eos, qui occi-
dunt corpus, animam autem non poſſunt occidere? timete potius eum, qui & animam
& corpus poteſt mittere in gehennam, Deum, inquam, cui reuelati Chriſtianiſmi ueri,
nec rectè & fideliter diſpenſati reddituri eſtis arctiſsimam rationem. Videte, quæſo,
ne uos, qui plus cæteris in hoc mundo accepiſtis, id eſt, ueram Chriſtianiſmi & euan-
gelij intelligentiam, ab auctore mundi grauius inde iudicemini: cùm enim augentur
dona, rationes etiam creſcunt honorum. Tantò ergo ad ſeruiendum Deo promptiores
eſſe debetis, quantò ex accepto munere obligatiores uos eſſe non dubitatis. Quid er-
go ceſſatis Apoſtolici uiri, quos Deus in uniuerſum orbem, ſicut olim Apoſtolos ad
plantandum, ſic ad euangelium & Chriſtianiſmum renouandum dixerit, Cur pro Chri-
ſti euangelio patres, matres, uxores, filios, prædia, patrias, cognatos, & inſuper uoſ-

metipſos

metipſos relinquitis, & ſumpta Iesv Chriſti cruce, cui tantũ uos debere certiſsimi eſtis, Luc.14.
ut ſola ſuæ mortis fide, uel ab Orco ipſo reuocemini, in medias Romas, aut in medias Hi-
ſpanias non irrũpitis? quid capitibus ueſtris timeris, cùm ſciatis iuſtorum hominum ani-
mas in manu Dei eſſe: & non tangere eas tormentũ mortis? Gaudebant olim apoſtolici
uiri, miniſterio quidẽ priores, ſed haud uobis maiores: nam cùm illi miraculis euange-
lium docerent, uos mortales uniuerſos ſine miraculis, peruerſas noſtras doctrinas de-
docetis, quod eſt omnium difficillimum; & euangelij faciem renouatis in mundo: gau-
debant, inquam, illi quòd digni habiti fuiſſent, pro nomine Iesv contumeliam pati,
non ſeſe ab eccleſia ſubtrahebãt, ſed etiam poſteaquàm non ſemel eorundem euange-
licam prædicationem Iudaicus populus repulerat, in medias Hieroſolymæ plateas euan- Act.4.
gelium intorquebant. Quid uos ceſſatis? quid uos pigri eſtis? quid maiorum ueſtro-
rum exempla non imitamini, præſertim cùm multi Sardanapali, multi Afotici, multi
Sybaritæ, id eſt, monachi multi, pro falſo iſto (ut apud uos eſt perſuaſiſsimum) Euan-
gelio libentiſsimè occumbant? Immo cùm in medio ueſtræ perſecutionis incendio,
tum apud Anglos, tum apud Germanos, tum apud quaſdam Galliæ partes, fragiles
fœminas, aut inuictas permanſiſſe, aut inuictas pro hominum traditionibus (ut uos
putatis) uideatis occiſas. O rem indignam, mulierculæ pro hominum inuentis liben-
tiſsimè occumbunt, & graues illi Apoſtoli, Lutherus, Zuinglius, Philippus, Caluinus,
Brentius, Oecolampadius, Vualphangus (nam cæterorum fortè nulla eſt habenda ra-
tio) pro Chriſto & uero illo euangelio capitibus timent? Videt igitur mundus, niſi
cæcus ſit omnino, quo ſpiritu, ſi Caluino credendum eſt, ab eccleſia diſceſsionem fece-
ritis, id eſt, non illo, quo olim ſancti prophetæ, Apoſtoli & Chriſtus, à ſynagoga non
diſcedentes, pro ueritate occubuerunt, ſed quodam alio, Satanico ſcilicet, aut carnis,
quæ potius in propria uita & eius commodis tuendis, quàm in aliorum ſalute procu-
randa diſtringitur. Verùm iam iis rationibus, quas pro hæretica ſententia excogita-
uimus, reſpondeamus.

Apostolicam Eccleſiam nos credere profitemur, non eam, quæ tantùm Apoſtoli- *Soluitur*
co choro conſtabat, ſed, ut in ſymbolo ipſo dicitur, catholicã, id eſt, uniuerſalitate tem- *prima ra-*
porum, uniuerſalitate locorum, uniuerſalitate gentium, uniuerſalem: quænon unica, *tio, quæ pro*
ſed multis rationibus Apoſtolica dicitur. Primò quidem quòd Apoſtolorum fidem, *hæretica ſẽ-*
prædicationem, dogmata, fidei ſenſum, ſiue ſcripto ſiue traditione recepta, efficaci- *tentia fie-*
ter retinet, iuxta illud, Non prætergrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui. pa- *bat.*
tres autem eccleſiæ, fuerunt apoſtolici uiri, qui per euangelium in Chriſto nos genue- *Quot mo-*
runt. Vnde Auguſtinus in illa uerba, Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Id eſt, conſti- *dis eccleſia*
tuti ſunt Epiſcopi, quibus regaris & guberneris. Dicitur ſecundò, apoſtolica, catholi- *dicatur apo-*
ca eccleſia, quòd Apoſtolis duodecim, quaſi duodecim fundamentis, qui Chriſto o- *ſtolica.*
mnium fundamento primitus adhæſerunt, immediatè cohæreat, & innitatur. Quem Prouer.21. Pſal.44.
admodum enim primarium fundamentum, aliud nemo poteſt ponere præter id, quod
poſitum eſt; quod eſt Chriſtus Iesvs, ita quoque Ioannes Apoſtolus mente prophetica, 1.Cor.3.
ſanctæ ciuitatis Hieruſalem duodecim fundamenta uidit, in quibus duodecim Apoſto- Apo.21.
lorum nomina ſcripta erant & agni. Vnde Auguſtinus, De plebe, inquit, Iudaica pri- Lib.15 de
mùm Apoſtolos elegit, quos quaſi fundamenta eccleſiæ inſtituit, quorum prædicatione, ciuit. Dei.
de eadem plebe multi ad eum conuerſi, in ſeipſis originem eccleſiæ præſtiterunt, deinde
in cæcitate ſuæ perfidiæ Iudaica plebe relicta, ad gentes, quæ tam fide, quàm cogna-
tione carnis à Chriſto erant alienæ, prædicatio euangelica tranſlata eſt, & quaſi conſan-
guineæ copulam Chriſtus aſpernatus, de aliena cognatione ſibi uxorem elegit. Hacte-
nus Auguſtinus. Apud quem Apoſtoli non modò Iudaicæ, ſed gentilis eccleſiæ Chri-
ſti, & fundamenta, & faciendæ deſponſationis internuntij, aut paranymphi dicuntur.
Hinc olim Apoſtolus de ſe & aliis dicebat, Elegit nos Deus primitias in ſalutem, in ſan-
ctificatione ſpiritus & fide ueritatis, in quam & uocauit uos, per euangelium noſtrum,
per acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Iesv Chriſti. & turſus, Scimus enim quòd
omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc, non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi
primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expe- Rom.8.
ctantes, redemptionem corporis noſtri. Sic aliquando ſancti Apoſtoli, reges & prin-
cipes populorum in ſcriptura dicuntur, quòd nimirum poſt Chriſtum, eiſdem quaſi re-

gibus, quaſi principibus, & eccleſiaſticæ reipublicæ fundatoribus, eorumque documen-
Pſal.44. ris & prædicarioni innitamur. Conſtitues eos principes (ait Dauid) ſuper omnem ter-
Pſal.46. ram. et alibi, Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Vnde
Pſal. 44. Auguſtinus in illa uerba pſalmi, Filiæ regum in honore tuo. Filiæ Apoſtolorum ſunt
filiæ regum. Ille enim eſt rex regum. illi autem reges, de quibus dictum eſt, Sedebitis
ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Ergo catholica omnium gen-
tium & temporum poſt Chriſtum uniuerſalis eccleſia, apoſtolica dicitur, quoniam ab
Apoſtolis quaſi à fundamenris incepit: qui tamen ipſi ſummo illi angulari lapidi Chriſto
Ephe. 2. IESV, quaſi torius eccleſiaſticæ ſtructuræ primario fundamento nituntur.

SECVNDO apoſtolica dicitur eccleſia carholica, poſt Chriſti prædicationem, quia
poſt aſcenſionem domini, apoſtolici uiri ſancta doctrina, uerbi prædicatione, miracu-
Matth. 5. lis & ſanctitaris exemplis, ſeminarunt eccleſiam. unde à Chriſto lux mundi & ſal terræ,
quòd ſua prædicatione eſſent mundum tenebris ignorantiæ & putredine peccatorum
purgaruri, dicuntur.

TERTIO catholica eccleſia, Apoſtolica uocatur quòd omnes Chriſtianæ religionis ri-
tus & obſeruantiæ, quas in prima illa plantatione, aut ſcripto, aut uerbo docuerunt, in-
Lib. de bap. con. Donat. 2. uiolatas, per multas ſæculorum centurias hucuſque conſeruet. Vnde Auguſtinus, Illa,
quæ per uniuerſam cuſtodiuntur eccleſiam, ab ipſis Apoſtolis tradita & commemorata
Libro 2. de bap. contra Dona. c. 7. creduntur, quamuis in eorum dictis uel conſiliis non reperiantur. Et rurſus, Multa
non inueniuntur in Apoſtolorum literis, neque in conciliis poſteriorum: & tamen
quia cuſtodiuntur, per uniuerſam eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commenda-
ta creduntur.

QVARTO demum, catholica Eccleſia, Apoſtolica dicitur, per ſynecdochen, id eſt,
capitis, Eccleſiæ nimirum Romanæ, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ratione.
Nam eas Eccleſias, quibus Apoſtoli præfuerunt, Apoſtolicas dici, præter frequentem
uſum ueterum, potiſsimè uerò Euſebij, aliorumque eccleſiaſticorum hiſtoricorum,
Libro 2. de doctri. Chriſt. cap. 8. Auguſtinus teſtatur. In canonicis, inquit, ſcripturis indagator ſolertiſsimus, eccleſia-
rum catholicarum, plurium auctorıratem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apo-
ſtolicas ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt. quanquàm hic locus in Decretis
Gratiani corruptus circumferatur. Apoſtolicas ſedes enimuerò uocat Auguſtinus, illas,
quas epiſcopali magiſterio formarunt Apoſtoli: inter quas per excellentiam, quemad-
modum inter reliquos Apoſtolos Petrus & Paulus, Romana, cui præſederunt, (aut quod
negari non poteſt) quam euangelica doctrina formarunt Apoſtolica dicitur. In cuius ap-
pellationis conſuetudine, tam ab ipſis Apoſtolorum principibus Petro & Paulo, in uni-
uerſa eccleſiaſtica repub. frequens fuit uſus, ut exẽpla proferre, uideatur ocioſum. Certè
Anacletus ipſis Apoſtolicis ſæculis, omnibus tribus epiſtolis, ſe epiſcopum Apoſtolicæ
ſedis appellat. Sorer unica ad epiſcopos Campaniæ, Apoſtolicæ ſedis Archiepiſcopum ſe
uocat. Marcellus ſub Maxentio tyranno, Euſebius Pontifex ſub eadem tempora, ad
Aegyptios & Alexandrinos ſcribens, & deinceps penè omnes Pontifices, Apoſtolicæ ſe-
dis epiſcopos ſe nominant. Et ne quis hoc eorundem ambitioni tribuat, quod hæretici
cauſari ſolent, ſic certè Marcum Romanum Pontif. omnes Aegyptij Pontifices appellãt,
eriam poſt concilium Nicænum, in quo eccleſiaſticum imperium diuiſum, & in patriar-
chias diſtractum, iidem contendunt. Sancto, aiunt, & apoſtolici culminis uenerãdo do-
mino, Marco, ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis atque catholicæ eccleſiæ Papæ, Atha-
naſius, & uniuerſi Aegyptiorum epiſcopi, &c. Et rurſus ad Liberium ſcribẽtes, eiuſdem
ſedis prædicariones & doctrinas, Apoſtolicas uocant. Ad Fœlicem etiam Pontificem
ſic ſcribunt, Domino beatiſsimo & honorabili ſancto Patri Fœlici, ſanctæ ſedis Apo-
ſtolicæ & urbis Romæ Papæ. Eodemque elogio Stephanus Africanus epiſcopus, cum
tribus Africanis conciliis Damaſum pontificem coornant, Beatiſsimo domino & Apo-
ſtolico culmini ſublimato, patri patrum Damaſo Papæ, &c. Et demum Hieronymus,
Ad beatiſsimum Papam Damaſum ſedis Apoſtolicæ urbis Rom. &c. ſcribit. Vbi & or-
dinem Apoſtolatus Rom. Pontificatum appellat. Iuuat hanc noſtram ſententiam, quòd
cùm in Apoſtolico ſymbolo eadem eccleſia, quæ Apoſtolica dicitur, catholica quoque
uocitetur, in his Rom. Pontif. titulis, non modò, quibus ipſi antiquo iure in ſcribendo
utuntur, ſed quos alij ad eos ſcribentes uſurpant, catholicæ aut uniuerſalis (quod idem

eſt)

eſt) & Apoſtolicæ ſedis appelletur Epiſcopus. de qua re plura poſtea, cùm de tertia catholicæ doctrinæ regula loquemur, ſumus dicturi.

QVINTO' Eccleſia catholica, per ſynecdochen etiam, id eſt, ratione Romanæ eccleſiæ, Apoſtolica nocatur, quòd ea ſola inter cæteras, quas Apoſtolici uiri fundarunt, Apoſtolicum munus, per totum euangelij tempus, & officium exerceat. Erāt apoſtoli, & epiſcopi & apoſtoli: quatenus autem epiſcopi erant, certos terrarum tractus, certasque prouincias, quas diœceſes appellarunt, non Apoſtolico ſed epiſcopali imperio moderabantur: quatenus uerò Apoſtoli Chriſti, id eſt, Chriſti legati erant, in uniuerſum
Orbem, uniuerſasque pronincias obtinuerunt imperium, iuxta illud, Prædicate euan- *Marc. 16*
gelium omni creaturæ, qui crediderit, &c. Manſit itaque in Romana Eccleſia, propter Petrum, non tantùm epiſcopalis, ſed in Orbem quoque uniuerſum Apoſtolica auctoritas, qua legatione Chriſti fungeretur, apud omnes eccleſias. Vnde qnòd ea eccleſia propter eundem Petrum caput ſit uniuerſalis eccleſiæ, Apoſtolica dicitur.

VOCAMVS igitur Apoſtolicam eccleſiam catholicam, non à numero aut Apoſtolorum ſæculo, ſed qnòd totius huius ſanctæ eccleſiæ caput ſit Eccleſia Romana, quæ inter cæteras uniuerſas eccleſias, tum fundatoris, tum officij, quòd modò retinet, ratione, Apoſtolica dicitur.

SED IAM ad ſecundam rationem ueniamus, in qua cunctas illas promiſsiones Chri- *Diluitur*
ſti, quibus Spiritus ſanctus, doctor eccleſiæ promittitur, tantùm ad aduentum illum ui- *2. ratio.*
ſibilem einſdem ſpiritus, non item ad noſtram eccleſiam pertinere contenditur. Quæ profectò non aliunde facilius diluetur, quàm ipſa eorundem locorum, qui opponuntur, integra narratione. Ego, inquit Chriſtus, rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Quandiu? ut maneat, inquit, uobiſcum in æternum. non igitur tantummodò apoſtolico ſæculo, ſed uſque ad mundi finem Spiritus ſanctus catholicæ eccleſiæ tributus eſt doctor. Nam quòd ſecundo loco adducebatur, hunc eundem habere ſenſum, ipſa Apoſtolica & eccleſiaſtica hiſtoria non obſcurè docet. Adhuc, inquit Chriſtus, multa habeo nobis dicere, quæ non poteſtis portare modò: cùm autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem neritatem. An'ne omnem ueritatem, in uiſibili illo ſpi-
ritus aduentu apoſtolici niri acceperunt? Quid ergo poſt non paucos annos, gentes *Act. 10.*
eſſe cohæredes euangelij dubitabant? Quid Petrus cœleſti uiſione commonefactus, *Act. 11.*
uix hoc fratribus uniuerſis in concilium coactis, intorquet? Quid legis Moſaicæ in- *Act. 15.*
teritum & ceſſationem poſt multa tempora ignoraſſe ſe produnt? An'non erant hæ ueritates neceſſariæ? Ergo licèt ab eo uiſibili aduentu Spiritus ſanctus ſanctæ eccleſiæ in cuncta futura ſæcula datus fuerit doctor, non tamen eo aduentu omni ueritate Apo-
ſtolicas mentes, aut eius temporis eccleſiam repleuit: ſed (ut antea docuimus) iuxta *Lib. 6.*
temporum & eccleſiaſticæ ætatis incrementa, ut optimus magiſter, ueritatem explicuit. Nec aliorſum uiſibilis ille linguis igneis, & uehementi ſtridore, ſpiritus aduentus non
modò Apoſtolis ſed infidelibus, Perſis, Elamitis, &c. notus contendit, quàm ut uni- *Act. 2.*
uerſi mortales intelligerent, Eccleſiam Chriſti perpetuum doctorem & magiſtrum, qui eccleſiaſticorum hominum linguis, humana corda illuſtrantibus, & diuini amoris calore ardentibus, orbem perpetua prædicatione concuteret, ab eo iam tunc tempore, diuino munere, & Chriſti ſponſi merito, fuiſſe ſortitam: non item quòd ſimul cum linguis illis, cunctas eccleſiaſticas ueritates acceperit, licèt multas; quæ tunc inchoante prædicatione, neceſſariæ erant, cùm eo cœleſtis ſpiritus robore, quo fragilium animorum quoque infirmitas fuit excluſa, eo die nacta fuerit. Verùm non modò de hoc ſæculo, ſed toto illo, quo in terris actura eſt, temporum ſpatio, eccleſiam catholicam Spiritum ſanctum habiturā magiſtrum, Paulus apoſt. de eo ſpiritus aduentu ſermonem
faciens, abundè oſtendit, Vnicuique, inquit, noſtrûm data eſt gratia ſecundum men- *Ephes. 4.*
ſuram donationis Chriſti, propter quod dicit, Aſcēdens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. loquitur hîc Apoſtolus de Chriſti aſcenſione, unde cœleſtis illa donorum ſpiritualium, quæ à uiſibili illo ſancti Spiritus aduentu eccleſiam in-
undare cœperunt, affluentia exoritur. Sed ego, inquit, ueritatem dico uobis, expedit *Ioan. 16.*
uobis ut ego uadam. ſi enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos: ſi autem abiero,

mittam eum ad uos. Ergo aſcendens in altum, dedit dona hominibus, aut, ut habet
Pſal. 67. textus hebraicus, לקחת Lacachta, id eſt, accepiſti à patre, nimirum, cui tunc no-
ſtræ carnis naturam offerebat: quod nimirum noſtræ redemptionis perfecto myſterio,
& corpore, quod aſſumpſerat, cœlis illato, poſt decem dies, quibus ad eius ſuſceptio-
nem diſponi oportebat, omnium ſpiritualium chariſmatum auctorem Spiritum ſanctũ,
ſuæ eccleſiæ donauerit. Sed quæ ſunt iſta dona, quæ à patre accepit, & hominibus do-
nauit? Quoſdam, ſubiungit, dedit Apoſtolos, quoſdam prophetas, alios uerò Euan-
geliſtas, alios autem paſtores ac doctores. Quæ eccleſiaſtica munera, an omnia ſimul
fuerint in eccleſia, an uerò diuerſa ſæculis & temporibus, prolixo ſermone antea ex-
poſuimus. Sed quod hoc loco ad rem præſentem attinet, aduertamus. Quandiu hîc
per ſpiritum Christi, dona eccleſiaſtica ſunt tribuenda? ad conſummationem ſanctorũ,
id eſt, quouſque ex hac uita mortali in cœleſtes illas ſedes, quas Dominus eiſdem, ante
mundi conſtitutionem prædeſtinauit, electi conſcendant, donec impleatur electorum
numerus, propter quem tantum peccatorum ſcelera Deus patienter tolerat, id eſt, quã-
Ephe. 5. diu corpus Chriſti, eccleſia nimirum illa, quam ſibi Chriſtus ſine macula & ſine ruga in
fine ſæculi exhibiturus eſt, numero integro prædeſtinatorum non fuerit impleta, aut
Rom. 9. ſi uultis clarius, donec occurramus omnes non modò gentes, ſed Iudæi (quorum reli-
quiæ, cùm intrauerit plenitudo gentium, ſunt quoque ad Chriſtum acceſſuræ) in uni-
tate fidei & cognitionis filij Dei, in uirum perfectum, id eſt, in eccleſiæ non iam carnis
pluſquàm fœminea fragilitate, peccantis formam, ſed in uirilem prorſus, qualem Chri-
ſtus, cum uitæ curſum impleuit, habuiſſe refertur. Qua periphraſi, niſi quis diem iu-
dicij, & totius huius eccleſiaſticæ areæ finem intelligat, præter hoc, quòd omnes eccle-
ſiaſticos patres habet aduerſos, ipſius eiuſdem ſancti Apoſtoli, ubi eandem penè ſen-
1. Cor. 15. tentiam uſurpat, teſtimonio conuincitur. Sicut in Adam, inquit, omnes moriuntur, ita
& in Chriſto omnes uiuificabuntur. unuſquiſque autem in ordine ſuo, primitiæ Chri-
ſtus; deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt; deinde finis, cùm
tradiderit regnum Deo & patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem
& uirtutem. Agit hoc loco Apoſtolus de uniuerſali illa mortuorum reſurrectione, &
uiuificatione, quæ reſumptis corporibus, ipſo uniuerſalis iudicij die, in fine mundi &
eccleſiæ militantis facienda eſt: tuncque, inquit, euacuandam eſſe omnem poteſtatem,
& uirtutem, quæ per diuerſa Spiritus ſancti chariſmata, quibus interim gubernatur ec-
cleſia, proculdubio ſignificat: illa nimirum, de quibus in eadem epiſtola prius locutus
1. Cor. 12. fuerat, dicens. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij qui-
dem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alteri fides in eodem ſpiritu, &c. et ſubinde;
Quoſdam quidem poſuit in eccleſia Deus primùm Apoſtolos, ſecundò prophetas, ter-
tiò doctores, deinde uirtutes, exinde gratiarum curationes, genera linguarum, inter-
pretationes ſermonum. hi ſunt principatus & uirtutes, quibus uſque in diem illum iu-
dicij, in euangelicæ uitæ ſenſu & officio continetur eccleſia, quouſque ſcilicet eandem,
quæ legitimum Chriſti regnum eſt, duplici ſtola immortalitatis decoratam, & nulla
iam uel doctrina, quæ tenebras ignorantiæ pellat, uel hominum gubernatione indi-
gentem, patri, qui futurus eſt omnia in omnibus æterno eius imperio pariturum ex-
hibeat. At id de duabus rationibus, quas pro noſtris hæreticis excogitauimus, di-
xiſſe ſit ſatis.

Svnt tamen & in hanc iſtorum ſententiam argumenta quædam alia; ut quòd apud
Luc. 18. Lucam ait Chriſtus, Veruntamen filius hominis, putas'ne inueniet fidem in terra? Et
illud, quod prius à Daniele dictum de conſummatione ſæculi Chriſtus uſurpat. Defi-
Daniel. 9. Matth. 24. ciet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & uſq; ad conſum-
mationem & finem perſeuerabit deſolatio. Ex quibus duobus locis aliiſque ſimilibus
colligunt hæretici, eccleſiam ante finem mundi aliquando defecturam.

Vervm hæc ſimiliaque multa, quæ undique coguntur, ſunt prorſus futilia. Eſto
enim uerum eſſet, quod contendunt, aliquando ſcilicet fidem defecturam: quandocun-
que tamen eam defeciſſe contenderint, cùm diei iudicij certitudo non detur, prorſus
erunt temerarij. Eiſdemque locis (ſi quibus aliis) in ſancta ſcriptura hæreticarum ſecta-
rum inuentores confodiuntur. ipſi enim ſunt, qui fidem, quam Chriſtus plantauit, per
inſanias corrumpunt: ipſi etiam ſunt, qui ſanctum eccleſiæ ſacrificium, id eſt, Chriſti

uetum

uerum corpus & ſanguinem è medio auferendo, uacuitatem deſolationis inducunt; ſicut eſt dies hæc in Germania, in Anglia, & cæteris. Nam cùm fides atque adeò eccleſia, ſi ſit defectura, non alio tempore, quàm Antichriſti tempore ſit defectura, nec rurſus ante iudicij diem, ut in his locis dicitur, ſit reparanda: fieri non poteſt, ut catholica, quam iſti papiſticam uocant, eccleſia, ſit ea eccleſia, quæ fide carere debeat, cùm hi noui reparatores Chriſtianæ religionis, & euangelij, nunc mundo donentur. Aut ergo catholica eccleſia, nunquam deficiet, aut ſi aliquando deficiet, modò non dum defecit à recta fide: aut ſi defecit, hæretici, qui eccleſiaſtica dogmata emendare conantur, non ſunt fidei reparatores, alioquì Chriſtus cùm ueniet, inueniet fidem, & abominatio deſolationis non perſeuerabit uſque in finem. cuius utriuſque contrarium, producti loci decernunt.

RESPONDEMVS igitur, primum locum, raritatem fidei, quæ eo ſæculo propter infidelium & hæreticorum perſecutiones futura eſt; ſecundum, eodem tropo ac figura, euangelici ſacrificij rarum uſum, non item fidei aut ſacrificij integrum defectum, & abolitionem, hyperbolicè oſtendere. Cuius utriuſque iniquitatis myſterium, noſtra memoria per Antichriſtianos ſatellites iam nunc operatur. Sunt tamen, qui Danielis prophetiam ad euerſionem Hieroſolymorum referant: quibus non refragor, dum ſimile quid in mundi finali dirutione, & Chriſti templo, quod eſt eccleſia, euenturum non renuant. de utroque enim Chriſtum illic loqui, negari non poteſt.

Turrecre. lib 1. ſum cap. 38.

Quòd Eccleſiæ, quæ interpres ſcripturarum, & iudex eſſe debet controuerſiarum Chriſtianæ religionis, certæ notæ non ſint ſincera prædicatio uerbi Dei, & legitimus uſus ſacramentorum, ut hæretici contendunt, Cap. XXV.

EVICIMVS, ni fallor, eam eccleſiam, quæ ſanctarum ſcripturarum interpres, & proinde controuerſiarum Chriſtianarum iudex eſſe debeat, non prædeſtinatis tantùm, ſed reprobis; nec iuſtis tantùm, ſed peccatoribus; nec peccatoribus & iuſtis tantùm Apoſtolici ſæculi, ſed cuiuſque, ad finem uſque mundi, uera ac ſincera fide uiuentibus iuſtis ac peccatoribus conſtare. Supereſt nunc eiuſdem eccleſiæ notas expendere. nam huc uſque nobis cum hæreticis multis conuenit: quanquàm lib. quinto de hac re multa dixerimus, ſed quæ ea, quæ hîc dicemus, faſtidioſa non reddant, cùm illic homini Chriſtiano, cui eccleſiæ, id eſt, cui hominum Chriſtianorum congregationi eſſet adhærendum: hic uerò, cui eccleſiaſtico iudicio in legitimi ſenſus ſanctarum ſcripturarum indagine ſit acquieſcendum, contendamus oſtendere. illa tamen & hæc, ut integram quis eccleſiæ uerè cognitionem acipiat, ſunt copulanda.

ERGO inter eos, qui apud noſtri ſæculi nouatores famoſiores habentur, Philippus Melanchthon eccleſiam, quæ eſt in hac uita, non aliud definit, quàm cœtum amplectentium euangelium, & rectè utentium ſacramentis, in quo filius Dei per myſterium euangelij, uerè ſit efficax & multos regeneret uoce euangelij & Spiritu ſancto, & faciat hæredes uitæ æternæ. Quam ſententiam idem ſic explicat, Signa tria ſunt monſtrantia eccleſiam, neceſſaria & uniuerſalia, doctrinæ euangelij incorrupta profeſsio, uſus ſacramentorum conueniens diuinæ inſtitutioni, & obedientia debita miniſterio euangelij. De primo & ſecundo dicitur, Oues meæ uocem meam audiunt. item, Fundamentum aliud poni non poteſt præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS. item, Vna fides, unum baptiſma. & de omnibus ſimul dicitur 1. Corinth. c.1. Idem dicatis omnes, nec ſint inter uos ſchiſmata, & ſitis coagmentati eadem mente & eadem ſententia. item, Obedite præpoſitis ueſtris, hæc tria ſunt neceſſaria. Hactenus Philippus. Ioannes Caluinus, non tria, ſed duo tantùm ueræ eccleſiæ ſigna conſtituit, ſinceram nimirum uerbi Dei prædicationem, & uſum ſacramentorum, ex Chriſti inſtitutione: que duo ſi adſint in aliqua eccleſia, eius auctoritatem ſpernere, uel monita reſpuere, uel conſiliis refragari, uel caſtigationes eludere, nemini impunè liceat: multoque minus, ab ea deſi-

In confeſſ. Auguſt. in reſpon. ad inquiſition. Bauaricâ. q. 1. & 2. in Apolog. confeſſ. Auguſt. & in locis cōmunibus. Ioann. 10. 1. Cor. 3. lib. 4. inſt. cap. 1.

Petrus Vermel mart. cõtra Smythæum.

cere, atque eius abrumpere unitatem. Atque hanc ſententiam, penè maior hæreticorum noſtræ memoriæ pars libenter amplectitur, quòd nimirum ad ſuas fictioſas inuentiones, quibus unuſquiſque non modò in catholicam eccleſiam, ſed in aliorum hæreticorum quoque ſynagogulas deſæuit, impune tuendas aptam eſſe credat.

At, eam non aliunde, quàm ex noſtro illo, non modò ſanctæ ſcripturæ, ſed humano quoque ſenſui conformi axiomate, nimirum non minùs unum & eundem legum diuinarum ſenſum, quàm unas & eaſdem leges ad prouidentiam pertinere, conuellere oportet. Nam cùm uniuerſi; hæreticorum greges (etiam qui maximè delirant) inuictiſsimè ſinceram euangelij prædicationem, & rectum uſum ſacramentorum, apud ſe eſſe contendant, quod hodie in noſtrorum hæreticorum diſsidio palpamus; nullus profectò quantumuis hæreticus, extra eccleſiam eſſe aut ad eccleſiam non pertinere, conuinci poterit; atque adeò, neque ullus unquam, quis ſit legum diuinarum legitimus ſenſus, dignoſcere ualebit. Enimuerò in tanta ſententiarum contrariarum turbulentia, quantam nunc apud Germanos, Anglos, Gallos, &c. ſæuire uidemus, nemo eſt, qui ſincera uerbi Dei prædicatione, & legitimo ſacramentorum à Chriſto inſtitutorum uſu ſe gaudere non iactet: neque eis ſuæ ſententiæ ſtatuendæ inſuperabiles (ut illi credunt) rationes deficiunt. Omnes ſiue qui unum, ſiue qui duo, ſiue qui tria, ſiue qui quatuor, ſiue qui quinque, &c. ſacramenta uſurpant, nulla alia credunt à Chriſto inſtituta. Quis ergo ex tam communibus notis, ueram eccleſiam, quæ legitimi ſenſus iudex eſſe debeat, deprehendere queat?

At ais, Non quod iſtis aut illis hominibus uidetur, ſed quod ſanctarum ſcripturarum ſententia colligitur, ſincerus eſt euangelij ſenſus & prædicatio. deinde neque illa ſacramenta, quæ hic aut ille homo à Chriſto inſtituta docet, ſunt perinde ſacramenta à Chriſto inſtituta, ſed quæ ipſum Dei uerbum expreſſum, à Chriſto inſtituta expreſsè refert. Sit ita: uerùm, quæſo te per Deum immortalem, quis adeò eſt tam ſtupidus hæreticus, qui non putet ſe ſolum Euangelij & ſanctarum ſcripturarum legitimum ſenſum habere? Quis alios uniuerſos non prorſus ſtupidos, ſe ſolum uerò omnium mortalium ſapientiſsimum, ſibi ipſi, ſuæ inſaniæ initio nõ perſuaſit? Aut ſi hæ ſunt certæ eccleſiæ notæ, ut Philippus & Caluinus ſcribunt, cur uterque, cùm & dogmatibus & uſu ſacramentorum diſsideant, in unam Eccleſiam non conueniunt? Cur Philippus & proteſtantes, ſuam eccleſiam, non item Caluini eccleſiam ſacramentariam, id eſt, in diuina ſacramenta ſacrilegam, ueram eccleſiam arbitrantur? aut cur Caluinus ſuam tantummodò admiratur, cæteras omnes, quaſi adulterinas & falſas accuſat?

Fit itaque horum, qui ſe ſolos in rerum diuinarum eruendis myſterijs diuinum ſpiritum accepiſſe gloriantur, doctrina & ſententia, ut homo Chriſtianus, cùm in omnes hæreticorum & perditorum hominum ſynagogas impingat, nunquam tamen Dei eccleſiam apprehendere queat. Fit eorundem opera, dum ueræ Eccleſiæ diſciplinam inanibus ratiunculis declinare conantur, ut nulla inter gentes idololatras cæteraſque infideles nationes, Chriſtiana republica ſit infœlicior: quandoquidem Romanus quæ'nam eſſet Romana; Athenienſis, quæ'nam eſſet Athenienſis; Lacedæmonius, quæ'nam eſſet Spartana; Carthaginiẽſis, quæ'nam eſſet Carthaginienſis; Iudæus, quæ'nam eſſet Iudaica; Chriſtianus contrà, qui'nam ſint Chriſtiani ciues, aut reſpublica, neſciant. Fit horum ſacrilego ſtudio, ut non ſit aliud Chriſtiana religio, quàm certus quidam laqueus, quo ij, qui ei nomina tradiderunt, per errorum denſiſsimas tenebras, Andabatarum more, ſine diuini luminis certa & infallibili cognitione, uagentur: cùm contrà aliarum rerum publicarum ciues, quæcunque ſint illæ, ſuarum religionum certam & indubitatam cognitionem poſsideant. Quæ profectò res tanto externorum hominum mentes ſcandalo afficit, ut Turca & Iudæus, quòd de ſuis religionibus, & earum certa cognitione non dubitent, ſe putent fœliciſsimos, exiſtimentque rectè ſecum actum; quòd in Chriſtianam religionem, tot, ut illi credunt, ſententiarum ac opinionum portentis perniciosè confuſam, non fuerint pertracti: quòd niſi cum eis diſputanti ſæpenumerò mihi fuiſſet obiectum, non hîc ſcriberem. Propter hos igitur non tam Papiſtica eccleſia (ut illi uocant) quàm uniuerſalis Chriſtiana religio, ab infidelibus hominibus, cachinnis excipitur, dum Dei conſilium ignorantes, tanta eandem ſententiarum & opinionum confuſione, fluctuare conſpiciunt; dum uident domeſtico bello cum ingenti

ſuæ

ſuæ infidelitatis emolumento diſcerpi; dum ſibi mutuò gratulantur, ſperantque ſubinde futurum; ut (quod in rebus quamlibet ingentibus ſolet accidere) res Chriſtiana, mutua diſcordia dilabatur & intereat, aut ad eum ſtatum redigatur, in quo ut olim (quod maiori ex parte factum uidēt) rurſus infidelibus ſeruiat. Sed iam quæ tandem ſint ueræ & eccleſiaſticæ cathedræ certiſsima ſigna, ueræque eius Eccleſiæ notæ, quæ diuinarum ſcripturarum eſt fideliſsima interpres, continuò dicamus. Nihil enim profuiſſet falſas aliorum diffinitiones eluſiſſe, niſi etiam ueritatem oſtendamus, quò ueræ & Chriſtianæ religionis amator, falſarum eccleſiarum magiſterio repudiato, conuertatur ad uerum.

Quòd ueri Eccleſiaſtici magiſterij certiſſima nota ſit legitima Paſtorum, præſertim uerò Romani Pontificis ſucceſſio, eorumq́; traditio. CAP. XXVI.

SVnt itaque ueræ & doctricis Eccleſiæ notæ, non aliæ quàm illæ, quas in cæteris quibuſcunque rebus publicis & rationibus uiuendi, ciuilis & humana prudentia fixit, legitima nimirum illorum, qui doctrinæ ac religioni præficiuntur, ſucceſsio. Hos enim in rebus dubiis religionis, conſulendos eſſe, non modò publicus omnium mortalium uſus ubique gentium uſurpatus confirmare uidetur, ſed Chriſtus ipſe, adhuc Moſaica illa republica & ſtatu conſtante, planiſsimè docuit. Super cathedram, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite: ſecundum uerò opera eorum, nolite facere. dicunt enim & non faciunt. Cathedram enimuerò, Chriſtus, non gymnaſij aut ſcholæ locum, quo lex Moſaica ediſſereretur, ſed totius eius Moſaici ſtatus, ſiue in ſacerdotio, ſiue in ea, quæ ſemper ſacerdotio annexa eſt, doctrina, ſucceſsionem intelligit. Neque enim ſacerdotium unquam fuit ſine ſcribis, quòd eſſent docēdæ legis (quod munus ſemper ſacerdotio incubuit) inſtrumēta quædam. aut ſcribas, reliquosq́; legis interpretes, quos per Phariſæos, qui eo ſeculo doctrinam uſurpauerant; ſignificat, ſine ſacerdotio intelligit. ſicut & in euangelico ſtatu, & doctrina & ſacerdotium, aut in una eademq́; perſona coniunguntur, aut in diuerſis, qui mutuò ſibi ad ſanctæ eccleſiæ conſtructionem ſubſeruiant. Vnde quidam ſanctorum patrum, eum locum de epiſcopis, qui propriè docendi munus in eccleſia ſuſceperunt; quidam de aliis quibuſcunque, qui doctrinæ ac ſapientiæ arcem conſcenderunt, interpretantur. Habes dominum dicentem de Phariſæis, ait Auguſtinus, Cathedram Moyſi ſedent Phariſæi, & ſcribæ, &c. Non eos ſolos ſignificabat dominus, quaſi uerò eos, qui crederent in Chriſtum, ad Iudæorum ſcholam mitteret, ut ibi diſcerent, quemadmodum, iter ſit ad regnum cœlorum. Non'ne dominus uenit ut inſtitueret Eccleſiam, ipſoſque Iudæos bene credentes, & bene ſperantes, & bene diligentes ſegregaret, tanquàm frumentum à paleis, & faceret unum parietem circuncisionis, cui iungeretur alius ex præputio gentium: quibus duobus parietibus ex aduerſo uenientibus, eſſet ipſe lapis angularis? Et poſt pauca, Cùm ergo præfiguraret, quoſdam tales in Eccleſia futuros, quid ait? Scribæ & Phariſæi cathedram Moyſi ſedent, Quæ dicunt facite, ſed quæ faciunt, facere nolite. Quando illud audiunt clerici mali, quod in ipſos dicitur, uolunt peruertere iſtam ſententiam. nūquid non, ſi illis liceret, delerent illam de euangelio? ſed adeſt domini gratia & miſericordia, nec ſinit eos facere, quia circumſepſit ueritate ſua omnes ſententias ſuas, & librauit, ut quidquid aliquis præcidere uoluerit, aut inducere malè legendo, uel interpretando, ille, qui cor habet, quod præciſum eſt ſcripturæ, & legat ſuperiora uel inferiora, & inueniet ſenſum, quem uolebat ille malè interpretari. Quid ergo putatis iſtos dicere, de quibus dicitur, Quæ dicunt facite? quia uerè ſanis laicis dicitur. Laicus enim, qui uult bene uiuere, cùm attenderit clericum malum, quid ſibi dicit? Dominus dixit, Quæ dicunt facite, quæ faciunt, facere nolite. Audiant ab illo, non uerba ipſius ſed Dei. Hactenus Auguſtinus. Dicuntur igitur ea Chriſti uerba, non tam de Moſaico, quàm de Euangelico ſtatu, in quo nimirum uera euangelicæ diſciplinæ cathedra, quemadmodum olim in Moſaico,

Math. 23

Aug. de uerbis domini Serm. 49.

quam

quam omnes audiremus, idem Chriſtus expoſuit. Præcipimur autem ad ſcribas & Phariſæos, non item ad Euangelicos ſacerdotes accedere: quòd quanuis eſſet iam morum diſciplina degenerante corruptiſsimus, nondum tamen euacuatus fuiſſet Moſaicus ſtatus. Vnde Origenes, Si autem ſcribæ & Phariſæi ſedentes ſuper cathedram Moyſi, ſunt Iudæorum doctores, ſecundum literam, docentes legis mandata, quomodo iubet nos Dominus, ſecundum omnia, quæ dicunt illi, facere, cùm Apoſtoli uetent in actis uiuere ſecundum literam legis carnaliter intellectã? Quæcunque ergo dicunt nobis, ex lege intelligentes ſenſum legis, facimus. Et poſt pauca, Sed quare hoc non de lege gratiæ mandat, ſed de doctoribus, Moyſi? Quia ſcilicet nondum erat tempus, præcepta legis ante tempus paſsionis manifeſtare. Hactenus Origenes. Communem itaque Euangelicæ legis cathedram, quæ ſemper annexa eſt ſacerdotio, & ſacerdotij legitimæ ſucceſsioni, quaſi uerum magiſterium audire præcipimur, ad eamque Chriſtus quaſi ad ueræ doctrinæ fontem, Chriſtianos hortatur. Nam quòd ea, quæ cũ legitima ſacerdotum & paſtorũ, præſertim uerò Romanorum Pont. ſucceſsione, annexa eſt doctrina fideq;, ſemper ueteres eccleſiæ de religione cõtrouerſiæ quaſi uera ac eccleſiaſtica ſentẽtia & decreto terminatæ fuerint, ab einſdem eccleſiæ primordiis, eccleſiaſticorum patrum ſcripta tam apertè teſtantur, ut neque hoc noſtri temporis hæretici negare potuerint. Ec-
Lib. 1. epiſ. 5 & 1. cleſia una eſt, inquit Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus contra Nouatianum diſputans, quæ una intus eſſe & foris non poteſt. Nam ſi apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Quòd ſi apud Cornelium non fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſsit, Nouatianus in eccleſia non eſt. Hactenus Cyprianus. Cuius argumentum ſi quid ualeat, an noſtri hæretici, qui nullas ſuarum eccleſiarum legitimas, immo nec illegitimas quidem ſucceſsiones oſtendere poſſunt, in eccleſia contineantur, procliue eſt cognoſcere. Sed ad rem. Non alio profectò argumento hæreticas olim inuaſiones, Tertullianus procul ab eccleſiaſtico ac perinde euangelico magiſterio alienas eſſe conuincit, quàm quòd contra ueterem & auitam eccleſiarum ſucceſsionem inſurgentes, doctrinam ſuam, nullo legitimo Epiſcoporum & doctorum ordine, in apo-
De præſcri. hæret. ſtolos ipſos & Chriſtum refunderent. Edant, inquit, origines eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis uel Apoſtolicis uiris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo eccleſiæ apoſtolicæ ſenſus ſuos referunt, ſicut eccleſia Smyrneorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert; ſicut Romanorum Clementem à Petro edit. proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos, apoſtolici ſeminis traduces habeant. confingant tale aliquid hæretici. Hactenus ille. Nec profectò immeritò hi patres, tanta animi confidentia, in ueri & eccleſiaſtici magiſterij inquiſitione, tantum legitimæ paſtorum & eccleſiarum ſucceſsioni tribuerunt. uiderant enim iam dudum, ad eam quaſi ad Lydium lapidem, ab ipſis apoſtolicis ſæculis uetuſtiores eccleſiæ patres, omnes de religione, quæ emergebant, ſententias affricaſſe. Cuius rei locupletiſsimus teſtis eſt Ireneus Lugdunenſis Epiſcopus, eſſentque haud dubium alij eius ſæculi, in quo iam ſucceſsiones paſtorum aduertere licebat, ſi per temporis iniuriam & Ethnico-
Lib. 4. c. 63 rum perſecutiones, eorum ſcriptis nobis frui licuiſſet. Agnitio uera, ait Ireneus, eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus eccleſiæ ſtatus in uniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti ſecundum ſucceſsiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, eccleſiam tradiderunt, quæ peruẽnit uſque ad nos cuſtodita, ſine fictione, ſcripturarum tractatione pleniſsima: neque ablationem recipiens, lectio ſine falſificatione, & ſecundum ſcripturas expoſitio legitima & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod eſt precioſius quàm agnitio, glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminens. Hactenus Tertullianus, breuiſsima regula totius Chriſtianæ religionis inſtitutum complectens.

Observarunt perpetuò eccleſiaſtici uiri omnes, quorum doctrina modò in hæreticis machinis conterendis utimur, eandem Epiſcoporum, & legitimorum paſtorum
In epiſtola ad Damaſ. ſucceſsionem, quaſi ueram amuſſim, ad quam, quaſi ad ueri eccleſiaſtici magiſterij regulam, dogmata exigerentur. Vnde Hieronymus tanti facit Petri ſedem, ut eum, qui

Damaſo

Damaſo Pontifici adhæreret, ſuum eſſe dicat, cæteros uel ſe noſſe neget. In illa, inquit alibi, permanendum eſt eccleſia, quæ ab Apoſtolis fundata, uſque ad diem hanc durat: ſicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino IESV Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupati, utputa Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campales, ſcito non eccleſiam, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Ex hoc enim ipſo quòd poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænunciauit. Hactenus Hierony. Legitima profectò paſtorum, qui in Chriſtiana diſciplina tradenda nunquam quicquam innouarunt, ſucceſsio facit ut Chriſtiani, abſolutè Chriſtiani uocentur. nam cæteri omnes, qui nouatores ſequuntur, licèt Chriſtiani quoque appellentur, nouatoris tamen ſibi nomen aſciſcunt, ut Arriani, Nouatiani, Lutherani, Caluiniani, &c. Vincentius Lyrinenſis, eiuſdem antiquitatis homo, haud aliud toto illo aureo libello, quem aduerſus prophanas hæreticorum nouationes edidit, contendit, quàm, quòd in colenda religione, ſemper ſit patrum, qui nobis legitimè præfuerunt, imitanda ſententia. ſed aptius & uberius cæteris omnibus idipſum docet Auguſtinus, tum alibi, tum libello contra epiſtolam Fundamenti Manichæi. Multa, inquit, ſunt, quæ me in eccleſiæ gremio iuſtiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, uetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas dominus commendauit, uſque ad præſentem epiſcopatum, ſacerdotum ſucceſsio. Hactenus Auguſtinus. Cuius ſententiam, ſicut & ille priorum, uniuerſi poſteriores Eccleſiaſtici patres ſemper ſunt imitati, docentes perpetua conſtantia, ibi tantùm ueræ doctrinæ magiſtram eccleſiam inquirendam eſſe, ubi fuerit ab apoſtolicis temporibus legitima paſtorum & epiſcoporum ſucceſsio: ubi, inquam, immutata doctrina & traditione Epiſcopus Epiſcopo ſucceſsit.

Vincen. Lyrin.

AT IN hanc doctrinam quantum poſsit gigantea illa hæreticorum noſtræ memoriæ uirtus, eorum uerbis propoſitis lector diiudicet. Cõmemorant (de catholicis loquens, inquit Ioannes Caluinus) quanti ſucceſsionem fecerint, Iræneus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alij, quæ quàm friuola ſint & planè ludrica, faciam ut nullo negocio intelligant ij, qui mecum ea paululùm expendere uolent. Et quidem eos quoque hortarer, ut huc animum ſeriò aduerterent, ſi quid docendo me apud eos poſſe confiderem: ſed quando illis omiſſa ueritatis ratione, hoc unum propoſitum eſt, quacunque poſſunt uia, rem ſuam agere, pauca tamen dicam, quibus ſeſe boni uiri & ueri ſtudioſi, ab eorum captionibus expedire queant. Audiſti pluſquàm Thraſonicas minas, ſed quomodo tandem quod tam magnificè promiſit, hæreticus præſtet, iam audi. Primùm, inquit, ab illis quæro, cur non Africam citent, & Aegyptum & totam Aſiam? nempe quia in omnibus illis regionibus deſiit ſacra hæc Epiſcoporum ſucceſsio, cuius beneficio eccleſias ſe retinuiſſe gloriantur. Eò igitur recidunt, ſe ideò ueram habere eccleſiam, quia ex quo eſſe cœpit, non fuerit Epiſcopis deſtituta: perpetua enim ſerie, alios aliis ſucceſsiſſe. Sed quid ſi Græciam illis regeram? Quæro igitur iterum ab ipſis, cur apud Græcos periiſſe Eccleſiam dicãt, apud quos nunquã interrupta fuit illa Epiſcoporum ſucceſsio, unica, eorum opinione, eccleſiæ cuſtos & conſeruatrix? Græcos faciunt ſchiſmaticos, quo iure? Quia à ſede apoſtolica deſciſcendo, priuilegium perdiderunt. Quid? an non multo magis perdere merentur, qui à Chriſto ipſo deficiunt? Sequitur ergo euanidum eſſe prætextum ſucceſsionis, niſi Chriſti ueritatem, quam à patribus, per manus acceperint, ſaluam & incorruptam poſteri retineant, ac in ea permaneant. Hæc Caluinus, & alia quàm multa in catholicos uiros, incredibili, pro ſua ſuorumque ſectatorum conſuetudine, uerborum amarulentia, cuius pro Chriſtianis, quibus pollet moribus, eſt mirus artifex, iactabundus deblacterat. Sed quantum nos, quos ille uocat Romanenſes, lædat, iam eſt aduertendum.

Diluuntur hæreticorũ argumẽta. Lib. 4. inſti. c. 2.

ET PRINCIPIO quidem oportebat Caluinum, horum patrum, quos pro Epiſcoporum ſucceſsione citamus, ita teſtimonia interpretari, ut non pro nobis noſtraque ſententia ſcripſiſſe uiderentur. quod quia non præſtitit, tantum abeſt ut ſuos bonos uiros, ab eccleſiaſticorum captionibus uendicet, ut potius mihi totam cauſam initio diſputationis prodidiſſe uideatur. Quis enim homo Chriſtianus, & qui non ſit tam excors, ut ſe pluſquàm ueteres illos patres, ueram euangelicæ doctrinæ rationem apprehendiſſe,

ſibi ipſi ſtultè perſuadeat, tantorum patrum tamq́ue apertis teſtimoniis, ſimplici Caluini pronunciatione contempta, omnino non permoueatur? Statue ex una parte Iræneũ, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum; & Auguſtinum, ex altera uerò Caluinum, & ſi qui ſunt eiuſdem farinæ alij: quis non ſe potius cum illis errare malle conſtantiſsimè aſſeueret, quàm cum his uerum dicere? Ergo interim dum ſanctorum patrum præiudicia contemnuntur, & ipſo ſilentio, à parte noſtra ſtare, nobiſque fauere conceduntur, Caluinus nunquam ſuos bonos uiros à noſtris captionibus eripere poterit. Neque enim tam ſunt dementes iſti boni uiri, ut non potius horum ſanctiſsimorum & eruditiſſimorum patrum, præter ipſam uenerandam antiquitatem, & titulos ſanctitatis magnificos, ſententiam unius Caluini inermi pronunciationi & arbitrio poſtponant. Non igitur nos ſumus, qui rem noſtram, quacunque poſſumus uia, agimus, cùm ſanctiſsimos & antiquiſsimos Eccleſiæ patres, in hac parte, ſicut & in reliqua eccleſiaſtica doctrina, habeamus magiſtros, ſed illi rem ſuam quacunque uia agere rectè dicentur, qui inuita & præſenti & ueteri Eccleſia, ſolius propriæ auctoritatis præiudicio nituntur.

Sed iam quæſtioni Caluini reſpondeamus. Quærit à nobis primùm, cur non Africã, Aegyptum & totam Aſiam pro Epiſcoporum ſucceſsione citemus? Reſpondemus Caluino, falſum eſſe, quod quæſtio ſupponit; nos ſcilicet, earum prouinciarum ſucceſsiones non citare, cùm in eos ſcribentes aut diſputantes, nihil magis agamus, quàm aduerſus eos ſanctorum Epiſcoporum, quos per legitimas ſucceſsiones, harum prouinciarum plebibus, in Chriſto præfuiſſe teſtatur antiquitas, ſcripta coniicere. Neque enim alio magis argumento, nunc nitimur, quàm quòd hæc, quæ modò colitur eccleſiaſtica doctrina, in Africa, Aegypto, Aſia, Græcia, &c. legitima Epiſcoprum ſucceſsione, refeватur in Chriſtum aut apoſtolicos uiros. Neque uerò, ut Caluinus ſe intelligere ſimulat, nos Epiſcoporum ſucceſsionem, tam ad loca quàm ad doctrinam referimus & magiſterium. Vnde licèt apud has prouincias, iam non eſſent Epiſcopi, aut totus Chriſtianiſmus tyrannorum poteſtate, & Chriſtianorum peccatis fuiſſet abolitus, non tamen perinde ceſſabat ea, de qua nos loquimur, legitima ſucceſsio. Erat olim, eccleſiaſtico imperio ſuperſtire, una & eadem harum omnium prouinciarum, cum ea, quam modò colit eccleſia, doctrina: in illis prouinciis extinctã eſt, in noſtris nunc ſupereſt: & licèt collatrent hæretici, uſque ad finem ſæculi ſemper ſupererit. Itaque earum quidem prouinciarum, quæ nunc ſuperſunt, uſque ad noſtra tempora; illarum uerò regionum aut urbium, quæ iam ſunt abolitæ, non uſque ad noſtra tempora, ſed quouſque in illis uiguit Chriſtianæ uitæ & religionis profeſsio, Epiſcoporum ſucceſsiones in hæreticos & eccleſiaſticæ pacis turbatores, proferimus.

Neqve tam ſumus inertes, qui doctrinam eccleſiaſticam colimus, quàm Caluinus nos apud ſuos illos bonos uiros, uerbis & ſcriptis depingit; ut Epiſcoporum aut paſtorum ſucceſsionem, id intelligamus, quod ipſe nos intelligere ſcribit: id eſt, nos habere eccleſiam, quòd ex quo eſſe cœpit, non fuerit epiſcopis deſtituta: quaſi non ſit aliud epiſcoporum ſucceſsio, quàm nunquam epiſcopos in eccleſia defuiſſe. Nos, non quamcunque epiſcoporum ſucceſsionem, certum eccleſiaſtici magiſterij ſignum appellamus, ſed legitimam. Eſt autem legitima ſucceſsio, cùm immutata doctrina & eccleſiaſticis moribus, unus alteri ſuccedit: & ſequens, præcedentis magiſterio ſufficitur. Vnde quãuis in Græcia modò ſuperſint epiſcopi, & ea eccleſiaſticæ Hierarchiæ umbra, quam Chriſtianæ uitæ hoſtium, tyrannis permittit, quod tamen cum ipſo Chriſtiano imperio (ut fieri ſolet) eruditionis quoque ac ueræ eccleſiaſticæ doctrinæ iacturam fecerint: quod neque Caluinus negabit, eorum Epiſcoporum, qui modò ſunt, legitimas ſucceſsiones, appellare non poſſumus. Nam ut eorum in quibuſdam dogmatibus, quæ tamen cum ſuis patriarchis & imperatoribus, non uno tantùm concilio, quaſi hæretica damnarunt, omittamus pertinaciam, quis non uideat, quantum modo & eruditione, & Romanæ eccleſiæ obſeruantia, ab antiquis illis Patribus Athanaſio, Cyrillo, Chryſoſtomo, Gregorio utroque, Baſilio, &c. diſtent? Citamus igitur eorum, dum ſapientia & inſignis uitæ ſanctitate floruerunt, doctrinam & legitimas ſucceſsiones, Immo illi potiſsimè, nos hoc genus argumenti, in religionis nouatores proferre docuerunt. nũc, cùm nihil aliud plures eorum habeant, præter auitum odium in eccleſiam, non tantùm Romanam ſed Latinam, cùm nobis non communicent, neque noſtram ſocietatem am-

plectantur:

plectantur: cum à priſtina illa & eruditione & uitæ ſanctimonia deſciuerint, ad eorum doctrinas, quaſi ad credendi regulas non prouocamus. Nam ut amicè cum Caluino agamus, dicat nobis, utri potius in rebus religionis, cùm ſibi mutuò contradicunt, ſit fides præſtanda, ei'ne eccleſiæ, quæ tyrannide paganorũ oppreſſa, à pluſquàm centum annis ſacrarum literarum & Chriſtianæ doctrinæ culturæ, per immenſos, quos patitur, labores, uacare non poteſt; an illi, quæ cum Chriſtiano imperio & quiete, quibus à tot ſeculis Dei miſericordia perfruitur, doctiſsimorum in omni genere diſciplinarum uirorum immenſam ſegetem quotidie producit? Ei'ne, quæ à tot ſæculis, in hæreticos & ueteris doctrinæ peruerſores, quòd eccleſiaſtico & ſæculari magiſtratu deſtituta id præſtare nequeat, gladium aut aliud genus ſupplicij, aut punitionis non exercuit: aut illi, quæ tum Chriſtianorum principum falce, tum eccleſiaſticorum uirorum infatigabili ſtudio, malas & uenenatas ſuccreſcentes herbas, ab eccleſiaſtica ſegete quotidie runcinat? Et quidem, quàm ferax hæreticorum ingeniorum ſit Græcia, ipſius Græciæ, quas quotidie manibus terimus, teſtantur hiſtoriæ. uix enim Conſtantinopolitanorum patriarcharum (nam aliarum ſedium ingens multitudo numerari non poteſt) tertiam partem catholicam inuenias, niſi quòd Alexandria & Antiochia, de hæreticorum numero cum Conſtantinopoli certabant. nam quot illud imperium principes hæreticos tulerit, non eſt opus referre. Quòd ſi tunc id accidebat, quando cum ipſo Chriſtiano imperio gladius quoque & leges in antiquæ religionis & fidei turbatores uigilabât, quid modò futurum putas, in tanta ſub paganis principibus licentia uiuendi ac ſentiendi? At ais, primis illis Chriſtianis, in media paganorum perſecutione & imperio, & rectè ſentire & rectè uiuere, immo & rectè de religione ſcribere licebat, & in eadem perſecutione, ſucceſsiones legitimas numerabant. Ita eſt, ſed erant tunc nouæ religionis primordia: nondum aſſueti erant imperio Chriſtiani: erat ingens in paſtoribus, immò in omnibus, ſanctitatis applauſus; cœleſtibus miraculis quotidie fouebantur: nunc refriguit caritas, euanuit ſanctimonia, uitæ cœleſtis acquirendæ deſiderium deferbuit. Quæ ratio niſi Caluinum conuincat, conuincet tamen eum ipſa rerum experientia. Ita enim poſt ablatum imperium Græcia ab antiquo illo fidei & bonorum morum ſtudio defluxit, ut nonnullis locis à paganis non diſtet. Immo non modò poſt ablatum imperium, ſed etiam poſtquam & internis & externis ſeditionibus & bellis concuſſum, inclinare cœpit, in ea prouincia & religionis & morum ſtudium, cœpit quoque flacceſcere: quod doctorum uirorum penuria, qua poſt ea tempora cœpit Græcia laborare, uberrimè teſtatur. nunquam enim poſt ea tempora, quenquam in aliquo diſciplinarum genere celebrem uirum, Græcia protulit, cum tamen multos hæreticos & ſeditioſos tum Patriarchas tum Imperatores genuerit. Itaque non tam ſchiſmaticos Græcos uocamus, quòd à Romana & Apoſtolica ſede defecerint, quàm quòd hæreticis nugis à multis annis, ſumma pertinacia immerſi, ab antiquorum patrum (quos tantùm abeſt, ut Romana Eccleſia reiiciat, ut potius eos ſuorum dogmatum patronos adoret) & ſententia & eruditione deſciuerint: immo (quod maius eſt) quòd cum in generalibus concilis nobiſcum in una fide conueniſſent, poſtea non aliud, quàm non conueniendi nobiſcum ſtudio ac peruicacia, ab eiſdem conciliis & condictis defecerint. Quanquàm non ignorat Caluinus, & etſi diſsimulet, ſufficientem eſſe cauſam, ſchiſmaticos uocandi eos, qui ab Apoſtolica & Romana Eccleſia ac proinde ab omnium Latinorum commercio, ſine cauſa diſcedunt.

Atqve hucuſque quidem, ſic quæſtioni Caluini reſpondimus, ac ſi nullum eſſet eccleſiæ Romanæ priuilegium. Nunc iam alia ratione cum hæretico agamus. Quærit, cur non pro ſucceſsione epiſcoporum Africam, Aegyptum, Aſiam, aut Græciam citemus. Reſpondeo, nulla nos ad id neceſsitate compelli, ſed abundè ſufficere, ſi Romanæ eccleſiæ legitima uſque ad nos ſucceſsio proferatur, ut uerum nos eccleſiaſticum magiſterium poſſidere dicamus: ita ut doctrinam ueram & eccleſiaſticam non ad omnes, quæ unquam fuerunt, aut nunc ſunt Epiſcoporum, aut Eccleſiarum ſucceſsiones, ſed ad Romanam ſolam, exigere ſit nobis neceſſarium. Quod etſi rideant hæretici, pro odio, quo ſemper in eam ſedem tanquàm in hæreticorum magiſtratum flagrarunt, noſtra nihil intereſt, cum non tam nos, quàm ſanctos illos ac ueteres patres, qui

huius doctrinæ iam inde ab eccleſiæ naſcentis exordio, auctores extiterunt, irridere uideantnr. illi autem uerè ridiculi ſemper erunt, qui, ſanctorum doctrina contempta, ineruditorum quorundam homunculorum fabulis, ab ingenti illo, quo flagrant, affectuum turbine oriundis, animum aduertant.

Romanorum Pontificum legitimam ſucceſsionem, ſufficiens argumentum eſſe ueræ eccl. in pſalmo contra par. Donat. in epiſt. ad generoſum.

ITAQVE præter eum locum, quem paulò ante citauimus, quo apertè non quauis ſucceſsione, ſed legitima ſucceſsione Romanorum Pontificum, ſe in Eccleſia teneri fatebatur Auguſtinus, idem Donatiſtas urgens eoſdem, ad Romanæ ſedis Epiſcoporũ tantùm ſucceſsionem remittit. Numerate, inquit, ſacerdotes uel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo patrum, quis cui ſucceſsit, uidete. ipſa eſt petra, quam non uincunt ſuperbæ inferorũ portæ. Hactenus Auguſtinus. Qui quod hîc Donatiſtis faciendum præcipit, alibi exhibet, Si enim, inquit, ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius & uerè ſalubri & uerè ſalubriter, ab ipſo Petro enumeramus, cui totius eccleſiæ figurã gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non uincent eam. Petro enim ſucceſsit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander, Alexandro Syxtus, Syxto Theleſphorus, Theleſphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Sother, Sotheri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Callixtus, Callixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Luſcius, Luſcio Sthephanus, Stephano Syxtus, Syxto Dionyſius, Dionyſio Fœlix, Fœlici Eutichianus, Eutichiano Gaius, Gaio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Miltiades, Miltiadi Syluester, Syluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſsionis, nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur. huc uſque Auguſtinus.

lib. de util. creden. cap. 17.

Eiuſdem ſnnt & illa uerba, poſtquàm uaria Chriſtianæ religionis & fidei enumeraſſet encomia, Cum igitur, ait, tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumq́; uideamus, dubitabimus nos eius eccleſiæ condere gremio, quouſque ad confeſsionem generis humani, ab apoſtolica fide per ſucceſsiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culnien auctoritatis obtinuit? cui primas dare nolle uel ſummæ profectò impietatis eſt, uel præcipitis arrogantiæ. Nã ſi nulla certa ad ſapientiam ſalutemq́ue, animis uia eſt, niſi cùm eos ratione præcellit fides, quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque auxilio diuino, quàm tanto labore, præditæ auctoritati uelle reſiſtere? Et ſi unaquæque diſciplina, quanquàm uilis & facilis, ut percipi poſsit, doctorem aut magiſtrum requirit, quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorum ſacramentorum libros, & abſque interpretibns ſuis uelle cognoſcere, & incognitos uelle damnare? Hæc Aug. eo loco.

in q.q. nou. & uet. teſt. q. 110.

Idem rurſus interpretans illa uerba pſalmi primi, Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Quoniam, inquit, cathedram peſtilentiæ, non eſſe Dei ordinatione aſſeuerauimus, etiam eorum, qui extra eccleſiam, uel contra eccleſiã ſibi fides inſtituerunt, cathedram peſtilentiæ dicimus. Qui enim inconceſſa præſumptione reus eſt, quãto magis, ſi & corrumpat traditionẽ eius, cuius ſedem uſurpat? Nam & ordinẽ ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentiũ Epiſc. ſeruatum, perturbant, ordinem ſibi ſine origene uendicantes, hoc eſt corpus ſine capite profitentes. Vnde congruit etiam, eorum ſedẽ cathedram peſtilentiæ appellare. Neq; enim ideò impunerunt, quia ſub Dei nomine hoc agunt. cõſtant enim ſuas illas cauſas ſub Dei nomine agere. non zelo Dei hoc agunt ſed ſibi locum uolentes defendere. Cũ ſciamus Coreh & ducentos quinquaginta uiros, per præſumptionem Deo offerentes, hiatu terræ abſorptos eſſe, & Oſiam regem, cùm Deo illicitè obtuliſſet, lepra in fronte percuſſum. Hactenus Auguſtinus.

Lib. 1. con. Parm.

Eodemq́ue argumento paulò antea, contra Parmenianum hæreticum Donatiſtam, Optatus Mileuitanus, uſus fuerat. Si ignoras, inquit, diſce, ignorantia tibi aſcribi non poteſt, ſciente te, Petro in urbe Roma primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo uno, cathedræ unitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus, ſedet prior Petrus, cui ſucceſsit Linus, Lino ſucceſsit Clemens,

Clementi Anacletus, Anacleto Enariſtus, Euariſto Syxtus, Syxto Theleſphorus, Theleſphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Sother, Sotheri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Callixtus, Callixto Vrbanus, Vrbano Põtianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Syxtus, Syxto Dionyſins, Dionyſio Fœlix, Fœlici Euthichianus, Euthichiano Gaius, Gaio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Miltiades, Miltiadi Syluеſter, Syluеſtro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, hodie qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus Orbis, commertio formatarum, in una communionis ſocietate concordãt. ueſtræ cathedræ nos originem reddite, qui uobis nultis ſanctam eccleſiam uendicare. ſed & habere, in urbe partem aliquam dicitts. Ramus eſt ueſtri erroris protentus de mendacio, non de radice neritatis. Denique ſi Macrobio dicatur, ubi illic ſedeat? Nunquid poteſt dicere in cathedra Petri? Neſcio quam ſine loculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit, quaſi ſchiſmaticus contra Apoſtolum faciens, qui ait, Me- Rom. 12.
moriis ſanctorum communicantes. Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ apoſtolorum, dicite ſi ad has ingredi populi eum uiderunt, ita ut obtulit illic, ubi ſanctorum memorias eſſe conſtat. Ergo reſtat ut fateatur ſocius (uidelicet Macrobius) ſe ibi ſedere, ubi aliquando ſedit Encolpius: ſi & ipſe Encolpius poſſet interrogari, diceret, ſe ibi ſedere ubi antea ſedit Bonifacius Ballitanus. Deinde ſi & ipſe interrogari potuiſſet, diceret ubi ſedit Victor Garbienſis à ueſtris iam dudum de Africa ad paucos erraticos miſſus. Quid eſt hoc quòd pars ueſtra in urbe Roma Epiſcopum ciuem habere non potuit? Quid eſt quòd toti Africæ peregrini, in illa ciuitate ſibi ſucceſsiſſe noſcuntur? Non apparet dolus, non factio, quæ mater eſt ſchiſmatis? Interea Victor Garbienſis, ut hinc prior mitteretur, non dico lapis in fontem, quia nec ualuit puritatem catholicæ multitudinis perturbare, ſed quia quibuſdam Africæ nrbica placuerat commoratio, & hinc à uobis profecti uidebantur; ipſi petierunt nt aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Miſſus eſt igitur Victor. erat ibi filius ſine patre, actor ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domino, hoſpes ſine hoſpicio, paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo. non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci; qui inter quadraginta, & quod excurrit, baſilicas locum ubi colligerent, non habebant. Sic ſpeluncam quandam foris à ciuitate gradibus ſepſerunt, ubi ipſo tempore conuenticulnm habere potuiſſent, unde Montenſes appellati ſunt. Igitnr quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori, ſucceſsiſſe uideatur, ſi Victori diceretur, ubi ſederit, nec ante ſe aliquem ibi fuiſſe monſtraret, nec cathedram aliqnam niſi peſtilentiæ oſtenderet: peſtilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit; qui inferi portas ſuas habere noſcuntur, contrà quas portas claues ſalutares accepiſſe legimus Petrum, principem ſcilicet noſtrum, cui à Chriſto dictum eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum, & portæ inferorum non uincent eas. Vnde eſt ergo quòd claues regni, uobis uſurpare contenditis, qui contra cathedram Petri ueſtris præſumptionibus & audaciis ſactilegio militatis? beatitudinem repudiantes, qua laudari meruit, Qui nõ abiit in conſilio impiòrum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. In conſilium impietatis itum eſt à maioribus ueſtris. Hucuſque Optatus. Cuius uerba tam prolixè citauimus, quòd non modò Romanorum Pontificum ſucceſſionem, ueræ eccleſiæ notam doceant, ſed etiam quòd potius in noſtros hæreticos noſtrique ſæculi perturbatores ſcripta uideantur, quàm in ipſos, contra quos eo opere Optatus decertabat, Donatiſtas. Vides ergo, catholice lector, non modò ab Auguſtino, ſed etiam ab Optato, eccleſiaſticæ doctrinæ neritatem, non ad aliud, quàm ad eccleſiaſticum magiſterium, ad ea uſque tempora per Romanorum Pontificum legitimam ſucceſsionem derinatum expendi, & aliorum Epiſcoporum nullam haberi rationem; non quòd & aliarum eccleſiarum non ſit etiam habenda ratio, ſed quòd ſemper apud Catholicos uiros huius ſedis ſucceſsio, & per eam ſucceſsionem deſcendens magiſterium, ſufficientiſsimum euangelicæ doctrinæ creditum ſit argumentum. Vides etiam, hæreticos ab his patribus, ad reddendas ſuarum ſedium origines coërceri, ut ſcilicet cùm ſua dogmata per legitimas paſtorum ſucceſsiones, in primos illos euangelicæ do-

ctrinæ ſeminatores, apoſtolicos uiros non poſſint referre, aduerſum eidem euangelicæ religioni, quod docetur, uel ſine alio argumento confeſtim probetur.

Et ne hunc honorem, quem Auguſtinus & Optatus, uiri profectò & ſi integerrimi, & eruditione & antiquitate ſummopere uenerandi, non tamen hæretica calumnia maiores, Romanæ eccleſiæ deferunt, ab eiſdem confictum, aut adulationis gratia excogitatum, hæretici ne quicquam calumnientur, Iræneus Lugdunenſis in Galliis Epiſcopus, non eo ſæculo, quo iam Romana tyrannis (ut procaciter iidem hæretici loquuntur) eccleſiam occupauerat, ſed ipſo penè eccleſiæ initio, non homo, qui Romano Pontifici adulari ſolitus fuiſſet, ſedis, qui ad Victorem primum, propter paſchatis celebrandi cauſam, acres epiſtolas & zelo eccleſiaſtico plenas dederit, eſt iam audiendus. Is ergo poſtquàm, quantùm foret apoſtolicæ traditioni deferendum, præfatus fuiſſet, & Apoſtolos ſuis ſucceſſoribus, ſimul cum eccleſiis, ueram quoque doctrinam commiſiſſe cómemoraſſet, tandem ſic inquit, Sed quoniam ualde longum eſt, in tali uolumine, omnium eccleſiarum enumerare ſucceſsiones, maximè & omnibus cognitæ, & glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & conſtitutæ eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſsiones epiſcoporum peruenientem, uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo uel per ſui placentiam malam, uel uanam gloriam uel cæcitatem, & malam ſententiam, præter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſeruata eſt, ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio. Fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli eccleſiam, Lino epiſcopatum adminiſtrandæ eccleſiæ tradiderunt. Huius Lini Paul. in his, quæ ſunt ad Timoth. epiſtolis, meminit: ſuccedit autem ei Anacletus, poſt eum tertio loco ab Apoſtolis epiſcopatum ſortitur Clemens, qui adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum, ante oculos haberet. Hactenus Iræneus. paucisque interpoſitis, Clementi, inquit, ſuccedit Euariſtus, Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Syxtus, ab hoc Theleſphorus, qui etiam glorioſiſsimè martyrium fecit, ac deinceps Iginius, poſt Pius, poſt quem Anicetus. Cum autem ſucceſsiſſet Aniceto Sother, nunc duodecimo loco epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & ſucceſsione, ea, quæ eſt ab Apoſtolis in eccleſia traditio, & ueritatis præconizatio peruênit uſque ad nos. Et eſt pleniſsima hæc oſtenſio, unam & eandem uiuificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſeruata in ueritate. Hæc Iræneus. Alliditque ſubinde ad horum Romanorum pontificum legitimam ſucceſsionem, eorum ſæculorum inſanias, quaſi ad legitimam fidei regulam ueramque Apoſtolorum traditionem. Cuius profectò uerba ſi quis noſtræ memoriæ homo, etiamſi eſſet alioquì totius Chriſtianæ uitæ, omniumque perinde uirtutum ſolertiſsimus cultor, quantûmis eccleſiaſtico zelo percitus ſcripto mandaſſet, ſatſcio aut Brentio aut Caluino Papiſta fuiſſet, & Romanenſium, in eccleſiæ perniciem, peſtilentiſsimus ſcurra, aut legitimus Antichriſti miniſter. nam hiſce tetrioribusque conuitiis ſolent eccleſiaſticos uiros, ſuis ſcriptis reſpergere.

Euſeb. eccle. hiſto. lib. 5. c. 26.

Iræn. lib. 3. cap. 3.

Ergo, ut quæ diximus, in compendium redigamus, habet homo Chriſtianus, quam in ea eccleſia, quam ſanctarum ſcripturarum interpretem & magiſtram probauimus, indaganda, regulam ſequatur, non ſcilicet legitimum uſum ſacramentorum, & ſcripturarum uerum germanumque ſenſum, quoniam & hæc ſibi hæreticorum factiones perditiſsimè uſurpant, & ad ſe tantùm ſuasque ſynagogulas pertinere contendunt, ſed eccleſiaſticorum paſtorum, præcipuè uerò Romanorum Pontificum ſucceſsionem legitimam, quæ cum omni tempore ab eccleſiaſticis patribus fuerit obſeruata, nunquam tamen à quoquam hæreticorum potuit in ſuis dogmatibus comprobandis oſtendi.

Ad quam amuſſim ſint Chriſtiana dogmata exigenda.

Quòd praua paſtorum & Doctorum uita non impediat ueritatem doctrinæ. Cap. XXVII.

ETsi ſatis in præcedentibus oſtenderimus, uitæ prauitatem & malos mores, nequaquã doctrinæ ueritatem in eccleſiaſtico magiſtro perinde corrumpere, quòd ueritas cum ſanctitate ac iuſtitia nulla neceſſaria cõnexione cõmittatur, hic tamen nobis ea non modò hæreticorum noſtri ſæculi, ſed & quorundam aliorum, qui eccleſiaſtico nomine gaudere deſiderant, calumnia comminuenda eſt, qua legitimam hanc paſtorum ſucceſsionem, quam ueri & eccleſiaſtici magiſterij notam poſuimus, eludere moliuntur.

Svnt itaque, qui quàmuis non admodum ægrè concederent, legitimam Epiſcoporum ſucceſsionem, eius eccleſiæ, quæ uerum magiſterium habere dicitur, certam notam eſſe, ideò tamen hanc, de qua modò catholici gloriamur, legitimam negant, quòd (ut illi dicunt) paſtores omnes, per prauos mores non modò ab antiqua illa & uera uitæ paſtoralis ratione, ſed à Chriſto defecerint. Vnde non mirum eſt, ſi tradendi ueram & euangelicam doctrinam, poteſtatem amiſerint. Erant, aiunt, filij Heli ſucceſſores eius, atque adeò & populi ſacerdotes, & iudices, & tamen ſcriptura dicit, eos fuiſſe filios Belial, neſcientes dominum. Et ne ſingulos, quos ſcriptura damnat, ſacerdotes proferamus, etiam de illis, qui legitima ſucceſsione priores ſacerdotes ſecuti ſunt, Dominus apud Iſaiam generali ſermone pronunciat, Sacerdos & propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à uino: errauerunt in ebrietate, neſcierunt uidentem, ignorauerunt iudicium. *Brent. in ſecũdo prolegom. Iſai. 28.* Enumerantur hic à quibuſdam diligentiſsimè uniuerſa illa uitiorum genera, quæ à multis annis eccleſiaſticos paſtores, & Epiſcopos inuaſerunt, ambitio, ſimonia, Dei & diuinæ legis ignorantia, auaritia, ouium contemptus, uitæ luxus, cognatorum ſtudium, ſtupiditas, &c. *Andr. Fricius Modreuius lib. de eccl.* quibus omnibus eam paſtorum legitimam ſucceſsionẽ, de qua nos tantopere gloriamur, iam dudum cum bonis moribus ſepultam fuiſſe, perſuaſsimum habent, nihilque aliud apud nos permanſiſſe, quàm inanem huius ſucceſsionis, titulum: quemadmodum olim apud Hebræos, euaneſcente cum bonis moribus uera diuinæ legis intelligentia, nihil, quod ſuis erroribus obtenderent, aliud habebant, quàm ſuam illam ſacerdotum ſucceſsionem, & domini templum. Sed Caluini uerba libet ſubſcribere, Is ergo cùm contra Epiſcoporum ſucceſsionem, Africã, Aegyptum, Aſiam & Græciam obiecíſſet, ſibique de Græcis Epiſcopis, pro nobis reſpondiſſet, Græcos eſſe ſchiſmaticos, atque adeò perdidiſſe priuilegium, quòd ab apoſtolica ſede deſciuiſſent, continuò ſubiungit, Quid? An non multò magis perdere merentur, qui à Chriſto deficiunt? ſequitur ergo, euanidum eſſe prætextum ſucceſsionis, niſi Chriſti ueritatem, quam à Patribus per manus acceperint, ſaluam & incorruptam poſteri retineant, ac in ea permaneant. *Ioannes Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 2.* Ergo non aliud hodie prætendunt Romanenſes, quàm Iudæos olim obtendiſſe apparet, cùm cæcitatis, impietatis, idololatriæ à prophetis domini arguerentur. Nam ut illi templum, cæremonias, ſacerdotia glorioſè iactabant, quibus rebus eccleſiam magno (ut ſibi uidebatur) argumento metiebantur; ita pro eccleſia, externæ quædam laruæ apponuntur, quæ longè ſæpe abſunt ab eccleſia, & citra quas eccleſia optimè conſtare poteſt. Quare non alio argumento nobis refutandi ſunt, quàm, quo aduerſus ſtultam illam Iudæorum confidentiam pugnabat Hieremias; nempe, Gloriantur in uerbis mendacibus, dicentes, Templum Domini; Templum Domini, Templum Domini eſt. quando nihil Dominus uſpiam ſuum agnoſcit, niſi ubi uerbum ſuum agnoſcit, & religioſè obſeruatur. Ita cum gloria domini inter Cherubin, in ſanctuario ſederet, eamque ſedem ſibi ſtatam fore pollicitus eſſet ipſis, ubi cultum eius prauis ſuperſtitionibus corrumpunt ſacerdotes, aliò traſmigrar, & locum ſine ulla ſanctitate relinquit. Si templum illud, quod uidebatur perpetuæ Dei habitationi conſecratum, derelinqui à Deo ac prophaneſcere potuit, non eſt cur nobis iſti fingant, Deum ita perſonis aut locis alligatum externis obſeruationibus, ut manere apud eos oporteat, qui titulum modò & ſpeciem habent eccleſiæ. Hæc Caluinus, & alia multa, ea uerbo-

rum

rum & ſermonis comitate, quæ decet uirum ad miraculum, hæreticum, in catholicos iactat. Afferunt & alij, quòd mala arbor bonos fructus facere nequeat, neque de ſpinis uuæ colligantur. Vnde neque uolunt uitioſos & prorſus euangelicis moribus deſtitutos Epiſcopos, paſtores, aut eccleſiaſticos doctores euangelicam ac ueram doctrinam unquam poſſe producere. & hac ratione cum apoſtolica uita, doctrinam quoque Apoſtolicam extinctam concludunt. Sed quantum iſtæ ac ſimiles fumoſæ ratiunculæ ponderis habeant, iam expendamus.

Ergo nihil obeſſe prauæ uitæ inſtitutionem, quò minùs, quantum ad doctrinam & magiſterium attinet, uel olim Moſaici ſacerdotes, primis illis, quos immediatè Deus

Prauã uitæ inſtitutionem paſtorum & doctorum, uerum magiſterium non excludere.

inſtituit, uel in euangelico ſtatu, eccleſiaſtici paſtores, prioribus illis patribus, quos Chriſtus dedit Apoſtolos, paſtores & doctores, legitimè ſuccedere dicantur; non modò Chriſtus & ipſi quoque eccleſiaſtici patres, ſed ea quoque ratio, qua in uniuerſa hac eccleſiæ inquiſitione uſi ſumus, apertiſsimè oſtendit. Eo igitur loco, quem pro legitima ſucceſsione ſuperiore capite produximus, ſciens non alio magis diaboli machinamento, prioris doctrinæ ſubuerſionem ſubintraturam, quàm dum lupi rapaces malorum morum calumnia, paſtorum in docendo auctoritatem, apud uulgus eleuarent: non ſatis Chriſtus habuit ad ſcribas & Phariſæos, quaſi ad legitimos Moſaici magiſterij ſucceſſores, eius temporis & ſtatus fideles remittere; ſed inſuper, ne eorundem malis mo-

Matth. 23. ribus, prauaque uitæ inſtitutione deterrerentur, edixit, Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite, ſecundum opera uerò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Enimuerò in nullum magis hominum genus, quàm in ſcribas & Phariſæos, Chriſtus inuehitur, neque ullos in Iſraëlitico populo acrioribus uerbis inceſsit. Erant Phariſæi, præter illa crimina, quæ illo capite Chriſtus commemorat, hypocritæ, id eſt, qui non ex diuinæ dilectionis inſtinctu, externam illam operum ſanctitatem, ſed mundi amore laudiſque auiditate præſtarent: erant Chriſti & Apoſtolicorum uirorum accerrimi hoſtes: humanis conſtitutionibus multis, uim diuinæ legi intulerant: nullo denique eorum uitiorum, quibus eccleſiaſticos doctores aut paſtores, modò hæretici immerſos calumniantur, carebant: & tamen ad eorum doctrinam, cœleſtis magiſter, non quoſcunque ſed apoſtolicos uiros, omni ſplendore ſanctitatis nitentes inſtruendos remittit: nimirum quòd licèt Moſi in uitæ ſanctitate non ſucceſsiſſent, ſucceſſerant tamen in legis magiſterio doctrinæque tradendæ poteſtate. Non ergo eorum, qui modò in eccleſia ſanctorum patrum, quibus immutata doctrina ſucceſſerunt, in docendis populis doctrinam immutantur, ne ſint eorundem ſanctorum patrum uetiſsimi ſucceſſores, praui mores efficient.

Sed iam ſanctos uiros, à quibus iſti paſtores, qui nunc populum Dei docent, degeneraſſe aiunt, quàm parùm, quò minùs uera ſit doctrina, hæc degeneratio impediat,

De uerbis domini ſer. 43.

docentes audiamus. Dominus dixit, (ait Auguſtin. in hæc Chriſti uerba,) Quæ dicunt facite, quæ autem faciũt, facere nolite. Ambulabo uiam domini, non ſequar iſtius mores, audiam ab illo non uerba ipſius, ſed Dei; ſequar Deum, ſequatur ille cupiditatem ſuam: quia ſi noluero apud Deum ſic me defendere, ut dicam, Domine, uidi clericum illum tuum malè uiuentem, & ideò malè uixi; non'ne mihi dicturus eſt, Serue nequam, non'ne à me audieras, Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite? Malus autem laicus, infidelis non pertinens ad gregem Chriſti, non pertinens ad frumentum Chriſti, qui tanquàm palea in area toleratur, quid ſibi dicet, quando cœperit illum arguere uerbum Dei, Exi quid mihi loqueris, ipſi epiſcopi, ipſi clerici, non illud faciunt, & me cogis ut faciam: quærit ſibi non patronum ad cauſam malam, ſed comitem ad pœnam. nam nunquàm ille defenſurus eſt, in die iudicij, quemcunque malum uoluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes, quos ſeducit, non ſeducit ut cum ipſis regnet, ſed cum quibus damnetur; ſic omnes, qui ſequuntur malos, comites ſibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regnum cœlorum. Quomodo ergo peruertunt hanc ſententiam, quando illis dicitur, malè uiuentibus, meritò dictum eſt à Domino, Quæ

Lib. 6 con Fauſt. c. 29 dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite? Hactenus eo loco Auguſtinus. Alibi etiam, iiſdem Chriſti uerbis recitatis, In his, inquit, dominicis uerbis utrúque debetis aduertere, & quantus honor delatus ſit doctrinæ Moyſi, in cuius cathedra, & mali ſedentes,

dentes, bona docere cogebantur, & unde fieret proſelytus, filius gehennæ, non ſcilicet à Phariſæis uerba legis audiendo, ſed eorum facta ſectando. Rurſus cùm euangelicum doctorem inſtrueret, & Chriſtianæ doctrinæ inſinuandæ præcepta traderet, de illis agẽs, qui cum euangelico & apoſtolico miniſterio, uitam quoque euangelicam non coniungunt, iiſdem Chriſti uerbis commemoratis, ſic inquit, Et tamen etiam non ueſtate, annunciari ueritas poteſt, id eſt, uti prauo & facili corde, quæ recta & uera ſunt, prædicentur, ſic quippe annunciatur IESVS Chriſtus ab eis, quæ ſua quærunt, non quæ IESV Chriſti. Sed quoniam boni fideles, non quemlibet hominem, ſed ipſum Deum obedienter audiunt, qui ait, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt: ideò audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt: ſua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent, de loco ſcilicet ſuperioris ſedis eccleſiaſticæ, quem ſana doctrina conſtituit. Propter quod ipſe dominus priuſquàm de talibus, quod commemoraui, diceret, præmiſit, Cathedram Moyſi ſederunt, &c. illa ergo cathedra non eorum, ſed Moyſi, cogebat eos bona dicere etiam non bona facientes. Agebãt ergo ſua in uita ſua, docere autem ſua cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque proſunt dicendo, quæ non faciunt, ſed longè pluribus prodeſſent, faciendo, quæ dicunt. Rurſus de Eccleſiaſticis paſtoribus, & eorum in ouium reddenda ratione futuro iudicio agens, in ea uerba domini per Ezechielem prophetam, Ecce ego ipſe ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam ab eis ut non paſcant oues meas, ne paſcant amplius paſtores ſemetipſos, &c. Quomodo auertit, inquit, ut non paſcam oues ipſius? Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: aut tanquàm diceret, mea dicunt, ſua faciunt. ſi diceret, Facite ſecuri, quod faciunt, ipſos damnabo malè uiuentes, uobis autem parcam, quia ſecuti eſtis præpoſitos ueſtros, ſi hoc diceret, dederant malis paſtoribus paſcendas oues, paſcentibus non oues ſed ſe. Sed quoniam terret non ſolùm cæcum ducentem, ſed, cæcum ſequentem, neque ait, cadit in foueam ducens, & non cadit ſequens, ſed, cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadũt. Admonuit oues & ait, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. cùm non facitis, quæ faciunt mali paſtores, non uos ipſi paſcunt: cùm facitis autem, quæ dicunt, ego uos paſco: mea enim dicunt, & non faciunt, ſecuri, inquiunt, ſequimur epiſcopos noſtros. Dicunt hoc ſæpe hæretici, quando ueritate maniſeſtiſsima conuincuntur, Non'ne oues ſumus, illi de nobis reddent rationem, reddent planè mala de morte ueſtra, ſed morte ouis malignæ. ſed reddet malus paſtor malam rationem, Nunquid ideò uiuit ouis, quia deſignatur pellis ipſius, increpatur paſtor, quia negligit ouẽ errantem, & propterea in fauces lupi irruit, ut deuoraretur. Quid illi prodeſt, qui affert pellem ſignatam? Et paucis interpoſitis, Sed uideamus, inquit, ut dixi, quomodo reuocet Deus oues à paſtoribus malis. Iam commemoraui, Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. & non uos ipſi paſcunt, ſed Deus: quia uelint nolint paſtores, ut perueniant ad lac & lanam uerba Dei, dicturi ſunt. Qui prædicas non furandum, furaris, dicit Apoſtolus ad eos, qui bona dicunt & mala faciunt. Tu audi prædicantem ne fureris, noli imitari furantem: ſi furantem imitari uolueris, ipſe te paſcet facto ſuo, tibi uenenum ſubminiſtrat, non cibum. ſi uerò hoc ab illo audis, quod non dicit de ſuo, ſed Deo, non poteſt quidem uua de ſpinis legi. Nam & ipſius domini ſententia eſt, Nemo colligit de ſpinis uuam & de tribulis ficus. nec ideò tamen quaſi calumnieris domino tuo, & dicas, Domine uoluiſti me, quia fieri non poteſt, de ſpinis legere uuam. Et rurſus, Dixiſti mihi in quibuſdam, Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: nempe mala facientes, ubique ſpinæ ſunt. Quomodo uis de ſpinis me colligere uuam uerbi? Reſpondebit, Non eſt illa uua ſpinarum, ſed aliquando increſcens ſarmentum, implicat ſe in ſepem, & pendet uua inter denſa ſpinarum, ſed non ſugit de radice ſpinarum. Tu ſi eſurieris, & aliud non habes unde ſumas, cautè manum mitte, ne lacereris à ſpinis: id eſt, ne facta imiteris malorum, & lege uuam inter ſpinas, pendentem, ſed de uite naſcentem. ad te perueniet botri alimentum, ſpinis ſeruatur ignis tormentum. Extraham, inquit, oues meas de ore eorum, & de manibus eorum, & non erunt eis adhuc in cibum. Hoc & in pſalmo dicitur, Non'ne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant populum meum ut cibum panis? & non erunt eis adhuc in cibum, quoniam hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipſe abſtuli à malis

Libro 4. de doctr. Chriſt. cap. 27.

Ezech. 34. Lib. de paſtorib. c. 9

Haud aetem poſtrà nopcras Auguſtinus, quæ ſint uerba Dei tractatione plerunq; ad pinguiſsimum lac & lanam paſtores peruenant.

paſtoribus oues, monendo (ut dixi) ne quod faciunt, faciant, id eſt, ne quod faciunt mali paſtores, faciant. Hæc aliaque complura in eandem ſententiam illo loco Auguſtinus. Quibus omnibus, aptis metaphoris ac analogiis, cum uita paſtoris praua, rectam ac ſanam doctrinam cohærere poſſe, non obſcurè conuincit. Rurſus in ea uerba

Tract. 46. in Ioan. euāg.

Chriſti, Ego ſum paſtor bonus, &c. Habet, inquit, ouile domini præpoſitos & filios & mercenarios; præpoſiti autem, qui filij ſunt, ſi paſtores ſunt, quomodo unus paſtor, niſi quia ſunt illi omnes unius membra paſtoris, cuius ſunt oues propriæ? Nam & ipſi membra ſunt unius domini, qui ſicut ouis ad immolandum ductus eſt. Audite autem quia mercenarij, neceſſarij ſunt: multi quippe in Eccleſia commoda terrena ſectantes, Chriſtum tamen prædicant, & per eos uox Chriſti auditur, & ſequuntur oues non mercenarium, ſed uocem paſtoris, per mercenarium. Audite mercenarios ab ipſo domino demonſtratos. Scribæ, inquit, & Phariſæi cathedram Moſi ſedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. quid aliud dixit, niſi per mercenarios, uocem paſtoris audite? Sedendo enim cathedram Moſi, legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet. ſua uerò illi ſi uelint docere, nolite facere. Certè enim tales ſua quærunt, non quæ Iesv Chriſti: nullus tamen mercenarius auſus eſt dicere populo Chriſti, Tua quære, non quæ Iesv Chriſti: qui enim malè facit, non prædicat de cathedra, inde lædit unde malè facit, non unde bona dicit: botrum carpe, ſpinam caue. Hactenus Auguſtinus. Subindeque de botro ſpinis hærente allata & explicata analogia, Cathedra, inquit, Moyſi, uitis erat, Phariſæorum mores, ſpinæ erant; doctrina uera per malos, palmes in ſepe: botrum ergo inter ſpinas cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum; & dum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem: quæ dicunt facite, legite uuas, quæ autem faciunt, facere nolite. Cauete ſpinas, etiam per mercenarios uocem paſtoris audite. Vides ergo uiri ſanctiſſimi ſententia inter ipſos prauos & corruptos paſtorum mores uerum Chriſti magiſterium deprehendi: immo in

Libro 4. de bap. contra Dona. c. 11.

huiuſmodi hominibus, qui mercenarios agunt, uiuam Chriſti uocem audiri. Tale eſt etiam, quòd cum Donatiſtis decertans, alio loco ſcribit, Quid quod etiam mirum eſt, inquit, quod accidere poſſe inuenit, qui diligenter aduertat, quoſdam ſalua caritate, docere aliquid inutile, ſicut Petrus gentes cogebat iudaizare, ſicut ipſe Cyprianus hæreticos denuò baptizari. unde talibus membris in caritate radicatis, & aliquādo non rectè ingredientibus dicit Apoſt. Siquid aliter ſapitis, id quoq; uobis dominus reuelauit. Et rurſus quoſdā ſine caritate docere aliquid ſalubre, de qualibus dominus, In cathedra Moſi ſedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Vnde Apoſtolus, de illis inuidis & maleuolis, Chriſtianam tamen

V. de eod. Auguſtinū contra epiſtolam Parmeniani. cap. 2.

ſalutē annunciantibus, Siue occaſione, inquit, ſiue ueritate Chriſtus annuncietur. Hactenus Auguſtinus. Hieronymus deinde in ea Chriſti uerba, Qui recipit prophetam

Matt. 10.

in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. In quocunque, inquit, tandem Pontifice, non perſona ſed nomen ſuſcipiendum eſt: hoc eſt, non qualis perſona ſit, quo'ue uitæ merito, conſiderandum eſt, cuius miniſterio Deus utitur; ſiue in eccleſia ſua gubernanda, ſiue in doctrina propaganda, ſiue in ſacramentis adminiſtrandis. Non illud attendendum eſt, Iudas'ue ſit, an Petrus, an Paulus, ſed ſolùm hoc attendendum eſt, quod ſedit in cathedra Petri, quòd Apoſtolus, quòd Chriſti legatus, quòd ſacerdos, quòd Pontifex, quòd angelus eſt domini exercituum, de cuius ore legem Dei requirere iuſſus es. Si Iudas eſt, quādoquidem Apoſtolus eſt, & pro Chriſto legatione fungitur, nihil te moueat, quòd fur eſt. audi nihilominus reuerenter, audi diligenter, audi legationem eius obedienter, quæ dixerit facito, quæ fecerit, facere nolito. non ad ipſum refer animum, uerùm ad illum, cuius nomen gerit. Hactenus Hieronymus. Multa alia in eandem ſententiam, ex aliis eccleſiaſticis patribus, quibus noſtros paſtores & doctores, quòd plerunque ſint moribus diſsimiles, aduerſarij noſtri ſucceſsiſſe non uolunt, proferre potuiſſemus, niſi hæc, quæ attulimus, ut quid cæteri ſentiant, diiudicetur, putaremus ſufficere.

Nvnc iam tertiò aduerſariorum ſententiam, ad illius politici principij, quod in tota hac eccleſiaſtici magiſterij inquiſitione uſurpauimus, coti afficiemus, ut ipſa quoque naturali ratione conſtet, quàm parùm ad legitimam ſucceſsionem impediendam, eorum, qui nunc ſunt epiſcoporum, praui mores efficiant. ſtatuimus profectò non

modò ad diuinam prouidentiam pertinere, unas & eaſdem leges, hominibus ferre;
ſed modum quoque tribuere, quo unus & idem ſenſus ſemper in republica uigeat. alio-
qui ſi legum ſenſus & interpretatio ſit multiplex, non minus in naria ſtudia, uariaſque
ſententias reſpublica abibit, quàm ſi uarias leges, aut narias religiones fuiſſet ſor-
tita. Quod in Chriſtiano populo ſatis apertè deprehendimus, cùm minus multò
catholico cum hæretico, aut hærerico cum alterius ſectæ contrariæ hæretico conueniat,
quàm Chriſtiano cum Iudæo aut Turca. Vnus autem & idem ſenſus, niſi ſit certus &
exploratus, eſſe non poteſt. Quì enim in republica unus legum ſit ſenſus, in qua ne-
ſcitur, quis ſit certus & indubitatus ſenſus, id eſt, in qua neſcitur, quò ſit pro legi-
timo ſenſu germanaque legum intelligentia recurrendum?

IAM II, qui praua uitæ inſtitutione, degeneribuſque moribus, legitimam eccle-
ſiaſtici magiſterij ſucceſsionem impediunt, quantum Chriſtiano populo, uariarum ſen-
tentiarum diſsidiis, æſtuandi ſcandalum præbeant, etiamſi ſint obſtinatiſsimi, intelli-
gere poterunt. Enimuerò, ſi uera Chriſtianæ inſtitutionis doctrina à ſanctitate pen-
deat, cùm nemo mortalium alterius hominis conſcientiã explorare queat, (nemo enim 1.Cor.2.
nouit, quæ ſunt hominis, præter ſpiritum eius, qui in ipſo eſt) & cùm prauum ſit & Hiere.17.
inſcrutabile cor hominis, & nemo poſsit illud cognoſcere, præter eum, qui probat re-
nes & corda, totius Chriſtianæ diſciplinæ ſanctarumque ſcripturarum interpretatio
in ambiguo & incerto poſita eſſet, ſemperque de doctrinæ ueritate homini ſuſpicari li-
ceret, aut ſaltem non eſſe certo, quemadmodum de uera & interna uitæ ſanctitate, non
modò aliena, ſed noſtra quoque ſuſpicari licet, iuxta illud, Neſcit homo an amore uel Eccl.9.
odio dignus ſit. Quæ res profectò euangelicæ uitæ rationem, omnium, quæ hucuſque
uel diuinitus uel humanitus ſunt excogitatæ, infœliciſsimam redderet.

ADVERSATVR autem multò magis hæc doctrina noſtris ipſis hæreticis, quàm nobis,
cùm illi tantum euangelicæ doctrinæ auditioni tribuant, ut ea per ſolidam fidem ſuſce-
pta, ſine ullis operibus ſalutem certiſsimam, de qua dubitare non liceat, conciliare
doceant. Nam ſi uerbo Dei prædicatione hauſto, Chriſtianus homo certus eſt, ſe Deo
amicum eſſe: oportet igitur eundem certum eſſe, eam doctrinam, quam audit, ueram
& Euangelicam eſſe. Id autem cùm nulla cœleſti reuelatione ſuſceperit, aliunde quàm
à perſonæ prædicantis auctoritate ac præiudicio, ſibi perſuadere nõ poteſt. oportet igi-
tur certus ſit de prædicantis iuſtitia, alioquì quo pacto certus eſſe poterit, quæ audiuit
uera eſſe, aut uerbum eſſe Dei, quod ſolum dum uera fide ſuſcipitur, peccata remittit?
Nam quantumuis hæretici noſtri de propriæ iuſtitiæ certiſsima notitia glorientur, pro-
fectò de alterius iuſtitia certi eſſe non poterunt, atque adeò an uerba prædicatoris,
uerba ſint Dei, ſemper erunt incerti: unde ueram, id eſt, certam fidem, & quæ nullo du-
bitationis ſcrupulo diluatur; quæ ſola apud eoſdem iuſtitiam conciliat, obtinere non
poterunt. Eſt igitur hæc doctrina, ut eſt in reliquis hæreticis dogmatibus frequentiſsi- Hæretica
mum, duobus illis eorum axiomatis, quæ (ut aiunt) à ſophiſtis iam dudum ſepulta, doctrina
ipſi ſoli è tenebris eruerunt, omnino contraria. Nam ſi fide, dum illa Dei uerbum ſu- inconſtan
ſcipimus, iuſtitiam obtinemus, oportet igitur ut ea fides uera ſit, alioquì iuſtificare tia.
non poterit: ueram autem eſſe, unde cognoſcat, aliunde non habet, quàm ex docentis
auctoritate, quæ tamen iuxta hanc doctrinam nulla eſt, niſi ſit iuſtus, qui docet. De-
inde, ſi credens certus eſſe poteſt de ſua iuſtitia, oportet igitur eundem eſſe certum,
quòd ea doctrina, quam audit, ſit uerbum Dei: eſſe autem uerbum Dei, ideò ſcire non
ualet, quia prædicare uerbum Dei, tantùm eſt iuſtorum, & eorum, qui uel Apoſtolis,
uel ſanctis patribus non modò in officio docendi, ſed in uitæ ſanctitate ſucceſſerunt.
quod etiamſi bonis operibus & externa quadam ſanctitatis imagine exterius oſtenda-
tur, non tamen eſt certum. Ergo nullus de ſua fide, atque adeò, neque de ſua iuſtitia
certus eſſe poteſt. Neque hîc communis illa eorum latebra, qua non ſe ad hominis præ-
dicationem, ſed ad ipſam ſcripturam, id eſt, ad ipſum purum putumque Dei uerbum,
ſuam fidem exigere, fabulantur: unde tamen eos multoties uel reluctantes extruſi-
mus, aliquid prodeſt. ut enim hoc doctis, & eis, qui ſcripturarum per ſeipſos noti-
tiam habent, concederemus; indoctis tamen plebibus, quæ non alia ratione uel con-
cionibus, uel ſanctæ ſcripturæ interpretationibus, credunt, quàm maiorum auctoritate
nullo pacto id damnare licet, niſi id quod ſuperius abundè eluſimus, iterum quaſi aſy-

lum teneant, ſcripturas etiam agricolis, & cerdonibus eſſe obuias. quod, ut uerum eſ-
ſet, non tamen uarias habere interpretationes, negare poterunt. ad quas cùm à uulgo
& indoctis hominibus peruentum fuerit, impoſsibile profectò erit animi dubitatione
non percelli, atque adeò nunquam ueram fidem, qua peccatum ab anima auolet, ha-
bebunt. Quod ut apertius intelligatur, illuſtremus exemplo. Prædicat Brentius aut
Caluinus, fide ſola in Chriſtum, iuſtitiam Chriſtianam obtineri, atque in huius dogma-
Rom. 1. tis comprobationem adducit illud aut Abacuch, aut Pauli, Iuſtus ex fide uiuit. aut
Rom. 3. illud, Iuſtificati per fidem, pacem habeamus ad Deum. aut illud, Qui credit in fi-
Ioan. 3. lium, habet uitam æternam, & cætera, quæ ab iſtis adduci ſolent. Videt ruſticus ex una
parte Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Cyprianum, Tertullianum, Athana-
ſium, Gregorios, Chryſoſtomum, & demum totius Orientis & Occidentis eccleſiaſti-
cos patres, totamque eam eccleſiam, quæ Catholica dicitur, in qua ſunt tot & marty-
rij & ſanctitatis titulo inſignes, ea loca, non de ſimplici credulitate, aut fide ſterili, ſed
de illa, quæ adiunctam habet dilectionem, accipere. Contrà uidet Lutherum, Zuin-
glium, Caluinum, Brentium, &c. quos neque ulla ſanctitas, neque ulla morum integri-
tas commendat, eadem de ſimplici illa perſuaſione, qua nobis perſuademus, Deum no-
bis remittere peccata propter Chriſtum, nulla dilectione aut bonorum operum propo-
ſito præcedente intelligere. An'non ea perſuaſio, quòd Deus ſibi peccata uelit remit-
tere, propter Chriſtum ſine operibus propriis, qua alioqui iuſtificandus eſt, incer-
titudinis aliquid admiſtum habebit? Non igitur fides uera, id eſt, omnino certa erit,
atque adeò neque peccatorum remiſsionem donabit. oportet igitur ut fides omnino
firma & ſolida ſit, non ad ſcripturas tantùm, ſed ad homines magiſtros, quæ prædican-
tur, exigere, quorum ſanctitas, ac perinde legitima (ut aduerſarij uolunt) ſucceſsio
cùm ſine cœleſti reuelatione ſciri nequeat, ſemper erit ambigua. unde & fides ſemper
quoque erit incerta, atque adeò ad indulgendam remiſsionem peccatorum inefficax.

Atqve hæc quidem ratio ex parte audientium ſumitur. Eſt tamen illa multò uehe-
mentior, quæ ex magiſtrorum parte, in eandem aduerſariorum doctrinam inſurgit.
Nam ſi ita eſt, ut iſti perſuadere conantur, legitimam ſcilicet Epiſcoporum & docto-
rum eccleſiaſticorum ſucceſsionem, praua uitæ inſtitutione impediri, profectò cunctis
peruerſis & hæreticis hominibus, liberè docendi, quodcunque in mentem uenerit, an-
ſa donatur. Quod & nunc huius ſententiæ auctores, dexterrimè faciunt. Nam eſto,
eccleſiaſtici paſtores & doctores uerè (ut iſti contendunt) à legitima apoſtolorum &
ſanctorum patrum ſucceſsione ceciderint, eſto nunc falſa doceant: contrà Lutherus, Cal-
uinus, Brentius, Philippus, &c. uera, Quid? an'non horum ſucceſſores de ſeipſis alter-
utrum cauſari poterunt, quòd ſanctis iſtis euangelij reparatoribus, & ueræ doctrinæ
patriarchis, propter ſuos prauos mores legitima ſucceſsione nō reſpondeant, atque adeò
ueræ doctrinæ magiſterium perdiderunt? Quod ſi ſemel dicere libuerit, dicat mihi
Caluinus, quo argumento conuincentur? aut qua ſolida ratione, ſectatoribus, & ei
uulgi parti, quæ ea doctrina noua delectatur, (neque enim deerunt, etiamſi ſint, quæ
dicuntur, ſtultiſsima, qui ea à ſumma ſapientia profecta credant) falſum eſſe, quod do-
cetur, perſuadebit? Sed quid poſteritatem expectabimus? Dicant mihi Caluinus,
Brentius, Philippus, Lutherus, &c. quo ipſi eos, quos de euangelicis dogmatibus pra-
ua ſentire crediderint, argumento peruincent? Docent Lutherus, Philippus, & Bren-
tius, Chriſti corpus, ſub ſpeciebus latêre in cœna Domini, atque ita ſe credere, niſi
mentiantur, ſcribunt: contrà Zuinglius, Caluinus, &c. tantum ibi typicè exiſtere, non
leuibus (ut ſibi uidetur) rationibus corroborant. Iam ſi uerum magiſterium prauis
moribus perditur, quo pacto ſe inuicem uera dicere populo perſuadebunt, qui eorun-
dem, cùm ſcripturas neſciat, iudex eſſe non poteſt? At ſanctiſsimus eſt Caluinus, mo-
ribusque integerrimis. eſto: ſed cur & illo reliqui, qui eidem aduerſantur, non ſint
apud ſuos integriores? potiſsimè cùm apud hos externa ſanctitatis larua, nihil ad ue-
ram ſanctitatem conferat, ſed tota iuſtitia animo fideque pendeat?

Itaqve nihil aliud iſti boni uiri, dum prauis moribus & mala uitæ inſtitutione,
eccleſiaſtici magiſterij ſucceſsionem impediri garriunt, mea quidem ſententia moliri
uidentur, quàm pluſquàm Babylonicam quandam confuſionem inducere, & in Chri-
ſtianum populum quæcunque quis uelit, inducendi licentiam indulgere: quò nimirum

ſit una in omnibus fides, & quò idem dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata, ut olim (eodem nimirum ſtudio) contendebat Apoſtolus. Neq; uerò nouum hoc eſt noſtrorum hæreticorum inuentum, ſed omnium, à ueteri memoria tutiſsimum aſylum. Nam cùm eccleſiaſtico magiſterio, per legitimas paſtorum & doctorum ſucceſsiones deriuato, urgentur, nihil habent, quò fugiant, niſi ad corruptos paſtorum & eccleſiaſticorum, qui doctrinæ præſunt, mores, quibus inaniter, iam dudum eccleſiaſticum magiſterium legitimáq; illius ſucceſsionem auolaſſe deblacterant: nec tamen uident miſeri, eodem prorſus argumento ſe percuti. nam ſi doctrinæ ueræ magiſterium malis moribus perditur, profectò cùm illi nulla uitæ ſanctitate cæteris præluceant, ſed contrà (quod eſt omnibus compertiſsimum) ſumma omnium peccatorum turpitudine mundo ſint abominabiles, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, *Rom. 1.* pleni inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſi, quod uitium egregiè ſuorum ſcriptorum impudentia effingunt. ſuperbi dum ſe ipſos ſapere ſolos, cæteros omnes ſtultè deſipere, ſibi perſuadent; elati, in uentores malorum, parentibus non obedientes, (neque enim in religione, filius patri, aut uxor marito obedire dignatur) inſipientes, incompoſiti moribus, ſine affectione, abſque fœdere: neceſſe eſt enim ut qui fœdus cum Deo initum uiolarunt, hominibus ſint infideles ſine miſericordia. neque enim uel Diocletiani aut Nerones, etſi qui ſunt alij titulo crudelitatis inſignes, adeò atrociter, ut iſti in eccleſiaſticos uiros, per cruciatus & tormenta ſæuierunt; cùm, inquam, tales ſint, cur non ipſos omnium primos magiſterium ueræ doctrinæ perdidiſſe dicamus? Immo cur ipſos aliquando id attigiſſe credamus?

Itaqve, non modò noſtris paſtoribus & doctoribus, qui etſi ab antiqua illa ſanctorum patrum integritate deſciuerint, multò tamen (uel ipſo mundo iudice) hæreticis uirtute præſtant, ſed ipſis iiſdem ſanctis patribus, hanc legitimã ſucceſsionem obiicientibus, olim hæretici, quò minus eorum magiſterium legitimum agnoſcerent, haſce eaſdem nugas, hæretica prorſus & procaci libertate obiectabant, ne ſibi adblandiantur hæretici noſtri, nouam latebram prauis dogmatibus inueniſſe. Quam rem, cùm ſint in eccleſiaſtica hiſtoria frequentiſsima teſtimonia, Petiliani tamen Cirthenſis Epiſcopi Donatiſtæ, impius in Auguſtinum libellus, abundè comprobat. In quo, poſteaquàm catholicos patres, qui eo ſæculo, ſumma uitæ ſanctitate & eruditione florebant, falſos, Epiſcopos, Iudæ proditoris ſucceſſores, euangeliorum incenſores, ſceleratos, impios, progenies uiperarum, pſeudoprophetas, qui ueniunt ad gregem Domini cum ueſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces, diabolos in angelos lucis transfiguratos, carnales, ac perinde ſpiritu Dei deſtitutos, uerorum Chriſtianorũ, immo Chriſti ipſius perſecutores, &c. per ſummam impudentiam appellaſſet, cæteraſque uerborum iniurias, quas modò noſtri ſæculi hæretici, in noſtros Epiſcopos coniiciunt, in illos patres garrula & amarulenta loquacitate contorſiſſet, ſubiungit, Sacerdotes uos dicitis. ſic à domino Deo dictum eſt per prophetam, Vltio domini ſuper falſos ſacerdotes, ſi cathedram uobis miſeri uendicatis, habetis illam profectò, quam Dauid propheta pſalmographus, peſtilentiæ cathedram pronunciauit, uobis enim iuſtè relicta eſt, in qua ſancti ſedere non poſſunt. Si ſacrificia uos facere iudicatis, de uobis nequiſsimis Deus ipſe ſic dicit, Facinoroſus, inquit, ſacrificat mihi uitulum, quaſi canem occidat, & qui ponit ſimilaginem, quaſi ſanguinem porcinum fundat. Scitote ſcitote ueſtrum ſacrificium, qui ſanguinem humanum iam fudiſtis. Et iterum, Sacrificia eorum, quaſi panis luctus, omnis, qui manducat ex illo, inquinabitur. Si precem Domino facitis aut funditis orationem, nihil uobis penitus prodeſt. ueſtras enim debiles preces, cruenta ueſtra conſcientia euacuat, quia dominus Deus puram magis conſcientiam, quàm preces, exaudit, domino Chriſto dicente, Non omnis, qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed is, qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Voluntas Dei utique bona eſt: nam quotidie in oratione ſic petimus, Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo, & in terra, ut quia bona uoluntas illius eſt, nobis, quæ bona ſunt, largiatur. Vos ergo uoluntatem Dei non facitis, quia mala quotidie perpetratis. Hactenus homo hæreticus. Quæ conuicia tamen non in quoſuis, ſed in prioris illius ſæculi ſanctiſsimos paſtores & uiros coniiciuntur, ut non ſit de noſtri ſæculi hæreticis magnopere miran-

Vetus hæreticis mos cùm a catholicis legitima ſucceſsione urgentur, obiectandi crimina, quibus iam legitimam ſucceſsionẽ expiraſſe cõtendant.

Apud Aug. lib. 2. con. lit. Pet.

dum, quòd in eccleſiaſticos paſtores, omnibus ſuis ſcriptis contumelias euomant. Contendebat iam tunc Petilianus, & cum eo totus hæreticus cuneus, eccleſiaſticos paſtores, & magiſterij cathedra & ſacrificandi poteſtate & orandi miniſterio, id eſt, integro euangelico ſacerdotio, quod iis tribus partibus conſtat, uiolenter trudere, atque adeò legitimam illam uetorum paſtorum ſucceſsionem extorquere, quòd illam in ſeipſos inuicta uirtute, militare conſpiceret. Sed quàm Chriſtiana modeſtia eas calumnioſas & conuicioſas nugas Auguſtinus diluerit, iam audi. Quære potius, inquit, quid uerum dicas, non unde malè dicas, & quid doceas, non quid obiicias. nam hæc non uides non eſſe documenta, ſed uana conuicia? Hoc enim eſt illud, quod paulò antè dixi, uerba legis dicitis hæretici, ſed in quos dicatis, non attenditis. Sicut diabolus uerba legis dicebat, ſed cui diceret, non agnoſcebat: ille caput noſtrum ſurſum aſcenſurum, deorſum uolebat deiicere; uos autem corpus eiuſdem capitis, quod per totam terram diffuſum eſt, ad exiguam partem uultis redigere. Certè ipſe paulò antè dixiſti, nos legem noſſe & legaliter loqui, ſed in actibus erubeſcere. dicis quidem iſta nihil probans, ſed & ſi de aliquibus probares, de his cæteris non præſcriberes. uerumtamen ſi omnes per totum Orbem tales eſſent, quales uaniſsimè criminaris, cathedra tibi quid fecit eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? uel eccleſiæ Hieroſolymitanæ, qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet? quibus nos in catholica unitate connectimur, & à quibus uos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ, cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere, nunquid dominus Iesvs Chriſtus, propter Phariſæos, de quibus ait, Dicunt enim & non faciunt, cathedræ, in qua ſedebant, ullam fecit iniuriam? Non'ne illam cathedram Moyſi commendauit, & illos ſeruato cathedræ honore, redarguit? Ait enim, In cathedra Moyſi ſedent, quæ dicunt, facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamaris, blaſphemaretis cathedram apoſtolicam, cui non communicatis. Sed quid eſt aliud quàm neſcire, dicere & tamen non poſſe niſi malè dicere? Hactenus Auguſtinus. Non igitur nouum eſt, ſed tam antiquum quàm ipſi hæreticorum parentes, eccleſiaſticas cathedras præſertim uerò Romanam, quò ab illis uerum Chriſtianæ diſciplinæ magiſterium remoueant, paſtorum uel fictis criminationibus inceſſere. Neque hæretici noſtri (crede mihi) ſi nunc priores illi ſancti martyres, Cyprianus, Iræneus, Clemens, Euariſtus, &c. quos etiam ſuis ſæculis ab eiſdẽ falſis criminibus denigratos legimus, immo ſi Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus & reliquus apoſtolicus chorus, in eccleſiaſticas ſedes remigrarent, eorum uitas quantum libet ſanctiſsimas, accuſare ceſſarent, quò eos illegitimos paſtores, & falſos magiſtros, laruatoſque Epiſcopos dicentes, ſeque perinde euangelicæ cathedræ ſucceſſores populo uenditarent. Quid enim ij uniuerſi aliud præſtare poſſent, quàm exterius ad normam euangelicam compoſitos mores, aut ad ſummum miracula? At quàm parùm iſta apud hæreticos & ſemel proprio iudicio condemnatos perficiant, quamque parùm eorum impudentiam cohibeant, ex eodem Petiliano, cuius ſæculo nondum hæc in eccleſiaſticis paſtoribus ceſſarant, iam audi. Is, poſtquàm ſuperioribus uerbis, ſacrificia, orationes, reliquaque pietatis & Chriſtianæ uitæ externa opera, quæ in uiris illis ſanctiſsimis, magno apud omnes ſplendore pellucere uidebat, quòd animi integritas, à qua ea omnia procedebant, non item hominibus cognita eſſet, quaſi hypocritica & Deo odibilia condemnaſſet, & in ea multa maledicta conieciſſet, ne

lib. 2. de ciuit. Dei.

ſortè eorum miraculis, quæ ut ipſe Auguſt. docet, ſuo tempore frequentia erant, ad eorum ſanctitatem confutandam adigeretur, ſic inquit, Si fortè (quod neſcio) dæ-

Apud Aug. lib 2. con. lit. Petiliani.

monia pellitis, nec id uobis proderit, quia nec fidei ueſtræ, neque meritis cedunt ipſa dæmonia, ſed in nomine Domini Iesv Chriſti pelluntur ipſa dæmonia; etſi prorſus uirtutes & mirabilia facitis, propter ueſtram nequitiam, nec ſi uos dominus nouit, domino ipſo dicente, Multi dicent mihi in illo die, Domine domine, in nomine tuo propherauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus: tunc dicam illis, Quoniam non noui uos, diſcedite à me operarij iniquitatis. Hucuſque Petilianus. In quo non tantùm eius hominis hæretici, ſed omnium inſuper hæreticorum animos, ad uiuum expreſſos uides. Non itaque ulla tam ingens eſt ſanctitas, neque uita tam integra, quàm hæretica imprudentia, quòd ſe ſuaſque idolomanias

manias

manias tueatur, incuſare non poſsit: immo iam tunc olim apoſtolico ſæculo, non cuiuis homini aut cuiuis epiſcopo, ſed Paulo uaſi electionis, prædicatori ueritatis, & doctori gentium, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per IESVM Chriſtum in apoſtolatus miniſterium deſtinato, eaſdem hæretica factio calumnias obiectabat, præſertim cùm Moſaicæ legis ceſſationem doceret. Cauſabantur enim, eum neque cum Chriſto fuiſſe, neque ab eo edoctum, aut electum, ſed ab hominibus uocatum, aut à ſeipſo intruſum: unde neque legitimum euangelicæ legis miniſterium, apud plebes dicebant, in qua tamen calumnia diluenda, ad hæreticam impudentiam retundendam, nihil erant uitæ ſanctitas, apoſtolici labores, cæterorum apoſtolorum approbatio, ingentia miracula, quæ quotidie in eorum, quæ docebat, comprobationem edebat, acutiſsima ſcripta, quorum bonam partem in ea ſycophantia repellenda conſumit. Quòd ſi ſanctos patres, à quorum nunc eccleſiaſtici paſtores ſucceſsione, uitæ diſsimilitudine repelluntur, immo uerò ſi ſanctos Chriſti apoſtolos, hæretica procacitas ab euangelico magiſterio, uerǽque doctrinæ cathedra deturbare conatur. quid de noſtris uel Epiſcopis, uel hæreticis ſit ſperandum, iam prudens lector aduertet.

Act. 9. 1. Tim. 2. Galat. 1.

Vide epiſt. ad Galat. & 2. Cor. 10. 11. 12. & 13.

SED CALVINI & aliorum ratiunculas, quantum in nos ualeant, iam expendamus. Filij, aiunt, Heli, ſucceſſores erant ſacerdotij Moſaici, & populi indices, & tamen ſcriptura dicit, eos fuiſſe filios Belial, & neſcientes dominum. At hi (quod tamen ſemper eiſdem eſt ſolemne) primo loco falluntur. Licèt enim ſacra hiſtoria Heli ſacerdotem, duos filios item ſacerdotes habuiſſe commemoret, qui & patris negligentia, & peſsimis moribus fuerint reprobati; quòd tamen in ſuprema illa ſacerdotali dignitate, quæ cathedram legis habebat, patri ſucceſſerint, omnino non legimus. immo uerò prorſus cõtrarium legimus. Fuit enim, mortuo Heli, ſummum ſacerdotium, cum ſummo populi iudicio ac magiſtratu ad Samuelem tralatum, cuius tamen poſtea filios, quòd nec ſuæ uoluntati, nec patris ſanctitati reſponderent, perindeque tantæ dignitati cenſerentur inepti, à ſacerdotio quoque dominus repulit. Nihil ergo aduerſus Epiſcopales & eccleſiaſticas cathedras, ex eo loco colligitur. immo potius quanta cura dominus, ne illis praui homines præſint, proſpexerit, nõ obſcurè cognoſcitur, cũ & Heli & Samuelis (ui rorum alioqui ſanctorum, & ſibi carorum) filios à ſummi ſacerdotij functionibus excluſerit. Deinde ut Ophni & Phinees Heli filij, maximi ſacerdotes fuiſſent, nulla tamen illis praua doctrina à ſancta ſcriptura, eo loco obiicitur, ſed tantùm praui & degeneres mores, quos in euangelicos paſtores, & Epiſcopos complures, & nunc, & olim quoque, irruiſſe non negamus. hoc eſt enim, quod ſanctæ ſcripturæ peculiari tropo neſciſſe dominum illic referuntur. Eodemque pacto locus Eſaiæ eſt accipiendus, quo dominus conqueritur, præ ebrietate ſacerdotes & prophetas ignoraſſe. in prauos mores, eorumque docendi & adhortandi populum negligentiam, non item in hæreſes, quas in eodem populo ſeminaſſent, dominus inuehitur. Quæ uitia, etiamſi non multum obnixè à nobis poſtulent, in populi Chriſtiani paſtoribus ac ſacerdotibus multis eſſe, ultronei concedimus. Nam quòd neſcire dominum, ſicut eius contrarium, ſcire aut cognoſcere eundem, potius ad mores, quàm ad intellectum pertineant, apud nullum, qui ſacras literas, uel à longè ſalutarit, perſuaſione indiget. Eſt non aliud ſcire Dominum, aut cognoſcere Dominum, quàm illi per uoluntatis obedientiam perfectè adhærere. Sicut contrà, Neſcire eundem, aut ignorare, non eſt aliud, quàm longè ab eius lege & imperio uoluntatem auertere. Vnde perpetua ſanctæ ſcripturæ phraſi, ſcientia domini aut ſapientia, iuſtitiam; contrà ignorantia, aut neſcientia iniuſtitiam, & prauam morum inſtitutionem ſignificat. Quæ omnia, quòd ea ſint in ſancta ſcriptura omnibus peruia, ne ſim præter neceſsitatem prolixus, adductis exemplis confirmare non libet. Itaq; inſimulantur peſsimorum uitiorum, potiſsimè uerò negligentiæ docendi, ad quod munus ſemper præſtandum tenentur, eo loco multiſq; aliis praui degenereſque ſacerdotes: non tamen hæreſes in populos ſparſiſſe aut ſeminaſſe dicuntur.

Diluuntur hæreticorum argumenta.

1 Reg. 1.

1. Reg. 2. 3. & 4.

1. Reg. 8.

1. Reg. 2.

QVIN, neq; nos negamus ſacerdotes & Epiſcopos, aliquando per falſas & hæreticas doctrinas potuiſſe decipere, cùm ipſa rerũ euidentia, & eccleſiaſticæ hiſtoriæ maiorem eorum hæreticorum partẽ, quorum habita eſt aliqua ratio, eccleſiarum paſtores & epiſcopos fuiſſe memoriæ prodiderint. quare uaniſsimè hæretici, ſicut & reliquos ſcripturæ locos, nobis uel Heli filios, uel propheticas in ſacerdotes increpationes obtendunt. Fate-

mur epiſcopos, non modò bonis illis priſcorum paſtorum moribus, ſed antiqua quoque
illa fide per hæreticas perſuaſiones poſſe deſtitui: quod & noſtra & antiqua eccleſiaſtica
ſæcula, de quibuſdam teſtantur. Quid hoc ad legitimas eccleſiarum & epiſcoporũ ſuc-
ceſsiones, id eſt, ad eccleſiaſticum magiſterium, per eccleſiaſticas ætates ad nos deri-
uatum, quod Caluinus & Brentius proſternere ſatagunt? Appellamus nos legitimè ſucce
Legitima ſucceſsio quæ uocetur. dentes epiſcopos, non quoſcũq;, ſed eos, qui eam doctrinam, quæ ab apoſtolico tem-
pore, in ſua eccleſia durauerat, nullatenus inuerterunt: nam reliquos non legitimos ſed
ſpurios uocamus. Verbi gratia, apud Mediolanũ, non Auxentium Arrianũ, ſed Ambro-
ſium, legitimam ſucceſsionem continuaſſe dicimus: quòd prior ille non immota doctri-
na, ſed antiqua ac ueteri traditione peruerſa, eccleſiæ Mediolanenſi præfuerit: hic uerò
non aliam doctrinam, quàm eam, quæ ab Apoſtolico ſæculo durauerat, colens, uerbo-
rum ac ſententiarum nouitates odiuerit. nam eos, qui aliquid apoſtolicæ ueteriſque
doctrinæ immutarunt, quaſi hæreticos, & in doctrinam religionis ſacrilegos cæteri pa-
tres catholici ſemper notarunt. Itaq; non uniuerſos epiſcopos, qui unquam fuerunt,
aut modò ſunt, aut erunt aliquando, à crimine hæreſis uendicamus; ſed eccleſiaſticum
magiſterium, non alia magis ratione cognoſci cõtendimus, quàm legitima epiſcoporũ
& paſtorum ſucceſsione, id eſt, illa, quæ nullo pacto apoſtolicam doctrinam peruertit.
Quare, qui in epiſcopos, aut ſacerdotes uel à Caluino uel ab aliis, ſcripturæ loci afferun-
tur, etiamſi ſacerdotum prauam & hæreticam doctrinam inceſſerent, quod certè non
faciunt, ſemper erunt euanidi.

Iam quòd Eccleſiam & Eccleſiaſticos uiros, quos ille ludibrioſo nomine Romanẽſes
uocat, Caluinus cum eo ſtatu legis Moſaicæ, & Iſraëlitici populi, in quo ſtultè de tẽ-
plo Domini, ſacerdotum legitima ſucceſsione, & externis tantùm cæremoniis Iudaici
gloriabantur, conferat, pro illa urbanitate, quæ hæreticis omnibus propria eſt, ſcilicet,
ne a Petiliano cæteriſq; huius farinæ ſanctiſsimis uiris, moribus & docẽdi charactere de-
generet, eſt feciſſe credendus. Sed ad rem. Iudæi profectò neque Hieremiæ ſæculo, in
quo id illis Dominus improperabat, neq; Chriſti tempore, quo fuit omnium Iudaicorũ
morum ſumma peruerſio, de ſacerdotum ſucceſsione gloriati ſunt. Gloriabantur illi
quidem de templo domini, quo perdurante præſentiſsimum ſibi adeſſe putabant diui-
nitatis auxilium: unde nec peccare timebant: nunquàm futurum putantes, ut domum
ſuam ſanctamq; illam ciuitatem, qua una in uniuerſo Orbe colebatur, idololatris ac
prophanis hominibus dominus traderet, à qua ſtulta perſuaſione, prophetico illo uati-
cinio trahuntur. At nunquàm illi uel ſolo templo, uel ſolis cæremoniis externis, ſanum
ſuæ religionis ſenſum metiebantur, ut hæretici garriunt, quanquàm id credo faciant,
quò ſemper ſint ſibi in tractandis ſcripturis perſimiles, id eſt, quò nunquam non
inaniter & præter rem, ad deceptionem ſtultorum eaſdem producant. Sed præſtat
ipſum propheticum uaticinium audire. Verbum, quod factum eſt ad Hieremiam à do-
Hiere 7. mino. Sta in porta domus Domini, & prædica ibi uerbum iſtud, & dic, Audite uerbũ
omnis Iuda, qui ingredimini portas has, ut adoretis dominum. Hæc dicit Dominus
exercituum, Deus Iſraël, Bonas facite uias ueſtras & ſtudia ueſtra: & habitabo uo-
biſcum in loco iſto. nolite confidere in uerbis mendacij, dicentes, Templum domini,
templum domini eſt: quoniam ſi bene direxeritis uias ueſtras & ſtudia ueſtra, ſi feceritis
iudicium inter uirum & proximum eius, aduenæ, pupillo, & uiduæ non feceritis calum-
niam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos non
ambulaueritis in malum uobiſmetipſis, habitabo uobiſcum in loco iſto, in terra, quam
dedi patribus ueſtris à ſæculo, uſque in ſæculum. Ecce uos confiditis in uerbis men-
dacij, quæ non proderunt uobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, li-
bare Baalim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis. Hactenus Oraculum. In quo
Iudæi de malis moribus aut idololatria, non item de peruerſa legis intelligentia pro-
fectò carpuntur. Non ergo illi, ſe ueram & incorruptam doctrinam poſsidere, templi
poſſeſsione, cæremoniarumque externo apparatu contendebant, ſed tantùm templi, in
quo Deus habitabat, ſtulta confidentia, eundem ad iracundiam prouocabant, quæ per-
ſuaſio tantum abeſt à catholica eccleſia, ut nihil magis timeamus, quàm noſtrorum pec-
catorum, quæ ſcimus eſſe grauiſsima, illuc uſque excreſcere menſuram, ut quemad-
modum de multis iam dudum Chriſtianis nationibus fecit, nos quoque Nabuchdono-

ſori

ſori plectendos permittat. Itaque ſi nos hac perſuaſione deceptos Caluinus & eius complices uidiſſent, ut Eccleſiam Rom. aut Catholicam, hoc ſolo nomine, quòd rectè de religione ſentiret, in manus hoſtium fidei, nunquam poſſe peruenire putaremus, rectè profectò in nos propheticam illam increpationem uibraret: nunc tamen, nihil tale apud ullum catholicum aut audiuit, aut legit. Quid ergo malum, ſtultè & præter rem in ſanctam eccleſiam Iudaicas increpationes contorquet, quæ non de ſui punitione & flagellis, ſed de ſua religione & fide ex legitima paſtorum ſucceſsione ſecura eſt? Quin, tantum abeſt, ut legitimæ ſucceſsionis magiſterium, cuius confidentiam apud Hieremiam carpi Caluinus contendit, Dominus uel illo loco, uel alibi accuſanerit, ut Chriſtus, etiam eo ſæculo, quo maximè humanæ traditiones, quas ſolas iſti diuinæ legis corruptrices omnibus ſuis ſcriptis contendunt, in eandem diuinam legem pontificum, Phariſæorum & ſcribarũ opera ingruerãt, nos non aliò quàm ad cathedram Moſis, ut antea diximus, erudiendos remittat. Nam ſi uana erat Moſaici magiſterij per legitimas ſacerdotum ſucceſsiones iactatio, cur ad eorum doctrinam, quaſi legitimam Moſaicæ & diuinæ legis interpretem mitteret?

Vltima tandem ratio, tum fortè nonnihil haberet efficaciæ, quando Caluinos, Brentios, Lutheros, Philippos, Oecolampadios, & eos, qui eorum doctrinam moribus imitantur, populos, apoſtolica aut ſaltem maiore, quàm cæteros omnes, ſanctitate & morum compoſitione præditos uideremus: nunc uerò cùm totus Chriſtianus Orbis, quanta ſit eorum integritas, rectè nouerit, neſcio qua impudentia, in eccleſiaſticorum (quos profectò præ illis Apoſtolos dixeris) tam frequenti uerborum flagello, mores inuehantur.

Enimuerò,

Qui carpit mores, labe carere decet.

Hacque ratione multò profectò efficacius, nunquam illos euangelicum miniſterium olfeciſſe, ut antea dicebamus, quis probet, ſi horum eorumque, qui ſuam doctrinam amplectuntur, mores diiudicet? Sed ad rem. Hoc eodem argumento contendebat olim Petilianus, ab homine peccatore nec baptiſmum, nec ueram doctrinam tradi poſſe. Qui fidem, aiebat, à perfido ſumpſerit, non fidem percipit, ſed reatum. Omnis enim res origine & radice conſiſtit, etſi caput non habet, aliquid; nihil eſt. Cui ſic reſpondet Auguſtinus, cùm quis audierit, Qui fidem à perfido ſumpſerit, non fidem percipit, ſed reatum: reſpondebit, Non eſt perfidus Chriſtus, à quo fidem percipit, non reatum. Cùm audierit, Omnis res origine & radice cõſiſtit: reſpõdebit, Origo mea eſt Chriſtus, radix mea Chriſtus eſt, caput meũ Chriſtus eſt. Cùm audierit, Neq; quicquam bene generat, niſi bono ſemine regeneretur: reſpondebit, Semen, quo regeneratur, uerbum Dei eſt, quod obedienter audire ſum monitus, etiamſi ille, per quem audio, quæ mihi dicit, ipſe non facit, dicente domino, & me ſecurum faciente, Quæ dicunt, facite, quæ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & nõ faciunt. Et paucis interpoſitis, Cùm audierit, Arbor bona bonos fructus facit, mala malos, nunquid colligunt, de ſpinis uuas? et, Omnis bonus homo de theſauro ſuo profert bona, & malus homo de theſauro cordis ſui profert mala: (quos locos nunc nobis hæretici obiiciunt) reſpondebit, Hoc ergo bonus fructus eſt, ut arbor bona ſim, hoc eſt, bonus homo, ut præbeam fructum bonum, hoc eſt, opera bona. Non autem non qui plantat, & qui rigat, mihi dabit; ſed qui incrementum dat Deus. Hactenus Auguſtinus.

Apud Auguſt. lib. 2. cont liter. Petilian.

Ergo ut iam huic diſputationi, atque adeò huic ſeptimo libro finem imponamus, ſciamus, non homines, qui tantùm ſunt inſtrumenta & miniſtri, ſed Chriſtum, qui per Spiritum ſanctum Eccleſiam ſuam docet omnem ueritatem, eccleſiaſtico magiſterio præeſſe. Vnde cùm ſe frequentiſsimè magiſtrum appellare conſenſerit, nunquam tamẽ id nominis aut dignitatis à quoquam quantũuis apoſtolici culminis uiro, uſurpari permiſit. immo eo loco, quo ad Phariſæos bene docentes ſed malè uiuentes, Apoſtolos remittit, Nolite, inquit, uobis uocare magiſtrum ſuper terram: unus eſt enim magiſter ueſter. quaſi omnem doctrinam, non à malis hominibus, qui ex ſe alioqui non potuiſſent, ſed à ſe ipſo per ſancti Spiritus impulſum deriuari doceret. Profectò ſcit Chriſtus per ligneas fiſtulas igni æterno deſtinatas, dulciſsimam euangelicæ doctrinæ harmoniã edere, & per lutea uaſa, & aquæductus, in eccleſiaſticas areas, cœleſtis doctrinæ *Matth. 23.*

fluenta

fluenta diducere. Ergo id nobis, quando mores noſtrorum paſtorum ab antiqua illa priorum patrum integritate, uideamus diſcedere, cum Auguſtino perſuadeamus, euangelium, furem quoque Iudam ſine detrimento fidelium prædicaſſe, atque illi æquè atque Petro dictum fuiſſe, Qui uos recipit, me recipit: qui uos reiicit, me reiicit. Verùm de prima Eccleſiaſticæ reipublicæ parte, id eſt, de lege eiuſque iudice atque interprete Eccleſia iam ſatis.

Auguſ. li. contra epiſtolam Parmenian.

Libri ſeptimi & ultimi finis.

Venetiis Ioan. Gryphius excudebat,
M·D·LXIIII.

RERVM ET [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] ſex liber ſi primus.

[illegible]

[illegible] excudebat.

[illegible]

RERVM, ET VERBORVM MEMORABILIVM, quæ his libris continentur, Index copioſiſsimus.

A, folij frontem, B, tergum ſignificat.

ABAYLARDI error, & qui in eum ſcripſerint 5.a
Acceſſorium naturā ſequitur ſui principalis 101.b
Actiones naturales, & animales. 66.b
Actiones immanentes, & tranſeuntes quæ ſint 70.b
Adulterium apud quos minimè turpe 142.b
Aeneum caput, arte Alber. Ratiſponenſis loquutū 60.a
Aequitatis quod munus ſit 251.b
Aërius Pamphilum reuixit 53.b
Aëris media regio cur frigidiſsima 27.a
Aëromantia expenditur 50.a
Aëromantia reiicitur 10.a
Aetheream inter & elementarem regionem magnum diſcrimen 11.b
Aleatoriæ artis in diuinando uanitas 27.a
Alexander Seuerus Imperator Chriſto templa dicari iuſsit 77.a
Alphonſi Toſtati contra diabolum uictoria ſub uitæ finem 172.a
Amores marium Plato commendat 48.b
Amos per tempora transfixus necatur 104.b
Andreæ Cathanei commenta quædam refelluntur 61.b
Angelica uoluntas an à nobis ſciri poſsit 14.a
Animus diſciplina niſi excolatur, ſylueſcit & ſterileſcit 103.a
Anima Theodorici Gothi in ſulphuream foueam præceps data 81.a
Anima quid Ariſtoteli 18.a
Animæ poteſtas mira in quibuſdam 69.b. 70.a
Animæ rationalis in proprium corpus uis magna 69.b
Animæ ſuper ſubſtātia diuerſæ ſapiētū ſententiæ 18.a
Animæ durationem, quantam eſſe dixerint antiqui 18.b
Animæ immortalitatem quibus rationibus quidam aſtruant 18.b
Animæ actiones à corporis temperamento ut plurimum pendêre 64.b
Animæ in corpus diſsitum nulla poteſtas 70.a
Animæ rationalis in proprium corpus ingens imperium 69.b
Animæ actiones Galeno, à corporis temperamento pendêre 64.b
Animæ poteſtas ad corpora coniuncta profertur non ad diſiuncta 70.a
Animæ triplex portio 112.b
Animæ, rationalis portio tantùm, fidei eſt ſubiectū. ibid.
Animam imaginationis ui, mira efficere extra propriū corpus, Auicenna opinatur 69.a
Animarum in uaria corpora poſt mortem fieri tranſmigrationem, quidam olim crediderunt 19.a
Animarum Pythagorica tranſmigratio 18.b. 19.a
Animorum immortalitas 114.b
Animalia quædam cur ad aliquod uſque tempus ſine cibo & reſpiratione uiuant 55.b
Animata corpora inanimatis nobiliora 10.a
Annas & Cayphas pontifices infœlicem uitæ exitum ſortiti 79.b
Annos, quos antiqui aut uixerunt, aut imperarunt, ſupputare, res eſt difficillima & errori obnoxia. char. 201.b
Antiochi hiſtoria quàm uniformiter in primo & ſecundo libro Machabæorum deſcribatur 199.a
Antiochum, Antichriſtum figuraſſe 213.a
Antiochi exitus 82.a
Antiochus quis fuerit, diuerſæ ſententiæ 213.a
Antiochos duos libri Machabæorum referunt 198.b
Antoninus Pius Chriſto ſtatuam dicauit 77.a
Ariſtoteles non auſus de cœlis multa loqui 16.a
Ariſtotelis locus declaratur 17.a
Apocalypſis à patribus tanquam canonicus liber allegatur 192.b
Apocalypſis à Ioanne conſcrip. 229.b
Apocalypſis quare olim non fuerit ab omnibus paſsim recepta ibid. a
Apocalypſim in ipſam à multis ſanctis patribus fuiſſe edita commentaria ibid.
Apocryphorum librorum duplex genus 219.a
Apocrypha non omnia ſunt, quæ in apocryphis libris ſcripta reperiuntur 218.b

Apocryphus liber quis dicatur 218.a
ἀπόκρυφον, occultum ſignificat 218.a
Apollo Mileſius de Chriſto conſultus, quid reſponderit 76.b
Apollonius Tyanæus magus. Chriſto ab Hiero de Alexandrino æquiparatus 58.b
Apoplexia unde proueniat 54.b
Apoſtoli & maximè Paulus mentis humilitate enituerunt 163.a
Apoſtoli multas res ad fidem ſpectantes primitus ignorarunt, quas poſtea Spiritus ſanctus ſuæ Eccleſiæ reuelauit 281.b
Apoſtolorum genera quatuor 105.b
Apoſtolis modò non eget Eccleſia 263.b
Apoſtolica quot modis dicatur Eccleſia 277.a b
Apoſtolico munere functos, mundus odio proſecutus eſt. char. 204.b
Apoſtolicis uiris magna animi & uirtutis cõſtantia 43.b
Apuleius, puerarius 43.a
Aqua, uerbum Dei eſt 90.a
Ara cœli Romæ 31.b
Arcam fœderis, propitiatorium, &c. à Nabuzardane non fuiſſe abſtracta probatur 202.b
Arrij error quis fuerit 2.a
Arrij, Eunomij, Macedonij & eorum, qui aliqua parte cum Arrio conſentiebant qui errores proſciderunt. char. 4.a
Arrij Alexandrini infœlix obitus 83.a
Arrium qui ſcriptis conciderint. 4.a
eius mors 83.a
Ariſtoteles, puerarius 43.a
Ariſtotelici loci explicatio 17.a. 10
Arma uera Chriſtiani hominis 96.b
Artaxerxes, nomen dignitatis, & officij, non proprium regis 203.b
Artaxerxes Aſſuerus, priuilegium ſecretum ad templum ædificandum dedit 205.a
Artaxerxes, qui & Aſſuerus uocabatur, templum Hieroſolymis ædificauit 204.a
Aruſpicium antiquiſsimum 10.a b
Aſinini capitis adoratio quibus olim obiecta 56.a
Aſtiagis Mœdorum regis ſomnium 28.b
Aſtra cur in cœlo poſita 20.a
Aſtrorum lumen, in terras non peruenit niſi intentionaliter 21.a
Aſtrologi cuiuſdam in prædicendis futuris aſtus 16.b
Aſtrologis uectigal impoſitum 16.b
Aſtrologia ſuperſtitionum omnium origo 16.b
Aſtrologia à quibus damnata 16.a. & infrà
Aſtrologia à Toletano concilio damnata 25.a
Aſtrologia duplex Ioã Indaginis, confutatur 24.b
Aſtrologia proſternitur 15.b, & infrà
Aſtrologia multiplex apud uarias nationes 17.b
Aſtrologia à quibus prohibita 25.a
Aſtrologia diuinatrix à ſapientibus irriſa 15.b
Aſtrologia diuinatrix cum theologia Chriſtiana collata quàm ſit ridicula 23.b
Aſtrologiæ impensè addicti, miſerè perierunt 16.b
Aſtrologiæ fundamenta conuelluntur 19.a. & infrà
Aſtrologica ars, dæmonum malorum inuentum 24.a
Aſtrologica experimenta minimè uera eſſe 23.a
Auctoritas quid inſinuet 257.b
Auctores ſacri ex apocryphis libris aliqua uera & approbata allegant 228.b
Auctorum compoſiti mores, doctrinæ auctoritatem conciliant 42.a
Auctorum opera ex phraſi metiri, plerunque leuiſsimum eſt 216.b
Aues inter bruta compotes magis diuinatricis uirtutis 10. & 27.b
Augurij uanitas oſtenditur 27.a b
Augurio honor apud Rom. eximius 20.b
Augurandi ars 27.a b
Augurandi ſcientia duplex 27.b
Auguſtinus multa fatebatur ſe ignorare 232.b
Auguſtini locus de auctoritate Eccleſiæ & Euangelij 253.b. 254.a. 255.a. 256.a
Auguſtinum in Eccleſiæ gremio, quæ continerent 172.a
Auicenna reprehenditur 72.a
Auicennæ de fœlicitate à Mahomete promiſſa, opinio 6.a
Aures proprias quidam olim cum uoluiſſet mouebat 69.b
item cæſariem ibid.
Aureliani Cæſaris exitus. 80.b

Baptiſmus leuem pœnitentiam quaſi diſpoſitionem ſupponit 226.a
Baptiſmum ſuſcipiens conſepelitur domino 226.a
Baptiſmum eſſe initerabilem, ex Paulo ad Hebræos probatur 226.a
Baptiſmum ueteres, ſacramentum illuminationum uocabant 225.b
Baptiſmi neceſsitas quomodo probetur 102.b
Bardeſanes primò optimus uir, deinde hæreſiarcha. char. 152.b
Baruch prophetia à multis ſanctis allegatur 191.a
Baſilij Imperatoris obitus 82.b
Bellum Michaëlis cum dracone Iudas in ſua canonica, & Ioannes in Apocalypſi narrant 219.b
Beneficium ingens unitas animorum, & mentium 161.a
Berengarij error, & qui contra eum ſcripſerint 5.a
Bibliorum uerſiones uariæ inter ſe diſsident 249.a
Bonum ſummum ubi ſit 19.a
Bonum ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus 129.b
Bona clericorum, pauperum ſunt bona 263.a
Brigidæ ſanctæ prophetia 24.a
Bruta aliquando diuini ſermonis inſtrumenta fuerunt. char. 102.b
Budei ſententia improbatur. 1.a

CAbdallah ſcripturarum interpres, multis rationibus conuellitur 248.a

INDEX

Cabaliſtica ars duplex 60.b
Cabaliſtica arte, miracula à pijs hominibus & Chriſto non fuiſſe edita 62.b
Cabaliſtica magia 60.a
Caius Caligula primus in Chriſtianos gladium ſtrinxit 79.b
uulneribus confoſſus ibid.
Caluini argumenta eliduntur 281.a b, & infrà. 288.a
Calumnijs maximis quibuſdam, pij uiri olim appetiti. char. 56.a
Canones Apoſtolorum per Clementem deſcriptos, Ioannes Damaſcenus inter canonicas ſcripturas annumerat 286.a
Canticum trium puerorum ad canonem pertinere quidam dubitarunt 210.a
Carbonarius uir, doctum hominem docet 172.a
Carneade diſputante, quid falſum, & quid uerum eſſet, intelligi non poterat 250.a
Carolus Quintus Imperator 24.b. 82.b. 99.a
Carolus Philippi Catholici regis filius, recens à morte magno miraculo liberatus 72.b
Catholici hominis ratio in quo ſit ſita 262.a
Catholicos apud, eſt uera Eccleſia 273.b
Caypha obitus peßimus 29.b
Caritas augeſcit audienda prædicatione ſancta 95.b
Chiromantici uates riſu digni 22.b
Chirurgica induſtria in Euangelico miniſterio neceſſaria eſt 205.a
Chriſtus ſua in patria cur miracula non ediderit 68.b
Chriſtus ſpecioſus præ filiis hominum cur dictus. char. 67.a
Chriſtus admodum iuuenis magiſtri munus non aſſumpſit & cur 208.a
Chriſtus quæ dona à patre acceperit & hominibus largitus ſit 278.b
Chriſtus Aſtrologorum doctrina cur miraculis claruerit 23.b. 65.a. 67. 68. 71.a b
Chriſti miracula in aſtra referentes reprehenduntur. char. 72.b
Chriſto in ipſo duo à Paulo quæruntur 210.b. 225.b
Chriſto templa qui Ethnici principes dicauerint 77
Chriſtum ratione temperamenti corporis ſui, miracula edidiſſe quidam cenſuerunt 63.a
quibus argumentis ducti 65.a. 66.a
Chriſtianus, militi pulchrè comparatur 96.b
Chriſtianum hominem ueram uirtutem ſortiri, negat Auerroës 44.a
Chriſtiani milites in Antonini exercitu pluuiam à Deo precibus impetrarunt 52.a
Chriſtiani qua ratione hoſtes profligare poßint. char. 246
Chriſtiani ſarmentarij & ſemiſſij appellati, 46.a
item aſinarij ibid.
Chriſtianorum atrox punitio, certum religionis noſtræ argumentum 78.a
Chriſtianorum pauperum priuilegium 99.a
Chriſtianis magia olim obiecta 56.a
Chriſtianos cauſam uictoriæ apud Germanos fuiſſe, fatetur M. Aurel. Antonin. 75.a
Chriſtiana religio cur ſola hæreſibus dilanietur. char. 83.b. 84. 85.b
Chriſtiana religio duobus continetur 89.b
Chriſtianæ religionis ueritas, externis teſtimoniis aſſeritur 72.a
Chriſtianam religionem hæreſes multæ inuaſerunt. char. 82.b
Chriſtianam religionem inſectari, ac demoliri qui conati ſunt, exitus nacti ſunt infœlices 78.a
Cicero ancipitis puer ſexus, mox & puerarius. char. 42.a
Ciceronis aduerſus Cratippum diſputatio 22.a
Claudius Tiberius ſecundam in Chriſtianos perſecutionem exercuit 79.b
ueneno interijt ibid.
Claudius præſes à diabolo arreptus 80.b
Claudij Herminiani exitus 82.a
Clementis epiſtolas duas & Inſtitu. Apoſt. quare modò Eccleſia non recipiat 288.a
Cœlum unicum eſſe, ſunt qui putent 18.a
Cœlorum regnum quibus rebus ſimile 260.b. & infrà
Cœleſte corpus ſunt qui nullum putent. 18.a
quatuor qualitatum loco lumine præditum 17.a
Cœleſtibus de rebus modeſtè loquuti antiqui ſapientes. char. 15.b
Cœleſtibus de rebus qui audacißimè pronuncient. char. 16.a
Colophonium oraculum 25.b
Coloſſus terræmotu concidit 82.a
Columba lignea cuius arte uolauerit 60.a
Cometa gladij figura 21.a
Complexio temperata, duplex eſt 62.b
Cognitio quælibet recta à duobus profluit 47.a
Complutenſes prælectiones auctoris 88.a
Concilium duplex erat Parthis 59.b
Concionator prius ſit eruditus, mox erudiat 207.b
Concionator non omnia in uulgus ſpargat 202.b
Concionator Euangelicus peccata populi annunciet. char. 209.b
Concionator Euangelicus, qui ſuo munere rectè fungitur, odioſus eſt 204.b
Concionatoris Euangelici quæ ſint partes 202.b
Concionatorem non quis aut qualis ſit, ſed quæ afferat, attendere debemus 203.b
Concionatores diuini cùm creandi ſunt, quantum ſit ſtudium adhibendum 204.a
Concionatores diuini, uerboſi ſlores appinguntur 214.a
Concionatores Euangelici quidam, uaſa electionis, quidam uaſa iræ 257.b
Concionatorum nimia ubertas quid pariat noſtra ætate. char. 204.a
Concionis diuinæ auditio an utilior miſſæ auditione. char. 202.b

Concioni Euangelicæ etiam docti uiri intereſſe tenen-tur 102.a
Conciones Euangelicas audire, nos omnino teneri pro-batur 101.b
Conciones Euangelicæ in Tullianas declamationes magno Eccleſiæ malo conuerſæ 107.a
Concordia & conſenſus ſanctarum ſcripturarum, fidei noſtræ ratio certiſſima 36.b. & infrà
Confeſſio ſacerdotalis qua ratione neceſſaria eſſe pro-betur 101.b
Confeſſio ſacramentalis quo ratiocinio in Eccleſia Dei præcepta intelligatur 101.b
Constantius Imperator 82.b
Conſtantinus Copronimus 83.a
Conſtantini Imperatoris contra mathematicos edictum. char. 25.a
Conſuetudo, optima legum interpres 250.b
Contactus duplex 68.a
Corda obdurare, quid ſit in ſcriptura 88.b
Cornu quid ſanctæ ſcripturæ phraſi ſignificet 155.b
Corporis Christi ſuſceptio quid in nobis operetur. char. 102.b
Corporis forma non ſemper cum animi moribus con-uenit 67.a
Corpora cœleſtia phyſicarum qualitatum expertia. char. 17.a
Critices diei eorumq́; periculum, unde originem ha-beant 21.b
Cumanum oraculum 35.b
Curationes, Paulo quæ ſint 262.b
Curioſitas quorundam in examinanda religione periculo-ſa 322.b

DAemones bonos à malis quo pacto quidam digno-ſci poſſe cenſuerint 57.b
Dæmones uiolenti, fallaces, diſſimulatores cultum Dei ad ſe transfundere ſtudent 57.a
Dæmones quas res & quo pacto in natura producant. char. 61.b
Dæmonica uaticinia refelluntur 34.b
Danielis merſio in mare allegatur ab Ambroſio 191.a
Darium cum Artaxerxe confundentes errant 203.b
Decij Imperatoris exitus 80.a
Decretis in Gratiani locus corruptus indicatur 277.b
Demetrius Phalereus puerarius 42.b
Deſpotica ratio quæ 65.a
Deus qua ratione homines excæcare dicatur 88.b
Deus quo pacto malorum cauſa 88.a
Dei amor & affectus in cunctos æqualis 88.a
Dei inuocatio omni tempore ad aſſequendam iuſtitiam neceſſaria 137.a
Dei prouidentiam & rerum humanarum curam, quam eſſe dicant Ethnici 37.b
Dei quænam notitia ad ſalutem ſit neceſſaria 102.a
Deo nihil familiarius quàm diſperſa congregare, & ad unionem reducere 160.b
Deum noſtrum auribus aſininis pede altero inungulatum qui effinxerint 56.a
Deorum, quos Ethnici colebant, uis ingens & uanitas maxima 47.b. 48.a
Deorum diuerſitatem cur Gentiles admiſerint 85.b
Deorum uariorum apud Ethnicos commenta unde 85.b
Deorum Romanorum nomina 47.b. 48.a
Diaboli proprium munus, mentium & cordium unitatem diſſidio ſoluere 161.b
Diaboli uarij in Eccleſiam inſultus 158.a
Diaboli tentationes detegere, uulgo utiliſſimum 157.a
Diabolo cur nonnunquam prodigia edendi poteſtas tri-buatur 160
Dierum criticorum obſeruatio 21.a b
Diluuij cauſam in aſtra refundunt quidam 22.b
Diocletiani exitus. 80.b
eius contra mathematicos edictum 25.a
Diſciplinæ omnes Theologo uſui ſunt 107.b
Doctores apud Paulum qui 262.b
Doctrina ſana quæ ſit 110.b
Doctrinæ Chriſtianæ quæ portio, propriè lactis no-mine ſignificetur 92.a
Doctrinæ auctoritatem iuuant doctoris compoſiti mo-res 42.a
Doctrina in Eccleſia deficiente, quid uſu ueniat 97.a
Dogmata, quæ habemus, non ſine magna diligentia à maioribus noſtris ſuſcepta 45.b
Dogmatum Euangelicorum rationabilitas non parum fa-cit ad fidei noſtræ ueritatem aſtruendam 47.a
Domitianus conſcia uxore multis uulneribus confoſſus. char. 79.b
Domorum proprietas uariè inter Aſtrologos. 17.b

EBionem ſcriptis qui confoderint 1.a b
Ebrietas quædam ſancta 101.a
Eccleſia noſtra & reſpublica 250.b
Eccleſia non in croceis, nec in delicijs adoleuit 50.a
Eccleſia cur pulchra ſine ruga, &c. dicatur 258.b
Eccleſia in perſecutionibus maximis maximè pullula-bat 49.a b. 50.a
Eccleſia, cui adhærere debeamus, quæ ſit 171.a b
Eccleſia ſancta, triplici uniuerſalitate catholica 174.a
Eccleſia noſtra catholica iam inde à mundi exordio emer-ſit 176.b
Eccleſia non poteſt errare 170.a
Eccleſia uera, una eſt unitate fidei, confeſſionis, & di-lectionis mutuæ 174.b
unitate ſacramentorum 175.a
unitate capitis 177.b
Eccleſia cui ſcripturarum interpretatio & contro-uerſiarum iudicium incumbit, non eſt inuiſibilis. char. 258.a
Eccleſia in dies proficit, ideoque auroræ comparatur. char. 181.b
Eccleſia uera eſt apud Catholicos ſolos 173.b
Eccleſia Chriſti una eſt 174.a b

Eccleſia arcæ comparatur 261.a
Eccleſia triplex 267.b
Eccleſia quorum ratione laudetur. pulchra dicatur 271.b 272.b
Eccleſia quot modis Apoſtolica dicatur 277.ab
Eccleſia etiam ex malis conſtat 262.a. & infrà abundè
Eccleſia quibus in rebus adoleuerit 50.a
Eccleſia bifariam conſiderata à quibuſdam 253.a
Eccleſia quæ iudex & interpres eſt, iuſtis & peccatoribus conſtat 259.a
Eccleſia an in eos, qui extra ipſam ſunt, auctoritatem ſuam exerceat 255.b
Eccleſia hæreticis quid ſit 253.a
Eccleſiæ labantis ſtatus deſcribitur 84.a b
Eccleſiæ traditionibus quaſi per manus acceptis credendum eſt 171.a
Eccleſiæ in gremio multa Auguſtinũ continebant 171.a
Eccleſiæ iudicio ſemper docti ac ſancti uiri adhæſerunt 172.a
Eccleſiæ membra, multipliciter dicuntur 271.b
Eccleſiæ auctoritas an ſcripturis potior 253.a b. 256.a
Eccleſiæ typus arca Noë 261.a
Eccleſiæ perditionis cauſa efficax 89.a
Eccleſiæ cur poteſtas in Eccleſiaſtica decreta, non item in ſacras ſcripturas 257.a
Eccleſiæ quæ poteſtas in diuinas ſcripturas 257.a
Eccleſiam qui opinionum uarietate diſtrahit, ad euangelicum magiſterium non pertinet 261.b
Eccleſiam primitiuã paſſam fuiſſe perſecutionẽ non ſolum in perſonis, ſed etiam in libris catholicis 219.a
Eccleſiam noſtram quam hæretici damnant, ueram eſſe Eccleſiam conuincitur 175.b 176.b
Eccleſiam Chriſti è latere ortam, quo pacto ſit accipiendum 178.a
Eccleſiam ex iniuſtis non conſtare negantium argumenta diluuntur 265.b, & infrà
Eccleſiam triumphantem à militanti quidam non diſtinguunt 270.b
Eccleſiaſticus ordo, quem Chriſtus Euangelij initio ſtatuit, non ſtatim fuit extinctus 215.b
Eccleſiaſticus liber à Ieſu filio Sirach ſcriptus 194.b
Eccleſiaſticus liber à multis patribus uſurpatur, ad confirmandas ſententias fidei, unde canonicus reputari debet 190.a
Eccleſiaſtici magiſterij nota certiſſima 280.a
Eccleſiaſtici uiri, humiles ualles 149.b
Eccleſiaſticam unitatem qui deſerit, non eſt Euangelicus magiſter 263.a
Elimas Magus 58.b
Enoch in columnis duabus ſuam prophetiam reliquiſſe conſcriptam fertur 219.b
ἐντελέχεια 38.ab
ἐνέργεια quid Ariſtoteli 251.b
Epiſcopus quibus uiribus uerbum Dei prædicare teneatur 214.b
Epiſcopalem ad dignitatem nihil conducunt paterna, aut auita merita 215.b
Epiſtolã ad Hebr. Pauli eſſe, ex Hieronymi auctoritate probatur 220.b. 221.b
Epiſtola ad Hebr. ante Hieronymum ab Eccleſia Græca & alijs, Latina tantum excepta, pro canonica fuit uenerata 16
Epiſtola ad Hebr. ante mille & cẽtum annos etiam à Latina Eccleſia fuit pro canonica accepta ibid.
Epiſtola ad Hebr. an fuerit à Paulo conſcripta, olim fuit dubitatum 186.a
Epiſtola ad Hebr. à multis patribus tanquam canonica allegatur 191.a
Epiſtola quæ à Paulo ad Laodicenſes ſcribitur, quæ fuerit 188.b
Epiſtola ſecunda quæ Petro tribuitur, an ab ipſo fuerit conſcripta, olim fuit dubium 186.a
Epiſtola ſecunda Petri à Petro apoſtolo edita & canonica 216.b
Epiſtola Iacobi à patribus tanquam canonica uſurpatur 191.a
Epiſt. Iacobi à calumniis liberatur 214.a
Epiſtolæ Apoſtolorum cur uniformibus titulis non fuerunt prænotatæ 215.a
Epiſtolæ ad Rom. quanta difficultas 232.b
Epiſtolæ Apoſtolorum & aliorum ſanctorũ titulis ſanctis prænotabantur 214.a
Epiſtolæ quia titulis ſanctis non prænotentur, non ideò ab Apoſtolis aut alijs ſanctis non fuiſſe editæ iudicantur 214.a
Epiſtolar. uaria rõ, uarios quoq; titulos poſtulat 215.a
Epiſtlar. Pauli ad Rom. Heb. & Gal. argumẽtũ 220.b
Epiſt. Iudæ pro canonica uſurpari à patribus 191.a
Epiſtolam ſecundam Petri tanquam canonicam à patribus uſurpari 191.a
Eraſmus notatur eò q; propter diuerſitatem ſtyli libros quoſdam nõ eiuſdem auctoris fuiſſe affirmauit 216.b
Ethnicorum de dijs nugæ 37.a
Euangelium Petri, Thomæ, Matthiæ ab Eccleſia reiectum fuit 218.a
Euangelium quid nobis, & quid hæreticis 247.b
Euãg. credebãt ferè omnes bonis operibus inſignes 88.b
Euangelia quædam ab Eccleſia reiecta 46.b
Euangeliſtæ ex libris apocryphis aliquando teſtimonia afferunt 184.b
Euangelicus piſcator 106.b
Euangelicus ſermo, cæleſtis quædã epiſtola eſt 103.a
Euangelici miniſtri, uaſa electionis ſunt 103.a
Euangelici prædicatoris uox qua ratione corda auditorum permeet 89.a
Euangelicæ prædicationis auditione, conſolatio ingens animo conciliatur 97.b, & infrà
Euangelicæ ueritatis dignoſcendæ duplex regula 251.a
Euangelicã legẽ dari ea ratione qua ab hæreticis nõ poſſit peruerti, neq; decuiſſe, neq; poſſibile fuiſſe 85.b. 87.b
Euangelicũ ad miniſteriũ quæ pertineãt 104.b, & inf.
Euangelicis miniſtris quæ ratio pronunciationis obſeruanda

uanda 214.a
εὔκρατον temperamentum 63.b
Eunomij mors 83.a
Eutichis hæreſim qui ſcriptis proſciderint 4.b
Excæcare homines Deus, qua ratione in ſacris literis dicatur 88.b
Exercitus Domini multis modis dicitur 8.a
Exhortationis ſancta medela ſemper indigemus 102.a
Extiſpicij ars 29.b. 30.a
Extiſpicij uanitas demonſtratur 29.b
eius inuentor ibid.
Extiſpicia quædam immanis, olim apud Luſitanos in uſu fuit. 30.a

Fabulæ multæ in hiſtoricis Ethnicis 40.b
Fames Hieroſolymitana. 79.a
Faſcinatio aliquando in oculis uidentis, aliquando in re ipſa 61.a
Ferdinandus Rex Catholicus 124.b
Fideles in duplici ſunt differentia 124.a
Fides ad iuſtificationem ex iuſtificationis natura neceſſaria 127.b
Fides, nexus quo homines in Eccleſia uniuntur 137.b
Fides implicita quid 141.b
Fides noſtra miraculis diuinis ſuadetur 50.b
Fides à diuino uerbo non exculta languet, & marceſcit 95.b
Fides quid ſit 1.a b
Fides acquiſita duplicem habet cauſam 1.b.2.a
Fides noſtra reſoluitur ultimò, in Eccleſiam 169.a
Fides noſtra ſcriptorum canonicorum auctoritate fulcitur 40.a b
Fides non ſola cognitio uocatur, ſed cum conſenſu. char. 118.b
Fides duplex 121.b
Fides duplex Theologis 1.b
Fides noſtra eadem cum fide antiquorum 120.b. 122.a b
Fidei articulos explicare, dupliciter contingit 123.a
Fidei Chriſtianæ ſtabilitas & conſtantia, nos in recta fide obfirmat 49.a
Fidei generatio ſuapte natura caritatem præcedit 119.a
Fidei habitus duplex ibidem
Fidei catholicæ myſteria altiora quæ ſint 233.b
Fidei nomen Hebræis, Chaldæis, & Græcis quodnam ſit 1.a
Fidei uarij gradus apud ueteres patres 122.a
Fidei aſſenſus, quibus rebus in animo augeſcat & roboretur 9.b
Fidei Chriſti confeßioni totum Eccleſiaſticum ædificium innititur 137.b
Fidei ſubiectum in genere, natura intellectualis eſt. char. 118.a
Fidei dogmata ut diſcerni poſſint, ratio generalis conſtituitur 170.b
Fidei definitio ab Apoſtolo aſſignata ad Hebr. 11. explicatur. 1.b
Fidei in generatione, potiores partes uoluntas ſortitur 118.b
Fidei noſtræ certiſſima ratio, concordia ſcripturæ 36.b
Fidem ſine operibus mortuam eſſe, docet Iacobus apoſtolus 214.b
Fidem noſtram in Spiritum ſanctum reſolui quidam ſenſerunt, eorum opinio conuellitur 170.a
Fidem noſtram ultimò in fidem infuſam reſolui, quidam docebant. diſcutitur hæc ſententia 169.a b
Fluxus & refluxus maris, lunam non præbere cauſam 20.b
Fœnum quid in ſcriptura 98.b
Formalis ratio cuiuſcunque rei, quæ ſit 71.a
Franciſcus Valeſius Gallorum rex 24.b
Fraternæ caritatis holocauſtum 77.b
Furta apud quos licita 141.b
Futura contingentia quæ ſint 53.b
Futura contingentia, quæ ab elementari portione dependent 12.a
Futura, quæ ab ætheræ naturæ portione dependent, abſolute neceſſaria ſunt, non item quæ ab elementari mundo 11.b
Futura, aut neceſſaria, aut uoluntaria 11.a
Futura uoluntaria, duplicia 11.b. & infrà
Futuræ res in neceſſarias, & uoluntarias diuiduntur. char. 11.a
Futurarum rerum prædictio. 10.a

Galeni ſententia de diebus criticis improbatur. char. 21.a b
Galerij Maximini obitus 81.a
Galerij Maximini Imperatoris conſtitutio pro Chriſtianis 76.a
Galli Imperatoris exitus 80.a
Geneſis, Ezechielis & Canticorum myſteria non cuiuis apud Hebræos permiſſa 233.a
Gentium errores qui confutauerint 2.a
Geomantia improbatur & eliditur 30.a b
Geomantiæ conſideratio 30.a b
Geometriam Plato in aliarum diſciplinarum conquiſitione neceſſariam dixit 250.a
Gladius, uerbum Dei 91.b
Goëtia aut necromantia duplex 59.a
Gonſaluus Ferdinandus Cordous 24.b
Grandinis globi maximi 82.b
Gratiæ ſpecies duplex 88.a b
Gubernationes quæ ſint apud Paulum. 263.a

Hadrianus Cæſar Chriſto templa conſtruere ſtatuit 77.a
Hadriani Imp. epiſtola pro Chriſtianis 75.b
Hadriani Imperatoris obitus 80.a
Hebraicæ linguæ peritia multum conducit ad ſacræ ſcripturæ interpretationem 251.a
Hebraicam linguam poſt Babylonicum excidium, apud rabinos tantum permanſiſſe 207.b

Hebraicè

Hebraicè aliqua ſcripta euangeliſtæ teſtantur, quæ tamen chaldaicè edita fuere 208.a
Hebræarum literarum forma, non eadem nunc quæ ante Babylonicam captiuitatem. 248.b
Herba quædam annonæ reductrix 55.a
Hæreticus miraculis clarus, populi grauiſsima tentatio 159.b
Hæreſiarchæ quo pacto à Ioanne in Apocalypſi depingantur 159.a
Hæretici ſe ſolos putant ſapientes 162.b
Hæretici enumerantur, & in ſex acies diſtribuuntur 1.a b, & infrà
Hæretici nõ in petra, ſed in petræ ſciſſuris habitãt 162.a
Hæretici, montes excelſi 149.b
Hæretici Lamiæ ſirenes & Circes quædam 158 b
Hæretici quo magis Antichriſto appropinquant, tanto maiori tentatione concutiunt 160.a
Hæretici omnes, Antichriſti legati 159.b
Hæretici nonnunquam, faſtigium ſanctitatis permittuntur aſcendere 151.b
Hæretici non modò Eccleſiam diuidunt, ſed ipſi quoque ſunt diuiſi 162.a
Hæretici cur ad ſcripturas ſolas confugiant 146.b
Hæretici integra uitiorum cateruа non uacant 154.a
Hæretici bona uita, eſca eſt ad animas capiẽdas 153.a
Hæreticorum tum ueterum, tum nouorum mutua diſsidia. 211.b
Hæreticorum libidinoſa licentia deſcribitur 219.a
Hæreticorum ſententiæ, & earum fundamenta de legitimo ſcripturarum interprete 246.b
Hæreticorum libris aſſueſcere plerũq; pernicioſum 8.b
Hæreticorum qui admiratur ſapientiam, non longè abeſt ab eorum doctrina 159.a
Hæreticorum ſententia de Eccleſia 259.b
Hæreticorum obitus infœlices 81.a, & infrà
Hæreticos Spiritu ſancto deſtitui, multis rationibus perſuadetur 237.a b. 238.a b. 239.a b
Hæreticos ad ipſos, cum transfugiunt doctores ingenio, eloquentia, & moribus pollentes, magna tentatio ſuboritur Chriſtianis 156.b. 157.a
Hæreticos noſtros portendebant olim Coreb, Dathan, & Abyron 237.b
Hæreſes uniuerſæ à ſapientiæ profeſſoribus exortæ, à philoſophis ſubornantur 148.b
Hæreſes tandem funditus delentur 50.a b
Hæreſes Pagani, Iudæi & alij habuerunt 84.b. 85.a
Hæreſes unde naſcantur 149.b
Hæreſes multæ cur obortæ 81.b, & infrà. 86 b. 87.a
Hæreſes quam afferant utilitatem 87.a b
Hæreſum origo quæ fuerit 87.b
Hæretici quamplures externa ſanctitate ſplenduerunt. char. 151.a
Hæretici dogmatis, quo docetur ſcripturas intellectu faciles eſſe, aſtutia detegitur 240.a
Hæreticæ doctrinæ inconſtantia demonſtratur, 286.a
Herodis Agrippæ mors horribilis 29.b
Herodes Antipas miſerrimè relegatur ibid.
Heſter & Iudith libri à quo fuerint ſcripti 194.b
Hieremias lapidibus obrutus 104.b
Hieronymus Magius Anglarenſis 41.b. 43.b
Hippomani carunculæ cuidam, uim ineſſe amatoriam qui crediderint 58.a
Hiſtorici, qui ueris falſa admiſcuerunt, uel ueritatem ad fabulas deflectunt 40.b
Hiſtorici Ethnici inter ſe multum diſsidentes: 40.a b cur ibidem
Hiſtoriarum fictarum lectio an improbanda 41.a
Homo quidam ſenſuum priuationem in mortui morẽ, cum uellet ſubibat 69.b
Homo optimè temperatus, quis dici poßit 8.a
Homo perfectiori corporis temperamento quàm reliqua animalia præditus 64.b
Hominis æternam eſſe generationem, quidam dixerunt. char. 19.a
Hominis principium & fœlicitas 19.a
Homines prauos cur regnare Deus permittat 73 a
Homines praui, baculus Domini ad populi puniẽda peccata 78.a
Hydromantia eliditur 30.a b
Hydromantiæ conſideratio 30.a b
ὑδροφοβία quibus uerbis ab Ouidio ſignificata 70.a
Hypatiæ Alexandrinæ fœminæ eruditio 244.b
ὑπόστασις quid ſignificet. 1.b

IAcobus Complutenſis noſtra memoria miraculis claret in Hiſpania 72.b
Iacobus apoſtolus de pinnaculo templi præcipitatur. cur 215.b
Iacobi cognomento Iuſti nomen, Iudæis multùm amabile 215.b
Iacobi ob necem, quorundam opinione Hieruſalem uaſtatur 215.b
Iacobi epiſtolam quidam à canone reiecerunt 214.a
Ieiunans non ſemper Deo ieiunat 151.b
Ignorantia duplex 99.b
Ignorantia uiris, non cadit in principem aut doctorem. char. 124.a
Imaginationi uis magna in coitu uenereo 70.a
Imaginatione ualida, quid efficere anima poßit Auicennæ ſententia 69.a
Imaginatoriæ potentiæ uis quanta 70.a
Imaginatrici uirtuti Chriſtiana miracula à quibuſdam adſcripta 69.a
Imaginum ſanctarum demolitores Imp. 83.a
Imperatorum Rom. qui in Chriſtianos deſæuierunt, infortunia & clades 79.b, & infrà
Imperitia, confidentiam, eruditio, timorem animo conciliat 231.a
Impiis res cur ferè proſperè cedant, piis uerò infœliciter 67.a
Impoßibilitas duplex 128.b
Inedia, qua ratione diutius feratur 54.b
Inediam cur ferant animalia quædam diutius, & ſine reſpiratione uiuant 15.b

Infanticidia

Infanticidia & alia flagitia, quæ falſò olim Chriſtianis obiiciebantur, unde orta 56.a.155.a
Infidelium populorum fœlicitas non eſt attendēda homini Chriſtiano, ſed eorum finis & interitus 6.b
Infidelium atheorumq́; quorundam contra orthodoxā fidē obiectiones referuntur atq; eliduntur 52.a, & infrà
Infidelium fœlicitas unde 6.b, & infrà
Influentiarum occultarum lerna 22.a
Intellectus humanus quam uim in futura uoluntaria habeat 13.b.14.a
Intellectus agens. paſſiuus 38.b
Interpretationes auctoris in Deuteronomium 89.a
Ioachimi abbatis errorem qui ſcriptis profligauerint 5.a
Ioannes Euāg. cur ſenior in epiſtolis nuncupetur 213.a
Ioannes Euangeliſta à Domitiano in exiliū miſſus 229.a
Ioannes Apoſtolus cur maioris quàm cæteri Apoſtoli auctoritatis ſit 252.a
Ioannes Scotus mortuus cum uideretur, uiuens ſepultus à ruſticis 54.b
Ioannes Baptiſta, lucerna 90.a
Ioannis octauum caput à calumnia uindicatur 112.a
Ioannis epiſt. prima canonica à calumniis tegitur 222.b
Ioannis locus explicatur 88.a
Ioſephi ſacerdotis Iudæorū, teſtimoniū de Chriſto 72.a
luculentiſſimum 73.a
Iones aut Saturnos quoſdam, cur à priſcis dictos cenſeat Auicenna 69.b
Iſaias per medium ſecatus 104.b
Iſraëliticus populus cur afflictus 6. uſque ad 9
Iudas etiam cum proditionem moliebatur adhuc Eccleſiæ portio & Apoſtolus 262.b
Iudas in ſua epiſtola ex Enoch, & alio apocrypho libro teſtimonia citat 218.a.219.b
Iudæ epiſt. aliquibus rationibus à quibuſdā reiecta. 218.a
Iudæ epiſtola à calumniis tecta ibid.
Iudam Græco ſermone ſuam epiſt. ſcripſiſſe 120.a
Iudæi poſt Babylonicum excidium qua uſi lingua 207.b
Iudæi poſt babyl. excidiū uarias linguas uſurparūt 208.a
Iudæi infinitis malis cur afflicti. eorum clades miſerandæ recenſentur 78.a.b, & infrà
Iudæi quoque hæreſes habuerunt 85.a
Iudæorum in ſcripturis interpretandis quanta ſit cæcitas 148.a
Iudæorum in Perſidem translatio, quo pacto ſit accipienda 202.a
Iudæorum errores qui confutauerint 2.b
Iudæorum opiniones de Meſſia 85.a
Iudæorum miſeranda calamitas 78.b.79.a.
Iudæi tempus uiſitationis ſuæ non cognouerunt 78.a
Iudæorum in ſcripturæ interpretatione fabulæ 248.b
Iudaicarum rerum cur apud prophanos auctores, tam parua ſit mentio 334.a
Iudicij diem Arnoldus Villanouanus & alij prædicere atque aſſignare auſi 24.a
Iudicij diem ſuæ ætate propinquam Gregorius cenſuit. ebar. 31.b
Iudicum liber à Samuele editus 197.a
Iudith hiſtoriam Auguſtinus exponit 191.a
Iudith & Heſter hiſtoriæ à quo conſcriptæ 194.b
Iudith hiſtoria à calumnia uindicatur 209.a
Iulianus Chaldæus pluuiā impetraſſe, falſò creditus 75.a
Iuliani Apoſtatæ mors 81.b
Ius in quot partes diſtribuatur 178.a
Iuris canonici ſententia, res ſanctiſſima 115.a
Iuris, quo gubernatur Eccleſia, partitio 179.a
Iuſtitia noſtra ſpiritualis potiſſimum in uoluntatis ratione ſita 333.a
Iuſtitiæ ratio duplex. 64.a

K *A'ρα morbo correptis quid uſiueniat.* 54.b

L *Ac, uerbum Dei* 92.a
L *Lamiæ ad amorem pronæ, & humanis carnibus delectantur* 38.b
Languores corporales inuehunt aliquando & adimunt dæmones 52.b
Laurentius Valla reprehenditur 1.a
Legationis in paſtore iniunctio 108.b
Leo Iſaurus. 82.b *Armenicus. Copronymus* 83.a
Lex de magicis incantationibus 56.b
Lex æterna apud Ciceronem quid ſit 249.a
Lex Moſaica naturalem complectitur 137.a
ſic & euangelica ibid.
Lex quid ſit 178.a
Legis diuinæ facilitas, quæ in ſcripturis prædicatur, non ad intellectum, ſed impletionem pertinet 241.a
Leges tantùm quæ longa experientia utiles inueniuntur, ſunt acceptandæ 381.a
Leges conuenientes inuenire, ad moderandam rempub. ſemper fuit difficile 281.a
Leges quomodo explicandæ, atq; accipiendæ 150.b
Leges in ipſas poteſtas triplex 351.b
Leges eccleſiaſticas de audiendis diuinis concionibus latas olim fuiſſe, ueriſimile uidetur 101.b
Leges ſenſuum diuerſitate fluctuant 87.b
Legum interpres optima eſt conſuetudo 250.b
Legum interpretationi, quidā à Rom. præfecti 330.a
Legiſlatorum uitæq́; magiſtrorum qui apud Ethnicos floruerunt, delitiæ & improbitates 42.a, & infrà
Librum Heſter ſolus Eraſmus inter agiographa numerauit 385.b
Libri de præcepto, & diſpenſatione ab auctore compoſiti 102.b
Libri à Chriſtiano homine qui legendi, & qui uitandi 8.b.9.a
Libri aliqui cur per quadringentos Eccleſiæ primitiuæ annos non fuerint inter canonicos recepti 192.b
Libri ueteris teſtamenti olim inter canonicos recenſiti fuerunt uigintiduo ſolum 382.a
Libri multi, qui ob defectum examinis à principio fuerunt dubij, poſt plenam examinationem fuerunt inter canonicos recepti 218.a
Libri noui teſtamenti cur apud ueteres in ſuis originalibus non inueniantur uniformes 211.b

Libri improbatæ lectionis Vlpiano qui ſint. 59.a
qui ſint modò ibid.
Libri ſex, quos Iudæi non recipiebant, quid in ſumma continent, & quo tempore editi ſint 197.a b
Libri nugis referti quàmplurimi recenſentur 41.a
Libri canonici non ſtatim atq; fuerunt conſcripti, ab Eccleſia inter canonicos recepti 181.b
Libri ueteris teſtamenti multi nunc deſiderantur 183.a
Libri multi, quos Apoſtoli & diſcipuli Chriſti conſcripſere, modò deſiderantur 185.a
Libri multi apoſtolici, apocryphi reputantur, quia ab hæreticis fuerunt uitiati 185.a
Libri de quibus olim, an ad canonem pertinerent, fuit dubium 185.b
Libri qui ſint canonici iudicare, Romano Pontifici aut generali concilio tantum conuenit 187.b. & 192
Librorum canonicorum omnium, quos modò recipit Eccleſia, auctoritas, ex multis conciliis, & ſanctorum teſtimoniis probatur 188.b. & infrà
Librorum canonicorum uaria computatio ex multis auctoribus 186.a
Librorum canonicorum auctoritas 40.a. 46.b
Librorum prophetalium numerus 183.a
Librorum canonicorum, quos nunc approbat Eccleſia, catalogus 182.b
Librorum canonicorum ueteris teſtamenti nomina Græca & Hebraica 182.a
Librorum ueteris teſtamenti ſecundum Hebræos triplex ordo ibid.
Librorum ueteris teſtamenti ſecundum Eccleſiaſticos auctores quadruplex ordo 182.a
Librorum apocryphorum duplex genus 219.a
Librorum canonicorum dubitatio olim habita, illos magis nunc firmat 229.b
Libris canonicis dignoſcendis, ultima reſolutio in Eccleſiam facienda eſt 256.b
Libris catholicis aſſueſcere ad rectam fidem retinendam perutile 8.b
Libros oēs, de quibus dubiū fuit olim an ad canonē pertinerēt, probabile eſt Nicenā ſynodū recepiſſe 193.a
Libros aliquot poſt Chriſti aduentum, cur Iudæi non recipiant 198
Libros, qui ad religionem non pertinent, magiſtratus exterminandos curet 9.a
Libros ſex in canonem non repoſuerunt Iudæi, impulſi aliquibus rationibus 194.a
Libros antiquos in magno precio Iudæi habebant, recentes autem in paruo 194.a
Libros aliquot ueteris teſtamenti, non hebraico ſermone fuiſſe conſcriptos 195.b
Libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, Heſter, Machabæorum, Iudith, Baruch, quibus rationibus permota Eccleſia receperit in canonem 209.b
Licinij Craſſi mors 81.b
Lignum uetitum per curioſitatem ſciendi tangunt hæretici 232.b
Linguis uariis cur Chriſtus legem non tradiderit 87.a
Linguarum peritia quatenus utilis interpreti ſacræ ſcripturæ 252.a
Λιτοϑυμία 54.b
Literæ è chartis miraculo magico ſtatim deletæ 58.b
Locus diui Ioannis declaratur 252.a
Loci quidam ſcripturæ inter ſemetipſos pugnare uidentur 236.a
Locorum diſsimilitudo, quid in hominibus pariat 19.b
Locorū quorundam ſcripturæ difficiliū enumeratio 236.
Loqui ad cor, idioma ſcripturæ 98.a
Loquitur Deus hominibus modis uariis 31.a
Lucæ euangelium à calumniis uindicatur 212.b
Lucas Chriſti geſta non uidit, ſed à beata Virgine partim, à Paulo partim accepit 211.b
Lucas plura quæ cæteri Euangeliſtæ tacuerunt, in ſuo euangelio narrat 211.b
Lucæ locus illuſtratur 104.a
Ludouicus XII. Gallorum rex 24.b
Lumen ipſum cœleſte uirtutis & influentiæ (ſi qua eſt) uehiculum uidetur 21.a
Lunæ ex augmento & decremento effectus, ex hominis natura non ex occulto influxu 20.a
Luſitanorum antiquorum immanitas 30.a
Lutheri & eorum, qui noſtra memoria ab Eccleſiaſtica fide diſceſſerunt, qui errores confoderint 5.b
Lutherum qui ſcriptis laceſſant 5.b. 6.a
Lutherani complures orationem abiecerunt. 238.b

Machabæorum libri à patribus allegati tanquam canonici 190.b
Machabæorum libri à quibus fuerint conſcripti 19.a
Machabæorum libri, contradictionis arguuntur 198.b
Machab. libros apocryphos eſſe, quidā mentiuntur 200.b
Machab. libros non ab uno, ſed à duobus fuiſſe conſcriptos auctoribus 198.a
Machabæorum primus liber Chaldaicè, & non Hebraicè editus 208.a
Machab. ſecundus Græcè conſcriptus. & cur ibid.
Magia aſtronomica 60.a. 62.b
Caballiſtica ibid.
præſtigiatrix 61.a
Magia falsò olim Chriſtianis obiecta 56.a
Magia Caballiſtica 60.a. 62.a
Magia aſtronomica 60.a
Magia naturalis quid ſit 59.b
Magia an ueros effectus habeat an potius præſtigioſos. char. 56.b
Magia aſtrologica, an uim mira operandi habeat 62.b
Magia præſtrigiatrix, perſpectiua, pharmatica 61.a
Magia triplex 60.b
Magia quædam, dæmonum expers conſortij 59.b
Magi legibus puniti 58.a
Magos Pharaonis ueros ſerpentes produxiſſe, qui cenſuerint 58.a
Magiæ poteſtas 56.b. 57.a b. 58.a

Magiæ ſpecies plures 56.b
Magiæ naturalis fundamentum 59.b
Magiæ duplex opinio 62.a
Magiæ effectus an ueri ſint 61.ab
Magiam qui coluerint aut ſcriptis mandauerint 59.b
Magicæ artes uanæ Ouidio 60.b
Magicas artes uanas omnino nõ eſſe, unde ſuadeatur 58.a
Magicis artibus quidam ad amandum compulſi 58.a
Magica miracula qua ratione edantur 58.b
Magiſtrorum doctrina potius quàm uita attendenda. char. 154.a
Magnanimi qui Ariſtoteli 44.b
quis uerè magnanimus dicatur ibid.
Maiorum noſtrorum diligentia peruigil 45.b
Marci Imperatoris epiſtola ad ſenatum 75.a
Marci euangelium à calumniis uindicatur 211.a
M. Aurelij Anton. Imper. epiſtola & edictum in Chriſtianorum fauorem 75.ab
M. Antonini item pro Chriſtianis epiſtola ibid.
Marci Antonini Veri mors 80.a
Margarita, uerbum Dei 93.a
Maris fluxus & refluxus an lunæ tribuendus 20.b
Martyrum ſanctorum ſtrages 46.ab
Martyrum paſsiones, religionis noſtræ ſunt certa teſtimonia 77.b
Mathematicos Romani odio proſecuti ſunt 16.b
Matthæus Hebraico ſermone qui ſuo tempore erat in uſu euangelium ſcripſit, qui tamen uerius erat Chaldaicus 208.a
Maxentij tyranni mors 81.b
Maximi Imperatoris mors 80.a
Maximiani Herculeij mors 81.a
Mechanicis, ſeu mathematicis artibus miracula quidam ediderunt 60.a
Medici tẽpora & horas in curãdis ægris obſeruant 21.a
Medica potio 103.a
Medico Critici dies quomodo ſint obſeruandi 21.a
Melancholici omnes, uiri magno ingenio præditi fuerunt 66.b
Menſa, uerbum Dei 93.a
Menſtrua in mulieribus unde 20.ab
Mentis alienatio quibuſdam ex terreſtri halitu 35.b
Mentes intentæ auditorum quid ſint 121.a
Meritum duplex eſt 127.b
Meſsiam quo tempore Hebræi nonnulli natum fabulentur 85.a
Michæas præcipitatus occubuit 104.b
Milites Chriſtiani tam non domini, ſed ſua prælia præliantur 7.b
Militum Chriſtianorum precibus, imber à Deo impetratus 51.b
Miniſterij ſancti ſublimitas 112.b
Miniſtrum ad euangelicum quæ ſpectent 104.b. 105.a
quid illi agendum 112.a
Minos Theſei amator 42.a
Miracula Salmaticenſis puer operari uidebatur 70.a
Miraculum maximum, quod ad fidem noſtram fulciendam ſpectat 51.a, & infrà
Miracula Chriſtiana, cur ab Ethnicis non fuerint mandata literis 51.b, & infrà
Miracula qua ratione apud gentes idololatras ederentur 53.ab 54.a
Miracula Euangelica diuina uirtute, non magia ulla edita eſſe probatur 57.b
Miracula quos ad credendum non induxerint 72.a
Miracula & prodigia cur præſentis Eccleſiæ tempore nõ fiant 72.a, & infrà
Miracula Euãgelica, ſigilla quædã uerbi diuini ſunt 72.a
Miracula ad quam regulam ſint exigenda 72.b
Miracula à Chriſto Seruatore edita, falsò in eius naturam à quibuſdam referri 63.ab 65.a
Miracula Chriſtus, ſua in patria cur non ediderit 68.b
Miracula non conuincunt, quem ſcriptura non conuincit 72.a
Miracula multa poſt tempora apoſtolorum 72.b
Miracula, quædam fuerunt fulcra in ædificanda in Eccleſia Dei 72.a
Miracula Chriſti, iniuria, atque improbè in magiam, aut in naturam referri 56.a
Miracula ad fidem generandam ſine Spiritu ſancto non proſunt 89.a
Miraculorum euangelicorum & Moſaicarum diſcrimen 72.b
Miraculorum Chriſti ordo triplex 63.b
Miraculis diuinis fidei noſtræ ueritas fulcitur 50.b
Miſſæ ſacrificio, die dominica intereſſe Eccleſiaſtico, & diuino præcepto tenemur 102.b
Montem aſcendere contra Dei præceptum, quid ſit allegoricè 233.a
Mores mali quorundam præſtringuntur 96.b
Morum in diſciplina tradenda, diſſenſio non leuis apud uitæ magiſtros 39.a
Mortui quidam Ethnici qui reuixiſſe dicuntur 53.b. 54.a
Mortuorum hominum animas in dæmones uerti, quidam exiſtimarunt 57.a
Mortuis ſimiles ad ſeptẽ uſq; dies homines aliquãdo 55.a
Moſes an aſtrologus 23.b. 25.b
Moſis corpus ne à Iudæis adoraretur, diuina prouidentia fuit occultatum 119.a
Moſaica lex naturalem comprehendit 137.a
Mulier quædam iumentum eſſe uidebatur 61.a
Mulieres quædam menſtrua purgatione carentes cur uegetæ 20.b
Mundus an æternus & increatus 38.a
Mundos eſſe innumeros, quidam olim cenſuerunt. char. 38.a

N

NAbuchdonoſor quis fuerit 109.a
trinomius fuit ibid.
Nabuchdonoſor uerè iumentum non fuit 61.a
Neemias an idem fuerit qui Ezra 206.b
Necromantiæ munus 59.a

Neſtorius.

Religio uetus, iudicio proprio haudquaquam expendenda eſt 172.b
Religionis in rebus, magna cura, reipublicæ ſemper apud omnes gentes fuit 218.a
Religionis ueræ ſignum 77.b
Religiones quid apud Ethnicos præſtarent 85.b
Religiones omnes diſsidiis impetitas fuiſſe 84.b
Reptilia uenenata hyeme quaſi ſemimortua, qua parte reſpirent 55.a
Reſuſcitati à Chriſto, uerè cum eſſent mortui, in uitam reuocati 55.b
Reſurrexerunt quidam iam mortui 53.b. 54.a. 55.ab
Reſurrectio Chriſti à Marco cur ualde mane facta dicatur, à Matthæo uerò ueſpere 212.a
Rhadamantus Thali pueri amator 42.a
Romanorum principum olim ſæuitia in Chriſtianos. char. 45.b. 46.a
Romanorum Pont. legitima ſucceſsio, ſufficiens eſt ueræ Eccleſiæ argumentum 282.b
Romanorum Pont. & Græcarum Eccleſiarum fides fuit eadem 176.a
Romana Eccleſia Apoſtolica dicitur, qua ratione 278.a
Romanæ Eccleſiæ, quem honorem deferant Optatus & Auguſtinus. 282.b. 282.a b

Sacerdotiorum diuitiæ unde 262.a
Sacræ ſcripturæ libros, peruerſos homines calumniis inceſsiſſe 298.b
Sacri ſcriptores inter ſe in eloquentia diuerſi 208.b
Sacri auctores quandoque ab allegorico ſenſu rationes ducunt 222.b
Sacrificium quando Neemias obtulerit 106.a
Sacrificium alibi quàm in templo Hieroſolymitano, Iudæis non licebat offerre 205.b
Sacramenta & ueteris religionis cæremoniæ, figuræ ſunt Euangelicæ diſpenſationis 121.b
Sacramentorum diuinorum ſeptem effectus 44.b
Sacramenta euangelica ſeptem 89.b
Sacramentorum omnium numerum, omnes Chriſtiani ſcire non tenentur 124.b
Sacramenta quomodo obligent ibid.
Sagitta, uerbum Dei 92.b
Salmaticenſis pueri attactu, quidam ſanati 70.a
Salomonem geſsiſſe typum Chriſti 223.a
Samaritæ priſtinas Hebræorũ literas coluerunt 248.b
Sancti auctores quanto labore ſcripturis incubuerint. char. 232.a
Sancti auctores non modo aſsiduo labore, ſed orationibus quoque ſcripturas interpretabantur 232.a
Sanctos auctores quandoque ſibiinuicem pugnare 222.a
Sanctitatis externæ ſpecies, eſt uas aureum quo hæreticum uirus propinatur 253.b
Sapientia mundi, quid ſit Paulo & Iacobo 249.a
Sapientia humana, duo potiſsima habet 47.a
Sapientia à quo Philone fuerit conſcripta 294.a
Sapientiæ libro multos patres uſos fuiſſe ad comprobanda dogmata fidei 189.b
Sapor rex Perſarum, Valeriano Cæſare pro ſcabello uſus 80.a
Sarmentarij appellati olim Chriſtiani 46.a
Sarraceni Euangelium cum Alchorano componunt 6.b
Sarracenorum in Dei populi opprimendo fœlicitas, unde proueniat 6.b
Sarracenorum & Thurcarum hæreſim, qui ſcriptores quatiant & refellant 6.a b
Scoti laus 4.a b
Scriptores Chriſtiani, & Catholici recenſentur 8.b. 9.a
Scriptores omnes referuntur, qui in hæreticos ſtyli aciem diſtrinxerunt 3.b. & infrà
Scriptores contra gentes enumerantur 2.a b
Scriptores contra Iudæos enumerantur 2.b. & infrà
Scriptura ſacra an Eccleſia potior ſit 253.a b. 256.a
Scriptura ſancta, uinum 124.a
Scriptura ueteris teſtamenti eadem nobis & Iudæis, intelligentia non eadem 247.b
Scripturam multoties hyperbole uti, multis locis oſtenditur 226.b
Scripturam duplicem ſenſum literalem non habere 222.b
Scripturam, duplicem ſenſum literalem habere, qui dicunt, qualiter debeant intelligi 223.a
Scripturas, antiquitatis ratione difficiles 234.a
Scripturæ auctores, quamuis inſtrumentũ fuerũt Spiritus ſancti, non datum illis eſt eloquentiæ donum 208.b
Scripturæ interpretãdæ rationẽ certã eſſe oportet 230.a
Scripturæ ad lucernam analogica comparatio 241.b
Scripturæ difficultatis quæ ſint emolumenta 242.a
Scripturæ diuinæ, ad Platonis Timæum aut aliam quamcunq; humanam ſcripturam comparatio nulla 241.b
Scripturæ & troporum & myſtici ſenſus ratione difficiles 234.b
Scripturæ, myſteriorum quæ in ſe claudunt ratione, difficiles 235.a
Scripturæ ſacræ ad ſolius rationis normã in interpretãdo non ſunt exigendæ 249.a. & infrà. & 252.b
Scripturæ ſacræ intellectus, ab Eccleſia & non aliunde petendus eſt 250.b
Scripturæ linguarum, in quibus ſunt conditæ cauſa, difficiles 234.a
Scripturarum ſemitas ſine monſtrante, nemo poteſt ingredi Hieronymo teſte 232.b
Scripturarum interpretandarum ratio apud hæreticos multiplex 246.b. & 247.a
Scripturarũ ſanctarum cultor ſpiritus diuinus 146.a
Scripturarum ſanctarum concordia, & conſenſus fidem noſtram plurimum confirmat 36.b. & infrà
Scripturarum in uernaculam linguam conuerſio, cur prohibita 240.b
Scripturarum legitima interpres; quæ Eccleſia ſit 271.a
Scripturas interpretatione non indigere docent hæretici. char. 230.a
Scripturas uernacula lingua legere qua ratione hortẽtur ſancti patres 244.b

Sectæ de religione, apud Paganos olim pluſquam trecentæ 84.b
Senatuſconſultum quid 178.b
Senſibus quidam inſtar mortui, cum uoluiſſet, deſtituebatur 69.b
Senſoria uniuerſa, eundem habitum ſibi non poſtulant. char. 66.b
Senſus myſticus in Chriſtiana ratione interpretandi ſcripturas, neceſſarius 234.b
Septuaginta interpretes ob defectum hebraicæ linguæ, uerum ſenſum in ſua interpretatione non fuiſſe aſſecutos 207.b
Sergij Galbæ mors 80.a
Sermo Dei, clypeus ignitus 96.b
Serpentē qui Euam decepit, imitantur hæretici 240.a
Seueri Imperatoris mors 80.a
Sibyllæ numero decem, earum nomina 73.b
Sibyllæ unde ſic dictæ 73.b
Sibyllarum nomina 73.b
Sibyllarum carmina de Chriſto 73.74
Sibyllarum libri 73.b
Sibyllis de ipſis, qui auctores ſcripſerint 74.b
Sibyllina carmina, olim pro deliramentis habita 73.b
Symboli locum quendam quo pacto accipiant Caluinus, & Melanchthon 259.a
Signa ueræ doctrinæ ad fidelium probationem, à diabolo uſurpari ſæpe permittuntur 156.a
Simon Magus, eiuſque aſſeclæ 3.a
contra eum qui ſcripſerint b
Simonis Magi diſcipuli, pluralitatem principiorum poſuere 3.a
Simoni Mago honor maximus à populo Romano tributus 58.b
Simpliciſſimorum hominum fides quæ 273.a
Socratici amores, obſcœni 42.b
Sodomitici criminis auctor quis fuerit 43.a
Sol qua ratione aurum generet 17.b
Sol eorum quæ generantur & intereunt, quo pacto cauſa exiſtat 133.b
Solem in mundi centro quidam locant 18.b
Somnia in quinque ſpecies diuiduntur 29.a
Somniorum interpretamenta, qui ediderint 29.a
Somniſpicij fides eleuatur 28.b
Somniſpiciæ artis cauſæ 29.b
Somniſpicij ſpecies plures 28.b
Sortes ab Eccleſiaſticis electionibus quis excluſerit. char. 32.b
Sortes Burenſes, Præneſtinæ, Antiatæ, & Aponenſes 32.b, & aliæ. ibid.
Sortes fraudulentæ 32.b
Sortes ex iactu taxillorum 33.a
Sortium tria genera 32.a
Sortium uſus in ueteri lege frequens ibid.
Sortium uſus & apud pios uiros & apud reliquos 32.a b
Sortilegium quid ſit 32.b
Sortilegia improbantur 32.a
Sortitionis genus militare 32.b
Specioſo corpore præditi, morbis magis obnoxij 67.a
Spiritus ſanctus aqua uocatur 95.a
Spiritus ſancti motio ad Euangelicæ prædicationis conſenſum neceſſaria 86.b, & infrà
Spiritus ſancti magiſterio ſcripturæ ſacræ illuſtrantur. char. 252.a
Spiritus diuinus ſolus interpres ſcripturarum 146.a
Statua quædam Mercurij cuius arte locuta 60.a
Stellarum fixarum quis motus 18.a
Striges ſiue lamias, maleficas mulieres quid agere nonnulli ſcribant 58.a
Strigum tractatus qui'nam ediderint 58.a
Studij ſacræ ſcripturæ uoluptas 96.a
Subſtantiam animæ dum inquirunt philoſophi, inter ſe digladiantur 38.a
Succeſſio legitima paſtorum, Eccleſiaſtici magiſterij ſignum certiſſimum 280.a
Succeſſio legitima quæ uocetur 288.b
Sudor cuidam olim ſpontaneus 69.b
Superſtitioſæ artes improbantur 11.a b, & ſeq.
Suſannæ hiſtoria exponitur ab Auguſtino 191.a
Suſannæ hiſtoria à calumnia liberatur. 210.a

TAges extiſpicij auctor 29.b
Temperamentum, ad pondus nuncupatum, in indiuiduo non datur 65.b
Temperamentum ad pondus 65.b 66.a
Temperamentum iuſtitiale medicis quid 64.a
Temperamentum corporis quid ſit 63.b
Temperamentum duplex in humana ſpecie 66.a b
Temperamentum corporis, arte mutatur 67.b
Temperamenti duplex bonitas 66.a
Temperamenti uirtute, Chriſtum non ediſſe miracula. char. 67.68.69
Temperamenti optimi nomine, cæteris animantibus homo præſtat 64.b
Temperamenta ſingularum hominis ætatum, quæ ſint. char. 67.b
Temperamentorum ſingularium corporis humani certa meta 64.a
Temperamentorum differentiæ quot ſint 63.b
Temperaturam aliquam, eandem perſiſtere diutius, impoſſibile eſt 68.a
Temperata corpora minus inediam ferunt quàm diſtemperata 65.b
Templum Hieroſolymitanum ſecundum à quo, & in quo tempore fuerit ædificatum 203.b
Templum alibi quàm in Hieruſalem ædificare non licebat Iudæis 207.a
Templum Hieroſolymitanum ſecundum cœpit ædificari tempore regis Cyri, & conſumatum eſt tempore Darij regis 205.b
Templum ſecundum, ab Artaxerxe qua ratione fuerit ædificatum 204.a

Templum

Templum Hieroſolymitanum ſecundum quadraginta ſex annorum ſpacio ædificatum 205.a
Templum ab Artaxerxe in loco ubi abſconditus fuerit ignis, ædificatum fuiſſe, poteſt exiſtimari. char. 107.b
Templo egredi, ſacerdote uerba faciente non licebat. char. 100.b
Templa ab Ethnicis, multis in locis Deo fuiſſe ædificata. 207.a
Tenebræ ſunt diuini uerbi ignoratio 90.a
Tentatio grauißima quæ ſit 158.a
Terrarum uaria genera & temperamenta 17.b
Teſtamentum & pactum in ſcriptura aliquando pro eodem ſumuntur 224.a
Teſtamentum nouum cur maioris auctoritatis quam uetus 251.a
Teſtamentum nouum, quare Euangelium uocetur. char. 183.b
Teſtimonia infidelium de Chriſto quàm utilia 71.a
Theodori Cyrenaici præcepta ſacrilega & ſcelerata. char. 48.b
Theodoricus Oſtrogothorum rex 81.a
Theologo diſciplinæ omnes uſui ſunt 107.b
Theophilactus mulieris adulteræ hiſtoriam, quam Ioannis narrat, reiicit 212.a
Theurgiæ munus quod ſit 59.a
Thurcarum reſpublica, cur domeſtica religionis concertatione non quatiatur 85.a
Thurcarum Sarracenorumq́; res & opes cur proſperè cedant 6.b
Tobias, à Tobia conſcriptus 194.b
Tobiæ liber à multis patribus allegatus, ideoq́; canonicus reputatus ab eis 190.b
Tobiæ liber à contradictione uindicatur 208.b
Toletanum concilium Aſtrologiam damnauit 25.a
Tonitruum auditum terra mugiente 80.b
Traiani reſcriptum ad Plinium iuniorem ſuper Chriſtianis 76.b
eiuſdem Traiani mors 79.b. 80.a
Trophonium oraculum 35.b
Tyberius Cæſar Chriſti fama audita uoluit eum in Deum conſecrare 76.b
Tyberij Gracchi hiſtoria. 31.a

V Aleriani Imp. obitus 80.a
Valentinianus iunior 82.b
Valentis perſecutio 81.b
Valeriæ & Eudociæ fœminarum eruditio 248.a
Vaticinium duplex, phyſicum, & artificioſum 20.a
Vaticinium ominoſum reiicitur 31.a
Vaticinium Pythagoricum ex literis numeros ſignificantibus 20.b
Vaticinium ex aleæ iactu 20.b
Vaticinandi rationem qui contempſerint 21.a
qui docuerint ibid.
Vaticinia furoris & ſomniorum an uera 22.b
Vaticinia dæmonica refelluntur 24.b
Vaticinia prohibentur à Conſtantino Imperatore & aliis 25.a
Vaticiniorum quorundam & ominum uanitas & hodie quibuſdam in uſu 33.a
Venena à quibus deſcripta 60.a
Verbum Dei frequenter audientis, ignorantia excuſatur 99.b, & infrà
Verbum Dei, lumen in ſcriptura uocatur. item aqua. char. 90.a
Viuum 91.a
Panis b
item Lac 92.a
Sagitta & Gladius b
Virga, Margarita, Menſa 93.a
Verbum Dei audiendum eſſe, pulchris rationibus ſuadetur 97.a
Verbum Dei qui negligenter audiunt, quàm grauiter delinquant 90.a
Verbum Dei frequenter audire, de neceßitate ſalutis Chriſtianus tenetur 101.a
Verbum Dei, Chriſti corpori quo pacto æquiparetur. char. 102.b
Verbum Dei nolle audire, ingens eſt peccatum. char. 102.b
Verbum Dei non guſtans, animam habet alteratam. char. 94.a
Verbum Dei quandam habet dulcedinem 91.b
Verbum diuinum ſolari radio comparatur 95.b
Verbum Dei audire, an aliquo præcepto teneamur. char. 101. 102. 103
Verbum Dei libenter audire, prædeſtinationis indicium. char 91.b
Verbum diuini prædicatio, ſpeculum Socraticum. char. 95.b
Verbi prædicatio plerunque à reprobis exercetur. char. 94.a
Verbi Dei auditio, quæ commoda afferat 94.a, & inf.
Verbi Dei auditione, fortitudo ſpiritus conciliatur. char. 95.b, & infrà
Verbi cœleſtis prædicatio, quos conſoletur 99.a
Verbi Dei prædicationem qui contemnat, quod periculum ſubeant 100.a
Verbi diuini natura, neceßitas, & utilitas, quibus tropis exprimatur 90.a
Verbi diuini, miniſtri, quanta prudentia, & circunſpectione creandi 104.a
Verbi Dei fructus, conſolatio eſt 97.b
Verba Dei, etiam in ueteri teſtamento uitam eſſe. char. 234.b
Veritas Ariſtoteli quid ſit 251.a
Vigelius Saturninus lumina amiſit 81.a
Vincentij Lyrinen. laus 87.b
Vincentius Lyrinen. mors hæreticorum ſæculi noſtri appinxit ibid.
Vires humanæ ad fidem adipiſcendam, citra motionis di-

uinæ auxilium, impotentes 87.b
Virga, uerbum Dei 93.a
Viri nobiles & illuſtres, cæteris ſanctiores eſſe debent 100.b
Virtus numeris omnibus abſoluta, duntaxat in Chriſtianis 45.a
Virtutis tradendæ concertatio 39.b
Virtutem dum tradunt eiusq́ue materiam dum ſignant ſcriptores, inter ſe diſcrepant 39.b
Virtutes, Paulo quæ ſint 262.b
Virtutes omnes inter ſe connexæ 45.a
Vitam alteram, cum Sadducæis, hæreticorum plerique diffitentur 233.b
Viuendi inſtitutum, ſanctorum Eccleſiæ primitiuæ. char. 77.b
Vnitas Eccleſiæ, qua in re potiſſimum ſita 174.b
Vnitas omnis bona, diuiſio mala 161.a
Volũtatis cõſenſus in fidei generatione, unde oriatur 2.a
Vox operis quàm oris, efficacior eſt 307.a
Vrbes multæ terræmotu conciderunt 82.a
multo igne combuſtæ ibid.
Vteri ſtrangulatio 55.a
Vuiclefi errores, qui ſcriptis confutauerint 5.b
Vuolfangi Muſculi interpretatio quædam ad Auguſtini locum de Eccleſiæ auctoritate, reiicitur 254.a
Vulgo commendata, non ſemper laude digna 100.b
Vulua animal audum generationis Platoni. 55.a

Xenophon, Cyrum qualis eſſe debebat, non qualis fuit, deſcripſit 40.b
Xenophon maſculam uenerem approbauit. 48.b

Zeleuci Locrenſis factum 44.b
Zeno puerarius. 43.a

Indicis rerum, & uerborum memorabilium, finis.

Neſtorius, & qui contra eum ſcripſerunt 4.b
eius mors 83.a
Nicænam ſynodum ſeptuaginta canones ediſſe 192.b
Nicolaus hæreſiarcha, unus ex ſeptem apoſtolicis diaconis 153.b
Nicolaitarum & Gnoſticorum errores, qui confutauerunt 3.b
Nomina unde rebus impoſita 62.a
Nomina ridicula Chriſtianis impoſita ab infidelibus. ibid. 46.a
Nominum numeri in diuinatione uſurpati 27.a
Notoria ars, & aliæ conſimiles 59.b
Nouitates deuitandæ in religione 87.a
Nubium nomine, prædicatores ſignificati. 105.a

Obdurare corda quid ſit 88.b
Obedientia Eccleſiaſtica, & humilitas, ueri magiſterij certæ notæ 162.a
Octimeſtres partus cur minimè uitales 21.b. 22.a
Officium aliquod ſibi ineptus deſumens, lethaliter peccat 116.a
Omen quid 33. 34.
Omina à quibus improbata 33.b
Omina captauêre olim & pij uiri 33.b
Ominibus captandis loca olim particulariter deſtinata. ibid. 33.a b
Ominoſum uaticinium eliditur 33.a
Onias ſacerdos Deo hoſtias contra legis præſcriptum obtulit 207.a
Opera uerbis reſpondeant 107.b
Opitulationes apud Paulum quæ ſint 262.b
Oraculum Delphicum 35.a
Oraculum 34.b. 35.a
Oraculum Cumanum 35.b
Trophonium ibid.
Colophon ibid.
Dodonei Iouis 36.a
Argolicum ibid.
Oracula in ſacris literis damnata 35.a
Oraculorum genera duo 36.a
Oraculorum antiquorum amphibologia 34.b. 35.a
Orbis octaui motus uarius apud ſcriptores 18.a
Orbis expugnandi mandatum, quibus telis 50.b
Orbem decimum in cœlo qui agnoſcant 18.a
Orbibus ſuper cœleſtibus apud auctores diſſenſio 18.a
Orpheus immanis libidinis inuentor 43.a
Oſtentorum interpretum uanitas. 31.a

Panis, uerbum Dei 91.b
Paralipomena à Hieremia conſcripta 197.a
Partes ſimilares, & diſſimilares 269.a
Parthis duplex erat concilium 59.b
Partus octimeſtres cur minimè uitales 21.b. 22.a
Partus menſium 10. 11. & 12
editi 32.b
Paſſiones uterales quid in fœminis pariant 54.b. 55.a
Paſtor mutus, monſtrum ingens 116.a
Paſtorum non cauſas agere, ſed paſcere proprium eſt. ibid. 116.a
Paſtorum ſucceſſio legitima, nota certiſſima magiſterij Eccleſiaſtici 280.a. 288.b
Paſtorum & doctorum prauam uitam, doctrinæ ueritatem non impedire 284.a b
Paſtorum legitimam ſucceſſionem criminibus abolitam dicunt hæretici 287.a b
Patrum ſanctorum modeſtia unde 232.b
Paulus amanuenſi miniſtro uſus 221.a
Paulus cur nomen ſuum & officium in epiſtola ad Hebræos non poſuerit 220.b
in eadem cur phraſim aliarum non ſeruauerit 221.a
Pauli ſingultus quo ſpectent 98.a
Pauli locus declaratur 88.a
Pauli apoſtoli epiſtolæ non omnes ſuperſunt 185.a
Pauones albos, quomodo ex ouis excludi poſſe quidam dicant 70.a
Pauperum bona, bona clericorum 263.a
Pauperum Chriſti priuilegium 99.a
Paupertatem cur tantopere Chriſtus Euangelicis hominibus commendet 262.b
Peccata hominum, ſancti Spiritus motioni reſiſtunt. ibid. 88.b
Pelagij errorem qui confuderint 5.a
Periander Meliſſæ cadaueri ſe miſcuit 42.a
Perſiæ nomine totam Aſiam aliquando in ſcriptura ſignificari 203.a
Perſuaſio, fides à quibuſdam dicta 3.a
Petri epiſtola ſecunda an canonica ſit, quidam dubitarunt 216.b
Petri apoſtoli de Paulinis epiſtolis iudicium 246.a
Philoſophi olim è rep. eiecti, improbati & irriſi à nonnullis 39.b
Philoſophorum ſectæ 39.b
Philoſophia contrariarum rationum diſſidio laborat. ibid. 249.b
Philoſophica multa nobis incognita 172.b
Photinus doctrina & eloquio præpotens 156.b
Phyſica præcognitio quæ ſit 10.a
Phyſica magia 60.a
Phyſicarum rerum genitura cui tribuenda 17.a
Phyſiognomorum, & Chiromanticorum uanitas 13.b
Phyſiognomia aſtrologica 26.a
Phyſiognomia cum ſuis partibus euertitur 26.a b
Phyltra quid in animos poſſint 62.b
Phyltrorum amatoriorum experimenta 58.a
Pictores & ſtatuarij operibus ſuis quales inſcriptiones apponerent 255.a
Pietas uera quæ ex euangelica lectione concipitur 99.a
Pietatis ſpecies eſt uelum quo hæretici propria uitia tegunt 153.b
Pij uiri malè ab infidelibus accepti 46.a
Pij homines duplici de cauſa in hac uita mortali affli-

ctionibus laceßiti 98.a
Pituitæ natura, ad mores effingendos inutilis 66.b
Planetarum poſitiones & ſitus 18.a
Plato è Prophetarum ſcriptis quædam didicit 54.a
Plato, puerarius 41.b
Platonicorum amorum obſcœnitas, unde deprehendatur. char. 48.b
Plebiſcitum quid ſit 178.b
Plinij iunioris epiſtola ad Traianū, de Chriſtianis 76.a b
Pluuiam Chriſtiani milites precibus à Deo impetrarunt. char. 51.a
Poëtæ puerorum amatores enumerantur 45.a b
Poëtæ cur quoſdam Ioues, alios Saturnos appellaue-runt 69.b
Pontifex Rom. Eccleſiæ caput 176.a
Pontificis Romani poteſtas 151.a
Pontius Pilatus quibus malis affectus 79.b
Pōtius Pila. iniqui iudicis officio in Chriſto functus 79.b
Porphyrius de Chriſto quid protulerit 77.a
Portæ inferi, quæ eſſe dicantur 49.b
Portentum quid, portentorum genus duplex 31.a
Portenta 31.b
Potentia humana atque opes ingentes quietem animi non adferunt 99.a
Præcepta decalogi quomodo obligent 124.b
Prædeſtinationis indicium eſt, uerbum Dei libenter audire 93.b
Prædicator euangelicus qualis eſſe debeat 105.b. 121.b
Prædicator magnus quis hodie uocetur 107.a
Prædicator Euangelicus nulli parcere debet 106.a
nullum timeat ibid. & infrà
Prædicator intelligat ſe Dei eſſe Legatum 105.b
Prædicator Euangelicus medicus eſt 105.a
Prædicatoris Euangelici officia 105.b, & infrà
Prædicatores multi ranis ſimiles 106.b
Prædicatores Euangelici, quidam electionis, quidā uerò iræ uaſa 157.b
Prædicatores Euangelici citharis æquiparantur 96.a
Prædicatores Euangelici, tanquam ſapientes incantatores 95.b
Prædicationis ſanctæ auditione, caritas augeſcit 95.b
Prædicationis exercitium perſonale in Epiſcopum à diuino iure deſcendit 117.a
Prædicationis miniſterium quàm arduum ſit 104.a b
Prædicationis munus, Epiſcoporum ignorantia & deſidia, ad presbyteros & monachos translatum 145.b
Prædicationis auctoritas, quo pacto ceciderit 115.a
Prædicatione in Euangelica, quarum rerum memoria recolatur 102.b
Prædicationes diuinas non audientes, quales ſint. char. 101.a
Præſtigiæ quædam admirandæ recenſentur 97.a
Præteritum imperfectum, quam habeat ſignificationem. char. 155.a
Præuidendi, diuinandique artes uariæ ſeu commenta. char. 10.a
Priapi ſub imagine uis genitiua, & fœcunditas ab Ethnicis ſignificata 85.b
Principum placitum 178
Principum peccata populos ac reſpublicas peſſundant 7
Principale cùm præcipitur, præcepta etiam eſſe conſequentia intelliguntur 101.b
Principia rerum naturalium, quæ eſſe dicant Ethnici. char. 37.b
Prodigium magnum & funeſtum Theodorico Gotho uiſum 83.a
Prodigia, quæ apud Ethnicos quoque uiſa ſunt, Chriſtianis prodigiis minimè obeſſe 53.a
Prodigia qui hodie in Eccleſia requirit, magnum ipſe eſt prodigium 75.a
Prohibendi libros hæreticorum conſuetudo à quibus prodierit 140.b
Pronunciationis ratio quæ obſeruanda Euangelicis miniſtris 114.a
Prophanorum auctorum libris aſſueſcere, quibuſdam perniciosum 8
Prophetæ falſi, multi ſemper extiterunt, ueri paucisſimi 103.b
Prophetæ ſancti futura per præteritum nunciant. char. 15.a
Prophetarum, Hebræis triplex genus 194.b
Prophetæ qui appellabantur 180.b. 161.a
Prophetarum falſorum duplex genus 113.b
Prophetarum inſtitutiones, cur deſcribantur in ſacra ſcriptura 104.a
Prophetarum minorum apud Hebræos, ab eo, quem nos habemus, ordo diuerſus 183.a
Prophetia non ex cauſis naturalibus, ſed ex Dei reuelatione 15.a
Propheticum uaticinium nullum ſuo tempore defuit. char. 15.a
Prouidentiam Dei, quam eſſe dicant Ethnici 37.b
Pulſus amißio unde proueniat 54.b
Pyromantia refellitur 30.a b
Pythagoras Periclis tyranni concubinus 43.a
Pythagoricæ ſortes reiciuntur, atque eliduntur 27.a
Pythagoricum diuinandi genus ex literis numeros ſignificantibus 10.b

RAbie correpto homini quæ uſu ueniant 70.a
Ratio duplex eſt 149.a
Regibus olim bina aut terna nomina 197.a
Regiones uariæ, uariorum in hominibus morum cauſam præbent 67.b
Regnum Dei intra nos eſſe, quo pacto intelligendum ſit 244.a
Regnorum primos duos libros Samuelem compoſuiſſe, poſteriores uerò duos Hieremiam 197.a
Regula qua fides uera à falſa diſcernatur 170.a
Religio Chriſtiana uniuerſa, duobus continetur 89.b

Religio

INDEX LOCORVM,
QVAE IN SACRA SCRIPTVRA
ab auctore explicantur.

Phraſes permultas ab eodem apertas, atque in lucem prolatas, ad quas loca non pauca tenebris obſita ſi exigantur, illuſtria redduntur, omiſimus, quòd hæ frequentiores paſsim in his libris lectori occurſent.

Exod. 7 AARON *erit propheta tuus, &c.* 180.*b*
Exo. 21 *Si quis aperuerit ciſternam, &c.* 110.*a*
Deut. 6 *Verbum quòd hodie ego præcipio tibi non ſupra te eſt, &c.* 243.*b*
Deut. 13 *Si ſurrexerit in medio tui propheta* 156.*a*
Eſdr. 3 *Anno autem ſecundo aduentus eorum ad templum Dei, &c.* 206.*a*
Nee. 8 *Dixit Neemias, ipſe eſt Atharſata* 206.*b*
Tob. 3 *Eadem itaq; die contigit ut Sarra filia Raguelis in Rages ciuitate Medorũ, &c.* 208.*b*
Tob. 9 *Tunc uocauit Tobias Angelum* 208
Iudith 1 *Arphaxat autem rex Medorum* 209.*a*
Pſal. 1 *Et erit tanquam lignum* 95.*a*
Pſal. 29 *Teſtimonium domini fidele* 142.*b*
Pſal. 44 *Specioſus forma* 67.*a*
Pſal. 44 *Sagittæ tuæ acutæ* 92.*b*
Pſal. 72 *In labore hominum non ſunt* 6.*b*
Pſ. 103 *Vt educas panem de terra* 91.*b*
Pſ. 133 *Quorum filij ſicut nouellæ* 6.*b*
Pſ. 118 *Lucerna pedibus meis uerbum* 242.*b*
Pſ. 148 *Et gladij ancipites in manibus eorum* 93.*a*
Prou. 9 *Sapientia ædificauit ſibi domum* 91.*a*
Cant. 1 *Meliora ſunt ubera tua* 92.*a*
Eccle. 7 *Conſidera quod nemo poßit corrigere quem. char.* 89.*a*
Eccl. 24 *Poſuit Dauid puero ſuo, excitare regem ex ipſo fortißimum* 90.*b*
Eccl. 24 *Ego quaſi tranes aquæ* 90.*b*
Eccl. 49 *Neemias in memoria multi tẽporis eſt* 204.*b*
Iſaiæ 1 *Vinum tuum miſtum eſt aqua* 91.*b*
Iſa. 12 *Haurietis aquas in gaudio* 90.*b*
Iſa. 19 *In illa die erunt quinque ciuitates* 207.*a*
Iſa. 19 *In illa die erit altare Domini* 208.*a*
Iſa. 28. *Quem docebit ſcientiam* 92.*b*
Iſa. 40 *Conſolamini conſolamini. & totum quod ſequitur* 98.*a*
Iſa. 49 *Poſuit os meum quaſi gladium acutum* 92.*b*
Iſa. 55 *Omnes ſitientes uenite ad aquas* 90.*a*
Hier. 43 *Ecce ego aſſumã Nabuchdonoſor regẽ* 209.*a*
Hier. 46 *Verbũ quod locutus eſt dominus ad Hiere.* ibid.
Hier. 47 *Maledictus, qui prohibet gladiũ Domini à ſanguine ſuo* 109.*b*
Thren. 2 *Prophetæ tui falſa uiderunt tibi* 109.*b*
Thren. 4 *Paruuli petierunt panem* 91.*a*
Ezech. 3 *Annuncia populo meo ſcelera* 109 *b*
Ezec. 34 *Et ſuſcitabo ſuper oues meas paſtorem* 90.*b*
Dan. 11 *Filij præuaricatorũ tuorũ extollentur* 207.*a*
Dan. 11 *Ecce adhuc tres reges ſtabunt in Perſide, & quartus* 203.*b*
Dan. 13 *Nunc ergo ſi uidiſti eam, dic ſub qua arbore uidiſti* 201.*a*
Dan. 14 *Tulit ergo Daniel picem* 201.*a*
Dan. 14 *Et apprehendit eum Angelus domini in uertice & portauit eum per capillum* 201.*a*
Dan. 14 *Video ueſtigia uirorum* 201.*a*
Abac. 1 *Cur non reſpicis ſuper inqua agentes* 134.*a*
Abac. 2 *Super cuſtodiam meam ſtabo* 134.*a*
Agg. 1 *Et ſuſcitauit Deus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel* 204
Agg 1 *Hæc dicit Dominus exercituum, populus iſte dicit, Non uenit tempus domus Domini ædificandæ* 204.*b*
1. Mac. 1 *Et exiit ex eis radix peccati Antiochus* 201.*b*
1. Mac. 6 *Et rex Antiochus perambulauit ſuperiores regiones* 198.*a*, & *infrà*
1. Mac. 9 *Anno centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecundo præcepit Alcimus deſtrui opera prophetarum* 202.*a*
2. Mac. 1 *Regnante Demetrio, anno centeſimo ſexageſimo nono* 200.*b*
2. Mac. 1 *Cum autem intraſſet Antiochus, aperto oculto aditu templi* 198.*a*. 199.*b*
2. Mac. 1 *Anno centeſimo octuageſimo octauo* 200.*b*
2. Mac. 1 *Nam cum in Perſide ducerentur patres noſtri ſacerdotes* 202.*b*.
2. Mac. 1 *Cum autem conſummatum eſſet ſacrificium, ex reſidua aqua* 202.*a*
2. Mac. 1 *Vt uerò manifeſtata eſt res* 203.*a*
2. Mac. 2 *Et nobis quidem ipſis qui hoc opus* 207.*b*
2. Mac. 2 *Erat autem in ipſa ſcriptura quomodo tabernaculum & arcam* 202.*a*
Matth. 4 *Non ex ſolo pane uiuit homo* 92.*a*
Matth. 4 *Terra Zabulon & terra Neptalim* 90.*a*
Matth. 5 *Vos eſtis lux mundi* 142.*b*
Matth. 7 *Simile eſt regnum cœlorum negociatori quærenti bonas margaritas* 93.*a*

Matth.8 Quodcunque tibi fieri non uis 242.a
Matth.9 Neque mittunt uinum nouum 91.b
Mat.12 Erratis neſcientes ſcripturas 241.b
Mat.15 Omnis plantatio quam non plantauit 49.a
Mat.15 Non mittunt nouum uinum in utres ueteres. char. 91.b
Mat.15 Non eſt bonum ſumere panem filiorum 92.a
Mat.22 Diliges dominum Deum tuum 242.a
Mat.23 Super cathedram Moſi ſederunt phariſæi. char. 280.a. 284.b
Mat.24 Multi uenient in nomine meo 159
Mat.27 Et acceperunt triginta argenteos 184.a b
Mar.2 Nunquid legiſtis quid fecerit Dauid 211.a
Mar.5 Quis me tetigit 68.b
Mar.16 Surgẽs autem Ieſus mane prima ſabbati 211.a
Luc.1 Sicut tradiderunt nobis 211.b
Luc.5 Nemo bibens uinum ſtatim uult nouũ 91.b
Luc.6 Omnis turba quærebat eum tangere 68.b
Luc.22 Apparuit autem illi Angelus 211.b
Ioan.1 Lex per Moſen data eſt, gratia & ueritas. char. 241.b
Ioan.2 Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum hoc 205.a
Ioan.3 Hoc eſt iudicium, quia lux uenit 90.a
Ioan.5 Scrutamini ſcripturas 241.b
Ioan.6 Regnum Dei intra uos eſt 244.a
Ioan.6 Nemo uenit ad me niſi pater meus 88.a
Ioan.8 Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem 122
Ioan.15 Si non ueniſſem, & locutus eis 130.a. 135.b
Act.1 Cecidit ſors ſuper Matthiam 32.a
Act.5 Si ex hominibus conſilium hoc eſt 49.a
Act.19 Multi autẽ, qui fuerant curioſa ſectati 62.b
Rom.10 Moſes ſcripſit, quoniam iuſtitia quæ ex lege eſt qui fecerit homo uiuet in ea 243.b
Rom.10 Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? 1.a
Rom.14 Nemo noſtrum ſibi uiuat 92.b
Rom.15 Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam 244.a
1.Cor.2 Non ſumus ſicut plurimi adulterantes 109.b
1.Cor.2 Quis hominum ſcit quæ hominis ſunt niſi 14
1.Cor.3 Et ego fratres cum ueniſſem ad uos 92.a
1.Cor.3 Ego plantaui 99.b
1.Cor.3 Nemo aliud fundamentum poteſt ponere præter id 127.a
1.Co.11 Oportet hæreſes eſſe 86.a. 157.b
1.Co.12 Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos 180.a
1.Co.12 Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto 278.b
1.Co.12 Vos eſtis corpus Chriſti 262.a
2.Cor.4 Si euangelium opertum eſt in iis qui pereunt. char. 241.a
Galat.4 Scriptum eſt enim quoniam Habraam duos filios habuit 221.b
Epheſ.4 Quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem prophetas 235.a
Epheſ.6 Vnicuique noſtrum data gratia ſecundum menſuram 278.a
Coloſſ.4 Facite ut hæc epiſtola legatur in Laodicenſium Eccleſia 185
1.Thi.4 Erit tempus cum ſanam doctrinam 110.b
2.Tim.2 Memor eſto Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum 211.a
Hebr.1 Multifariam multiſq; modis 220.b. 221.a
Hebr.1 Ego ero illi in patrem 222.a
Hebr.2 Quomodo effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem 222.a
Hebr.2 Quæ cum initium accepiſſet enarrandi per dominum 222
Hebr.3 Videte fratres ne ſit in aliquo ueſtrum 88.b
Hebr.4 Viuus eſt ſermo Dei 92.b
Hebr.5 De quo Melchiſedech grandis nobis eſt ſermo 222.b
Hebr.5 Facti eſtis quibus lacte 92.a
Hebr.6 Impoßibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt. char. 224.b
Hebr.8 Conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum 224.a
Hebr.9 In qua urna aurea habens manna & uirgam. char. 223.b. 224.a
Heb.10 Voluntarie enim peccantibus iam non relinquitur 227.b
Heb.11 Eſt autem fides 1.b
Heb.11 In fide teſtimoniũ conſecuti ſunt ſenes 120.a
Heb.11 Impoßibile eſt ſine fide placere Deo 127.b 128.b. 137.a b. 138 a b
Heb.13 Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum cum quo ſi celerius uenerit uidebo uos 222.a
1.Pet.2 Deponentes omnem maliciam 92.a
2.Pet.1 Cui benefacitis attẽdentes quaſi lucernæ 241.b
2.Pet.2 In quibus ſunt quædam quæ indocti & inſtabiles deprauant 246.a
1.Ioã.5 Tres ſunt qui teſtimonium dant 112.b
In epiſ.Iu. Iudas Ieſu Chriſti ſeruus 118.119
In epiſ.Iu. Cum Michaël Archangelus cum diabolo. char. 118.119
In epiſ.Iu. Prophetauit autem de his ſeptimus Enoch. char. 118.119
Apoc.6 Et uidi, & ecce equus albus 92.b
Apoc.12 Væ mari & terræ 160
Apoc.13 Vidi beſtiam aſcendentem de mari. 159.a

Indicis locorum, quæ in ſacra ſcriptura explicantur, finis.

Errata partim Typographorum, partim amanuenſium auctoris, quæ præ nimia properatione expungere non fuit integrum quædam uerò ab auctore immutata, ut infrà eſt ſubnotatum, Lector amice emendabis & nonnihil primæ huic editioni condonabis.

Prior numerus folium; unicus punctus poſt eundem priorem numerum, priorem faciem, duo uerò puncti poſteriorem ſignificant. Poſterior numerus lineam demonſtrat. Vox, eodem, foliū non faciem denotat; uox ibidem, abſq; numero, eandem lineam indicat; numero autem adiuncto, eo linearum numero in eadē facie emendationem loci ſignificat.

1:44 intrinſecam, 2:2 contra Proclū, *ibidem* 14 octo libros, *ibidem* 18 Bæthicus, 3.25 Thaboritæ, *ibidem* 31 Samoſatenſes noui, 6.25 ingenuè, 7.50 puniūtur, 8.24 Deus noſter nō erit, *ibidē* 28 hoſtiū, *ibidē* 50 ſunio, 9.2 *dele* Syrius, *quia inferius ponitur*, *ibidē* 34 accipit, 9:10 decē habet, 18.15 conſtituiſſet, ad octonariū, *ibidē* 16 ex ſentētia, 18:31 protrudens, 19:50 iudicio &, 20.24 lunam & reliqua aſtra. *ibidem* 47 fluxus naturā, *ibidē* attemperata, quantitatē, 21.3 pertinget, 22:3 Plinius, Solinus, 23.36 humano generi, 24:6 uiuunt, uiderunt, 28.6 illa, 29.29 Heracleotes, 29:14 extrema, 32:31 illiciti, 33.47 omina, 33.35 Ionathas, 34:29 נבואות 37.17 Aſclepio, 43:52 deterere, 45:29 ſocietas, 46.52 nullum hoſtem, 47:47 marcidam, 48:29 aſſignauit, 50.35 atteri, 51.18 magnopereque, 53:53 Auiolam, 54.51 Pompei iuſſione, 57.50 incantatione, 59.52 *lege ſic*, omnem naturæ ordinem & potentiæ excellentia, 60:1 נבל, 61:34 ab herba aut lapide, 62.33 millium, quique, 66.26 dices, 67.7 comminiſcuntur, *ibidem* 23 donatæ, *in annotatione marginali* Chriſtus, *eodem*:12, præualeſcente, 68.36 aduerti? 72:46 deprehendatur, 73.17 octauo loco 75:39 edictum, 77.26 nona cōſideratio, 78.36 abiectio, *eodē*:39 modio, 80:52 quod iā, 87:1 diuertat, 93.12 potentia Deo, 95:1 cœleſtis, 96.6 Iacob, 100.6 peccatū ſit, 107.54 inuehūtur, *eodē* 21 quo noſtro ſermoni, 103:28 cōſiliis, 104:18 inuenientē, 109.17 in primis, *eodem*:47 præcipites, 114:29 elegiſſet, *ibidem* quòd hac, *ibidem* 43 conſtrictos, 117.6 prouocationes, *ibidem* 8 præter hos, *ibidem* certum numerum, 118.8 religiones, *eodem*:9 erit, *ibidem*:42 intellectum uocatunt, 119.2 uoluntate quoque, & 38 docent ad fidei, *ibidem* 51 decernit, *eodem* 11 *dele* in, 120:16 ſtatu, 125.13 non tenet, *ibidem* 18 diſcenda, *ibidem* 24 ignoret, 126.35 poſtquā, *ibidem* præcedentia, 127.43 ita, 127:6 abſtracta, *ibidem* 52 Quod ſi, 128.13 impoſſibilitatem iſtam, *ibidē* 21 conſtringantur, *ibidem* 47 flaminis, 130.30 maior eſt, *ibidem* 47 alterā quæſtionē, *ibidem* 49 poſſit ne, *eodem*:9 impoſſibile eſſe, *ibidē* 12 iræ reuelationem, *ibidē* 51 cuncta ſubiiciāt, 132.7 probari non poteſt, *ibidem* 11 præcedentibus, *ibidem* 23 quod ex eo neceſſaria conſequentia, *ibidem* 35 poſſunt eadem, *ibidem* 42 naturaliter, *eodem*:53 amabit, 129.38 legis naturalis, 133.45 præſternit, 134.9 unquam, *ibidem* 16 abundantes, *ibidem* 17 ergo, *eodem*:3 quamuis enim, *ibidem* 32 deſtituantur 135.12 oſtendens Deum ſupra naturali ratione, eſſe uerum, *ibidem* 38 licèt, *eodem*:42 *dele* (apoſtolica hiſtoria,) 137:28 illa fides, 138:44 *dele* tantum, 139.15 Apoſtolica hiſtoria, *ibidem* 42 ergo ſi ſine, 140:23 à Deo, 141.22 oſtium, 142:19 ueriſſimam, 145 *in marginali annotatione* contra epiſtolam Fundamenti, 145:2 non miſi, 146:20 non erit, aut, 148.31 ſæculi prioris, *eodem* 42 Aetij, 149.12 inſolentiſſimo, *ibidem* 34 *dele* idiotas, *ibidem* 31 cæteriſque, *ibidem* 48 diabolus iiſdem, 150:29 antiquæ religionis, 151.15 amore pietatis, *ibidem* 36 qui &, *ibidem* 52 ait idem, *eodem*:28 ampliori, *ibidem* ciendis, 152.16 licere, *eodem* 23 in rectæ fidei, 154.2 pietate, *eodem* 8 peruerſa cordis obſtinatione, 155:34 *ſic lege* Cum fictam uitæ ſanctimoniam & ſimulatam caritatis ſpeciem exterius oſtentat, ſigillum, &c. 156:49 traducere, 157.2 mutata, 157:30 area, 158.50 oſtendet, 159.18 mortali, *ibidem* 37 ſimularit, *eodem*:47 *dele* ante, 160.8 præcedet, *eodem*:22 nemini, 162.22 ſimultatibus, in primo & ſecundo, 163.33 eccleſiaſticum, *eodem* 14 in en, quod, *ibidem* ut licèt nos, *ibidem* 15 futurum, *ibidem* 49 mihi uerò, 165.27 ablegate, *ibidem* 30 firmas, *eodem*:13 aliquod, quod, 166.47 agente, *eodem*:27 repræſentatiuè, *ibidem* 42 qua in fidei, *ibidem* 44 uniuerſali concilio, 167:35 deſereretis, crediturі eratis, 168.16 proſcribi, *ibidem* 21 *ſic leges* reuocaturus haud dubium, non illud quod, &c. 169.25 creditur, *ibidem* 36 religione, ſunt, *eodem* 45 intenſionem, *ibidem* 51 acquiſito, 170.3 contineatur, *ibidem* dilutione, *ibidem* 33 poſtrema, *ibidem* 52 fidei quaſi, 171:18 commoneret, 172:29 proprio, *ibidē* 32 *dele*, ſatis, *ibidem* deliria, quorum, 174.2 atq; id, *ibidē* 38 patiamur, *ibidē* 39 promittitur, 174:19 Rogatiani, *ibidem* 31 obſecrabat, 176:9 uocamur, 177.9 ſecundam, *ibidem* 15 Chriſtum eſſe docet, *ibidem* 55 elegit nos in &c. *eodem*:22 creaturæ, *ibidem* 29 iam penè, *ibidem* 41 at uetus, 179.43 conueniāt, *eodem*:33 imperatores, cū, 180:18 concilus. 182.44 Echt, *ibidem* 45 dibrehaiamim, 183.14 Eccleſiaſtē, *ibidem* 30 prophetiæ, *eodem*:2 afflatos, *ibidem* 42 tertiū, *ibidem* 46 ſacræ legis, 184.41 ex Hieremia, 185:44 ſicut ſapientia, 186.3 Romani, *ibidem* 41 Sardicēſis, 187.26 Pacatiana, 188:23 magis quàm, 189.17 principes qui, *ibidem* 27 ordines, 192.44 lectoris, *ibidem* 45 leguntur, *ibidem* 48 recitantur, 192:9 aſſerenda, 194:43 chariſmatum affluentia, *ibidem* 50 potētiſſimos, *ibidem* noui libri, *eodem*:8 mediocri tamē, *ibidem* 24:27 quamuis ſpiritu, *ibidem* referrent, *ibidem* 50 gentium, *ibidem* 53 Tu me, 195.5 Crito, *ibidem* 42 uiguerit, 196.11 exularint, 197.4 Malachim, 199.16 *in annotatione margi.* Syriacis, *ibidem* 41 tabem, *ibidem* 52 ſolicitudine, *eodem*:15 qui appellatus eſt, &c. *ibidem* 39 ipſo, 200:25 annorum centum octuaginta octo, 202.37 ſecūdo eius libri capite, *ibidē* 42 urbis, 203.54 manifeſtata, 204:13 Hæc, 205.2 deferretur, *ibidem* obſtruſiſſima, *eodem*:55 Dei Iſraël, 206.12 illa, *ibidem* 40 præter, 207.40 Machabæo, 208:19 Anachorites, 209.29 præcedentem, *ibidem* 38 πολυμαθία, 210.14 negent, 212 *in annotatione marginali* partem Euangelij lucæ Ammonius Alexandr. 214.24 dignum, *ibidē* 38 grauitati, 215:10 modeſtia, 216:9 eccleſia, dubitaſſe, 218:15 liber, *ibidē* 25 Eliezeris, 220.46 ex epiſtola, 222.37 prodit à, *ibidem* 54 *non eſt periodus*, *eodē*:10 efficax, 223:50 tabulas, 226:3 baptiſmo, *ibidē* 14 hyperbolicis, *ibidē* 16 obfirmatione, 227:21 cōferri, *ibidē* 38 ſubiicit, abſidè, 228.9 cōmotus peccet, Chriſtū habet, *ibidem* 23 pronūciarāt, 233:32 ſed multa, 234.38 obſoletorū, 237:40 illas, 238.24 Chriſtiana caritate, *eodem*:31 dicier, *ibidem* 43 nō à carne uel, 239.22 Eccleſiaſticū, *ibidem* 49 præcedētibus, *eodem*:43 carioſæ, *ibidem* 46 ſua, *ibidem* 47 defendi, 240.5 altiſſimarum, *ibidem* 35 diſtentos, *ibidem* 45 tangenda, *eodem*:2 ſanctarum ſcripturarū lectione, *ibidem* 17 inuidus, *ibidem* 23 eędē, 243.55 quoq; afferret, *eodem*:39 in ſcriptura, 245.15 tantū, 247.36 Hebraicā linguā, *ibidem* 40 quod antea dicebamus, *ibidē* 42 diuerſitas, q̄, *eodem*:9 diffideāt, *ibidē* 31 deſtinent 249.8 ex tēplo, 250:10 ipſius, 201.55 magnis, *eodē*:5 irriſitq;, *ibidē* 10 īterpretatione errores, 252.32 puerſionibus, 253.42 extremas. 255.41 cōuictu, 257.23 cuderint, 259.9 nō omnino, 260.44 funditus, 261.11 pmundationē uſq;, *eodem* 8 fœcūdo, 263:25 *lege ſic* miraculorū operatio &c. priori, *ibidē* 34 uirtutes, 264.15 Nunc, *eodem*:6 uobis, *ibidē* 8 uobis, 266.6 id eſt gētiliſmū, *ibidem* 9 credūt, *ibidē* 36 nō eſſe tamē peccatores in Eccleſiaſtico, *ibidē* 38 nō eſſe in Eccleſiaſtico, *ibidē* 30 nā eſſe, *ibidē* 42 cōuincūt, 267.1 naturali, *ibidē* 37 ſuperſtructi, *eodem*:52 faceret, 270.39 quādiu, *eodē* 20 Theophanes, *ibidem* 36 πορφυρογεννήτως, 271.4 αὐτῷ, *ibidem in annot. marg.* Arma fidei, 272.50 ſcripturarū, *eodē*:38 ſpōſo nō, *eadē linea totus locus Optati exſpūgatur, quia ſuperius poſitus fuerat*, 273:43 terminatus, 274.17 iurgātur, *ibidē* 22 ſubſannationi ſe exponat, *eodē*:24 fide, 275.19 inūdatione, *ibidē* 34 innocētiſſimi, 276:54 direxit? 282:26 quæuſque, *ibidē* 30 certa ad, *ibidem* 44 impunè erunt, *ibidem* conſtat, 285:53 coiem, 286.26 conciliari, *ibidem* 55 donare, 287:37 perdiderint, 288:38 proficiāt, *ibidem* 55 impudētia, quò, 284:23 Iudæi.

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

20 SET 1969